INSTITUTIONES THEOLOGICAE AD USUM SEMINARIORUM AUCTORE...



INSTITUTIONES THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM

AUCTORE

GASPARE JUENIN

ORATORII GALLICANI PRESBYTERO

Et in Seminario Eminentiss. Cardinalis DE NOAILLES Archiepiscopi Parisiensis Sacræ Theologiæ Professore.

EDITIO OMNIUM RECENTISSIMA

QUATUOR TOMIS DIVISA

In qua nunc primum accedunt in calce Tomi hujus Opuscula nonnulla ex Cardinali de LAUREA, & JACOBO BOUDART excerpta ad majorem Operis illustrationem.

Adduntur præterea in Tomo Quarto Compendium ipsarum Institutionum Theologicarum, necnon Index locupletissimus Materiarum totius Operis, qui in anteactis Editionibus desiderabatur.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS,
Sumptibus HEREDIS NICOLAI PEZZANA.


MDCCLXXVIII.
SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX.

§. IV.

Quaest. IV.

IN-



INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS QUINTA.

De Deo Auctore Legum.

LEX apud Auctores profanos nonnumquam latissime sumitur, pro quacumque nimirum regula, naturæ, artis, & morum. Sic dicitur: Lex est naturæ, ut levia sursum, gravia deorsum ferantur; Lex musicæ, ut numerorum & sonorum proportio servetur: Lex morum, ut bonum agatur, & malum declinetur. Aliquando sumitur minus late, scilicet pro Constitutione, quam majores natu cum populo sanxerunt: *Quod enim* (ait Isidorus libro etymologiarum c. 10.) *Rex aut Imperator edicit, Constitutio, vel Edictum vocatur.*

Apud auctores sacros Lex sæpe sumitur pro sola Mosaica Lege, idque per oppositionem ad Evangelium: quod nimirum Mosaica lex sit, quæ Evangelii gratiam non continet. Eo sensu accipitur ab Apostolo in Epistolis ad Rom. ad Galatas, ad Hebræos. Ab auctoribus sacris sumitur pro ordinatione rationis ad commune bonum, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata.

Circa Legis etymologiam non una est scriptorum opinio. S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. censet, Legem dici a ligando, quod nimirum subditos liget, seu, aliquid aut omittendi, aut agendi debitum imponat. Eorum auctorum sententia nititur Scripturis: nempe Jeremiæ 2. de eo qui legem infregit, dicitur: *Confregisti jugum meum, confregisti vincula mea.* Matt. 23. de Pharisæis qui leges a Deo minime præscriptas populis imponebant, dicitur: *Alligant onera gravia.* Quidam alii volunt, Legem dici a legendo, quod nimirum plerumque scriptis mandetur; & in hoc a consuetudine differt, quæ usu potius quam scripto continetur; juxta illud Isidori loco proxime laudato: *Inter legem & morem hoc interest, quod lex scripta est; mos vero est vetustate probata consuetudo.* Aliis placet, legem dici a legendo, prout vox illa *legendo*, idem est, ac *eligendo*: scilicet quod multorum consultatione præ aliis mediis ad finem conducentibus eligatur; aut (ut alii volunt) quod efficiat, ne lateat, quod præ ceteris agendum est, aut omittendum: *Legem* (inquit Augustinus q. 20. in Leviticum) *a legendo, id est, ab eligendo Latini auctores appellatam esse dixerunt.* Consonant hæc Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.*

Duæ sunt Legis species, Divina nimirum, quæ a Dei auctoritate vim habet immediate; & humana, quæ ab hominibus immediate fertur, licet potestate a Deo accepta. Prior, triplex est, Æterna, Naturalis, & Positiva. Posterior est tantum duplex, Ecclesiastica videlicet & Civilis. Quæ ad Legem in communi sensu quo sumitur a Theologis, & quæ ad singulas mox allatas illius species spectant, in hac quinta parte nostrarum Institutionum pertractabimus.

DISSERTATIO PRIMA.

De Lege in communi.

Not. 1. SAnctus Thomas 1. 2. q. 90. quatuor articulis complectitur, quæ pertinent ad Legem in communi sumptam. Docet nimirum 1. opus esse rationis: *Cum lex* (inquit art. 1.) *sit quædam regula, & humanorum actuum mensura, necessario ad ipsam rationem spectat*. Docet 2. essentiale ipsi esse, ut ad commune bonum ordinetur: *Cum lex* (ait art. 2.) *sit regula humanorum actuum, quorum ultimus finis est beatitudo, & quidem communis; necesse est, eam semper ad bonum commune ordinari*. Docet 3. legem condi ab eo tantum posse, qui communitatis regimini præpositus est. *Cum* (ait articulo 3.) *lex ordinet hominem in bonum commune, non cujuslibet ratio facere potest legem, sed multitudinis, vel Principis vicem multitudinis gerentis*. Docet 4. promulgari eam debere, ut subditos liget: *Cum* (inquit art. 4.) *lex per modum regulæ, quæ his, quibus imponitur, applicari debet, constituatur; eam, ut obligandi vim habeat, promulgari, & ad eorum qui legi subjiciuntur, notitiam deduci oportet*.

Not. 2. Ex iis S. Thomæ documentis colligitur, Legem in communi sic recte definiri: *Lex est ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo qui communitatis curam habet, promulgata*. Dicitur 1. *ordinatio rationis*, eo quod decernat, quid agendum, quidve omittendum sit; illud autem decretum sit verbo interiore mentis; mentis enim est judicare, quid honestum, quidve inhonestum sit. Dicitur 2. *Ad bonum*, seu ad pacem, quæ quidem (ut ait Augustinus lib. 19. de Civitate Dei, cap. 13.) nihil aliud est, quam *tranquillitas ordinis*: ordo vero, ex eodem S. Doctore, *est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*. Hanc tranquillitatem lex naturæ efficit in corpore per temperaturam partium, in brutis per requiem appetituum, & in anima rationali per rectam cognitionis & actionis consensionem: *Pax itaque corporis* (inquit Augustinus) *est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata rationis actionisque consensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita, & salus animantis*. Dicitur 3. esse ad *bonum commune*, ad hominum scilicet in republica, tum Civili, tum Ecclesiastica, concordiam: *Pax hominum* (ait ibidem Augustinus) *ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cælestis civitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo & invicem in Deo*. Dicitur 4. esse *ab eo qui curam habet communitatis*, communitatis quidem perfectæ, hoc est, quæ sibi sufficiat ad artes, ad judicia, ad bellum; quæ enim in communitate imperfecta statuuntur, ut est ea quæ reperitur inter conjugatos, inter patrem familias, & filios, & servos, dicuntur Mandata, Imperia, Statuta, non autem Leges. Dicitur denique 5. *Promulgata*, quia nisi lex populis innotescat, populi ad illius observationem cogi minime possunt.

Not. 3. Optimam esse traditam Legis definitionem, his rationibus ostenditur. Allata definitio convenit 1. *omni* legi, sive sit divina, sive sit humana. Convenit 2. *soli* legi: nempe quatenus est *ad bonum*, differt ab eo quod ordinem justitiæ perturbat; prout vero refertur ad bonum *commune*, discrepat a præcepto, quod quidem respicit bonum privatorum, ut privati sunt; prout denique *promulgata est ab eo, qui curam habet perfectæ communitatis*, differt a Statutis, quæ in civitatibus sibi non sufficientibus, aut in Congregationibus ecclesiasticis, sive sæcularibus, sive regularibus, ferri solent.

Not. 4. Licet ex iis, quæ hucusque dicta sunt, Legis definitio satis & explicata & asserta sit, operæ tamen pretium est, ut juxta S. Thomæ methodum, terminos, ex quibus constat, paullo uberius exponamus: In hac igitur dissertatione quæremus 1. utrum lex sit actus rationis, an voluntatis: 2. utrum essentialiter ad bonum commune referri debeat: 3. a quo Superiore lex condi possit: 4. tandem utrum promulgatio sit de illius essentia.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum lex sit actus rationis.

Not. 1. LEx prout in Legislatore consideratur, includit plures, tum intellectus, tum voluntatis, species distinctas. Nam 1. includit intentionem boni communis procurandi. 2. judicium speculativum de quorumdam mediorum aptitudine ad procurandum bonum commune; 3. judicium practicum, dictans hæc esse vitanda subditis, aut amplectenda; 4. voluntatem, qua Legislator vult quædam fieri vel non fieri; 5. aliam specialem voluntatem, qua idem Legislator vult subditos obligare ad servanda suæ legis mandata; 6. tandem ejusdem Legislatoris imperium, quo scilicet præcipit subditis, ut sancitam a se legem observent.

Not. 2. Quæstio est inter Theologos in quo ex iis quinque Legislatoris actibus posita sit legis essentia. Circa eam quæstionem duplex est auctorum sententia. Prima, quæ est Durandi, Alphonsi a Castro, & aliquorum aliorum, docet, legem essentialiter positam

sitam esse & in actu intellectus & in actu voluntatis. Altera, quæ est S. Thomæ, contendit, legis essentiam in solo actu intellectus positam esse.

CONCL. Essentia Legis posita est in solo actu intellectus.

Probatur duplici argumento, quo S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. utitur. 1. Lex, illius est facultatis, cujus est præcipuus actus legis: atqui præcipuus actus legis est intellectus, nempe præcipuus legis actus est imperare, imperium autem est actus intellectus: *Imperans enim* (ait S. Thomas 1. 2. q. 17. art. 1.) *ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando: sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis, est rationis*. 2. Lex est essentialiter regula pravi & recti, seu mensura, ad quam honestum aut inhonestum exigi debent: sed regula, seu mensura, sunt in solo intellectu; regula enim & mensura sunt idea quædam, cui ea, quæ regulæ aut mensuræ subjacent debent esse conformia: idea autem est in intellectu, non in voluntate, cum sit repræsentatio quædam, seu forma, seu exemplar, cui conformes esse debent voluntatis operationes: ergo lex sumpta secundum essentiam, est in solo intellectu.

Confirmatur duplex illud argumentum; 1. ex Scriptura, quæ non semel legem vocat lumen ac lucem: Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*: at lumen, illuminatio proprie solius sunt intellectus: ergo & lex quoad essentiam sumpta est a solo intellectu. Confirmatur 2. ex August. qui lib. 1. de lib. arb. c. 6. legem definit, rationem summam, cui semper obtemperandum est: quibus consonant hæc Ciceronis verba in lib. de Legibus: *Lex naturalis est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria*.

Objicies 1. ex Scriptura. Lex variis Scripturarum locis vocatur voluntas, Ps. 39. *In capite libri scriptum est, ut facerem voluntatem tuam*, id est, legem, juxta hæc verba quæ immediate subsequuntur præcedentia: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Ps. 102. *Notas fecit vias suas Moysi*. Eæ autem viæ non aliud sunt quam ipsa Dei Lex, quæ immediate post dicitur Dei voluntas: *filiis Israel voluntates suas*. Lib. 2. Machab. c. 1. *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem*, id est, legem illius observetis: ergo lex est in voluntate, non autem in intellectu; non enim ratione subjecti ac principii, a quo elicitur, potuit a Scripturis appellari voluntas.

Resp. 1. retorquendo argumentum. Lex vocatur lumen, lucerna, illuminans oculos: sed hæc ad intellectum pertinet: ergo lex est intellectus, non voluntatis. Resp. 2. dist. ant. Lex in Scripturis vocatur voluntas signi, conc. ant. voluntas beneplaciti, neg. ant. Ista de qua dicitur: *Omnia, quæcumque voluit, fecit*, haud dubie ad intellectum non pertinet: secus illa, scilicet voluntas signi non aliud est, quam signum, quo nobis innotescit, quid Deus aut prohibeat, aut permittat, aut jubeat; permittere autem, jubere, prohibere, ad intellectum, non ad voluntatem pertinent. Resp. 3. dist. iterum ant. Lex vocatur voluntas, præsuppositive, conced. ant. elicitive, neg. ant. hoc est, lex præsupponit quidem voluntatem Legislatoris; neque enim omnis idea Legislatoris lex est, sed ea tantum, quæ præsupponit actum, quo vult, ut lex illa suos subditos obliget: sed actus ille voluntatis nec est immediate operativus legis, nec ipsa lex essentialiter sumpta: sicut tabella non est in pictore immediatum opus voluntatis, sed rationis, quamvis pictor ad delineandam tabellam voluntate moveatur.

Objicies 2. Lex essentialiter est actus illius potentiæ, cujus est ordinare in finem; nempe definitur ordinatio in finem: atqui voluntatis est, non autem intellectus, ordinare in finem: siquidem ejus est potentiæ ordinare in finem, quæ per se respicit finem, seu cujus objectum est ipsemet finis; sed voluntatis est, non vero intellectus, per se respicere finem: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. Quæ per se respicit finem, ostendendo quæ conferunt ad finem, conc. maj. appetendo finem, neg. maj. Hoc modo voluntas finem respicit, illo vero intellectus: ac proinde cum lex, quæ se habet per modum regulæ, & finem & ea quæ sunt ad finem ostendat, ad intellectum, non autem ad voluntatem pertinet.

Objicies 3. Lex & regula sunt unum & idem: atqui ratio regulæ pertinet ad voluntatem; nempe in tantum quis ad rectam regulam exigit sua facta, in quantum illius facta sunt conformia divinæ voluntati: unde cum Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 27. peccatum sic definiisset, *Factum vel concupitum contra legem æternam*, subdit: *Lex æterna est ratio, vel voluntas divina*: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. In quantum sunt conformia divinæ voluntati, quæ sit voluntas signi, conc. ant. quæ sit voluntas beneplaciti; neg. ant. Hæc non est regula morum, cum eam non cognoscamus; sed illa tantum, utpote quæ in præceptis & aliis exterioribus signis posita sit. Ad 3. dicendum est, Augustinum loco laudato disjunctive loqui; *vel*, inquit; ac proinde quæstionem, an lex in intellectu potius quam in voluntate, aut in voluntate potius quam in intellectu posita sit, minime dirimit.

QUÆSTIO II.

Utrum Lex essentialiter ad commune bonum referri debeat.

Not. LEx duobus modis potest respicere bonum commune, vel ex parte sui, vel ex parte Legislatoris. Non est hic quæstio, an lex, ut vera sit, ex parte legislatoris debeat ad bonum commune referri: scilicet licet legislator pravam sibi intentionem proponens peccet, fieri tamen potest, ut lex ab eo sancita vera sit lex, quæ communi bono consulet: *Fieri enim potest* (inquit Augustinus lib. 1. de libero arbitr. c. 5.) *ut lex bona a non bono feratur*: sed quæstio est de lege in se sumpta, seu prout abstrahit ab intentione legislatoris, a quo fertur, & ab intentione populorum quibus præscribitur.

CONCL. Lex in se sumpta essentialiter referri debet ad bonum commune.

Probatur 1. Bonum commune, & pax, sunt unum & idem; scilicet ex Augustino lib. 19. de Civitate Dei, cap. 13. Pax non aliud est, quam tranquillitas ordinis: ordo vero, ex eodem S. Doctore, est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio: atqui lex in se sumpta essentialiter referri debet ad pacem, sive naturalem, sive supernaturalem, sive Ecclesiasticam, sive civilem: est enim ordinatio rationis: at ratio jubet, ut omnia sint ordinatissima, hoc est, ut in eo sint loco, in eo situ, in eo statu, qui sibi conveniant, ac proinde fruantur pace, cum pax non in alio posita sit, quam ut quæque res in loco, in situ, in statu sibi conveniente constituta sit.

Probatur 2. Lex ex se referri debet ad illud bonum, propter quod instituta est a Deo publica potestas: atqui publica potestas a Deo instituta est ad commune bonum; in hoc enim differt a privata potestate; unde publica potestas nonnunquam propter bonum commune vult malum privatarum personarum; ut patet in Judice, qui flagitiosos & facinorosos homines damnat morte, ut publicæ securitati consulat; sic etiam propter publicam pacem permittit, ut quis invito priore domino, bona titulo præscriptionis possessa retineat. Sic tandem ut commune bonum procuretur, patitur aliquando, ut privatis hominibus, licet minime reis, damnum aliquod inferatur.

Objicies 1. Dantur plura præcepta, quæ ad bonum privatum referuntur: hujusmodi sunt ea quibus quisque privatus jubetur vitam propriam conservare, eleemosynam erogare pauperibus; peccata singulis annis confiteri; proximum peccantem corrigere: sed ea præcepta sunt veri nominis leges: ergo non est de legis essentia, ut ad bonum publicum referatur.

Resp. dist. maj. quæ ad bonum privatum, tanquam ad finem proximum, referuntur; conc. maj. tanquam ad finem ultimum, neg. maj. Nam 1. ideo lege naturali quisque tenetur vitæ propriæ saluti consulere, quia respublica ex privatis coalescit; 2. Ideo præscribitur eleemosyna, quia interest publicæ societatis, ne pauperes qui sunt illius membra, fame, aut aliis incommodis pereant: 3. Ideo quisque fidelis ad annuam confessionem tenetur, quod reipublicæ plurimi referat, ut Deus, a quo pacem sperat, honore debito colatur: 4. Ideo fraterna correptio præcipitur, quod intersit publicæ societati, ne qui in ea sunt, se se peccatis dedant. Tandem in his aut similibus præceptis bonum publicum reperitur semper, quod hujusmodi præceptorum observatione servetur ordinis tranquillitas, in eo posita, ut quisque modo sibi convenienti pace fruatur.

Objicies 2. Cessante bono publico non desinit lex: ergo non est essentiale legi, ut ad bonum publicum referatur. Probatur ant. Lex de vitando hoc vel illo excommunicato non desinit, quamvis bonum publicum per societatem cum illo non lædatur, ut revera non læditur; cum id fit aut sine scandalo, aut sine ipsiusmet excommunicati detrimento: v. g. cum ea societas non impedit, ne excommunicatum criminis pœniteat, supplexque ab Ecclesia absolutionem deprecetur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. in eo casu non lædi bonum publicum: scilicet toties bonum publicum læditur, quoties leges publicæ auctoritate publica non abrogatæ infringuntur, etiamsi legum motivum desierit. Id evidenter patet in matrimonio, quod si quis clandestine in loco, ubi promulgatum est Concilii Tridentini decretum, contraxerit, irritum est; quamvis illius decreti motiva, innumeræ nimirum fraudes, quas sacra Synodus præcavere voluit, in aliquo particulari casu desierint.

Objicies 3. Leges politicæ, quibus tributorum & vectigalium persolutio mandatur, sunt veri nominis leges: atqui leges illæ non respiciunt bonum publicum, sed tantum privatum Principis bonum: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. min. Privatum Principis bonum proxime respiciunt, conc. min. ultimo, neg. min. Equidem ex tributorum & vectigalium persolutione augetur Principis commodum: sed illud commodum ultimo refertur ad bonum publicum; ideo enim tributa Principibus persolvuntur, ut reipublicæ paci adversus malos, & illius securitati adversus hostes consulere possint: unde Christus Matth. 22. subditis imperat, ut in tributis Regi persolvendis fidelitatem suam

suam probent: *Reddite* (inquit) , *quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Objicies 4. Privilegium est vera lex : sed privilegium non respicit bonum publicum , sed tantum privatum bonum personæ , cui conceditur: ergo, &c.

Resp. 1. neg. maj. Privilegium enim non est lex, sed exemptio a lege. Resp. 2. dist. min. Privilegium respicit immediate & proxime bonum privatum , conc. min. ultimo & remote , neg. min. Interest nimirum reipublicæ privilegia concedere ,ut per ea privati ad bonum publicum per opera quædam insignia & ardua promovendum accendantur. Unde injusta sunt , cum iis conceduntur , qui de republica nec bene meriti , nec bene merendi sunt.

Ex iis quæ tota hac quæstione dicta sunt, colligendum est, veri nominis leges non esse , quæ justitiæ adversantur ; tantum enim abest , ut sint propter bonum commune , quin potius illud evertant : hincque sequitur, præceptum de occidendis masculis Hebræorum a Pharaone latum , non fuisse legem , sed tyrannidem . Idem quoque judicium ferri debet de mandato Saulis, de interficiendis Domini Sacerdotibus , in quos (ut habetur 1. Reg. 22.) servi Regis manus suas extendere noluerunt . Idem pariter dici debet de lege , qua Christiani ab apostata Juliano alias prohibiti sunt artibus liberalibus operam dare.

QUÆSTIO III.

A quo Lex condi debeat.

CONCL. 1.Lex a solo superiore condi potest.

Probatur. Ab eo tantum lex condi potest , qui potest imperare ; actus enim præcipuus legis est imperium: atqui solus superior potest imperare; ergo & legem condere.

Objicies 1. Responsa Prudentum aliquando vocantur Leges; unde nonnullæ dicuntur Leges Licurgi v. g. aut Platonis , quod a Licurgo, aut Platone conditæ fuerint; atqui Prudentes non sunt superiores: ergo, &c.

Resp. dist. maj. vocantur Leges post datam eis a Superioribus , Republica nimirum aut Principe , confirmationem , conc. maj. ante datam a Superioribus confirmationem , neg. maj. Licurgus , Plato , & alii Prudentes , dicuntur certarum Legum auctores, quod eorum opera, aut excogitatæ fuerint, aut in eum ordinem digestæ, qui postea a Superioribus probari & confirmari meruerint.

Objicies 2. In iis est potestas condendi leges, qui possunt homines ad commune bonum ordinare, nempe lex definitur ordinatio rationis ad commune bonum : atqui privati possunt homines ad commune bonum ordinare: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Qui possunt homines ad commune bonum ordinare per imperium , conc. maj. per consilium tantum , neg. maj. Hoc tantum , non autem illo modo , privati possunt alios homines ad commune bonum ordinare , proindeque leges ferre non possunt, cum sit de ratione legis, ut liget eos, quibus præscribitur.

CONCL. 2. Non omnis Superior , sed is tantum , qui præest perfectæ communitati , potest leges condere.

Probatur . Is tantum potest leges condere , cui convenit potestas jurisdictionis in ordine ad bonum commune , quia (ut ex dictis patet) lex est ordinatio ad commune bonum: atqui is tantum, qui præest in communitate perfecta , jurisdictionem habet in ordine ad bonum commune; & in hoc differt ab eo qui præest in communitate imperfecta , ut est familia , aut societas quæ membra sunt reipublicæ.

Hinc concluditur 1. Ecclesiam (quod fuse probabitur inferius) posse leges condere: Ecclesia enim est communitas perfecta , hoc est, sufficit sibi ad finem, ad quem instituta fuit a Christo; nimirum ad promovendam æternam salutem membrorum , ex quibus coalescit . Concluditur 2. regnum quod est ab alio independens, posse pariter leges condere : regnum enim illud sufficit sibi ad judicia , ad bella , & ad alia hujusmodi, per quæ consuli potest communi civium bono , quod quidem non aliud est, quam pax & tranquillitas publica. Concluditur 3. (quod & jam superius observavimus) regulas quas paterfamilias domestici, aut religionis alicujus Præpositus præscribit suis religiosis , non esse leges proprie dictas, sed aut præcepta, aut statuta tantum.

Non interest autem, an perfecta illa communitas sit Monarchica , quæ scilicet ab unius arbitrio pendet , an Aristocratica , quæ ex sententia bonorum & peritorum regitur , an Democratica , quæ populi suffragiis administratur , an denique ex iis mixta sit.

QUÆSTIO IV.

An promulgatio sit de essentia Legis.

Not. Circa eam quæstionem duplex est , etiam inter S. Thomæ discipulos , sententia. Prima docet, promulgationem esse de essentia legis, idque (ajunt) juxta S. Thomæ mentem, qui in legis definitione meminit promulgationis: Altera contendit, promulgationem requiri quidem ut lex eos obliget, quibus præscribitur, sed asserit non requiri eam, ut lex in suo esse essentiali constituatur.

CONCL. 1. Ut lex obliget , necessaria est illius promulgatio.

Probatur 1. Ut lex obliget, debet iis applicari , quibus præscribitur ; siquidem lex (ut superius observatum est) se habet per modum regulæ & mensuræ actuum humanorum; atqui lex non applicatur, nisi per promulgationem: nempe promulgatio nihil aliud est,

est, quam applicatio ad subditos, quibus fit illa promulgatio. 2. Ut lex obliget, requiritur illius sufficiens cognitio; nempe lex se habet per modum præcepti; præceptum autem non obligat, nisi cognitum fuerit, aut saltem cognosci potuerit: atqui sine promulgatione non habetur sufficiens legis cognitio: ergo, &c.

Objicies. Lex æterna obligat, & tamen nusquam promulgata est: ergo ut lex obliget, non requiritur illius promulgatio.

Resp. dist. ant. Lex æterna nusquam per signum aliquod exterius (ut solent humanæ leges) promulgata fuit, conc. ant. per signum interius, neg. ant. Scilicet promulgata fuit per legem naturalem, quæ cuilibet homini indita est: lex enim naturalis non aliud est (ut infra dicetur) quam quædam legis æternæ participatio per innatam creaturæ rationali inspirationem luminis & amoris, quibus bonum cognoscitur & amatur.

CONCL. 2. Promulgatio non est de essentia legis.

Probatur 1. Lex (ex dictis) se habet per modum regulæ; & promulgatio per modum applicationis: atqui applicatio non est de essentia regulæ: regulam enim præsupponit in suo esse constitutam: ergo, &c. 2. Lex est imperium, quod per se aptum est obligationem imponere: sed ejusmodi imperium stat essentialiter, antequam actu promulgetur; nempe per se aptum est obligationem imponere, licet sine promulgatione eam non imponat: ergo, &c.

Objicies 1. Quod reperitur in definitione legis est de illius essentia; nam (ut docent Logici) definitio naturam definiti explicat per genus & differentiam: atqui promulgatio reperitur in definitione legis: *Lex* (inquit S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 4.) *nihil aliud est, quam quædam rationis ordinatio ad commune bonum ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*

Resp. neg. maj. nonnunquam enim in definitionibus rerum, & præsertim earum quæ ad mores spectant, nonnulla ponuntur quæ ad illarum rerum essentiam non pertinent, sed tantum ad ea quæ requiruntur, ut habeant actum secundum sibi debitum. Hujusmodi autem est promulgatio respectu legis: nam quamvis lex sine promulgatione aptitudinem habeat ad obligandum, actu tamen non obligat, nisi promulgata, cum per solam promulgationem legislatoris voluntas populis innotescat.

Objicies 2. Gratianus c. 1. *In istis*, dist. 4. sic loquitur: *Leges instituuntur, cum promulgantur*; sic etiam S. Thomas: *Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem*: ergo promulgatio est de essentia legis.

Resp. dist. ant. Leges complete, seu quoad vim obligandi, & quoad ipsam actualem obligationem, instituuntur, cum promulgantur, conc. ant. instituuntur incomplete quoad solam vim & aptitudinem obligandi, sine obligatione actuali, neg. ant. De illa, non autem de ista institutione loquitur Gratianus: nec enim Princeps ad Metaphysicam rerum naturam, sed ad eam tantum, quæ ad praxim pertinet, attendit. Non aliud quoque voluit S. Thomas loco qui nobis objectus fuit: id est, locutus est de lege & quoad vim obligandi, & quoad ipsum obligandi actum accepta; idque patet ex eo, quod S. Doctor legem comparat regulæ: at regulæ essentia non pendet ab illius applicatione.

Quæres, quid nomine promulgationis intelligatur.

Resp. 1. quod si quæstio sit de lege naturali, aut divina positiva, lex sufficienter promulgata censeatur, cum alicui, etiam nulla adhibita exteriori sollemnitate, innotescit; nempe juris naturalis aut divini positivi vis est prorsus independens a sollemnitatibus humana lege aut consuetudine in rempublicam invectis. Resp. 2. humanas leges, sive Canonicæ sint, sive Civiles, non censeri promulgatas, ob hoc solum quod ad Ecclesiæ, aut reipublicæ membrorum cognitionem venerint: sed præterea requiritur, ut auctoritate publica præscriptis jure aut consuetudine regulis ac sollemnitatibus servatis, publicentur: quænam autem sint eæ regulæ ac sollemnitates, dicetur inferius, ubi expresse de humanarum legum promulgatione differetur.

Quæres 2. utrum ad necessariam legis humanæ promulgationem requiratur, ut lex cuique singulari auctoritate publica intimetur.

Resp. negative. Ratio est, quia alioquin vix esset lex aliqua humana, quæ sufficienter promulgata esset; scilicet plures sunt semper, ad quos legis humanæ cognitio nunquam pervenit. Unde (ut advertit Sylvius) Princeps in ferendis legibus dicere non solet: Præcipimus vobis, qui præsentes estis, vel qui auditis: sed vobis generaliter, qui sub nostra ditione estis. Itaque satis est ad debitam promulgationem, ut lex, servatis servandis, a publico ministro, sive verbo, sive scripto, ita promulgetur, ut ad singulorum notitiam pervenire possit. Hinc Innocentius III. cap. *Ad hæc* de postulatione Prælatorum, expresse asserit, non esse necessarium ad sufficientem legis promulgationem, ut per speciale mandatum, vel litteras, cuique particulari significetur.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Lege æterna.

Not. SAnctus Thomas de lege æterna quærit 1. utrum existat: 2 quid sit: 3. utrum

utrum sit omnibus nota: 4. utrum omnes aliæ leges oriantur ab æterna: 5. an omnia, sive necessaria, sive contingentia, æternæ legi subjiciantur. Ad eam S. Doctoris methodum hic de æterna lege disseremus.

QUÆSTIO PRIMA.

De existentia Legis æternæ.

Not. NOmine legis æternæ intelligitur idea, ad quam exigitur directio rerum omnium in fines sibi convenientes. Conveniunt quidem omnes, in Deo existere ab æterno ideam illam, sed nonnulli recentiores contendunt ideam illam non esse vere ac proprie dictam legem, sed metaphorice tantum: alii vero asserunt eam esse vere ac proprie dictam legem. Quid nos sentiamus, duabus sequentibus conclusionibus aperietur.

CONCL. 1. In Deo datur aliqua lex æterna.

Probatur. Lex æterna, est idea practica, directiva rerum omnium in finem eis convenientem, ut quæstione sequente dicetur: atqui in Deo datur hujusmodi idea: siquidem in eo qui res omnes dirigit ad finem eis convenientem, debet esse idea, ad quam directionem illam exigat, seu debet esse idea, quæ sit regula, juxta cujus præscriptum omnia ad debitum sibi finem per media hujusmodi fini proportionata dirigantur, nam sicut in Deo creatore existit idea rerum omnium, quæ ex nihilo eductæ sunt; sic quoque debet esse idea mediorum omnium, quibus creaturas ad suos fines dirigat; non enim minus est rerum gubernator, quam creator.

CONCL. 2. Lex æterna est lex vere ac proprie dicta.

Probatur. Lex proprie dicta nihil aliud est, quam ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata: atqui lex æterna est hujusmodi. Nam 1. est *ordinatio rationis*; decernit enim, quid agendum aut omittendum sit, ut creaturæ ad finem suum dirigantur: 2. est *ad commune bonum*, pacem nimirum, ad quam qualibet res fertur modo sibi conveniente: 3. est *ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata*: Deo scilicet, qui sicut est rerum omnium creator, ita etiam est earum gubernator, resque omnes ad fines sibi convenientes movet ac dirigit.

Objicies 1. Lex æterna non aliud est, quam idea rerum in mente divina existens; atqui idea illa non est lex vere ac proprie dicta; tum quia est mere speculativa: tum etiam quia non aliud est, quam forma, ad quam res quæ fiunt, exiguntur; sicut idea artificis non aliud est, quam forma, seu exemplar, ad cujus similitudinem fit artefactum.

Resp. dist. min. Idea quæ respicit rerum creationem, non est lex proprie dicta, conc. min. quæ respicit rerum gubernationem, neg. min. Hanc, non autem illam, æterna lex respicit; ac proinde differt ab idea simpliciter & absolute dicta. Sed ut clarius pateat solutio, recensenda sunt varia discrimina, quæ inter ideam simpliciter dictam, & legem æternam reperiuntur. 1. Idea simpliciter & absolute dicta respicit (ut mox observatum est) rerum creationem; æterna vero lex respicit earum gubernationem. 2. Idea simpliciter dicta est mere speculativa: e contra lex æterna est practica, quia Deum ipsum movet, ut hæc aut illa media eligat, quibus creaturas dirigit ad fines sibi convenientes. 3. Idea simpliciter dicta respicit rerum substantiam & entitatem; lex vero æterna respicit earum actiones: unde Augustinus lib. 1. de libero arbitrio c. 6. dicit, legem æternam esse *rationem in mente Dei existentem, qua res omnes per congrua media in suos fines ordinantur & diriguntur.*

Objicies 2. Promulgatio est de ratione legis proprie dictæ: sed nulla lex potuit ab æterno promulgari: ergo nulla idea potuit ab æterno esse lex vere ac proprie dicta.

Resp. neg. maj. Nimirum (ut superius dictum est) promulgatio actualis non est de essentia legis, sed tantum promulgatio possibilis, hoc est, quæ aliquando fieri possit; ac proinde cum lex æterna semper potuerit promulgari, quia creaturæ, quibus promulgaretur, fuerunt semper possibiles, jure ac merito vocatur lex proprie dicta. 2. Dici potest, legem, æternam ab æterno promulgatam fuisse Verbo divino: expressa nimirum in eo fuit substantialis imago directionis rerum omnium in fines sibi convenientes; scilicet idea rerum in finem, cum in Deo sit aliquid absolutum, per generationem æternam Verbo divino fuit communicata. Id indicare voluit S. Th. cum 1. 2. q. 91. art. 1. sic loquitur: *Ad secundum dicendum, quod promulgatio fit & verbo & scripto; & utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis; quia & Verbum divinum est æternum, & scriptura libri vitæ est æterna; sed ex parte creaturæ audientis, aut inspicientis, non potest esse promulgatio æterna.*

Objicies 3. Lex, cujus subjectum non est capax legis vere ac proprie dictæ, non est lex vere ac proprie dicta: atqui subjectum legis æternæ non est capax legis vere ac proprie dictæ; siquidem non tantum creaturæ rationales, sed etiam irrationales legi æternæ subjiciuntur, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4. & 5. at creaturæ rationales non sunt capaces legis proprie dictæ: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Non est lex vere ac proprie dicta respectu subjecti, quod hujusmodi legis est incapax, conc. maj. respectu subjecti, quod illius est capax, neg. maj. Lex

æterna respectu irrationalium nihil aliud est, quam idea, ad quam exigitur impressio principii necessario moventis ad finem eis convenientem, seu ad requiem appetituum, qui creaturis irrationabilibus inditi sunt: ac proinde illorum respectu non est lex proprie dicta, sed metaphorice tantum: unde in Scripturis dicitur lex præceptum: *Præceptum posuit* (inquit Rex Propheta, Ps. 148.) *& non præteribit*. E contra respectu creaturarum rationalium est lex proprie dicta, quia regula est, ad quam suas actiones morales (quæ sunt objectum legis proprie dictæ) exigere tenentur.

QUÆSTIO II.

De essentia Legis æternæ.

Not. NOn est hic quæstio de essentia legis æternæ sumptæ secundum substantiam; cum enim sic sumpta sit attributum Dei, idem omnino est, ac Deus ipse: sed quæstio est de lege æterna sumpta secundum objectum, quod ab ea respicitur.

CONCL. Lex æterna, sumpta secundum objectum, quod ab ea respicitur, recte definitur, *Summa ratio directiva omnium actionum & motionum*.

Probatur & simul explicatur conclusio. Lex æterna dicitur 1. *Ratio*, eo quod (ut superius observatum est) lex quælibet sit *ordinatio rationis*, seu mentis. Dicitur 2. ratio *Summa*, quia ultima est, & suprema regula, ad quam creaturarum ordinatio in finem exigitur. Dicitur 3. *Directiva omnium actionum & motionum*, quia versatur circa actiones & motiones, eo quod motiones & actiones sint media, per quæ creatura quælibet tendit ad debitum sibi finem.

Probatur 2. auctoritate S. Augustini, qui legem æternam sic definit l. 22. contra Faustum c. 24. *Lex æterna, est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*. Naturalis autem ordo creaturæ rationalis est, ut per amorem subdita sit Deo, & qualibet creatura, etiam seipsa, per eumdem amorem superior sit: ordo naturalis creaturæ irrationalis est, ut in eo sit situ, & in eo loco, in quo universi ordo naturalis exigit. Iterum ab eodem S. Doctore lib. 1. de libero arbitrio cap. 6. sic definitur: *Æterna lex est ea, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima*. Hæ vero Augustini definitiones in eam incidunt, quam ex S. Thoma in nostra conclusione excerpsimus, ut attendenti facile patebit.

Objicies. Lex æterna & providentia sunt unum & idem: providentia enim non minus quam lex æterna, res omnes dirigit in fines, qui illis conveniant: atqui providentia non est summa ratio directiva omnium actionum & motionum; scilicet providentia potius versatur circa res particulares, quam circa universales: cum e contra summa ratio directiva omnium actionum & motionum, circa res universales versetur.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia lex æterna in multis differt a providentia. Nam 1. lex æterna (ut jam observatum est) per se primo respicit commune bonum universi; providentia bonum singulare cujuscumque creaturæ. 2. Lex æterna ex se vim habet obligandi, non vero providentia. 3. Providentia minus late patet, quam lex æterna; nempe providentia præsupponit legem æternam: Deus enim ex illius dictamine res omnes singulares regit, ac moderatur.

Quæres, utrum in Deo sint plures leges æternæ secundum nostrum concipiendi modum, sicut sunt plures ideæ.

Resp. non esse in Deo plures leges æternas etiam secundum nostrum concipiendi modum, licet sint plures ideæ. Ratio est, quia multiplicitas idearum in Deo petitur ex multiplicitate objectorum specie diversorum, quæ in ideis continentur: at non sunt plures fines specie diversi, circa quos lex æterna versetur; immo est unicus, commune nimirum bonum universi: unde quemadmodum plures non sunt in Deo providentiæ, licet plura ei subjiciantur, ita nec sunt plures leges æternæ, quamvis ex ejus dictamine plura specie diversa gubernentur.

QUÆSTIO III.

Utrum lex æterna sit omnibus nota.

Not. LEx æterna potest considerari, vel secundum existentiam, vel secundum essentiam, vel secundum effectus. Non est hic quæstio, utrum lex æterna considerata secundum existentiam, sit omnibus nota: siquidem certum est, eam sic acceptam, cognitam esse iis omnibus, quibus persuasum est Deum existere, eumque creata omnia regere; norunt enim regimen illud esse non posse, nisi ad aliquam legem constantem & permanentem exigatur. Non est quoque quæstio de lege æterna sumpta secundum essentiam: cum enim sic accepta sit idem cum Deo, non potest nisi a beatis, ut in se est, cognosci. Itaque quæstio est de lege æterna considerata secundum effectus, hoc est, an in suis effectibus aliquo modo omnibus cognita sit, licet tamen non sub ratione legis æternæ.

CONCL. Lex æterna est aliquo modo omnibus nota.

Probatur. Ea lex est aliquo modo omnibus nota, quæ in omnibus ratione utentibus per imperfectam sui communicationem reperitur; atqui lex æterna per imperfectam sui communicationem in omnibus ratione utentibus.

tibus reperitur, siquidem lex æterna (Augustino teste in libro de vera religione cap. 31.) est veritas incommutabilis; sed veritas incommutabilis per imperfectam sui communicationem reperitur in omnibus ratione utentibus; nullus enim est ratione præditus, qui veritatem, saltem secundum communissima eorum principia, non cognoscat; v. g. quod bonum agendum sit, & malum vitandum; ergo ab omnibus aliquo modo lex æterna cognoscitur.

Objicies 1. Apostolus 1. ad Corint. 2. sic loquitur: *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei*: atqui lex æterna est Dei, hoc est, in Deo existit: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Nemo novit cognitione comprehensiva, conc. maj. cognitione non comprehensiva; neg. maj. Et sane multa Dei attributa a nobis, dum in terris versamur, in eorum effectibus cognoscuntur; nihil igitur impedit, quin lex æterna aliquo modo nobis innotescat, non quidem clare & intuitive, ut in beatis contingit, sed abstractive, in illius nimirum participatione quadam & imperfecta irradiatione, quæ in omnibus hominibus reperitur.

Instabis. Nonnulli sunt, qui licet plures veritates cognoscant, Dei tamen existentiam non admittunt: ergo, ii saltem, non cognoscunt legem æternam, etiam in aliqua illius participatione, aut irradiatione.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Non cognoscunt legem æternam formaliter sumptam, hoc est, sub ratione legis æternæ, conc. cons. materialiter & secundum se, neg. conseq. Athei non judicant, eam quam habent veritatis cognitionem esse idem cum æterna Dei lege; tamen cum, ut ex dictis patet, sic realiter idem cum æterna Dei lege, fieri non potest, ut dum cognoscunt veritatem aliquam, non cognoscant etiam a parte rei æternam Dei legem.

Objicies 2. Ut cognoscatur æterna Dei lex, necesse est, ut cognoscatur justum esse, ut omnia sint ordinatissima: nam lex æterna definitur ab Augustino in libro de libero arbitrio c. 31. ea *qua justum est, ut omnia sint ordinatissima*: atqui non est notum omnibus, quod omnia sint ordinatissima: *Quis enim* (ait Apostolus) *novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

Resp. dist. maj. Necesse est, ut in communi cognoscatur, omnia esse ordinatissima, conc. maj. ut cognoscatur in specie modus, quo res quælibet sunt ordinatissimæ, neg. maj. Ratio est, quia ad cognoscendum in specie modum, quo res quælibet sunt ordinatissimæ, necesse esset comprehendere legem æternam, hoc est, totaliter eam cognoscere, seu cognoscere res omnes, ad quas se extendit, modum quo illas attingit; sed nulla substantia creata potest æternam legem comprehendere; quia (ut dictum est) lex æterna est idem cum essentia divina, quæ quidem, ut harum Institutionum tom. 1. probavimus, est prorsus intellectui creato incomprehensibilis.

Objicies 3. Unusquisque potest judicium ferre de eo, quod cognoscit: sic qui cognoscit sphæram, potest de sphæra judicare: atqui, ex Augustino in libro de vera religione, c. 3. homines de lege æterna judicare non possunt; ergo nec eam cognoscere.

Resp. dist. maj. Unusquisque potest judicium ferre de eo, quod cognoscit, secundum modum quo illud cognoscit, conc. maj. secundum modum, quo id non cognoscit, neg. major. Mens creata (ut jam observatum est) cognoscit legem æternam in genere, hoc est, existere legem aliquam, per quam omnia sint ordinatissima, & secundum illum respectum potest de ea judicium ferre, seu revera potest asserere, omnia esse ordinatissima; at vero non cognoscit modum legis æternæ, hoc est, cur lex æterna præscribat, ut res omnes in specie hoc vel illo modo sint ordinatæ, ac proinde non potest de lege æterna secundum illum respectum considerata judicare.

QUÆSTIO IV.

Utrum lex omnis ab æterna derivetur.

CONCL. Lex omnis ab æterna tanquam a causa derivatur.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ de æterna sapientia, quæ idem est cum æterna lege, Proverb. 8. sic loquitur: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Sic etiam Apostolus ad Rom. 13. *Non est potestas, nisi a Deo.* Unde sic arguitur: Ab ea lege lex omnis derivatur, per quam legum conditores justa decernunt, quæ est idem cum Deo: sed per legem æternam, &c. ergo, &c.

Probatur 2. auctoritate Augustini, qui asserit 1. nihil esse justum in humanis legibus, quod ab æterna non derivetur: *Simul etiam*, inquit libro 1. de libero arbitrio, c. 6. *te videre arbitror in illa temporali (lege) nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivaverint.* Asserit 2. principes in legibus ferendis attendere debere ad legem æternam, ut sciant, quid jubere, quidve prohibere teneantur. *Conditor legum temporalium*, ait in libro de vera religione, c. 31. *si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare tantum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas quid sit pro tempore jubendum, vitandumque discernat.* Asserit 3. quemque etiam privatum consulere debere legem æternam, ut sciat, quid sibi agendum sit, quidque aliis imperandum. *Lex Dei*, inquit quæst. 67. in Exodum, *semper-*

piterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent secundum quod illa incommutabili veritate perceperint.

Probatur 3. rationibus theologicis. 1. Primum in unoquoque genere, est caussa ceterorum: sic prima caussa efficiens, prima caussa exemplaris, prima caussa finalis, est caussa omnium caussarum efficientium, exemplarium, finalium: atqui lex æterna est prima omnium legum, tum in ratione caussæ efficientis; omnis enim potestas inferiorum legislatorum, ac proinde inferiorum legum, est a Deo legislatore, & a lege æterna; tum etiam in ratione caussæ exemplaris, quia lex æterna est exemplar, cui aliæ leges, ut justæ sint, debent esse conformes; ergo lex æterna est caussa omnium aliarum legum. 2. Leges per participationem derivantur ab ea lege, quæ est lex per essentiam; quemadmodum omnia entia physica participata derivantur ab ente quod est ens per essentiam, hoc est, ens ex se, & independens ab alio; atqui leges omnes inferiores, sunt leges per participationem, & lex æterna, est lex per essentiam: ergo omnes inferiores leges a lege æterna derivantur.

Objicies 1. Lex æterna non est caussa exemplaris omnium aliarum legum; ut enim esset aliarum legum caussa exemplaris, necesse esset, ut legum conditores possent illam intueri, ut quisque privatus in agendis & vitandis eam consulere posset: atqui nec legum conditores legem æternam intueri, nec privati eam consulere possunt; neque enim aut in se ipsa videri potest, cum sit ipse Deus, nec in aliquo medio, in quo vis ejus & forma eluceant: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dicendum est, legem æternam videri & consuli posse in lumine naturali: in ipso enim non obscura illius vestigia Deus impressit hominum menti; illa autem vestigia nihil aliud sunt, ex Augustino in libro de vera religione, quam communis idea unitatis, seu convenientiæ ac æqualitatis, secundum quam homines judicant de omnibus artefactis, & de omnibus rebus naturalibus: hæc forma virtute & potentia major est omnibus, & supra mentem ipsam, quia mens mutabilis est, ipsa autem immutabilis, nec facta est ab anima, sed in anima inventa. *Ubi* (ait Augustinus in libro de vera religione, cap. 39.) *videntur hæc, ibi est lumen sine spatio locorum, & temporum, & sine illo spatiorum talium phantasmate. Numquid illa ex aliqua parte corrumpi possunt, etiamsi omnis ratiocinatio intereat, aut apud carnales inferos veterascat? Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit. Ergo antequam inveniantur, in se manent, & cum inveniuntur, nos innovant.*

Objicies 2. Lex fomitis est vera lex, juxta illud Apostoli, *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ*: atqui lex fomitis non derivatur ab æterna lege: lex enim fomitis non aliud est, quam prudentia carnis: atqui prudentia carnis non derivatur ab æterna lege: illud enim a lege æterna non derivatur, quod ei non potest esse subjectum; sed prudentia carnis (Apostolo teste ad Rom. 8.) non potest esse subjecta legi æternæ: ergo, &c.

Resp. 1. dist. maj. Lex fomitis est lex æquivoce sumpta, conc. maj. habet enim de lege proprie sumpta, quod moveat & excitet: proprie & vere sumpta, neg. maj. Lex enim proprie sumpta movet & excitat ad bonum, cum sit, (ut dictum est) ordinatio rationis ad commune bonum.

Resp. 2. cum S. Thoma, conc. maj. dist. min. Lex fomitis, quatenus inclinat ad aliquid oppositum rationi, non derivatur ab æterna lege, conc. min. quatenus est pœna consequens peccatum, neg. min. Exigit nimirum lex æterna, ut peccatum puniatur, ac proinde exigit, ut homo reus sentiat in membris suis legem repugnantem legi mentis suæ; neque enim sub Deo justo fieri potest, ut miser non sit, qui peccaverit.

Objicies 3. A lege æterna nihil iniquum derivari potest: neque enim quod per se justissimum est, potest esse iniquitatis caussa. Sed multæ sunt leges iniquæ, juxta illud Isaiæ 10. *Væ qui condunt leges iniquas*; ergo omnes leges ab æterna non derivantur.

Resp. 1. concedendo totum argumentum; neque enim leges iniquæ, sunt veræ leges: siquidem lex est essentialiter ordinatio rationis, hoc est, ordinatio conformis rectæ rationi; ac proinde cum leges iniquæ sint contra rationem, non possunt habere rationem legis. Resp. 2. dist. maj. A lege æterna nihil iniquum derivari potest, prout iniquum est, conc. maj. prout non est iniquum, neg. maj. In legibus iniquis, est quidem aliquid iniquum, & hoc non derivatur ab æterna lege; sed præterea est aliquod bonum, potestas nimirum, per quam ab eo qui curam habet communitatis, conduntur; & hæc potestas est ab æterna lege: *Non est enim potestas* (ait Apostolus ad Rom. 10.) *nisi a Deo*.

Objicies 4. Lex naturalis, est lex vere & proprie dicta: atqui lex naturalis ab æterna non derivatur: Siquidem lex æterna, est Dei ordinatio ad commune bonum: Sed lex naturalis ab ea ordinatione non derivatur; siquidem quæ per legem naturalem præcipiuntur, aut prohibentur, bona sunt, aut mala independenter a qualibet Dei ordinatione creata; v. g. amor in Deum esset bonus ac præceptus, furtum esset malum ac vetitum, etiamsi de illo amore, de furto nulla præcessisset æterna Dei ordinatio.

Resp.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. maj. Ad 3. dist. ant. Quæ per legem naturalem præcipiuntur, aut prohibentur, bona sunt, aut mala, bonitate aut malitia fundamentali & materiali, conc. ant. nempe in se & independenter a quolibet Dei actu quamdam includunt, aut convenientiam, aut disconvenientiam, ratione quarum præbent fundamentum, ut per Dei ordinationem, aut præcipiantur, aut prohibeantur: bonitate, aut malitia formali, neg. ant. quia bonitas, aut malitia formalis sumuntur ex dictamine legis naturalis, quod quidem dictamen præsupponit æternum decretum, quo Deus statuit, ut quæ conveniunt, vel disconveniunt, præcipiantur, aut prohibeantur: ac proinde bonitas, aut malitia sic acceptæ, ab æterna Dei lege derivantur. Præterea dici potest, argumentum esse de non supponente, nempe supponit, quod etiamsi non existeret æterna lex, aliqua lex naturalis esset vera lex, quod est falsum: hincque sequitur, abstrahendo ab illa æterna lege, nihil esse bonum aut malum.

Objicies 5. Lex humana non derivatur ab æterna; siquidem si ab ea derivaretur, ab ea participaret vim obligandi; quod falsum est; alioquin obligaret jure divino, sicut lex æterna de jure divino obligat: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Ab æterna lege participarent mediate vim obligandi, conc. ant. nempe cum potestas, qua homines pollent, ferendi leges, derivetur a Deo, necesse est, ut leges ab eis conditæ, mediate habeant a Deo vim obligandi. Participarent immediate, neg. ant. obligant enim immediate, ex eo quod ab iis ferantur, quibus potestatem eas ferendi Deus concessit; ac proinde obligant humano, non divino jure.

Objicies ultimo. 1. Leges humanæ sunt mutabiles: 2. plerumque sibi invicem sunt contrariæ: 3. nonnunquam mala permittunt: ergo non derivantur ab æterna lege, quæ quidem nec mutabilis est, nec sibi contraria, nec permittit, quæ mala sunt.

Resp. ad 1. quod licet lex æterna sit immutabilis: *Neque enim* (ait Evodius apud Augustinum lib. 1. de libero arbitrio, cap. 6.) *ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut justum non sit, omnia esse ordinatissima*: lex tamen humana suam mutabilitatem habet ab æterna lege. Scilicet exigit lex æterna, ut humana lex pro variis temporum, locorum, & personarum circumstantiis mutetur; nam sine illa mutatione omnia non forent in variis circumstantiis ornatissima: inde tamen non sequitur, æternam legem mutari. *Ut ars medicinæ* (inquit Augustinus libro de vera religione, c. 17.) *cum eadem maneat; neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: Ita divina providentia, cum sit ipsa omnino immutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit, & pro diversitate morborum alia aliis jubet aut vetat; ut a vitio, unde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam ex qua deficiunt, id est, ad nihilum tendunt, reducat & firmet.*

Resp. ad 2. idem dicendum esse quoad primum, nimirum legem æternam exigere, ut leges humanæ nonnumquam sint sibi invicem contrariæ; contrarii enim plerumque sunt populorum mores, diversa gentium genia: ut igitur debitus ordo (ad quem potissimum tendit æterna lex) servetur, necesse est, ut contrariæ pro loco & tempore leges a Principibus sanciantur.

Resp. ad 3. humanas leges, si justæ sint, numquam permittere quæ mala sunt, permissione approbativa; licet nonnunquam ea permittant permissione tolerantiæ, hoc est, licet in ea pœnis non animadvertant. Tolerantiam autem illam quibusdam in casibus ipsa lex æterna præscribit: exigit enim, ut graviurn malorum vitandorum caussa, quibus humana lex propter populorum duritiam mederi non potest, quædam minora mala impunita remaneant. Sic Deus ipse sese quondam gessit erga Judæos, quibus divortium permisit ad duritiam cordis, ne scilicet occiderent uxores, quas dimittere non potuissent; sic etiam usuram in alienigenas eis permisit, ne eam in fratres exercerent.

QUÆSTIO V.

Utrum omnia æternæ legi subjiciantur.

Nota. Quæ existunt, vel sunt æterna, vel temporalia. Ex temporalibus vero nonnulla sunt necessaria, alia contingentia, alia libera; hic igitur quærendum est 1. utrum Deus qui solus est ab æterno, æternæ legi subjiciatur: 2. an subjiciantur ei quæ sunt necessaria: 3. an quæ sunt contingentia: 4. denique an quæ libera.

CONCLUSIO. 1. Nec essentia divina, nec illius aut attributa, aut actiones immanentes subjiciuntur æternæ legi.

Probatur. Quæ non subjiciuntur gubernationi divinæ, non subjiciuntur æternæ legi; æterna nimirum lex est ratio gubernationis rerum, ac proinde quæ non subjiciuntur gubernationi, æternæ legi non subjiciuntur: atqui nec essentia divina, nec illius attributa, aut actiones immanentes subjiciuntur divinæ gubernationi; sunt enim prima & universalissima lex; non habent igitur superiorem aliam, per quam gubernari possint: ergo &c.

Objicies. Voluntas Dei subjicitur æternæ legi; nimirum est recta & justa: ergo per conformitatem ad aliquam, seu regulam, seu legem; rectitudo enim & justitia supponunt aliquam regulam, aliquam legem, ad quam exi-

exigantur; sed illa lex non alia potest esse, quam æterna: ergo Dei voluntas æternæ legi subjicitur.

Resp. dist. ant. Voluntas Dei quantum ad ea quæ ab ea distinguuntur, subjicitur æternæ legi, conc. ant. quantum ad ea quæ ab ea non distinguuntur, neg. ant. hoc est, voluntas Dei quantum ad actus qui proxime ad Deum terminantur, ut est amor quo Spiritus sanctus producitur, aut intellectio qua Verbum generatur, non subjicitur æternæ legi, quia quantum ad illos actus est essentialiter idem cum æterna lege; e contra vero quantum ad actus qui proxime ad creaturas terminantur, subjicitur æternæ legi; eos enim actus non operatur nisi ex dictamine legis æternæ, cum illi actus ad gubernationem pertineant: gubernatio vero recta non est, nisi ad alicujus legis superioris dictamen redigatur. Desumpta est illa responsio ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 93. art. 4. sic loquitur: *Ad primum ergo dicendum, quod de voluntate Dei dupliciter possumus loqui. Uno modo quantum ad ipsam voluntatem, & sic cum voluntas Dei sit ipsa essentia ejus, non subditur gubernationi divinæ, neque legi æternæ; sed idem est, quod lex æterna. Alio modo possumus loqui de voluntate divina quantum ad ipsa quæ Deus vult circa creaturas: quæ quidem subjecta sunt legi æternæ, in quantum horum ratio est in divina sapientia, & ratione quorum voluntas Dei dicitur rationabilis: alioquin ratione ipsius magis est dicenda ipsa ratio.*

CONCLUSIO 2. Alia a Deo, quæ sunt necessaria, subjiciuntur æternæ legi.

Probatur. Alia a Deo, etiamsi necessaria sint, subjiciuntur gubernationi divinæ; ergo & æternæ legi; neque enim recta est gubernatio, nisi fiat ex alicujus legis dictamine. Ea autem lex non alia est in Deo, quam æterna: ergo alia a Deo, licet sint necessaria, æternæ legi subjiciuntur.

Objicies. Quæ aliter sese habere non possunt, non subjiciuntur æternæ legi, nempe directione non indigent: ergo nec lege, per quam dirigantur: Sed quæ sunt necessaria, sese aliter habere non possunt, ut patet in essentiis & substantiis metaphysicis rerum: essentia v. gr. hominis non potest non esse posita in animali, quod mente præditum sit. Si enim cogitetur animal, quod mente non sit præditum, non erit homo: ergo &c.

Resp. dist. maj. Quæ aliter sese habere non possunt, non subjiciuntur æternæ legi, si independenter ab æterna lege aliter sese habere non possint, conc. maj. Si dependenter ab æterna lege, neg. maj. Essentiæ & substantiæ metaphysicæ rerum ideo aliter sese habere non possunt, quod sic ordinatione divina dispositum fuerit; ideo autem sic est ordinatione divina dispositum, quod sic æterna lex exigeret.

CONCLUSIO 3. Omnia contingentia naturalia subjiciuntur æternæ legi.

Probatur 1. ex Scriptura. Proverb. cap. 8. hæc habentur: *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Ps. 148: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus.* Matth. 6. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa.* Ex iis Scripturæ locis sic arguitur. Ea subjiciuntur æternæ legi, quibus Deus legem constituit; quæ faciunt verbum Dei, hoc est, quæ Deo legislatori obediunt; quæ Dei regimini subjiciuntur: atqui (ut ex laudatis textibus patet) Deus contingentibus naturalibus, ut sunt aquæ, legem constituit; contingentia naturalia, ut sunt ignis, grando, nix, faciunt Dei verbum; ac præterea ut patet in volatilibus cæli, subjiciuntur regimini Dei: ergo contingentia naturalia subjiciuntur æternæ legi.

Probatur 2. ex Augustino, qui libro 19. de Civit. Dei, cap. 12. omnia omnino subjicit Dei legibus: *Nihil* (inquit) *a legibus summi creatoris, ordinatorisque sub trahitur, a quo pax universitatis administratur.* Idem Sanctus Doctor in libro 83. quæstionum, quæst. 27. scribit, Dei legem omnia prorsus moderari: *Lex ipsa* (ait) *incommutabilis manet, & omnia mutabilia pulcherrima gubernatione moderatur.* Ex iis locis sic conficitur argumentum: Si contingentia naturalia non subessent æternæ legi, esset aliquid quod summi creatoris, ordinatorisque legibus subtraheretur; lex æterna non moderaretur omnia; sed hæc, ex Augustino, falsa sunt: ergo &c.

Probatur 3. ratione theologica, quam tradit S. Thomas 1. 2. q. 93. art. 5. Ea subjiciuntur æternæ legi, quibus Deus ex dictamine legis æternæ impressit instinctum, per quem in finem sibi convenientem feruntur: atqui Deus ex dictamine legis æternæ contingentibus naturalibus impressit instinctum, per quem in finem sibi convenientem feruntur: ille enim instinctus non aliud est, quam principium motus & operationem, quæ in contingentibus naturalibus reperiuntur: sed Deus ex dictamine legis æternæ, principium illud contingentibus naturalibus impressit; neque enim cæco modo, sed multa cum sapientia Deus principium illud contingentibus naturalibus impressit: ergo ex dictamine ipsius divinæ sapientiæ, ac proinde dictamine legis æternæ, quæ quidem non est aliquid aliud ab æterna lege.

Objicies 1. Contingentia naturalia non sunt capacia legis, juxta Augustinum quæst. 74. in Leviticum. 2. Eis lex intimari non potest; cum enim sint ratione destituta, intimationem, seu promulgationem intelligere non valent. 3. Contingentia naturalia non semp

agun

agunt ex motione legis æternæ, immo & contra præscriptam ab ea regulam nonnunquam moventur, ut cum gravia sursum, & levia deorsum feruntur: ergo &c.

Resp. ad 1. Augustinum loqui de lege prout est præceptiva, non autem prout est directiva tantum. Sicilicet prout est præceptiva, supponit subjectum capax præcepti, hoc est, subjectum quod præceptum intelligere valeat, & illud exequi ex dictamine rationis: e contra prout lex est directiva, non supponit subjectum, quod directionem intelligere possit, sed tantum subjectum capax directionis passivæ: at hujusmodi directionis passivæ capacia sunt contingentia omnia naturalia, quia recipere possunt, & revera a Deo receperunt formam, qua talia sunt, ac proinde principium, per quod modo sibi conveniente ad suos fines dirigantur.

Resp. ad 2. legem æternam intimari, seu promulgari contingentibus naturalibus, quatenus per formas sibi inditas a Deo moventur ad fines qui sibi conveniant: unde impressio principii operativi, quod eis inditum est a Deo, est æternæ legis veluti intimatio, & quædam species promulgationis; hincque explicatur qua ratione Dei vocem audiant: audiunt nimirum, cum suas operationes ad illius nutum & motum exercent, juxta illud Hieronymi ad hæc verba Matth. 8. *Venti & mare obediunt ei. Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant creatorem. Quas increpavit, & quibus imperavit, sentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate conditoris. Quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.*

Resp. ad 3. neg. contingentia naturalia aliquando moveri contra legis æternæ præscriptum: quamvis enim moveantur contra principium sibi intrinsecum, ut cum gravia sursum feruntur; ille tamen motus non est contra legem æternam, quia oritur ab aliquibus caussis extrinsecis, quæ effectum illum producunt ex æternæ legis regimine; fert enim regimen illud, ut caussæ particulares contra innatum sibi principium agant, cum ad id a caussis extrinsecis, quarum vis est major, impelluntur.

CONCLUSIO 4. Contingentia libera subjiciuntur æternæ legi.

Probatur. Contingentia libera, sunt actiones humanæ, aut bonæ, aut malæ: atqui actiones humanæ, sive bonæ, sive malæ sint, æternæ legi subjiciuntur: Bonæ quidem, cum ex illius directione & motu fiant; malæ vero, cum permittantur, ut in pœnis quibus postea castigantur, eluceat justum Dei judicium; unde Augustinus lib. 19. de Civit. Dei, cap. 13. hæc de Angelo prævaricatore scribit: *In veritate non stetis, sed veritatis judicium non evasit, quia in ordinis tranquillitate non remansit; nec ideo tamen a potestate ordinatoris effugit.*

DISSERTATIO TERTIA.

De Lege naturali.

Not. Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 94. de lege naturali quærit 1. quid sit: 2. utrum unum sit legis naturalis præceptum: 3. utrum omnes actus virtutum sint de lege naturæ: 4. utrum lex naturalis sit una apud omnes: 5. utrum sit mutabilis: 6. utrum ab hominis mente deleri possit: 7. tandem, quænam in specie sint legis naturalis præcepta. Eam Sancti Doctoris methodum secuti, septem hujusce dissertationis quæstionibus difficultates illas exponemus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit lex naturalis.

Not. Ubi exposuerimus, quid sit lex naturalis, quæremus, utrum admittenda sit, id est: postquam dixerimus de illius essentia, existentiam illius asseremus.

CONCLUSIO. 1. Lex naturalis recte definitur: *Participatio legis æternæ, creaturæ rationali per inspirationem luminis & amoris impressa.*

Explicatur definitio. 1. Lex naturalis dicitur *participatio legis æternæ*: & in hoc convenit cum legibus positivis, quæ omnes (ut præcedenti dissertatione probatum fuit) ab æterna lege, tamquam rivuli a fonte promanant. 2. Per hanc vocem, *impressa*, differt a legibus positivis, quæ nobis intrinsecæ non sunt, seu mentibus nostris nequaquam impressæ, sed sunt omnino extrinsecæ, quippe quod nullum illarum vestigium in accepta a creatore natura reperiamus, sed libere aut a Deo aut ab hominibus sancitæ sunt. 3. Hæc verba, *Per inspirationem luminis & amoris*, exponunt duo legis naturalis officia, in eo posita, quod lex naturalis & ostendat bonum, & ad illud per modum præcepti & suasionis inclinet.

Quæres 1. utrum lex naturalis sit actus, an habitus.

Resp. 1. legem naturalem non esse habitem proprie dictum. Nam 1. habitus proprie sumptus, est id quo quis agit: sic grammatica est habitus, quia per grammaticam grammaticus operatur: atqui lex naturalis non est id quo quis agit, sed est id ad cujus normam aliquis agit. 2. Habitus proprie sumptus denominat subjectum in quo recipitur: sic ex grammatica Petrus dicitur grammaticus:

cus: at lex naturalis non denominat subjectum, in quo recipitur. 3. Habitus proprie sumptus, non se habet per modum praecepti & imperii: at lex naturalis sic se habet: ergo non est habitus proprie sumptus.

Resp. 2. legem naturalem esse habitum improprie sumptum. Ratio est, quia id dicitur habitus improprie sumptus, quod in aliquo praedicato convenit cum habitu proprie sumpto: sed lex naturalis in aliquo praedicato convenit cum habitu proprie sumpto; sicut enim habitus proprie sumptus, non est transiens, sed permanens: in dormientibus nimirum & non advertentibus remanet: ita etiam lex naturalis non est aliquid quod transeat, sed e contra est aliquid permanens, licet subjectum, in quo recipitur, aut dormiat, aut ad illud non advertat. Hincque colligitur, esse in homine legem naturalem, non tantum cum actu hocce judicium efformat: *Bonum est agendum: malum est vitandum*: sed etiam antequam de illo judicio cogitaverit.

Quaeres 2. utrum sit aliquod discrimen inter synderesim, conscientiam, & legem naturalem.

Resp. legem naturalem differre 1. a synderesi, quia synderesis est habitus proprie dictus, quo creatura rationalis inclinatur ad assentiendum principiis practicis, ut sunt ista: *Bonum est agendum: Malum est fugiendum*: Econtra lex naturalis non est habitus proprie dictus, sed potius est actus, quo praxis boni, & mali fuga praecipiuntur. 2. Differt a conscientia, tum quod sit de agendis aut fugiendis in genere; conscientia vero de iis quae hic & nunc agenda, aut fugienda sunt, tum quod lex naturalis sit certa & vera, conscientia e contra nonnunquam dubia sit & falsa: tum denique quod lex naturalis sit tantum de agendis aut vitandis, conscientia vero praeterea est de actis & vitatis.

Quaeres 3. quid physicum dicanr lumen & amor, in quibus constituta est essentia legis naturalis.

Resp. 1. illud lumen & illum amorem non esse substantiam ipsius creaturae rationalis: cum enim creaturae rationalis substantia sit defectibilis, non potest habere rationem regulae, ac proinde nec legis; cum regula & lex per se indefectibiles esse debeant.

Resp. 2. Illud lumen, ille amor non sunt creata qualitas physica, quae ab animae substantia realiter distincta sit: ea enim qualitas esset, utpote creata, defectibilis, sicque non posset esse lex aut regula, cui certo adhaerendum sit.

Resp. 3. lumen & amorem, in quibus posita est legis naturalis essentia, esse ipsam Dei veritatem, quae creaturae rationali intime presens est, illamque ad bonum per modum praecepti excitat, & movet. Ita docet Augustinus in libro 14. de Trinitate cap. 15. ubi sic loquitur: *Nam hinc est, quod etiam impii cogitant aeternitatem, & multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant? nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio, mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles, videat quisquis in eis & hoc videre potuerit: nec in habitu suae mentis, cum illae regulae sint justae, mentes vero eorum constat esse injustas. Ubinam sunt istae regulae scriptae, ubi quid sit justum & injustum agnoscit, ubi cernit habendum esse, quod ipse non habet? Ubi ergo scriptae sunt, nisi in libro lucis illius quae veritas dicitur? Unde omnis lex justa describitur, & in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tamquam imprimendo, transfertur; sicut imago ex annullo in ceram transit, & annullum non relinquit.*

CONCLUSIO 2. Lex naturalis existit.

Probatur 1. ex Scripturis. Lex naturalis (ut superius probatum fuit) est inspiratio luminis quo bonum agendum cognoscimus, & amoris quo in bonum illud cognitum ferimur: atqui existit inspiratio illa luminis & amoris. Nam 1. Scriptura teste, signatum est super nos divini vultus lumen, hoc est, Deus per boni cognitionem & amorem mentibus nostris impressit quamdam sui ipsius similitudinem. 2. Quoties Deus nostri nos admonet officii, jubet, ut ad nos ipsos redeamus, hoc est, ut in nobis quaeramus bonum quod amplecti jubemur, & cognitionem mali quod fugere tenemur. *Redite* (ait Deus ipse, Isaiae 46.), *praevaricatores, ad cor*. 3. in Epistola ad Romanos Apostolus expresse testatur gentes in seipsis reperire legem, quam omnes in praxi servare tenentur: *Cum gentes* (inquit cap. 2.) *quae legem* (exterius scriptam,) *non habent, naturaliter ea quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem*, scriptam, *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*

Probatur 2. ex traditione. 1. S. Justinus legis illius meminit in Apologia ad Senatum, ubi scribit, insita esse nobis virtutum semina. 2. Origenes de illa haec habet lib. quinto contra Celsum: *Sunt duae leges in genere: altera naturae lex, cujus lator est Deus*; per creationem nimirum: *altera scripta, valens in civitatibus*. 3. S. Joannes Chrysostomus Hom. 12. ad populum Antiochenum asserit, didicisse nos ex naturae lege, fornicationem esse quid malum: *Non opus* (inquit) *habemus discere, quod malum est fornicari, & bonum continentia; sed ab initio hoc scimus.*

Idem

Idem dicit de homicidio: *Quare* (inquit) *qui dixit: Non occides, non addit, quod malum cædes? quoniam præveniens conscientia nos hoc docuit, & tamquam scientibus & intelligentibus ita loquitur*. 4. S. Ambrosius Epist. 41. & legis naturalis existentiam & naturam hisce verbis tradit: *Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur: nec aliqua percipitur electione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & ingeniis humanis hauritur*. 5. S. Augustinus lib. de Magistro c. 11. scribit, doceri nos interius a veritate, hancque consulendam esse, cujus lumen pro vario consulentis affectu, aut clarius, aut obscurius percipitur.

Idem S. Doctor, Epist. 157. editionis novæ, docet, legem naturalem scriptam esse in hominum cordibus: *Proinde* (inquit) *quoniam lex est etiam in ratione hominis, qui jam utitur arbitrio libertatis, naturaliter in corde conscripta, qua suggeritur, ne aliquid faciat quisque alteri, quod pati ipse non vult: secundum hanc legem prævaricatores sunt omnes, etiam qui legem per Moysen datam non receperunt, de quibus in Psalmo legitur: Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ*.

QUÆSTIO II.

Utrum in lege naturali sit unum primum præceptum, ad quod cetera reducantur.

Not. PRæcepta duplicis sunt generis, nonnulla dicuntur primaria, alia vero secundaria; illa non continentur in aliis universalioribus, ista vero in aliis magis universalibus continentur. Hic igitur quærendum est, utrum in lege naturali sit unum primum præceptum, ad quod alia omnia reducantur.

CONCLUSIO. In lege naturali datur unum primum præceptum, in quo alia omnia continentur.

Probatur. Idem de agendis ferri debet judicium, ac de cognoscendis; atqui in cognoscendis datur aliquod primum principium, in quo cetera omnia continentur: istud nimirum, ut docent Metaphysici: *Impossibile est idem simul esse & non esse*: ergo in agendis datur quoque primum principium in quo cetera omnia contineantur: sed lex naturalis est de agendis, hoc est, objectum illius sunt actiones humanæ: ergo in lege naturali datur aliquod primum principium, in quo cetera omnia contineantur.

Quæres, quodnam sit illud primum legis naturalis principium, in quo cetera omnia continentur.

Resp. esse illud, *Bonum est faciendum, & malum est fugiendum*. Ratio est, quia tres conditiones quæ ad primum principium requiruntur, reperiuntur in isto: *Bonum est faciendum, & malum fugiendum*. Nam 1. est per se notum: nempe neminem, quantumcumque sit rudis, quantumvis obcæcatus, fugit, ut superius ex Augustino demonstratum est. 2. A nullo alio principio pendet; neque enim in agendis potest cogitari aliud principium superius & magis universale. 3. Alia omnia legis naturalis principia in illo continentur: triplicis enim generis sunt in lege naturali præcepta: nonnulla naturam respiciunt, & omnibus entibus communia sunt: alia speciem naturæ, animalem nimirum, respiciunt: alia denique versantur circa ens magis speciale, quam animal; rationale nimirum: Atqui in hoc præcepto: *Bonum est faciendum, & malum fugiendum*, præcepta tum quæ naturam, tum quæ animal, tum quæ rationale spectant, continentur: siquidem præcepta quæ pertinent ad naturam, non alia sunt, quam insita cuilibet enti propensio ad sui conservationem; quæ vero ad animal, sunt inclinatio ad conservationem tum corporis per cibum & potum, tum speciei per generationem animalis sibi similis; quæ vero ad rationale, sunt amor societatis, tum cum ceteris hominibus, tum etiam cum Deo auctore hominum: Sed præcepta illa continentur in isto: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum*. Nempe ea omnia, ad quæ homo naturaliter propendet, ab eo sub ratione boni apprehenduntur; ea contra a quibus naturaliter abhorret, apprehenduntur sub ratione mali; ergo quæcumque agat, sive ut naturam conservet, sive ut generet prolem, sive ut cum ceteris hominibus, & cum illorum auctore Deo conjungatur, agit ex motu hujus universalissimi præcepti: *Bonum est faciendum seu prosequendum, malum est fugiendum*; ac proinde in illo præcepto alia omnia continentur.

Objicies. Concupiscentia, quæ non aliud est quam propensio fruendi creatura, seu amandi creaturam propter ipsam creaturam, est de lege naturali; id enim ad legem naturalem pertinet quod creaturæ rationali naturale est; sed nec concupiscentia, nec illius motus continentur in isto præcepto; *Bonum est faciendum, seu prosequendum, & malum est fugiendum*; ergo omnia præcepta, erga omnes motus legis naturalis in illo præcepto; *Bonum est faciendum*, &c. minime continentur.

Resp. neg. maj. Scilicet ea tantum sunt de lege naturali, quæ sunt effectus Dei creatoris; ergo cum concupiscentia non sit hujusmodi; neque enim instituti est hominis, sed damnati, hoc est, non pertinet ad hominis naturam, sed est peccati ab eo admissi supplicium; non potest esse de lege naturali,

ac proinde mirum non est, quod illius motus in hoc præcepto, *Bonum est prosequendum, & malum fugiendum*, minime contineantur.

QUÆSTIO III.

Utrum omnes actus virtutum sint de lege naturali.

1. Actus virtutum duobus modis considerari possunt, 1. in genere, 2. in specie. Actus virtutum in genere, sunt actus virtutum prout sunt virtutes, hoc est prout sunt actiones, quæ rationi consentaneæ sunt. Actus virtutum in specie, sunt actus virtutum prout in hac vel illa specie, in hoc aut illo statu, in hac vel illa hominis conditione considerantur: quærendum est igitur, utrum actus virtutum secundum duplicem illum respectum considerati, sint de lege naturali.

CONCLUSIO 1. Actus omnes virtutum sumptarum in genere, sunt de lege naturali.

Probatur. Id omne est de lege naturali, ad quod homo naturaliter propendet: Atqui homo naturaliter propendet ad omnes actus virtutum in genere sumptarum: siquidem ad id homo naturaliter propendet, ad quod propendet ex inclinatione propriæ suæ formæ; Sed ex inclinatione propriæ formæ propendet in omnes actus virtutum sumptarum in genere; nempe propria hominis forma est ratio; atqui ex inclinatione rationis homo propendet in omnes actus virtutum sumptarum in genere, cum (ut jam observatum est) actus virtutum in genere sumptarum, nihil aliud sint, quam actus qui rationi conformes sint: ergo, &c.

Objicies 1. Esse de lege naturali, & esse de præcepto naturali, sunt unum & idem: atqui dantur actus virtutum etiam in genere sumptarum, qui non sunt de præcepto naturali, ut patet in actibus consiliorum; sicut enim consilia non sunt de præcepto, ita nec actus consiliorum.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia esse de lege naturali, non aliud est, quam esse conforme legi naturali; esse vero de præcepto, præter illam conformitatem, dicit debitum seu obligationem agendi stricte sumptam: hincque mirum non est quod praxis consiliorum sit de lege naturali, quamvis non sit de præcepto naturali.

Objicies 2. Actus fidei, spei, caritatis, contritionis, sunt actus virtutum: sed illi actus non sunt de lege naturali, neque enim ratio dictat actus supernaturales, ut sunt actus fidei, spei, caritatis, & alii similes, quibus impius justificatur.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Ratio non dictat actus supernaturales sumptos in specie virtutum supernaturalium, conc. ant. sumptos in genere virtutum ut sic, neg. ant. Hoc est dictat lex naturalis, conforme esse rationi, ut homo Deo revelanti credat, ut in eum sibi ut objectum beatitudinis supernaturalis revelatum speret, & ut eum sic cognitum amet; sed non dictat, ut, abstrahendo ab illa revelatione, actus illos eliciat; immo, abstrahendo a revelatione, mens de illis actibus supernaturalibus ne cogitat quidem.

CONCLUSIO 2. Omnes actus virtutum sumptarum in specie, non sunt de lege naturali.

Probatur. Virtutes in specie, sunt virtutes quæ in hac aut illa specie, in hoc aut illo statu, in hac vel illa hominis conditione considerantur: atqui actus virtutum sic sumptarum non sunt de lege naturali: neque enim lex naturalis præcipit, quid in omni statu, omni hominis conditione agendum sit; id nimirum habet homo ab experientia, & variis circumstantiis, in quibus repertus est, & ex quibus collegit, quid sibi deinceps in simili statu, in similibus circumstantiis in ordine tum ad bonum publicum, tum ad proprium agendum esset: Hinc multæ sunt leges politicæ, quæ per inquisitionem eorum, quæ ad bonum publicum conferrent, excogitatæ sunt.

Desumpta est illa ratio ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 94. art. 3. sic loquitur: *Sed si loquamur de actibus virtuosis secundum seipsos, prout scilicet in propriis speciebus considerantur, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturæ. Multa enim secundum virtutem fiunt, ad quæ natura non primo inclinat, sed per rationis inquisitionem ea homines adinvenerunt, quasi utilia ad bene vivendum.*

Objicies. Quod recta ratio dictat, est de lege naturæ: Sed recta ratio dictat actus omnes virtutum etiam in specie sumptarum: sic dictat peccare eum contra justitiam, qui spiritualia charismata divendit; dictat, recte eum agere, qui Christo legislatori morem gerit; ergo omnes actus virtutum etiam in speciebus particularibus sumptarum sunt de lege naturæ.

Resp. dist. maj. Quod ratio dictat sine medio aliquo judicio, sunt de lege naturali, conc. maj. medio aliquo judicio, neg. maj. Quod charismata spiritualia divendi non possunt, pendet a judicio aliquo medio, quod non est de lege naturali, scilicet pendet a judicio quod sint spiritualia; judicium autem illud non est de lege naturæ, sed ex revelatione positivæ legis, ac proinde secundum rationem specificam, non est de lege naturæ, sed tantum secundum rationem genericam, hoc est, secundum istud generale principium: *Non licet id vendere, cujus dominium non habemus.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Utrum lex naturalis sit una apud omnes.

Not. LEx naturalis potest considerari vel secundum principia communia, vel secundum conclusiones particulares, quæ ex eis inferuntur: illa vero tum principia communia, tum conclusiones particulares spectari possunt vel secundum rectitudinem, seu veritatem quam in se continent, vel secundum notitiam, hoc est secundum cognitionem, quam de illis homines habere possunt. Hic igitur quærendum est 1. utrum lex naturalis, sumpta secundum principia communia, sit una apud omnes tum quoad rectitudinem, tum quoad notitiam: 2. Utrum sit pariter, sumpta secundum conclusiones quæ ex ea colliguntur.

CONCLUSIO 1. Lex naturalis sumpta secundum principia communia, est una apud omnes, tum quoad rectitudinem, tum quoad notitiam.

Probatur. Se habet lex naturalis sumpta secundum principia communia, sicut se habet ratio in speculativis: quemadmodum enim ratio in iis quæ mere speculativa sunt, nullam variationem patitur; ita nec ratio naturalis sumpta secundum principia communia, aliquam variationem patitur; scilicet variatio petitur a circumstantiis particularibus, quæ quidem in principiis communibus locum non habent: atqui ratio in speculativis, sumpta secundum principia communia, una est apud omnes tum quoad rectitudinem, tum quoad notitiam; æqualiter nimirum certum est in se, & notum apud omnes, quod affirmatio & negatio de eodem secundum idem dici non possint: ergo lex naturalis sumpta secundum principia communia est una apud omnes, tum quoad rectitudinem, tum quoad notitiam.

CONCLUSIO. 2. Lex naturalis secundum conclusiones quæ proxime sequuntur ex primis principiis legis naturalis, una est apud omnes tum quoad rectitudinem, tum quoad notitiam: quæ vero minus proxime, nec quoad rectitudinem, nec quoad notitiam semper apud omnes una est.

Probatur prior pars. Primum principium legis naturalis, est quod juxta rationis dictamen agendum sit, ac proinde quod bonum prosequi, malum fugere debeamus: atqui lex naturalis secundum conclusiones, quæ ex illo primo principio proxime sequuntur, plerumque apud omnes una est, tum quoad rectitudinem, seu veritatem, tum quoad notitiam. Hujusmodi sunt istæ: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis. Depositum est reddendum. Parentes colendi sunt.* Ex nimirum conclusiones recte sequuntur ex primo principio: *Agendum est ex rationis dictamine*; & præterea conclusiones illæ omnibus omnino hominibus cognitæ sunt: ergo lex naturalis sumpta secundum conclusiones, quæ proxime sequuntur ex primis principiis, una est apud omnes, tum quoad rectitudinem, tum quoad notitiam.

Probatur altera pars. 1. Esse quasdam conclusiones, quæ recte deducuntur ex principiis generalibus, quæ tamen rectæ non sunt, sic ostenditur: Quod depositum legitimo illius domino reddendum sit, est principium generale: atqui ex illo principio recte deducitur conclusio quæ non est recta, seu vera; deducitur enim hæc conclusio: Depositum reddendum est Petro qui eo aut in sui, aut in reipublicæ perniciem usurus est: scilicet verus (ut supponitur) ac legitimus est illius dominus: ea autem conclusio licet recta, vera non est, quippe constat, depositum in ea circumstantia reddi non debere legitimo illius domino: tunc enim reddere depositum, esset aut contra caritatem, aut contra justitiam; ergo nonnullæ sunt conclusiones, quæ recte sequuntur ex principiis generalibus, quæ tamen veræ dici non possunt. 2. Esse etiam quasdam conclusiones a principiis generalibus magis distantes, quæ apud omnes eædem non sunt quoad notitiam, sic ostenditur. Ex conclusiones non sunt eædem apud omnes quoad notitiam, quæ ab aliquibus judicantur sequi ex principiis generalibus, ab aliis vero judicantur ex eis minime sequi: atqui sic est de quibusdam conclusionibus a principiis generalibus magis distantibus; principium verb. grat. generale est: *Furari non licet*; ex eo principio sequitur hæc conclusio: *ergo usura non est licita*: usura enim est quædam furti species, cum, ut suo loco dicetur, sit contra justitiam. Sed ea conclusio non est una apud omnes quoad notitiam, seu omnes non cognoscunt, sequi eam ex principio generali: *Furari non licet*: Plures nimirum gentes reperiuntur quæ censent, usuram non esse prohibitam. Sic etiam ex hoc magis communi principio: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*: evidenter quidem sequitur, non esse ferendum falsum testimonium adversus proximum; sed non æque evidenter sequitur, non esse mentiendum pro vita hominis conservanda. Ex eodem quoque principio, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*, sequitur evidenter, non esse adulterandum; æque enim evidenter sequitur, adulterium committi non posse sine alterius injuria: sed non æque evidenter sequitur, fornicandum non esse: unde apud Turcas, plurimasque alias gentes, simplex fornicatio inter crimina non recensetur; immo reperti sunt aliqui Theologi qui docuerunt, sed falso, eam non esse contra jus naturale: ergo lex naturalis sumpta quoad conclusiones, quæ magis remote distant a principiis generalibus, non est quoad notitiam una apud omnes.

Objicies 1. In speculativis omnes conclusiones quæ recte deducuntur ex principiis generalibus, sunt veræ: ergo veræ sunt pariter, quæ in rebus practicis recte deducuntur ex principiis generalibus.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia veritates speculativæ, nec in principiis, nec in conclusionibus varietatem patiuntur, quia sunt de rebus omnino necessariis, quæ aliter atque aliter sese habere non possunt: e contra veritates practicæ varietatem in conclusionibus particularibus patiuntur; plures nimirum occurrunt circumstantiæ, quæ varietatem illam exigunt; nec mirum, cum veritates practicæ sint de contingentibus, nimirum de humanis actionibus, quas propter varias particulares circumstantias mutari necesse est; hincque fit, ut in practicis conclusio in casibus particularibus nonnumquam falsa sit, quamvis ex generalibus principiis recte deducatur.

Desumpta est illa responsio ex Sancto Thoma qui 1. 2. q. 94. art. 4. sic loquitur: *Aliter autem circa hoc se habet ratio speculativa, & aliter practica. Quia enim ratio speculativa præcipue negotiatur circa necessaria, quæ impossibile est aliter se habere, absque aliquo defectu invenitur veritas in conclusionibus propriis, sicut & in principiis communibus. Sed ratio practica negotiatur circa contingentia, in quibus sunt operationes humanæ; & ideo etsi in communibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propria descenditur, tanto magis invenitur defectus. Sic igitur in speculativis est eadem veritas apud omnes tam in principiis quam in conclusionibus, licet veritas non apud omnes cognoscatur in conclusionibus, sed solum in principiis quæ dicuntur communes conceptiones. In operativis autem non est eadem veritas vel rectitudo practica apud omnes quantum ad propria, sed solum quantum ad communia: & apud illos apud quos est eadem rectitudo in propriis, non est æqualiter omnibus nota. Sic igitur patet, quod quantum ad communia principia rationis, sive speculativæ, sive practicæ, est eadem veritas, seu rectitudo apud omnes, & æqualiter nota. Quantum vero ad proprias conclusiones rationis speculativæ, est eadem veritas apud omnes, non tamen æqualiter omnibus nota: apud omnes enim verum est, quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; quamvis hoc non sit omnibus notum. Sed quantum ad conclusiones rationis practicæ non est eadem veritas seu rectitudo apud omnes, nec etiam apud quos est eadem, & æqualiter nota: apud omnes enim nec rectum est, ut secundum rationem agitur. Ex hoc autem principio sequitur quasi conclusio propria, quod deposita sint reddenda; & hoc quidem ut in pluribus verum est, sed potest in aliquo casu contingere, quod sit damnosum, & per consequens irrationabile, si deposita reddantur; puta si aliquis petat ad impugnandam patriam: & hoc tanto magis invenitur, quanto magis ad particularia descenditur, puta si dicatur, quod deposita sint reddenda cum tali cautione, vel tali modo: quanto enim plures conditiones particulares apponuntur, tanto pluribus modis poterit deficere, ut non sit rectum, vel in reddendo, vel non reddendo.* Hactenus S. Doctor.

Objicies 2. Nulla potest afferri ratio, cur ratio in practicis recta sit apud omnes quoad principia communia, deficiat vero in plerisque quoad conclusiones, quæ ex communibus principiis practicis deducuntur: ergo si lex naturalis sit una apud omnes quoad principia communia, debet quoque esse una apud omnes quoad conclusiones particulares.

Resp. neg. ant. Ratio nimirum illa petitur, aut ex rationis per passiones depravatione, aut ex præjudiciis, quibus in aliquibus ratio præoccupata est, aut ex iniqua educatione, aut ex aliis similibus capitibus; unusquisque enim de particularibus practicis judicare solet, prout affectus est.

Responsionem illam tradit S. Thomas 1. 2. q. 94. art. 4. ubi hæc habet: *Et hoc propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ. Sic apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ, ut refert Julius Cæsar in libro de bello Gallico.*

QUÆTIO V.

Utrum lex naturalis sit mutabilis.

Not. MUtatio variis modis alicui legi potest accidere; 1. per additionem; 2. per subtractionem; 3. per abrogationem; 4. per irritationem; 5. per interpretationem; 6. per materiæ subtractionem; 7. tandem per dispensationem. Hic igitur quærendum est, utrum lex naturalis aliquo ex iis modis mutari possit.

CONCL. 1. Lex naturalis mutari potest per additionem.

Probatur. Ea lex potest per additionem mutari, cui aliæ leges addi possunt: atqui legi naturali aliæ leges addi possunt: revera enim addita est illi divina lex positiva, tum Vetus, tum Nova; additæ sunt quoque leges Canonicæ & Civiles. *Respondeo dicendum* (inquit S. Thomas 1. 2. q. 94. art. 5.) *quod lex naturalis potest intelligi mutari dupliciter. Uno modo per hoc quod aliquid ei addatur. Et sic nihil prohibet, legem naturalem mutari: multa enim supra legem naturalem superaddita sunt ad humanam vitam utilia.*

CONCLUSIO 2. Lex naturalis mutari non potest per subtractionem.

Pro-

Probatur. Mutatio per subtractionem est diminutio legis quoad aliquam illius partem: atqui lex naturalis minui non potest quoad aliquam sui partem, seu fieri non potest, ut quod prius erat lege naturali præscriptum, præscriptum esse desinat: siquidem lex naturalis est (ut superius dictum fuit) quoad omnes suas partes, æternæ legis participatio: sed lex æterna minui non potest quoad aliquam sui partem: alioquin quoad aliquam partem ordo tolleretur: nempe (ut suo loco dictum est) ea est qua justum est, ut omnia sint ordinatissima, seu (ut Aug. ait lib. 22. contra Faustum, cap. 27.) est ea quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat: ergo &c.

CONCL. 3. Lex naturalis mutari non potest per abrogationem.

Probatur. Mutari per abrogationem, est desinere quoad omnes sui partes: in hoc enim abrogatio discrepat a subtractione, quod hæc vim legis tollat quoad aliquam illius partem tantum; illa vero quoad omnes; atqui lex naturalis desinere non potest quoad omnes sui partes: neque enim communia illius principia: *Bonum est agendum, Malum est fugiendum*: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*, desinere possunt: alioquin (ut jam observatum est) desineret ipsa lex æterna, ex qua principia illa tamquam rivuli a fonte promanant: quod est impossibile, cum (ut dictum est) lex æterna non aliud sit, quam ipsa divina sapientia, quæ non magis mutabilis est, quam Deus ipse.

CONCLUSIO 4. Lex naturalis mutari non potest per irritationem.

Probatur. Mutatio legis per irritationem est ea qua fit, ut cessent illius vis & obligatio legis naturalis, neque secundum præcepta illius communia, neque secundum conclusiones quæ proxime sequuntur ex primis principiis, neque secundum conclusiones quæ etiam remote ex illis inferuntur: siquidem conclusiones illæ, cujuscumque sint generis, virtualiter & necessario in primis illis principiis continentur; ac proinde cessare non potest earum obligatio, nisi cesset etiam obligatio primorum principiorum: ergo cum (ut jam dictum est) cessare non possit obligatio primorum principiorum; ita nec obligatio conclusionum, quæ ex illis, aut proxime, aut remote sequuntur.

CONCLUSIO 5. Lex naturalis mutari potest per interpretationem.

Probatur. Mutatio per interpretationem est ea quæ fit per explicationem alicujus præcepti, quod in aliqua lege continetur: atqui lex naturalis sic potest mutari: v. g. præceptum de Sabbato sanctificando, quo opus quodlibet servile prohibetur, mutatur per explicationem, cum nimirum dicitur, quod intelligi non debeat de operibus servilibus quæ necessaria sunt, aut ad vitæ, aut ad bonorum conservationem: ut Christus ipse declaravit Matthæi cap. 12.

CONCLUSIO 6. Lex naturalis mutari potest per particularis alicujus materiæ subtractionem.

Probatur. Mutatio per materiæ subtractionem est ea, per quam efficitur, ut aliquid, quod in genere sumptum, erat materia legis, in casu aliquo particulari desinat esse ejusdem legis materia; sic v. g. si quis per artem chymicam vinum in alium liquorem mutaret, efficeret, ut desineret in casu particulari esse materia Eucharistiæ: atqui effici potest, ut id quod erat materia legis naturalis, desinat esse illius materia: siquidem lex naturalis est, ut alienum, invito domino, non retineatur: lex est naturalis, ut qui rei alicujus dominus est, eam alteri donare possit: sed effici potest, ut quod erat materia duplicis illius legis, desinat esse illarum materia: nempe per præscriptionem efficitur, ut alienum desinat esse alienum, ac proinde, ut invito domino retineri possit. Vetant quorumdam locorum consuetudines, ne uxor viro, aut uxori vir quidquam per contractum aliquem donent aliud a bonis, quæ per contractum matrimonialem sibi invicem dederant: ergo effici potest, ut quod in se erat materia legis naturalis, desinat esse materia in aliquo casu particulari.

CONCL. 7. Lex naturalis mutari non potest per dispensationem, quæ humana potestate concedatur.

Probatur. Mutatio per dispensationem est, alicujus particularis respectu, exemptio a lege cujus vis remanet integra: atqui lex naturalis mutari non potest per exemptionem, quæ humana potestate concedatur: scilicet inferior solvere non potest ligatum a superiore: sed potestas humana inferior est lege naturali: hæc enim est ex ordinatione legis æternæ, ac proinde ex ordinatione Dei, cui nulla potestas humana potest æqualis esse: ergo &c.

Objicies 1. Potestas Ecclesiastica quæ humana est, dispensat 1. circa personalem residentiam Pastorum, quæ (ut ex Concilio Tridentino colligitur) est de jure naturali. 2. Summus Pontifex circa vota perpetuæ castitatis dispensat; licet obligatio implendi ejusmodi vota lege naturali præscripta sit. 3. Lex de sanctificatione Sabbati est lex naturalis, cum in Decalogo contineatur: in ea tamen lege per homines dispensatum fuit 1. Machab. 2. *Omnis homo qui venerit ad nos in bello die Sabbatorum; pugnemus adversum eum*: ergo lex naturalis mutari potest per dispensationem quæ humana potestate concedatur.

Resp. dist. ant. Ecclesia circa Pastorum residentiam, circa vota, circa sanctificationem Sabbathi, dispensat improprie, conc. ant.

dispensat proprie, neg. ant. hoc est, cum Ecclesia in iis casibus dispensare dicitur, sensus non est, quod, remanente debito personalis residentiæ, remanente votorum obligatione, remanente lege de sanctificatione Sabbathi, aliquam particularem personam eximat ab obligatione, aut residentiæ, aut votorum, aut sanctificationis Sabbathi; sed sensus est, quod Ecclesia declaret, pastorum residentiam, votorum redditionem, sanctificationem Sabbathi non esse in quibusdam particularibus materiam legis de personali residentia, de votorum redditione, de sanctificatione Sabbathi: hoc est, declarat, legem naturalem non præscribere pastoribus personalem residentiam, cum eos alio vocant aut utilitas publica, aut necessitas communis; declarat, votorum redditionem non præscribi, cum redditio nocet aut voventis saluti, aut communi reipublicæ bono; declarat, legem de sanctificando Sabbatho non vetare opera servilia, cum ad vitæ conservationem necessaria sunt.

Desumpta est illa responsio ex S. Thoma, qui 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad 3. sic loquitur: *Sic igitur præcepta ipsa Decalogi, quantum ad rationem justitiæ, quam continent, immutabilia sunt; sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulos actus, ut scilicet hoc vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non: hoc quidem est mutabile, quandoque sola auctoritate divina, in his scilicet quæ a solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in aliis hujusmodi; quandoque etiam auctoritate humana, sicut in his quæ sunt commissa hominum jurisdictioni: quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia.* Ibidem in responsione ad quartum sic loquitur: *Dicendum, quod illa excogitatio magis fuit interpretatio præcepti, quam dispensatio. Non enim intelligitur violare Sabbatum, qui facit opus quod est necessarium ad salutem humanam, sicut Dominus probat, Matthæi 12.*

Objicies. Leges civiles in aliquibus casibus dispensant a lege naturali: ergo lex naturalis mutari potest per dispensationem, quæ humana potestate concedatur. Probatur ant. Lex naturalis fert, ut res aliena non retineatur invito rationabiliter illius domino; atqui leges civiles in eo præcepto dispensant; nimirum axioma est civilium legum, eum, qui legitime præscripserit, posse alienum servare, invito post præscriptionem vero illius domino: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. ant. Axioma est civilium legum, eum qui legitime præscripserit, posse alienum servare, quod desierit esse alienum, conc. ant. quod non desierit esse alienum, neg. ant. Præscriptio dominium rei ab eo qui ante præscriptionem verus erat illius dominus, transfert in eum qui legitime præscripserit; cum enim natura cuique proprium non assignet, par est, ut id fiat legum civilium ministerio.

CONCL. 8. Lex naturalis mutari non potest per dispensationem, quæ a Deo concedatur.

Probatur argumento S. Thomæ 1. 2. q. 100. art. 8. Lex naturalis continet præcepta duplicis generis, affirmativa nimirum, quibus aliquid præcipitur; & negativa, quibus aliquid prohibetur: atqui lex naturalis nec in præceptis affirmativis, nec in negativis, mutari potest per dispensationem, quæ a Deo concedatur: Siquidem præcepta affirmativa continent id quod justum est, hoc est quod justitiæ legibus est conforme; præcepta vero negativa, quod est iniquum, hoc est, quod repugnat justitiæ legibus: atqui Deus dispensare non potest in iis quæ aut conformia, aut dissentanea sunt justitiæ legibus; alioquin enim malum permitteret permissione approbativa, quod repugnat infinitæ illius sanctitati; ageret contra legem æternam, hoc est, contra se ipsum: lex enim æterna jubet, ut omnia sint ordinatissima, ac proinde præcipit, ut agatur ad justitiæ & æquitatis regulas; vetat, ne quid fiat contra easdem justitiæ & æquitatis regulas; ergo Deus, nec in legis naturalis præceptis affirmativis, nec in negativis dispensare potest.

Objicies 1. cum Ochamo in 2. Sent. dist. 19. Deus potest præcipere odium sui: id enim non implicat contradictionem ergo dispensare potest in lege naturali, etiam circa præcepta quæ præcepta primæ tabulæ dicuntur.

Resp. neg. ant. & ejus probationem, Nempe Deus se ipsum negare non potest; ac proinde cum sit infinite justus, permittere non potest permissione approbativa id, quod est essentialiter injustum, ut est revera odium Dei: repugnat enim æternæ legi quæ præscribit, ut creatura suo creatori per amorem subjiciatur, ita ut sit extra ordinem, quem lex æterna conservari jubet, si alteri a Deo enti sese per amorem dominantem subjiciat.

Objicies 2. cum Durando. Deus dispensare potest circa quartum præceptum Decalogi; *Honora Patrem tuum*, &c. Ille enim circa parentum cultum dispensare potest, qui potuit hominem sine parentum ministerio creare: nempe si sine parentum ministerio hominem creare possit, potest eum in iis quæ ad ejusmodi dependentiam spectant, dispensare: atqui Deus id potuit; nimirum id cujuslibet hominis respectu potuit; quod respectu Adami & Evæ; sed Adam & Evam sine parentum ministerio creavit: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia ex suppositione, quod Deus aliquem per parentum ministerium creaverit, non potest efficere, quin a parentibus pendeat, juxta illud Ecclesiastici 3. *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses*: ac proinde efficere non potest, qui in homi-

hominibus fundamentum sit colendi parentes: ubi autem est illud fundamentum, recta ratio contra quam Deus, cum sit infinite sapiens, nihil omnino moliri potest, exigit, ut cultus eis exhibeatur.

Objicies 3. Deus id potest, quod non semel præstitit: atqui Deus non semel in lege naturali dispensavit.

Et quidem 1. dispensavit cum Abrahamo, cum nempe Genesis 22. præcepit ei, ut Isaacum innocentem occideret.

Dispensavit 2. cum Osea, cui jussit (Osee cap. 1.) ut meretricem assumeret, gigneretque ex ea filios.

Dispensavit 3. cum Israelitis, ut Ægyptiorum vasa aurea & argentea furarentur. Exodi 11.

Dispensavit 4. cum eisdem Israelitis Deuteronomii 23. cum nempe, indulsit eis, ut cum alienis fœnerarentur; fœnus enim, seu usura, est quædam furti species.

Disputavit 5. cum Patriarchis veteribus, quibus poligamiam, quæ legi naturali contraria est, permisit.

Dispensavit 6. cum Judæis omnibus, quibus (ut habetur Deuteronomii 24.) facultatem fecit solvendi, per uxoris dimissionem, matrimonii vinculum, licet lege naturali sit omnino indissolubile: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam in oculis ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua*: illam vero dimissionem non esse a thoro tantum, sed etiam a vinculo matrimonii, demonstrant hæc verba, quæ mox laudatis subjiciuntur: *Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certo mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Deo.*

Dispensavit denique 7. circa mendacium, cum nempe obstetricibus Ægyptiis permisit, ut mentirentur, earumque in Israelitarum mendacium compensavit, ædificando (inquit Scriptura) eis domos. Ergo Deus in lege naturali non semel dispensavit.

Resp. conc. maj. dist. min. Deus non semel in lege naturali dispensavit dispensatione improprie sumpta, conc. min. dispensatione proprie sumpta, neg. min. Dispensatio proprie sumpta, posita est (ut superius observavimus) in relaxatione legis, immutata materia præcepti: e contra (ut ibidem dictum est) dispensatio improprie sumpta, posita est in relaxatione legis, mutando præcepti materiam, seu efficiendo, ut id quod prius erat præcepti materia, desinat esse materia ejusdem præcepti: hac, non autem illa dispensationis specie Deus in casibus, de quibus agitur in argumento, dispensavit.

Et quidem 1. quod spectat ad Isaaci innocentis occisionem Abrahæ præceptam, dicendum est per hujusmodi divinum præceptum desiisse eam esse materiam legis, qua homicidium prohibetur: tunc enim tantum est materia legis, cum privata fit auctoritate, non autem cum fit auctoritate divina; scilicet cum Deus sit vitæ & necis dominus, sive per se immediate, sive per homines, tanquam ministros, potest ipsis etiam innocentibus, ubi id ad illius gloriam contulerit, vitam eripere.

2. Quod spectat ad præceptum Oseæ impositum, dici potest, factum illud desiisse tunc esse materiam legis, qua tum adulterium, tum fornicatio simplex prohibentur: scilicet tunc tantum commixtio maris cum femina est, aut adulterium, aut simplex fornicatio, cum feminæ corpus non est maris, seu cum mas ad actum conjugalem dominium non habet in feminæ corpus: at Oseas ad actum illum dominium habuit in corpus meretricis, ad quam a Deo jussus est accedere; nempe dominium illud a Deo ipso, cujus sunt omnia, accepit; ac proinde actus ille in eo casu non fuit legis naturalis injustam maris cum femina conjunctionem prohibentis materia. Desumpta est illa responsio ex Sancto Thoma, qui 1. 2. q. 100. art. 8. sic loquitur: *Et similiter etiam Osee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mœchatus, vel fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii.*

Dici potest iterum, Oseam jussum fuisse in matrimonium ducere meretricem illam, antequam ex ea prolem generaret. Nec enim erat necesse, ut absque matrimonio ad illam accederet, cum, eo etiam supposito, satis adumbraretur mysterium, propter quod Deus voluerat, ut Propheta ex meretrice filios procrearet: nempe spiritualis filiorum generatio ex Ecclesia Gentili, quæ quidem, antequam Christus, ex ea sibi in cruce desponsata, filios spirituales gigneret, innumeris corrupta erat sceleribus, juxta illud Scripturæ: *Sub omni quercu frondosa tu prosternaberis meretrix, tu fornicata es cum amatoribus alienis; verum tamen revertere*, &c. Augustini est illa responsio libro contra Secundianum, c. 21. ubi hæc habet: *Qui inimicus fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?* Sic etiam paullo post prosequitur. *Cum meretricem Propheta fecit uxorem, & ad vitam corrigendam mulieri consultum est, & figuræ sacramentum expressum.* Quod vero dicitur: *Fac tibi filios fornicationum*, habet multum sensum, vel ut adoptaverit sibi filios ex fornicatione genitos, vel ut genuerit filios ex casto connubio, qui tamen dicti sunt filii fornicationum, quia ex matre quæ erat fornicata; vel denique ut a cultu Dei veri filii isti recessorint, idolis cultum supremum exhibituri, quod

quod genus est fornicationis, juxta phrasim Scripturæ in Psalm. *Maledicti qui fornicantur abs te: mihi autem adhærere Deo, bonum est.*

3. Falsum est quoque quod Deus in furto cum Israelitis proprie dispensaverit, quando Exodi 11. sic Moysen allocutus est: *Dices omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier a vicina sua vasa aurea & argentea.* Scilicet furtum est subreptio rei alienæ invito domino; at vasa illa desierunt esse res alienæ; Deus enim & titulo supremi dominii, quo in res omnes creatas fruitur, & titulo mercedis quæ Israelitis ab Ægyptiis debeatur, dominium in vasa ab Ægyptiis mutuo accepta Israelitis concessit. *Et ideo* (inquit S. Thomas) *quando filii Israel præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei.* Utramque illam rationem tradit Augustinus libro 22. contra Faustum c. 7. *Ægyptii* (inquit) *erant sacrilegi, & iniqui: nam ex auro illo, male utentes ad Creatoris injuriam, suis idolis serviebant, & homines peregrinos labore gratuito injuste ac vehementer affligebant.*

4. Supponit argumentum, Deum permissione approbativa permisisse Judæis ut cum alienis fenerarentur, hoc est, pecuniam darent ad usuram: at falsa est illa suppositio: id enim permisit tantum tolerando, hoc est, prohibendo, ne per legem in Judæos usuræ reos animadverteretur, idque ad duritiam cordis eorum, hoc est, minus malum censuit tolerandum ad vitandum majus, ne scilicet Judæi rebus caducis & temporalibus omnino dediti, fenus, seu usuram in fratres suos exercerent. Ita respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 2.

Dici potest iterum, fenus Judæis cum alienigenis permissum, fuisse fenus non re, sed nomine tantum; quod enim ab alienigenis ultra sortem mutuo datam exigebant, alienum non erat, sed proprium, sive titulo donationis a Deo sibi factæ eorum quæ Amorrhæorum erant, sive jure belli quod Israelitis in populos sibi vicinos præceperat. Ambrosii est ea doctrina: sic enim loquitur in libro de Tobia: *Ab illo exige usuram, cui merito nocere desideras; cui jure inferuntur arma, huic legitime auferuntur usuræ, quem bello vincere non potes; ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicat, qui usuras flagitat: sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici: ergo ubi jus est belli, jus est usuræ.*

5. Argumentum ex polygamia veterum Patriarcharum evanescit omnino in eorum sententia, quibus placet, polygamiam sola Evangelii lege, non autem lege naturali, prohibitam esse: scilicet in ea suppositione negandum erit, quod Deus cum antiquis Patriarchis ad plures uxores simul habendas dispensaverit.

Nullius pariter est roboris in eorum sententia, qui contendunt, polygamiam esse ipsa etiam lege naturali vetitam: nempe in ea suppositione dicendum est, polygamiam in se sumptam, & abstrahendo a circumstantiis, in quibus necessaria non est ad propagandum Dei populum, esse quidem contra legem naturalem; spectatam vero in iis circumstantiis, in quibus est prorsus necessaria ad populum Dei propagandum, desinere, si Dei mandatum accedat, esse legis naturalis materiam: at cum Patriarcharum tempore Dei populus ordinarie generatione carnali, non autem sola veritatis prædicatione, propagaretur, opus fuit, ut homines cum multis simul uxoribus, non quidem ex libidinis, sed ex prolis amore, nuberent. Vide quæ in Commentario nostro historico & dogmatico de Sacramentis, de veterum polygamia, in Dissertatione de matrimonio diximus.

6. In uxorum dimissione duo erant, scriptio nimirum libelli repudii, & facultas uxorem dimittendi. Primum non erat contra legem naturalem, immo rationi consentaneum erat, ut libellus repudii ab eo scriberetur, qui uxorem a se dimitteret; tum ne dimissio illa temerario fieret; tum etiam ne ad eamdem uxorem redire posset. Alterum, non fuit permissa approbativa, sed tolerativa tantum, hoc est, tolerantia fuit minoris mali, ut gravius, occisio nimirum uxoris, vitaretur: unde Christus in Evangelio docet, dimissionem illam Judæis fuisse permissam ad duritiam cordis eorum; ac proinde nulla in matrimonii indissolubilitate, quæ juris est naturalis, Judæis per Moysen concessa fuit dispensatio.

Aliis tamen placet, veram Judæis ad dimittendas uxores dispensationem concessam fuisse, per eamque matrimonii vinculum divinitus solutum fuisse: sed addunt, indissolubilitatem matrimonii non esse de jure naturali in iis circumstantiis, in quibus Deus, cujus dominio subjacent matrimonii jura, propter commune aliquod bonum, dissolvendum esse duxerit. De eo argumento vide nostrum de Sacramentis Commentarium historicum & dogmaticum.

7. In obstetricibus Ægyptiis duo considerari possunt, intentio nimirum, & medium quo usæ sunt, ut intentionem illam executioni mandarent. Intentio non alia fuit, quam ut prodessent Hebræorum masculis, quos Pharao præfocari jusserat; medium, quod adhibuerunt, fuit mendacium. Intentioni Deus mercedem improprie dictam, bona nimirum temporalia, rependit; mendacium vero damnavit, seu (ut clarius loquamur) benevolentia quæ in eo facto emicuit, non fallacia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis, remunerata fuit; hincque patet Deum nullo modo cum obstetricibus Ægyptiis in mendacio dispensasse.

Obj-

Objicies 5. Matrimonium inter fratrem & sororem est contra legem naturalem; nam propter eam rationem Ecclesia non potest in eo dispensare: atqui in matrimonio illo Deus in mundi exordio dispensavit cum Adami filiis & filiabus; ergo &c.

Resp. Theologos omnes non convenire, quod matrimonium inter fratrem & sororem, etiam extra casum summæ necessitatis, prohibitum lege naturali; hincque cum Cajetano & nonnullis aliis concludunt, Ecclesiam propter urgentissimas causas posse in eo dispensare. Verum cum in nostro Commentario historico de Sacramentis contrarium asseruerimus, alia ad argumentum proferenda est responsio. Itaque dist. maj. Matrimonium illud extra casum summæ necessitatis est contra legem naturalem, conc. maj. in casu summæ & extremæ necessitatis, ut fuit mundi initio, neg. maj. tunc enim recta ratio suadebat ejusmodi matrimonium, tamquam quod ad propagationem generis humani absolute necessarium esset.

Objicies 6. S. Bernardus in libro de præcepto & dispensatione, aperte docet Deum in præceptis secundæ Tabulæ Decalogi, quæ haud dubie legis sunt naturalis, posse dispensare. Nempe S. Doctor necessarium dividit in stabile, inviolabile, incommutabile: *Quamobrem* (inquit cap. 2.) *fortassis tunc potissimum congrua & luculenta magis eadem divisio apparebit, si ejus membrum, quod dictum est necessarium, rursus in tria hæc subdividatur, stabile, inviolabile, incommutabile.*

Stabile refert in humanas Constitutiones. *Et quidem* (ait) *stabile dixerim, quod ita est necessarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas sit, nisi solis dispensatoribus mysteriorum Dei, id est, Prælatis, v. g. Regulæ sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti, nec non & authentici Canones, & si quæ sint alia Ecclesiastica instituta dignæ auctoritatis.* Necessarium inviolabile refert in præcepta, quæ in secunda Decalogi tabula continentur; *Necessarium deinde* (ait. c. 3.) *quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi a Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur; ut exempli caussa: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliquæ illius tabulæ legiscita.* Necessarium incommutabile refert ad ea omnia, quæ in sermone Domini in monte continentur: *Jam vero necessarium incommutabile quid accipi velim?... Sub hoc genere est omnis illa sermonis Domini in monte habiti spiritualis traditio, & quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus, tam in novo, quam in veteri Testamento spiritualiter observandum, traditur.*

His præmissis, idem S. Bernardus docet 1. Ecclesiæ Prælatos posse, ubi caritas postulaverit, dispensare in iis quæ ad necessarium primi generis pertinent: *Quandiu ergo* (inquit c. 2.) *caritati militant; immobiliter fixa sunt, mutarique omnino, ne ab ipsis quidem Præpositis, sine offensa possunt. At si e contrario contraria forte aliquando caritati visa fuerint, his dumtaxat, quibus hoc posset videre datum est, & providere creditum est: nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro caritate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur?*

Docet 2. necessarium, quod inviolabile appellavit, a Deo ipso mutari posse, Deum in eo posse dispensare, illius violationem, nisi Deus dispensaverit, ingens esse crimen, cum e contra si tamen dispensaverit, nulla omnino sit culpa: *Etsi* (inquit c. 3.) *nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere, aut licuit, aut licebit: Dominus autem horum quod voluit, quando voluit, solvit: sive cum ab Hebræis Ægyptios spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria misceri præcepit. Quorum utique alterum, quid nisi grave furti facinus: alterum, quod nisi flagitii turpitudo reputaretur, si non excusasset utrumque auctoritas imperantis?*

Docet denique 3. necessarium, quod appellat incommutabile, nullo modo, etiam per Dei dispensationem, mutari posse: *Jam* (inquit c. 3.) *necessarium incommutabile quid accipi velim? Equidem nihil congruentius, quam quod divina ita constat, & æterna ratione ita firmatum, ut nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo, aliquatenus immutari .... hæc quippe talia sunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eo siquidem immobiliter, quæ & naturaliter bona, numquam nisi innocenter, numquam nisi salubriter aut imperantur, aut observantur. Omni tempore, omni persona, morte contempta, custodita, salutem operantur.*

Ex iis quæ hucusque ex Bernardo laudata sunt, sic argumentum conficitur. Necessarium, quod Bernardus appellat inviolabile, pertinet ad legem naturalem; Decalogo nimirum prohibetur: Atqui Bernardus expresse docet, necessarium illud, Deo dispensante, mutari posse; in hoc enim opponitur necessario incommutabili, quod quidem, ex eodem Bernardo, nullam omnino mutationem, nullam, ne divinam quidem, mutationem pati potest. Ergo Bernardus censuit, legem naturalem quoad aliqua capita mutari posse per dispensationem divinam.

Resp. conc. maj. dist. min. Bernardus docet necessarium, quod appellat inviolabile, Deo dispensante, mutari posse improprie, conc. min. proprie, neg. min. Mutatio propria est illa quæ fit in aliquo facto, quod præcepti materia

remaneat. E contra mutatio impropria, est ea quæ fit in facto, quod non remanet præcepti materia. Hanc, non autem illam, in exterioribus secundæ tabulæ præceptis Deus per suam dispensationem efficere potest; hoc est, potest externa facta, quæ secundæ tabulæ præceptis vetantur, subtrahere ex materia illorum præceptorum; seu, quod idem est, efficere, ut facta exteriora quæ prius erant illorum præceptorum materia, desinant propter circumstantias quas Deus ipse eis adjicit, esse eorumdem præceptorum materia: Id evidenter patet ex Israelitarum apparenti furto, & apparenti Osee fornicatione, quæ idem Bernardus profert, ut Præceptorum secundæ tabulæ mutabilitatem afferat, & de quibus in responsione ad tertium argumentum fuse superius diximus.

QUÆSTIO VI.

Utrum Lex naturalis possit ex hominum mente deleri.

Not. AD legem naturalem pertinent 1. quædam præcepta universalissima, quæ omnibus nota sunt; 2. præcepta quædam minus universalia, quæ ex universalissimis, tamquam proximæ conclusiones, sequuntur: Sunt 3. alia præcepta, quæ ex primis sequuntur quidem, sed sicut remotæ quædam conclusiones. Quærendum est igitur, utrum lex naturalis quoad tres illas præceptorum species ex hominum mente deleri possit.

CONCLUSIO. 1. Lex naturalis, quoad universalissima præcepta, deleri non potest ex hominum cordibus.

Probatur 1. auctoritate Augustini, qui lib. 2. Confessionum cap. 4. sic loquitur: *Lex scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.* 2. Universalissima morum præcepta se habent, sicut universalissima principia cognitionis speculativæ: sed universalissima principia cognitionis speculativæ deleri non possunt ex hominum mente: neque enim quemquam qui terminos noverit, fugere potest cognitio harum propositionum: *Impossibile est idem esse simul & non esse. De eodem circa idem affirmatio & negatio dici non possunt. Totum est majus sua parte*: is enim quem earum propositionum cognitio fugeret, non esset homo, seu animal mente præditum, sed brutum.

CONCLUSIO 2. Lex naturalis, sumpta secundum universalissima præcepta, potest ex hominum cordibus deleri, quantum ad particulare operabile.

Probatur. Legem naturalem, secundum universalissima præcepta sumptam, deleri ex hominum cordibus quantum ad particulare operabile, est deleri eam quantum ad applicationem particularis operabilis: Atqui sic ex hominum cordibus deleri potest: scilicet applicationem illam per accidens nonnumquam impedit concupiscentia, vel aliqua passio, quemadmodum principiorum universalissimorum in speculativis applicatio ad conclusiones particulares, nonnunquam variis ex caussis impeditur; hincque fit ut ex universalissimis principiis falsæ conclusiones nonnumquam inferantur.

CONCLUSIO 3. Lex naturalis sumpta secundum præcepta minus universalia, quæque ex universalissimis proxime sequuntur, potest ex hominum cordibus deleri.

Probatur. Præcepta quæ expresse in Decalogo continentur, sunt præcepta minus universalia, quæ ex universalissimis proxime sequuntur: Scilicet haud difficili negotio ab homine qui attenderit ad universalissima principia cognosci possunt. Qui enim Dei existentiam noverit, quam quidem facile quis inferre poterit ex rerum contingentium existentia, & ex eo, quod cuique notum sit, nihilum non posse sibi ipsi dare esse, haud difficile concludet, Deo soli deberi adorationem ac amorem qui cordi prædominetur. Inferet quoque quantumcumque plumbeus sit, illius, utpote entis sanctissimi, nomen assumi non debere in vanum, ac nonnulla eligenda esse tempora, quibus creatura rationalis specialiter illius cultui vacet. Præterea qui ad hoc præceptum affirmativum attenderit, *Alteri feceris quod tibi fieri velis*, proximum suum diligendum esse intelliget, & in primis eos homines qui sibi parentum loco sunt; qui vero ad istud negativum: *Alteri ne feceris quod tibi fieri nolis*, concludet facile nemini vel per furtum, vel per adulterium, vel per aliquid aliud irrogari debere injuriam. Atqui præcepta quæ expresse continentur in Decalogo, possunt ex hominum cordibus deleri: non pauci enim reperti sunt qui idololatriam, (ut gentiles omnes) furtum ut olim Germani, adulterium (ut Plato in sua republica, in qua uxorum communitatem permisit) licita esse crediderunt: Ergo lex naturalis sumpta secundum præcepta minus universalia, ea etiam quæ proxime sequuntur ex universalissimis, potest ex hominum cordibus deleri:

CONCLUSIO 4. Lex naturalis, sumpta secundum præcepta, quæ remote ex universalissimis sequuntur, quæque expresse non continentur in Decalogo, potest ex hominum cordibus deleri.

Probatur 1. ex eo, quod præcepta quæ proxime ex universalissimis sequuntur, possint (ut dictum est in præcedenti conclusione) ex hominum cordibus deleri: ergo a fortiori deleri possunt, quæ ex iisdem universalissimis

mis præceptis remotè tantum, hoc est, adhibito multiplici ratiocinationum anfractu, sequuntur. 2. Revera lex naturalis quoad præcepta de quibus agitur, deleta fuit ex nonnullorum hominum cordibus: Siquidem apud Indos, parentes senio confecti olim sub pietatis obtentu enecabantur. Reperti sunt, qui filios & filias suas dæmonibus immolarent. Pharisæi apud Judæos, licet externos concupiscentiæ actus damnarent, contendebant tamen, internos lege prohibitos non fuisse: unde Christus in Evangelio necessarium duxit, ostendere, eos Decalogo jam alias prohibitos fuisse: *Si quis* (inquit) *viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo*. Huc etiam referri possunt tot contra legem naturalem opinionum portenta, quæ in recentioribus quibusdam, alioquin Christianis Catholicis, casuum arbitris leguntur, quæque tum Alexandri Papæ VII. tum Innocentii XI. tum repetitis Cleri Gallicani decretis proscripta sunt.

Quæ hucusque dicta sunt, confirmari possunt auctoritate, & argumento S. Thomæ, qui 1. 2. q. 94. art. 6. sic loquitur: *Ad legem naturalem pertinent, primo quidem præcepta universalissima, quæ sunt omnibus nota: Secundaria autem quædam præcepta magis propria, quæ sunt conclusiones quasi propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali: deletur autem in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut supra dictum est. Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum; vel propter malas persuasiones (eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: Sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom. 1.*

QUÆSTIO VII.

Quænam in specie sint legis naturalis præcepta.

Not. IN lege naturali præcepta duplicis sunt generis: alia sunt affirmativa, quibus nimirum actus aliquis præcipitur; alia negativa, quibus actus aliqui prohibentur: de illis igitur hic nonnulla ad mentem S. Augustini, & S. Thomæ dicenda sunt.

CONCLUSIO 1. Præcipua præcepta affirmativa legis naturalis reducuntur ad dilectionem Dei, animæ nostræ, animæ proximi, & nostri corporis dilectionem.

Probatur. Lex naturalis est ordo amoris; sicut enim lex æterna ordinem conservari jubet, & perturbari vetat; ita etiam lex naturalis, cum (ut dictum est) sit æternæ legis participatio per inspirationem luminis & amoris: Atqui ordo amoris reducitur ad Dei, animæ nostræ, animæ proximi, & nostri corporis dilectionem: *Quatuor sunt diligenda* (inquit Augustinus lib. 1. de doctrina christiana cap. 23.) *Unum quod supra nos est*, Deus nempe: *alterum quod nos sumus*, anima nimirum nostra: *tertium quod juxta nos est*, anima proximi: *quartum quod infra nos est*, corpus scilicet, quod nostræ animæ conjunctum est. Creaturas alias a nostro corpore odisse quidem non debemus, cum sint Dei opus; sed eas non debemus diligere, licet eis uti nobis necesse sit: *Diligendæ quidem non sunt* (ait Augustinus lib. 7. de civitate Dei cap. 22.) *quia eis uti licet, non autem frui. Corpus autem nostrum, quia quodam modo particeps est beatitudinis, potest dilectione caritatis amari.*

Primum itaque affirmativum legis naturalis præceptum est, de Deo diligendo. Scilicet illud præceptum est primum, quod aliis omnibus præsupponitur: Atqui præceptum de Deo diligendo aliis omnibus præsupponitur, nimirum, finis, ad quem alia omnia præcepta referuntur, est præceptum de Deo diligendo: alia enim a Deo propter se ipsa ultimo diligi non debent, sed propter Deum tantum; ac proinde præceptum illud aliis omnibus præsupponitur, sicut finis præsupponitur mediis, quibus comparari potest: *Sed nec se ipso* (inquit Augustinus lib. 1. de doctrina christiana cap. 22.) *quisquam frui debet, si liquido advertas: quia nec seipsum debet propter se ipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.*

Secundum legis naturalis generale præceptum, est de diligenda anima nostra. De hoc, & de quarto, quod est de dilectione corporis nostri lex scripta tacuit, eo quod ex mente nostra deleri non possit: e contra vero meminit primi & tertii, quod natura per peccatum corrupta eorum facile oblivisci possit: *Ergo* (inquit Augustinus lib. 1. de doctrina christiana cap. 26.) *quoniam præcepto non opus est, ut se quisque & corpus suum diligat, id est quoniam id quod sumus, & id quod infra nos est, ad nos tamen pertinet, inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestiis etiam promulgata est (nam & bestiæ se, atque corpora sua diligunt) restabat ut de illo quod supra nos est, & de illo quod juxta nos est, præcepta sumeremus.*

Tertium legis naturalis præceptum, est de diligenda proximi anima; distinguiturque a se-

a secundo quod est de propria anima diligenda eo quod homo, prius quam proximum, te se diligere debeat: prius enim in se ipso, quam in aliis, id deprehendere solet, propter quod & se ipsum, & proximum diligere tenetur; nempe vel Deum inhabitantem, vel Dei possidendi capacitatem.

Amor proximi ex Dei amore proficisci debet, & ad illum referri: *Si enim* (ait Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana c. 29.) *in theatris nequitiæ qui aliquem diligit histrionem, & tamquam magno, vel etiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit, qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum quem pariter diligunt; & quanto est in ejus amore ferventior, tanto agit quibus potest modis, ut a pluribus diligatur, & tanto pluribus eum cupit ostendere, & quem frigidiorem videt, excitat eum quanta potest laudibus illius; si autem contravenientem invenerit, odit in illo vehementer odium dilecti sui, & quibus modis valeat, instat ut auferat: quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui beate, vivere est, & a quo habent omnes qui eum diligunt, & quod sunt & quod eum diligunt: de quo nihil metuimus, ne cuiquam cognitus displicere, & qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt æternum præmium conferatur, hoc est, ipse quem diligunt?*

Quartum denique legis naturalis præceptum est illud, quo jubemur proprium nostrum corpus diligere, in quantum scilicet futurum est æternæ beatitudinis particeps: & ideo jubemur ei bene velle ut ei aliquando bene sit: *Nemo ergo se odit* (inquit lib. 1. de Doctrina Christiana c. 24.) *Et hinc quidem nulla cum aliqua secta quæstio fuit. Sed neque corpus suum quisquam odit: verum est enim quod ait Apostolus: Nemo unquam carnem suam odio habuit. Et quod nonnulli dicunt, malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur: non enim corpus suum, sed corruptionem ejus, & pondus oderunt. Non itaque nullum corpus, sed incorruptum & celerrimum corpus volunt habere.*

Corpus autem ita diligendum est ut subditum sit animæ Deo per amorem prædominantem inhærenti: *Immortalitas enim* (ait Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana c. 23.) *& incorruptio corporis, de sanitate animi existit; sanitas autem animi est firmissime inhærere potiori, hoc est, incommutabili Deo. Cum vero etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est, hominibus, dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.*

Præceptum de diligendo proprio nostro corpore, ultimum est ex quatuor, quæ ex Augustino ad legem naturalem pertinent, quia plus diligenda est proximi anima, quam proprium nostrum corpus: *Etsi Deus* (ait Sanctus Augustinus in l. 1. de Doctrina Christiana, c. 27.) *omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere, quam se ipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum; quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.*

CONCLUSIO 3. Legis naturalis præceptum negativum, ad quod alia referuntur, est illud, quo prohibetur cupiditas.

Probatur. Cupiditas definitur, motus animi ad fruendum se & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum: Atqui legis naturalis præcepta negativa non aliud prohibent, quam illum motum: Id enim solum præcepta negativa prohibent, quod perturbat ordinem naturalem; lex nimirum naturalis, cum sit ordo amoris, & æternæ legis participatio, quæ ordinem naturalem conservari jubet, & perturbari vetat; non aliud prohibere potest, quam id quo ordo ille naturalis perturbari potest; sed sola concupiscentia naturalem illum ordinem perturbat, inclinat nimirum creaturam rationalem, ut se & rebus corporeis, propter se & non propter Deum, fruatur: ergo &c.

CONCLUSIO 4. Ex præceptis de amore, recte colligi possunt omnia Decalogi mandata.

Probatur. Omnia Decalogi mandata oriuntur ex præceptis de Innocentia & de Benevolentia: Atqui ex præceptis de amore, colliguntur præcepta de Innocentia, & de Benevolentia: ergo & omnia Decalogi mandata. Major propositio est certa: Scilicet Innocentia ab Augustino in Psalmum 100. definitur, virtus per quam quis nec sibi nocet, nec alteri: *Innocens est* (inquit) *qui nec sibi nocet, nec alteri. Ideo dicitur, Dilectio proximi malum non operatur, & Non facies alteri, quod tibi fieri non vis.* Benevolentia vero definitur, virtus per quam quis ad Deum alios adducere satagit: *Benevolus est autem* (ait idem S. Doctor) *qui ad quod ipse tendit, alios adducere satagit, ad Dominum scilicet; Unde dicitur, Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sed ex virtute, qua quis nec sibi, nec alteri nocet, ex virtute qua quis alios ad Deum adducere satagit, oriuntur omnia Decalogi præcepta. Et quidem 1. ea quæ in priore tabula continentur: si enim quis ea infregerit, nocet sibi, animæ nimirum quæ per infractionem præceptorum primæ tabulæ extra rectum ordinem ponitur. 2. Oriuntur quoque quæ in secunda tabula reperiuntur: Qui enim ea infregerit, proximo nocet, ac proinde non est innocens in Augustini sensu, hoc est, non nocens. Minor prioris argumenti propositio non est minus evidens, seu ex præceptis de amore Dei & proximi colligit præcepta de Innocentia & Benevolentia. Nam qui Deum dili-

diligit, sibi per mandatorum, quæ ab eo constituta sunt, infractionem non nocet; qui vero proximum, benevolus est ei, nullaque ratione nocet; ac proinde servat mandata omnia, quæ ad proximi dilectionem referuntur.

Ex his colligendum est 1. Præcepta Decalogi ad legem naturalem non pertinere, nisi in quantum cum Innocentia & Benevolentia concurrunt, v. g. lege Decalogi non prohibetur homicidium, nisi in quantum cum illis duabus virtutibus concurrit: Hinc fit ut ei, qui auctoritatem habet, prohibitum non sit malefactores occidere, quia *sicut non est beneficentiæ*, (inquit Augustinus in Psalmum 57.) *adjuvando efficere ut bonum, quod majus est, omittatur: ita non erit Innocentiæ, parcendo sinere ut in malum gravius incidatur*. Hinc etiam fit ut Abraham non peccarit cum gladium in Isaac distrinxit; cum enim hominis, etiam innocentis, occisio fit Dei jussu, neque contra benevolentiam, neque innocentiam peccatur. Colligendum est 2. multa lege naturali & prohiberi & præcipi, quæ aperte in Decalogo non exprimuntur, omnia nempe quæ ad benevolentiam & innocentiam pertinent: Sic quamvis eleemosyna, gratitudo, conservatio pacis in civitate, correptio fraterna, lege naturali præcipiantur, in Decalogo tamen aperte non exprimuntur: Sic etiam quamvis in Decalogo expresse non prohibeatur, ne (ut ait Augustin. epistol. 239.) scandalum in rebus licitis inferamus proximo, ne (ut ait idem Sanctus Doctor libro de mendacio, cap. 13.) innocentem virum ad mortem petitum prodamus, ne proximum in re injusta vexemus, ea tamen omnia lege naturali prohibentur, quia sunt contra innocentiam & benevolentiam.

CONCLUSIO 5. Ex præceptis de Innocentia & Benevolentia, jura gentium deducuntur.

Probatur. Jura gentium (ex Sancto Thoma 1. 2. quæst. 95. art. 4.) sunt jura inter nationes omnes constituta: Atqui ea jura ex præceptis de Innocentia & Benevolentia deducuntur. Scilicet jura gentium duplicis sunt generis: quædam enim non aliud supponunt quam legem naturalem, suntque tamquam conclusiones quæ ex ea deducuntur, qualia sunt jura societatis in religione, in artibus, in procuratione rerum humanarum, quia nemo sibi sufficit neque ad ea quæ ad Deum colendum pertinent, neque ad consulendum saluti, neque ad procurationem rerum vitæ sustentandæ necessariarum: Inde nascuntur matrimoniorum fœdera, cognationes, affinitates. Quædam e contra ex gentium juribus supponunt aliquid quod toti humano generi superacciderit, ut est originale peccatum, quo factum est ut nova jura quæ lex naturalis per se non præscribit, oportuerit constituere; hinc nata sunt discreta dominia: probabile est enim quod stante natura, in innocentiæ statu, omnia futura fuissent communia: natæ sunt servitutes, scilic. (ut ait Augustinus lib. 19. de Civit. Dei, cap. 23.) servitus non est homini naturalis; natæ sunt etiam manumissiones; nata sunt quoque jura belli, & alia hujusmodi, quæ ad humanam societatem conservandam, supposito peccato originali, necessaria sunt.

DISSERTATIO QUARTA.

De Lege Positiva Divina.

Not. LEx positiva divina est quæ Dei ipsius auctoritate lata est, ut pax homini mortali cum Deo immortali fieret, seu ut ordinata esset hominum in fide sub æterna lege obedientia. Duplex est, Vetus, & Nova: de utraque igitur duplici quæstione dicendum est.

QUÆSTIO PRIMA.

De Lege veteri.

Not. DE lege veteri differit Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 98. de eaque quærit sex. 1. Utrum sit bona. 2. An sit a Deo. 3. Utrum sit a Deo mediantibus Angelis. 4. Utrum data sit omnibus. 5. Utrum omnes obliget. 6. Quænam fuerint illius præcepta. S. Doctoris methodum secuti, illa subsequentibus capitibus expendemus.

CAPUT I.

An lex vetus sit bona.

Not. 1. NOmine legis veteris intelligitur ea quam Moyses acceptam a Deo promulgavit. Tota continetur in Lege, in Prophetis, & Psalmis. Per *Legem* intelliguntur quinque libri Moysis: ideoque & leges omnes quæ Adamo, Noemo, Abrahamo & aliis sanctis Patribus ad Moysen inclusive datæ sunt. Quæ Moyses postea docuit, eadem, quoad plura capita, ab Abrahamo servata sunt; quæ autem ab Abrahamo, eadem & Noe & Enoch agnoverunt, munda ab immundis distinguentes. Abel quoque eadem, quæ ab Adamo didicerat, obtulit Deo; Adamus vero Dei ipsius magisterio instructus fuerat. Per *Prophetas* intelligitur, quidquid scriptum est a Josue; a Samuele, ab Esdra, a Prophetis sexdecim, & aliis Historiæ sacræ scriptoribus. Tandem per *Psalmos* intelliguntur Davidis & Salomonis Libri, & alii ejusdem generis, quorum harum Institutionum Tom. I. Catalogum texuimus.

Not. 2. Cajani, Marcionitæ, & Manichæi, aliique plures trium priorum sæculorum sectarii,

ctarii, Augustino teste in libro de hæresibus, docuerunt, legem veterem non fuisse bonam, sed malam omnino, tum ratione auctoris; contendebant enim, a Principio nequam constitutam fuisse: tum ratione præceptorum quæ per eam hominibus imposita sunt. Catholici e contra docent, legem veterem fuisse bonam, & ratione auctoris, a quo sancita est; & ratione præceptorum, quæ in ea continentur: addunt tamen, eam, licet bonam, imperfectam tamen fuisse.

CONCLUSIO I. Lex vetus fuit bona.

Probatur. Lex vetus fuit bona 1. ratione auctoris. Is enim Deus est ipse, ut hujusce quæstionis c. 2. dicetur. Bona est 2. ratione præceptorum: *Lex quidem sancta* (inquit Apost. ad Rom. 7.) *& mandatum sanctum, & justum, & bonum*. Bona est 3. ratione mysterii; significabat enim quæ sanctiora sunt in lege nova: *Omnia* (ait Apostolus) *in figura contingebant illis*. 4. Eam ut bonam Christus implevit: *Non veni* (ait ipse Matth. 5.) *solvere legem, sed adimplere*. Executi sunt quoque illius mandata Prophetæ, Apostoli & quotquot antiquitus vera sanctitate commendati sunt. Bona erat 5. ratione finis: lata enim erat, ut homines cum Deo, sancito fœdere, conjungeret: *Dominum elegisti hodie* (inquit Scriptura, Deuteronomii c. 26.) *ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & custodias cæremonias illius, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius*. De eo argumento vide Augustinum in libris contra Faustum, Tertullian. in libris contra Marcionem.

Probatur iterum ratione S. Thomæ. Ea lex est bona, quæ rectæ rationi consentanea est: Atqui sic erat lex vetus, tum quod concupiscentiam comprimeret, ut patet ex illo mandato, *Non concupisces*, tum quod peccata omnia, (quæ haud dubie sunt contra rectam rationem) prohiberet, ut probat Apostolus ad Rom. 7. Ergo lex vetus erat bona.

Objicies 1. Ezechielis c. 20. Deus ipse sic de lege veteri loquitur: *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*: ergo &c.

Resp. laudati ex Ezechiele textus varias esse solutiones. Nam 1. Sanctus Hieronymus in eum locum, contendit nomine præceptorum, & judiciorum, non intelligi Legem veterem, sed leges iniquas gentilium, quibus Judæi dispersi propter iniquitates suas traditi sunt. Nec obstat, quod dicitur, Deum ea præcepta tradidisse: Tradidit enim non positive, sed permissive tantum, hoc est, in pœnam peccatorum permisit ut Judæi iniquis illis legibus manciparentur. *Commixti sunt inter gentes* (ait Script. Ps. 105.) *& didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum, & immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis*. Confirmatur ex eo, quod in eodem capite Deus leges suas opponat præceptis quæ vocantur præcepta non bona: *Dedi eis* (ait Deus) *præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis*.

2. Gregorius magnus lib. 28. Moral. c. 7. fatetur quidem Ezechielis textum intelligi de lege veteri, sed ait præcepta illius dici non bona comparate ad legem novam, non autem simpliciter & absolute: neque enim lex vetus, sicut nova, satis erat ut homines ad justitiam perduceret: *Hos* (inquit) *pannos infantiæ, quos incohoantibus dedit, ipse per Prophetam Dominus reprehendit dicens, Ego dedi eis præcepta non bona; mala esse definunt comparatione pejorum, & bona, quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut pejus delinquenti judex de Sodoma atque Samaria dicitur, justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es; ita melioribus Novi Testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur*. (Tradit eamdem solutionem S. Thomas): *Ad primum ergo dicendum* (inquit) *quod Dominus loquitur ibi de præceptis cæremonialibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines a peccato mundarentur, cum tamen per hujusmodi se peccatores ostenderent. Unde signanter dicitur: Et judicia in quibus non vivunt, id est, per quæ vitam gratiæ obtinere non possunt; & postea subditur, Et pollui eos in muneribus suis, id est, pollutos ostendi, cum offerrent omne quod aperit vulvam propter delicta sua*.

Objicies 2. Lex quæ culpa non vacat, est mala: Atqui Lex vetus culpa non vacabat, hæc enim habet Apostolus ad Hebr. 8. *Si illud prius* (Testamentum) *culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur*: ergo &c.

Resp. dist. min. Lex vetus non vacavit culpa improprie sumpta, conc. min. proprie sumpta, neg. min. Culpa proprie sumpta, est reatus peccati, improprie vero sumpta, est defectus qui peccatum non est. Lex vetus culpam non habuit primo modo sumptam: dicit enim Apostol. ad Rom. 7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit*, sed habet culpam secundo modo acceptam, tum quod relinqueret in culpa, tum quod per accidens esset occasio culpæ proprie sumptæ, juxta illud ejusdem Apost. ad Rom. 7. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in ea me omnem concupiscentiam*: Ita nimirum comparati sunt homines per peccatum corrupti, ut quo arctius ab aliquo opere prohibentur, eo ardentius in illud ferantur, juxta illud Poetæ quod sæpe laudavit Augustinus, *Nitimur in vetitum*.

Objicies 3. Ea lex non fuit bona, quæ non fuit

fuit hominibus salutifera: est enim de ratione legis, ut communi saluti proficiat: Atqui lex vetus non fuit salutifera, immo nociva fuit & mortifera: dicit enim Apostolus ad Rom. 7. *Sine lege peccatum mortuum erat; ego autem vivebam sine lege aliquando: sed cum venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum*. In eadem epist. c. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. primam partem ant. Cum venisset mandatum, hoc est, cognitum fuisset, conc. ant. cognitum non fuisset, neg. ant. Ante legem peccatum erat in homine, id est, homo suæ cupiditati serviebat nesciens, quod ei serviendo peccaret: sed ubi venit lex, homo cognovit, quod obedientia, quam cupiditati præstabat, esset peccatum, juxta illud Apostoli ad Rom. 3. *Per legem cognitio peccati*; & ut dicitur ib. c. 8. *Peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*. Dist. pariter alteram antecedentis partem, Lex subintravit, ut ex occasione sumpta ex parte hominis abundaret delictum, conc. ant. ex fine legis & intentione Legislatoris, neg. ant. Deus non dedit legem, ut caussa esset peccati, sed tamen facta est caussa peccati ex occasione, quæ se tenet ex parte hominis corrupti, tum quod peccatum post legem factum sit gravius, tum etiam quod concupiscentia creverit; vehementius enim & ardentius ea appetimus, quæ nobis prohibentur. Jam vero quod solum ex occasione ex nobis sumpta, lex fuerit caussa peccati, docet Apostolus ad Rom. 7. *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*.

Objicies 3. Lex vetus fuit 1. superstitiosa: prohibuit enim usum ciborum, qui Dei creatoris benedictione consecrati fuerant.

2. Contraria fuit pietati: inter immundos enim recensebat eos, qui mortuorum cadavera sepeliissent.

3. Adversabatur æquitati & Justitiæ, tum quod Deuteronomii 25. cuique facultatem faceret, tantum de vinea proximi sumere, quantum vellet; tum quod Deuteronomii 24. vetaret accipere pignus a debitore; tum quod Levitici 25. jusserit, ut anno Jubilæi omnia debita remitterentur; tum denique quod Deuteronomii 23. vetuerit, ne servus profugus domino restitueretur.

4. Fovit concupiscentiam per legem talionis, Exodi 21. unde Christus Matthæi 5. legem illam damnat, ac rejicit: *Audistis, quia dictum est, dentem pro dente, oculum pro oculo: ego autem dico vobis non resistere malo*.

5. Peccavit contra discretionem; tantum enim fuit illius jugum, ut portari minime potuerit, juxta illud Petri Actorum 15. *Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri, portare potuimus?*

6. Sapiebat crudelitatem & tyrannidem: Chananæos enim & Amalecitas una cum liberis adhuc lactentibus interfici jussit: Ergo lex vetus non fuit bona.

Resp. ad 1. induxisse ciborum delectum, tum ad comprimendam gulam, tum ad formandum hominem ad jejunium, tum ad monendum hominem, ut fugeret vitia, quæ cibis quibusdam adumbrantur. Ita respondet Tertullianus l. 2. contra Marcionem, c. 18.

Resp. ad 2. neg. quod Judæi immunditiam etiam legalem, ex mortuorum sepultura contraherent; scilicet id apud Judæos officium erat pietatis, juxta illud Script. de Tobia, c. 1. *Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat*. Quod quidem officium sic cap. 12. Angelus Raphael commendat in eodem Tobia: *Quando orabas cum lacrimis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino*. Fatemur quidem, quod in aliis casibus ex mortuorum contactu Judæi legaliter pollucrentur: sed id non vacabat mysterio; nempe docebantur, impares esse sacrificio offerendo qui immundi essent animo, immunditia illa spirituali quæ per immunditiam extrinsecam & legalem adumbrabatur.

Resp. ad 3. facultatem de uvis ex aliena vite sumendis factam fuisse pietatis caussa, ut nimirum pauperes famem aut sitim extinguere possent: unde non licebat domum quidquam ex vitis fructibus deferre: *Foras autem ne auferas tecum .... falce autem non metes*. Addendum est, prohibita fuisse cetera, vel in gratiam pauperum, ne scilicet opprimerentur, si dum in necessitate pecuniam mutuo accipientes, pignus dare cogerentur; vel ne familiæ confunderentur, nisi agri ad debitores redirent; vel denique ne servi profugi occiderentur, si domino redderentur.

Resp. ad 4. cum Augustino lib. 19. contra Faustum, c. 25. quod lex Talionis non fuerit fomes, sed limes furoris; hoc est, non ut accenderetur ad vindictam læsus, sed ut injuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excederet, ut ait idem Sanctus Doctor libro contra Adimantum, capite 8. & sic rudi populo constitutus est primus lenitatis gradus, nobis autem sancita perfectio, ut scilicet non vindicemus.

Resp. ad 5. cum Sancto Thoma, qui 1. 2. q. 98. art. 1. sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quod jugum legis servari non poterat sine gratia adjuvante, quam lex non dabat. Dicitur enim ad Rom. 9. Non est volentis, neque currentis: scilicet velle &*

currere in præceptis Dei ; sed miserentis Dei. Unde Ps. 118. dicitur, *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, *scilicet per donum gratiæ & caritatis*.

Resp. ad 6. legem in Chananæos latam, æquissimam fuisse. Par enim fuit ut cumulo peccatorum jam impleto, Chananæi omnes interficerentur. Cum Amalecitis quoque actum fuit cum æquitate: scilicet (ut habetur lib. 1. Regum cap. 15.) populo Israelitico in terram promissam proficiscenti summa cum injuria obstiterant. Ideo autem venia non est indulta parvulis, quod sæpius parentibus gravior sit pœna quæ liberis infligitur, quam sit ea qua in ipsos animadvertitur.

Objicies 4. Lex Vetus plures ex antiquis commendat, qui tamen gravissimis flagitiis & facinoribus se ipsos commacularunt, Abrahum nimirum, Lot ejus nepotem, Isaacum, Jacobum, Saram, Rebeccam, Davidem, Salomonem & plures alios: ergo lex vetus non erat bona. Ita ratiocinatur Faustus Manichæus apud Augustinum libro 22. contra Faustum.

Resp. 1. Legem Veterem recensendo crimina quibus nonnulli veteres se ipsos commacularunt, nec ea excusare, nec laudare, ut supponebat Faustus: *Nos tamen* (inquit Aug. c. 24. de Lot ebrietate & incestu loquens) *Scripturas sanctas, non hominum peccata defendimus*. Resp. 2. fictitia esse crimina quæ Faustus Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Saræ, Rebeccæ tribuit. Vide August. libro 22. contra Faustum, ubi fuse diluit argumenta quibus Faustus sanctorum illorum hominum facta reprehenderat.

CONCL. 2. Licet Lex Vetus in se fuerit bona, non fuit tamen perfecta.

Probatur 1. ex Scriptura. Apostolus in Epistola ad Hebræos asserit ideo reprobatam a Christo fuisse legem veterem, quod infirma esset; *Reprobatio quidem fit* (inquit) *præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*. In Epistola ad Galatas idem Apostolus docet legem satis non fuisse ad consequendam Justitiam: *Si ex lege justitia* (ait c. 2.) *ergo gratis Christus mortuus est*. Capite 4. scribit eam egenam & infirmam fuisse: *Quomodo* (ait) *convertimini iterum ad egena & infirma elementa*. Ad Rom. 8. scribit impossibile fuisse, ut lex homini justitiam conferret: *Quod erat impossibile legi in quo infirmabatur secundum carnem*.

Probatur 2. ex Augustino. S. Doctor in suis operibus totus est ut probet insufficientiam legis adversus Pelagianos, qui eam cum exemplo Christi conjunctam contendebant, homini satis esse, ut justitiam consequatur. Epistola 157. idem docet, sic enim loquitur: *Oportebat itaque, ut abdito mandato, cujus vox est, Non concupisces, superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet: atque ita, gratiæ medicinam, non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret*.

Objicies 1. Si lex fuit imperfecta, dicendum erit, eam quoque fuisse inutilem; sed absurdum est consequens: nihil enim a Deo, cum sit sapientissimus, inutile fieri potest: ergo &c.

Resp. neg. maj. Ad plura nimirum lex contulit. Nam data est 1. ut quadam cælesti disciplina rudes homines imbueret, eosque pœnarum metu ab externis saltem flagitiis & facinoribus deterreret: *Scimus* (inquit Apost. 1. ad Timoth. 1.) *quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: Scimus hoc, quia lex justo non est posita, sed non justis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur*.

Data est 2. ut ipsis oculis objiceret legem naturalem, ad quam homines dediti sensibus attendere nolebant: *Sed* (inquit Augustinus in Ps. 57.) *ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est & in Tabulis, quod in cordibus non legebant: non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur. Et quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est*.

Data est 3. lex vetus, ut per varias figuras, varia sacramenta, homines ad Christi fidem disponeret; *Lex* (inquit Apostolus ad Galatas 3.) *Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub Pædagogo*. Cur autem lex sit Pædagogus, Hieronymus in eum locum hisce verbis tradit: *Pædagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum teneris studiis eruditur infantia, & ad majores disciplinas metu pœnæ coercita præparatur. Itaque & lascivienti populo lex Moysi adinstar Pædagogi senioris apposita est, ut custodiret nos, & futuræ fidei præpararet*.

Objicies 2. Ea lex fuit perfecta, in qua plures justitiam & sanctitatem consecuti sunt: atqui in lege veteri plures justitiam & sanctitatem consecuti sunt, Prophetæ v. g. aliique Sancti, qui ante Christum in Judaismo vixerunt: ergo &c.

Resp. dist. maj. Si justitiam consecuti sint vi illius legis, conc. maj. vi fidei in Christum, neg. maj. hac via, non illa, justitiam consecuti sunt sancti omnes, qui ab Adami lapsu ad Christum usque, vera sanctitate commendati sunt: *Eadem namque fides* (inquit Aug. Epist. 157.) *est; & nostra & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod & nos credimus factum*: unde dicit Apostolus: *habentes eumdem spiritum fidei*.

Hinc

Hinc idem S. Augustinus l. 3. ad Bonifacium c. 3. infert justos, qui sub veteri lege vixerunt, licet non nomine, reipsa tamen fuisse Christianos: *Veteris quidem Testamenti* (inquit) *dispensatores & gestatores, sed novi demonstrantur heredes. Nondum nomine, sed reipsa fuerunt Christiani.*

C A P U T II.

Utrum Lex vetus sit a Deo.

Not. 1. DUO hic expendemus, 1. utrum lex vetus lata fuerit a Deo, Patre Domini nostri Jesu Christi; 2. utrum tota sit a Deo Legislatore, an vero nonnulla in ea sint quæ Moyses tamquam Legislator instituerit.

Not. 2. Cerdoniani (Augustino teste libro de hæresibus, hæresi 21.) putarunt, Deum Legis & Prophetarum non esse patrem Christi. Idem senserunt postea Manichæi, eodem Augustino teste hæresi 46. scilicet asseruerunt Deum, qui in lege & Prophetis locutus est, non esse Deum bonum, sed malum, & unum de principibus tenebrarum. Ptolomæus de quo S. Epiphanius lib. 1. Tom. 2. veterem legem partim Deo, partim Moysi, partim Senioribus adscripsit; Deo quidem, ea quæ nihil aliud quam veritatem sapiunt; Moysi, quæ videntur a recta ratione recedere, ut sunt divortium, & lex talionis, nec non ea omnia quæ ad duritiam & infirmitatem rudis populi sancita sunt; Senioribus tandem, traditiones quarum fit mentio Isaiæ 29. & Matth. cap. 15.

CONCL. 1. Lex vetus lata est a Deo, patre Domini nostri Jesu Christi.

Probatur 1. ex Scriptura. Christus Matthæi 15. legem vero Deo tribuit: *Irritum* (inquit Pharisæos alloquens) *fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* 2. Deo quoque Zacharias veterem legem tribuit: *Benedictus* (ait Lucæ 1.) *Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ ..... Sicut locutus est per os sanctorum qui a sæculo sunt Prophetarum ejus.* 3. Eodem modo loquitur Virgo Deipara in suo Cant. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula.* 4. hæc habet S. Petrus Actor. 3. *Deus autem qui prænuntiavit per os sanctorum pati Christum suum, sic implevit.* 5. S. Paulus ad Rom. 1. *vocatus Apostolus segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis.* Ad Hebræos 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Probatur 2. ex Patribus, Iræneo nimirum lib. 4. cap. 26. Tertulliano in libris contra Marcionem, & Hieronymo in præfatione Epistolæ ad Titum, Augustino in libris contra Faustum, & contra adversarium legis & Prophetarum.

Probatur 3. ratione. Si vetus Testamentum a Deo vero non esset, Christus non asseruisset se in eo prænuntiatum fuisse: *Oportet* (inquit Lucæ ult.) *impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & in Psalmis, & in Prophetis de me.* Judæis missionem suam non probasset ex antiqua lege; *Si crederetis Moysi* (inquit Joan. cap. 5.) *crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Immerito tandem Apostolus asseruisset Christum esse finem legis: *Finis* (inquit) *Legis Christus ad justitiam omni credenti.* Immerito dixisset legem esse pædagogum qui nos ad Christum perducat: *Lex pædagogus noster fuit in Christo*: ergo vetus Testamentum latum est a Deo, patre Domini nostri Jesu Christi.

Objicies 1. Deuteronomii 32. Dei perfecta sunt opera: atqui lex vetus non fuit perfecta: ergo non est a Deo.

Resp. dist. min. Lex vetus non fuit simpliciter & absolute perfecta, conc. min. secundum quid, & respective, neg. min. Scilicet conveniens fuit statui infirmo, & rudi, in quo, cum lata est, Judæi versabantur.

Objicies 2. Ecclesiast. c. 3. hæc habentur: *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in æternum.* Sed lex vetus non perseveravit in æternum; ait enim Apostolus ad Hæbræos 7. *Reprobatio fit quidem præcedentis Mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem*: ergo &c.

Resp. dist. maj. Dei opera quæ sic facta sunt, ut in æternum perseverent, perseverant in æternum, conc. maj. quæ sic facta sunt, ut aliquando desinerent, neg. maj. Ad tempus tantum, donec scilicet veniret, quod perfectum est, lata fuit lex antiqua: mirum igitur non est, quod ubi venit, quod perfectum est, gratia nimirum Novi Testamenti, lex, non tamquam mala, sed tamquam infirma, & inutilis aboleretur.

CONCLUSIO 2. Antiquum Testamentum, totum & secundum omnes suas partes, est a Deo Legislatore,

Probatur 1. ex Scriptura. *Moyses* (ut habetur Exod. c. 24.) *narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia: responditque populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Eodem c. v. 7. *Assumensque*, Moyses, *volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.* Non unam igitur tantum legis partem, sed omnes omnino tum Moyses, tum populus Deo tamquam Legislatori tribuunt: unde ipsa etiam præcepta cæremonialia Lucas Evangelii cap. 2. Deo adscribit: *Tulerunt* (inquit) *illum in Jeru-*

Jerusalem, ut assisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Præterea sententia quam hic impugnamus, omnem auctoritatem detrahit toti veteri Testamento, cum secerni non possint partes, quæ Deo, quæ Moysi, quæ Senioribus tribui deberent: unde eas partes nec Christus ipse, nec Apostoli, nec Patres aliquando secrevisse leguntur.

Objicies 1. Moyses, non Deus, legem de repudii libello sancivit; id enim Christus testatur Matthæi cap. 19. scilicet cum Pharisæi proposuissent, an liceret quacumque ex caussa uxorem dimittere, respondit Christus, non licere. Christi responso Pharisæi opposuerunt Moysis verba: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Oppositionem illam solvit Christus reponens id, ut ipsi asseruerant a Moyse præceptum: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*: ergo &c.

Resp. dist. ant. Reponit Christus Moysen tamquam promulgatorem legis a Deo sancitæ, mandasse dare libellum repudii, & dimittere, conc. ant. tamquam primarium & præcipuum legislatorem, neg. ant. Non magis ex verbis, de quibus est quæstio, colligi potest Moysen fuisse auctorem legis de repudio, quam ex istis, quæ leguntur Marci 7. *Moyses enim dixit: Honora patrem tuum*, illum esse auctorem legis de colendis parentibus. Præterea præceptum cæremoniale de leprosis, Matthæi 8. ab ipsomet Christo Moysi tribuitur; *Offer* (ait Christus leproso, quem mundaverat) *munus quod præcepit Moyses*: & tamen idem concludi non potest, Moysen fuisse legis illius auctorem, nempe Levitici cap. 14. expresse Deo Legislatori tribuitur: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Hic est ritus leprosi, quando mundatus est*.

Objicies 2. Pharisæi Matthæi 15. cum Seniorum traditiones Apostolis objecissent: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?* hæc a Christo audierunt: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* ergo nonnullæ traditiones Seniorum, Christi tempore, insertæ erant veteri Testamento.

Resp. neg. conseq. Illæ nimirum Seniorum traditiones, quas Pharisæi objiciebant, recentes admodum erant, nec scriptæ erant in Lege, sed in privatis Commentariis, ut testatur S. Epiphanius contra Ptolomæum lib. 1. num. 2.

CAPUT III.

Utrum Lex antiqua mediantibus Angelis data fuerit.

Not. 1. Certum est 1. legem antiquam per Moysen datam fuisse. *Lex* (ait Joannes) *per Moysen data*: unde Lucæ 1. lex Moysis dicitur. Certum est 2. Moysen legem a Deo accepisse per Angelum: *Qui accepistis legem* (ait Stephanus Actorum 7.) *in dispositione Angelorum*: sed quæstio est, quid iis in locis Angelorum nomine intelligatur.

Not. 2. Duæ sunt sententiæ. Prima est multorum, qui censent Angeli nomine intelligi debere Verbum divinum corpori humano, non hypostatice quidem, sed per modum formæ assistentis unitum, quodque in Scripturis dicitur magni consilii Angelus. Ita Irenæus, Justinus, Athanasius, pluresque alii, qui ante Augustini tempora scripserunt. Altera sententia est Augustini, qui primus ex Latinis Patribus censuit Angelorum nomine in locis de quibus agitur, intelligi substantias spirituales, quæ passim in Scripturis, Angelorum, hoc est, ministrorum nomine vocantur. In eam opinionem abiit S. Doctor, ut Arianis eriperet argumentum, quod adversus Verbi cum Patre consubstantialitatem movebant, contendentes Verbum in Scripturis dici Angelum, seu Ministrum Patris, ac proinde non esse ejusdem cum eo substantiæ.

CONCLUSIO. Lex vetus data fuit per substantias spirituales creatas, quæ vocantur Angeli, non autem per Verbum divinum, quod in humana specie apparuerit.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ docet, legem per *Angelos* in plurali numero datam fuisse: *Accepistis legem* (Act. 7.) *in dispositione Angelorum*: at vox Angeli dici non potest de Verbo in numero plurali, sed tantum de iis substantiis, de quibus habetur in Scripturis: *Omnes sunt administratorii spiritus propter eos qui hereditatem capiunt salutis*. Præterea Apostolus in Epistola ad Hebræos legem novam supra veterem extollit, quod illa per Dei filium data sit, hæc vero per Angelos: *Si enim* (inquit c. 2.) *qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam retributionis mercedem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* atqui caderet argumentum illud Apostoli, si lex vetus, æque ac nova, per Verbum data fuisset.

Confirmatur argumento S. Thomæ. Conveniens fuit (inquit) ut lex illa quæ minus perfecta fuit, daretur per eum qui longe inferior esset eo per quem data est lex perfectior: quo enim opus aliquod est perfectius, eo magis auctor illius debet esse perfectus: atqui lex vetus minus est perfecta quam sit lex nova: hæc nimirum dat salutem, illa vero ad eam per modum dispositionis se habuit.

Objicies 1. Lex vetus ab Angelo, qui Deus sit, tradita est: *Locutusque est Dominus* (inquit Scriptura Exodi 20.) *sermones hos*: quis autem sit Dominus ille, statim hisce verbis aperitur: *Ego enim sum Dominus Deus tuus*: atqui non alius Dominus, non alius Deus, An-

Angeli nomine intelligi potest, quam Verbum divinum: ergo &c.

Resp. dist. maj. Qui Deus sit officio, conc. maj. essentia, neg. maj. hoc est, lex vetus tradita est per Angelum, qui cum Dei vices ageret, ejus nomine locutus est: *Cum* (ait August. lib. 3. de Trin. cap. 1.) *verba judicis praeco pronuntiat, non scribitur in gestis. Ille praeco dixit, sed iste judex: sic etiam loquente Propheta sancto, etsi dicamus, Propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixisse volumus, & si dicamus, Dominus dixit, Prophetam non abstrahimus, sed quid per eum dixerit, admonemus.*

Eadem est Gregorii sententia, quam hisce verbis refert S. Thomas: *Ad primum ergo dicendum, quod sicut Gregorius dicit in principio Moralium: Angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur; Angelus videlicet propter hoc quod exterius loquendo serviebat: Dominus autem dicitur, quia interius praesidens loquendi efficaciam ministrabat; & inde est etiam quod quasi ex persona Domini Angelus loquebatur.*

Objicies 2. Per eum data est lex, qui Moysi immediate locutus est: sed Deus Moysi immediate loquebatur, juxta illud Exodi 33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet amicus ad amicum suum: ergo lex immediate Moysi a Domino Deo tradita est.

Resp. dist. maj. Qui Moysi immediate locutus est in rei veritate, conc. maj. secundum solam populi opinionem, neg. maj. hoc tantum, non autem illo modo, Deus immediate Moysi locutus est: *Quod ergo* (inquit August. 12. in Gen.) *dicitur quod ei loquebatur facie ad faciem, secundum opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cum per subjectam creaturam, id est, per Angelum & nubem ei loqueretur, & appareret.*

CAPUT IV.

Utrum Lex vetus omnibus data sit.

Not. Status quaestionis est 1. an Judaeis solis lex fuerit data: 2. Cur solis Judaeis tradita sit: 3. an etiam ad Christianos pertineret.

CONCL. 1. Lex vetus solis Judaeis data est.

Probatur ex Scriptura. Deuteron. 4. haec habentur: *Quae est alia gens tam inclyta, quae habeat caeremonias ac justa judicia?* Ps. 75. *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Ad Rom. 3. *Quid ergo amplius Judaea est? Multum quidem per omnem mundum, primum quidem quia credita sunt eis eloquia Dei*: ergo aliis a Judaica gente data non est lex vetus: nimirum posita est in caeremoniis ac judiciis, in sincera Dei cognitione, in eloquiis divinis.

CONCLUSIO 2. Lex vetus Judaeis data non est in suae virtutis mercedem.

Probatur. Judaei in deserto antequam legem acciperent, lapsi fuerant in idololatriam; *Numquid* (ait Deus Amos 5.) *hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? & portastis tabernaculum Moloch deo vestro, & imaginem Idolorum vestrorum sydus Dei vestri, quae fecisti vos.* 2. Expresse dicitur Deuteronomii cap. 9. *Scito quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dedit tibi terram hanc in possessionem, cum durissimae cervicis sis populus.*

CONCL. 3. Lex vetus Judaeis data est vi solius promissionis, quae Patriarchis divinitus facta fuerat.

Probatur ex Deuteronomii c. 9. ubi asseritur datam fuisse legem, *ut compelleret verbum suum Dominus quod sub juramento pollicitus est patribus suis Abraham, Isaac, & Jacob.* Quid autem Deus Patribus pollicitus fuisset, docet Apostolus ad Galatas 3. dicens: *Abrahae dictae sunt promissiones & semini ejus; non dicit, seminibus quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini ejus qui est Christus Deus.* Itaque Abrahae promissiones factae sunt, quod Christus ex illius semine nasciturus esset. Decebat vero (inquit S. Thomas), ut ille populus ex quo Christus nasciturus erat quadam speciali sanctificatione polleret, secundum illud quod dicitur Levitici 19. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.*

Quaeres, cur Deus Abrahae pollicitus sit futurum ex illius semine Messiam?

Resp. factum id non fuisse propter Abrahae merita; nulla enim futura in eo erant independenter a Messiae meritis: unde Deuteronomii c. 4. dicitur: *Audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit Patres tuos, & elegit semen illorum post illos.* Si autem (ait S. Thomas) rursus quaeratur, quare hunc populum elegit, ut ex eo Christus nasceretur, & non alios; convenit responsio Augustini quam dixit super Joannem: *Quare hunc trahat, & illum non trahat; noli velle dijudicare, si non vis errare.*

CONCLUSIO 4. Lex vetus quondam Judaeis data est propter Christianos.

Probatur 1. Propter eos data est lex vetus, ad quos legis promissiones maxime pertinebant: atqui promissiones legis ad Christianos maxime pertinebant; pertinebant enim ad Israelitas & filios Abrahae, non qui secundum carnem, sed qui ex fide futuri erant illius filii: id nimirum demonstrat Apostolus in Epistolis ad Romanos, ad Galatas, ad Corinthios, ad Hebraeos. Hincque factum est, ut eaedem promissiones in Christo, & mysticis illius membris completae sint, & in dies

in dies compleantur: ergo lex vetus propter Christianos Judæis carnalibus data est.

Objicies 1, Propter eos lex vetus data non est, qui privati sunt hereditate, quæ in antiqua lege promittitur: atqui Christiani privati fuerunt hereditate quæ in veteri lege promittitur, terra nimirum Chanaan, quæ iis tantum data est, qui legis cæremonias observarent: *An ignoras Testamentum vetus Chananæorum terram repromittere? Sed eam tamen Judæis, id est, circumcisis, & sacrificantibus, & abstinentibus a porcina, ac reliquis carnibus, quas immundas Moyses appellat? Quæ quia Christianorum placuere nemini, neque enim quisquam nostrorum ea custodit, dignum est, ut cum retusa hereditate reddamus tabulas.* Verba sunt Fausti Manichæi apud Augustinum lib. 4. contra eumdem Faustum.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Promittitur terra Chanaam mystice sumpta, scilicet pro bonis spiritualibus, quæ per eam adumbrantur, conc. ant. sumpta physice, & ad litteram tantum, neg. ant.

Petita est illa responsio ex Augustino, qui loco in objectione laudato sic loquitur: *Temporalium quidem rerum promissiones Testamento veteri contineri, & ideo vetus Testamentum appellari, nemo nostrum ambigit; & quod æternæ vitæ promissio, regnumque cælorum ad novum pertinet Testamentum: sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum quæ implerentur in nobis, in quos finis sæculorum obvenit, non suspicio mea, sed Apostolicus intellectus est, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur, hæc omnia figuræ nostra fuerunt. Et iterum, hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit. Non ergo vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis novi Testamenti prænuntiationes accipimus: veteris quippe testificatio, fidem non conciliat.*

Non multo post idem S. Doctor asserit Patriarchas, & Prophetas non fuisse his terrenis deditos: *Intelligebant enim* (inquit) *revelante sibi Spiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas res omnes gestas & dictas, futura figuranda & prænuntianda decerneret, magisque desiderium eorum de novo Testamento erat: sed præsens functio corporalis, ad significanda nova ventura, pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominum non tantum lingua, sed & vita, prophetica fuit. Carnalis autem populus promissis vitæ præsentis inhærebat. De quo tamen etiam populo nihilominus significabantur futura.*

Objicies 2. Nullus Christianus observat legis veteris mandata: ergo lex vetus ad Christianos nulla ratione pertinet.

Resp. dist. ant. Nullus Christianus observat legis veteris mandata vitæ significandæ, conc. ant. vitæ agendæ, licet utraque, cum nondum mysteria completa essent, ab antiquis servarentur, neg. ant.

Desumpta est ea responsio ex Augustino, qui libro 6. contra Faustum Manichæum cap. 2. sic loquitur: *Respondeo istos omnes nescire quid intersit inter præcepta vitæ agendæ, & præcepta vitæ significandæ. Exempli gratia,* Non concupisces, *præceptum est agendæ vitæ.* Circumcides omnem masculum octavo die, *præceptum est significandæ vitæ. Ex hac quippe imperitia Manichæi, & omnes quibus displicent litteræ veteris Testamenti, quidquid Deus mandavit priori populo ad celebrandum umbram futurorum non intelligentes, & ea modo non observari animadvertentes, ex more præsentis temporis illa reprehendunt, quæ utique illi tempori congruebant, quo ista quæ nunc manifesta sunt, ventura significantur.* Ubi idem S. Doctor laudavit Apostoli verba: *Omnia in figura contingebant illis,* sic prosequitur: *Cum enim dicit:* Scripta sunt propter nos, *procul dubio demonstrat quanta nobis cura legenda & intelligenda, & in quanta auctoritate habenda sint; quia propter nos utique scripta sunt; Cum vero dicit:* Figuræ nostræ fuerunt, & in figura contingebant illis, *ostendit jam non opus esse, ut cum res ipsas manifestatas agimus, figurarum prænuntiantium celebrationi serviamus.*

Objicies 3. Promissiones terrenæ quæ in veteri Testamento recensentur, tam longe distant a regno cælesti quod in novo Testamento promittitur, ut etiamsi promissa gratis darentur, contemptui habenda forent. Ita ratiocinatur Faustus: *Secunda vero causa est* (ait) *quod tam etiam misera ejus & corporalis, ac longe ab animæ commodis hereditas est, ut post beatam illam novi Testamenti pollicitationem, quæ cælorum mihi regnum, & vitam perpetuam repromittit, etiam si gratis mihi testator suus ingereret, fastidirem.*

Resp. dist. ant. Promissiones terrenæ, sumptæ secundum litteram, contemptui habendæ sunt, conc. ant. sumptæ secundum sensum mysticum, seu secundum res, quas repræsentant, neg. ant. hinc factum est, ut promissa ad litteram sumpta veteribus Sanctis fastidio fuerint; sumpta vero quoad sensum mysticum, fuerint in ardentissimis eorum votis. Idque patet ex Davide, qui cum Psalmo 143. terrenam felicitatem his verbis descripsisset: *Quorum filii sicut novellæ plantationes,* addidissetque: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt;* statim id improbat, dicens: *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Hinc Augustinus libro 4. contra Faustum merito sic loquitur: *Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est, quandoquidem nec ipsos illius temporis sanctos & spiritales viros, Patriarchas & Prophetas, his terrenis rebus fuisse deditos credimus.*

CA-

CAPUT V.

Utrum omnes homines Lege veteri tenerentur.

Not. IN veteri lege erant præcepta Moralia, & præcepta Cæremonialia. Illa non aliud erant quam lex naturalis, quæ in Decalogo compendiose continetur; Ista vero erant, quæ præceptis moralibus superaddita sunt, quæque pertinent ad sacrificia, ad purificationes, & ad alios ejusmodi ritus.

CONCL. 1. Omnes homines lege veteri tenebantur, quantum ad præcepta moralia.

Probatur. Omnes homines obligati semper fuerunt ad ea facienda, quæ recta ratio præscribit, & ad ea omittenda, quæ eadem ratione prohibentur: id nimirum jubet lex æterna, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat: atqui recta ratio præscribit præcepta moralia, ea nimirum quæ in Decalogo continentur, aut quæ ad illum reducuntur: ergo omnes homines tenebantur lege veteri quantum ad præcepta moralia.

CONCL. 2. Omnes homines non tenebantur lege veteri quantum ad præcepta cæremonialia, aut judicialia.

Probatur 1. Ii non tenebantur lege veteri quantum ad præcepta cæremonialia, aut judicialia, quibus lex vetus quoad illa capita imposita non fuerat: atqui (ut capite præcedenti dictum est) lex vetus quoad illa capita omnibus hominibus imposita non fuerat, sed tantum Abrahæ per Isaacum posteris: ergo &c.

Probatur 2. ratione S. Thomæ. Quæ statuuntur ad specialem aliquorum sanctificationem non obligant nisi illos: sic quæ statuuntur ad peculiarem Clericorum, aut Religiosorum sanctificationem, non obligant aut laicos, aut eos qui Religiosi non sunt: atqui lex vetus statuta fuerat ad specialem Judæorum sanctificationem, idque propter reverentiam Christi, qui ex Judaica gente nasciturus erat: ergo lex vetus sumpta secundum præcepta cæremonialia & judicialia non obligabat omnes homines.

Objicies 1. Ii omnes lege veteri tenebantur, qui subditi erant auctori legis veteris; qui enim alicui Principi subjicitur, tenetur latis ab eo legibus parere: atqui omnes homines subditi erant auctori legis veteris, qui quidem (ut dictum est superius) non alius est quam Deus: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Qui alicui Principi subjicitur, tenetur latis ab eo legibus, quæ ipsi propositæ fuerint, conc. ant. quæ ipsi propositæ non fuerint, neg. ant. hincque sequitur, quod cum Deus legem veterem solis Judæis proposuerit, ac propter eos tantum eam condiderit, soli Judæi ad illius observationem obligati fuerint.

Objicies 2. Gentiles olim salvari non poterant, nisi Judaicam legem observarent: si enim absque illius ministerio salutem consequi potuissent, melioris fuissent conditionis quam Judæi: isti scilicet præter legem naturalem debuerant observare Mosaicam, cum e contra Gentiles ad solam legem naturalem obligati fuerint: sed absurdum est consequens: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. pariter ant. Ad 3. dist. ant. Judæi præter legem naturalem debuerunt observare Mosaicam, & sic facilius quam Gentiles consequi salutem, conc. ant. & non consequi facilius, neg. ant. Pejor conditio non sumitur a multitudine observandorum: multitudo enim observandorum magis cum Deo conjungit, sed sumitur a majori remotione a salute, quæ haud dubie major fuit in gentibus legis lumine destitutis, quam in Judæis, quos lex antiqua tanquam Pædagogus ad Christum perduxit.

Quæres 1. Utrum Gentiles potuerint olim amplecti legem veterem.

Resp. potuisse 1. per aggregationem ad populum Judaicum, juxta illud Exodi 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus: & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ.* Potuerunt 2. sine aggregatione ad populum Judaicum plura ex præceptis veteris legis, aliis omissis, in sui regimen seligere: si tamen in reverentiam legis ante Christi mortem circumciderentur, totius legis debitores erant; quemadmodum qui in statu gratiæ, baptismate initiantur, omnes Christi & Ecclesiæ leges observare tenentur; unde est illud Apostoli ad Galatas 5. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Qui vero inter Christianos in honorem Synagogæ mortuæ circumcisi sunt, legalibus nequaquam tenebantur: neque enim Timotheus, quem Paulus circumcidit, obligatus fuit ad Legalia.

CAPUT VI.

Utrum Lex vetus convenienter data fuerit.

Not. QUæremus hic 1. utrum lex vetus convenienti tempore data fuerit: 2. quandonam vetus Testamentum inceperit; 3. quibus cum sollemnitatibus lex data fuerit.

CONCL. 1. Lex vetus data fuit convenienti tempore.

Probatur argumento S. Thomæ. Lex duo-

bus hominum generibus imponitur, malis nimirum, ut in officio contineantur, & bonis ut ad bonum adjuventur: atqui utrorumque respectu lex vetus data fuit convenienti tempore. Et quidem 1. respectu malorum conveniens fuit tempus, quo data est: per proprium nimirum experimentum ab Adami lapsu ad Moysen usque didicerant, rationem naturalem satis non esse ad vitandum malum & agendum bonum: 2. Conveniens quoque fuit respectu bonorum; nempe data est lex in auxilium; quod quidem tunc maxime populo necessarium fuit: multo enim ante, Abrahæ nimirum tempore, defectu cognitionis in gravissima scelera, ipsam etiam idololatriam, lapsus fuerat. Itaque par fuit, ut ante legem flueret tempus, quo superbus homo suam experiretur imbecillitatem: par quoque fuit, ne ulterius differretur illius promulgatio, ne diuturniori tempore nimium obtenebresceret illius ratio.

CONCL. 2. Vetus Testamentum sumptum pro pacto, quod Deus de gentibus in Christo benedicendis pepigit, incepit in Abrahamo: Sumptum vero pro præceptis cæremonialibus & judicialibus, incepit tantum Moysis ætate.

Probatur prima pars. Pactum de gentibus in Christo benedicendis, sancitum fuit cum Abrahamo, juxta illud ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus; non dicit, Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo qui Christus est. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo.*

Probatur altera pars. Excepto præcepto de circumcisione, quod Abrahæ datum est; excepta etiam distinctione mundorum animalium ab immundis, quæ cœpit in ipso mundi exordio, cæremoniæ quæ in antiqua lege reperiuntur, nusquam ante Moysen ab Israelitis usurpatæ sunt: ergo Moysis solum ætate cœperunt; hoc est, triginta annis supra quadraginta a promissione Abrahæ facta: *Quæ* (ait Apostolus ad Galatas 3.) *post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.*

CAPUT VII.

De abrogatione veteris Legis.

Not. QUæremus hic 1. utrum lex vetus abrogata fuerit; 2. quandonam desierit; 3. utrum statim post illius abrogationem mortifera fuerit.

CONCLUSIO 1. Lex vetus omnino abrogata est.

Probatur 1. ex Scriptura. Lucæ 16. hæc habentur: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* 2. Apostolus in epistola ad Galatas, c. 3. & 4. variis argumentis probat abrogatam esse legem veterem, asseritque Christum nihil eis profuturum qui crediderint eam adhuc vigere: *Si circumcidimini* (inquit) *Christus nihil vobis proderit.* Et postea: *Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini.* Idem etiam demonstrat in epistola ad Hebræos: *Translato* (ait. c. 7.) *sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*; ergo cum Aaronicum Sacerdotium in Christum translatum sit, necesse est legem veterem translatam, hoc est, abrogatam fuisse.

Probatur 2. ratione. Lex vetus abrogari debuit, ubi venit plenitudo temporis: neque enim sancita fuerat ut in æternum staret, sed tantum (ut ait Apostolus ad Galat. 4.) *Donec veniret plenitudo temporis*: atqui jam venit plenitudo illa temporis, Christus nimirum: ergo lex vetus abrogata est.

Confirmatur. Lex umbrarum & figurarum abrogari debuit, cum res umbris illis & figuris significatæ acciderunt: sicut orto sole necesse est, ut desinant umbræ: atqui acciderunt res, novum scilicet Testamentum, legis figuris & umbris significatæ: ergo &c.

Objicies 1. Lex vetus in Scripturis appellatur perpetua. Baruch. 4. *hic est liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum.* 2. Christus expresse ait in Evangelio: *Non veni solvere legem, sed adimplere.*

Resp. ad 1. dist. ant. Lex est in æternum, improprie, in quantum scilicet æternum (ut sæpius fit in Scripturis) pro longiori tempore sumitur, conc. ant. proprie, in quantum perpetuam durationem, ad mundi finem usque, significat, neg. ant. Addi potest legem dictam esse perpetuam non ratione litteræ, sed ratione mysteriorum quæ in ea significabantur, hoc est, ratione Evangelii quod ad finem usque sæculorum perdurabit.

Resp. ad 2. dist. ant. Christus non venit solvere legem quantum ad ea quæ significabat, immo quantum ad hoc eam implevit, conc. ant. quantum ad illius corticem & litteram, neg. ant.

Objicies 2. Lex vetus adhuc stat quoad præcepta moralia, nempe quoad Decalogum, ad quem omnia morum præcepta reducuntur: non minus enim tempore legis novæ obligant Decalogi mandata, quam obligarent antequam Christus novam legem instituisset: ergo lex vetus non est omnino abrogata, sed tantum secundum aliqua, nimirum quoad præcepta cæremonialia & judicialia.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Non minus nunc in lege nova quam olim in veteri obligant Decalogi mandata vi legis naturalis & Evangelicæ, conc. ant. vi legis veteris, neg. ant. Judæi, qui infringebant Decalogi mandata, prævaricatores erant, tum in legem naturalem, tum in legem scriptam; Christiani vero cum ea non obser-

vant,

vant, rei fiunt legis naturalis & legis Evangelicæ, in qua iterum confirmata & renovata fuerunt.

CONCL. 2. Lex vetus abrogata non fuit ante Christi mortem.

Probatur 1. Christus ipse & Apostoli veterem legem accurate observarunt, juxta illud Evangelii; *Non veni solvere legem, sed adimplere*: unde Judæi nec Christum, nec Apostolos ante mortem Domini usquam accusarunt quod promulgatam a Moyse legem infregerint; id alioquin accusationis non prætermissuri ut Christum & Apostolos in invidiam apud plebem adducerent, si constitutis a Moyse cæremoniis non adhæsissent. 2. Ante mortem Domini completa non fuerunt præcipua mysteria, quæ de Christo prænunciata fuerant, mors illius, v. g. passio & resurrectio. 3. Tunc tantum lex antiquari debuit, cum ejus sacerdotium translatum est: atqui quoad actum præcipuum, veri scilicet agni in lege prænuntiati immolationem, ante mortem Domini translatum non fuit sacerdotium: ergo &c.

Objicies. Lucæ 16. hæc habentur: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*: ergo ubi Joannes in lucem editus est, aut saltem ubi prædicationis suæ fecit initium, lex abrogata fuit.

Resp. dist. ant. Lex & Prophetæ usque ad Joannem, quantum ad modum prænuntiandi Christum, conc. ant. quantum ad legis substantiam, neg. ant. Sensus allatæ ex Luca sententiæ est, Joannem digito monstrasse Messiam, quem lex & Prophetæ futurum tantum prædixerant.

CONCL. 3. Lex vetus abrogata est in Christi morte.

Probatur 1. In Christi morte translatum fuit legis veteris sacerdotium in Christum, cum seipsum hostiam obtulit in cruce: *Translato sacerdotio* (ait Apostolus ad Hebræos) *necesse est, ut legis translatio fiat*. 2. In Christi morte velum Templi scissum est; hoc est, reseratum est id quod figuris obtectum erat. 3. Patres hanc Christi in cruce pendentis vocem, *Consummatum est*, interpretati sunt de legis antiquatione, quasi Christus dixisset, lex consummata est, seu desiit plane illius virtus, desiit vis obligandi.

CONCL. 4. Quamvis lex vetus quoad illius vim obligandi, plane desierit in Christi morte, non statim tamen facta fuit mortifera.

Probatur. Ea lex statim post Christi mortem non fuit mortifera, cujus ritus aliquandiu postea licite observari potuerunt: atqui aliquandiu post Christi mortem ritus legis veteris licite observari potuerunt. Nam & illos Paulus redegit ad praxim: nempe Timotheum ex matre Judæa natum, ut habetur Actorum 16. circumcidit; eorumdem Actorum c. 21. suadente Jacopo legali purificatione usus est, & purificatus cum Judæis ingressus est in Templum. 2. Tota Ecclesia ad 1. Concilium generale Jerosolymis coacta ritus illos, saltem ex parte (ut legitur Actorum 15.) gentibus ad Christum conversis, observari præcepit: *visum est Spiritui sancto & nobis* (ajunt Apostoli ad Synodum congregati) *nihil ultra vobis imponere oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*.

Objicies 1. Apostoli post Christi mortem legalia sincere non servarunt, sed tantum simulatorie, hoc est, non servarunt in honorem legis; seu iis usi non sunt ad Dei cultum; sed ea servarunt tantum tamquam res plane indifferentes, veluti si quis nunc a suffocatis & sanguine temperaret non religionis, sed solius sanitatis caussa: ergo ex Apostolorum factis colligi non potest, legem statim post mortem Christi non fuisse mortiferam.

Resp. neg. ant. Nam 1. nullum ejusmodi simulationis extat in Scripturis fundamentum. 2. Actor. 21. Jacobus Paulo auctor fuit, ut se ipsum cum quatuor qui se voto obstrinxerant, sanctificaret: vox autem illa, *Sanctificaret*, simpliciter sumpta non simulatoriam, sed veram sanctificationem, hoc est, ad Dei cultum relatam significat. 3. Paulus ex Jacobi consilio, seipsum sanctificavit, ut ostenderet se (ut a quibusdam calumniatus fuerat) non docere aliud quam quod Moyses docuerat, *Et scient omnes* (verba sunt Jacobi) *quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed sequeris & ipse custodiens legem*: atqui si Paulus simulatione se ipsum sanctificasset, si legalem sanctificationem, non in, hoc est, ad Dei cultum, sed ad aliam caussam retulisset, facto suo non probasset, se per Evangelii prædicationem a Moyse non discedere.

3. Augustinus in Epistola ad Hieronymum sic in illud Jacobi consilium loquitur: *Si vero sic ea reprobaret quemadmodum de illo auditum erat, & ideo celebranda susciperet, ut actione simulata suam occultaret sententiam, non ei diceret Jacobus*, & scient omnes; *sed diceret*, & putabunt omnes, *quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt*. 4. Si Scriptura sinceram, hoc est, in Dei cultum relatam, legalium observationem significare voluisset, uti non potuisset clarioribus verbis, quam sint ea quæ adhibuit cum de Pauli sanctificatione, ex Jacobi consilio, locuta est: ergo de vera, non autem de simulatoria observatione intelligi debet.

4. Si Apostoli post Christi mortem animo tantum simulatorio legalia servassent, rei facti fuissent mendacii, & irreligionis & scandali. Mendacii quidem, nam mendacium in eo positum est quod adhibeantur falsa signa ad ingenerandam falsam opinionem cum intentione fallendi: atqui id Apostoli

Digitized by Google

præstitissent: eis nimirum signis usi fuissent, ut Judæis ad Christi fidem conversis persuadere possent, se per illa signa Deum religiose colere, cum tamen id non haberent in animo. Irreligionis quoque rei fuissent: siquidem irreligio in eo posita est, quod quis ritus falsæ religionis assumat ea intentione, ut alii credant se illam religionem profiteri: atqui si Apostoli post Christi mortem animo simulatorio usi fuissent legalibus, signa falsæ religionis seu mortiferæ assumpsissent ex intentione, ut alii crederent, se adhuc illam religionem profiteri. Rei quoque fuissent scandali. Nempe in eo positum est scandalum quod quis proximum suum suo exemplo confirmet in operatione rei alicujus malæ ac mortiferæ, aut quod quis suo exemplo proximum suum inducat ad faciendam rem mortiferam: atqui si Apostoli animo simulatorio legalia, alioquin in se mortifera, servassent, proximum exemplo suo in operatione rei malæ confirmassent, eumque suo exemplo ad eamdem rem malam faciendam induxissent.

5. Tota ratio cur jam temporis legalia servari non possint, est quod jam sint mortifera: ergo si statim post Christi passionem mortifera fuissent, Apostolis non licuisset ea servare etiam animo simulatorio.

Instabis 1. Paulus id sincere non observavit, quod ipse docuit fuisse mortiferum: atqui Paulus docuit legalium observationem fuisse mortiferam: sic enim loquitur in Epistola ad Galatas cap. 5. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*: ergo &c.

Resp. 1. Apostolum eo in loco non distinguere inter sinceram, hoc est, ad Dei cultum relatam circumcisionem, & circumcisionem simulatam, sed simpliciter & absolute dicit, *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*: ergo utramque in Galatis damnat tamquam mortiferam. Augustini est illa observatio, sic enim loquitur Epist. 19. *Nec est, si circumdamini veraciter, sicut nec fallaciter; sed sine ulla exceptione dixit: Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Sicut ergo tu* (Hieronymus alloquitur) *vir hic locum dare sententiæ tuæ, ut velis subintelligi, nisi fallaciter: ita non impudenter flagito, ut etiam nos illi intelligere sinas eis dictum: si circumcidamini, qui propterea volebant circumcidi, quod aliter se putabant in Christo salvos esse non posse. Hoc ergo animo, hac voluntate, ista intentione quisquis tunc circumcidebatur, Christus ei nihil omnino proderat*.

Resp. 2. dist. maj. Paulus id sincere non observavit, quod ipse docuit fuisse mortiferum, si assumeretur propter necessitatem salutis, conc. maj. si propter solam œconomiæ necessitatem, neg. maj. Galatæ a quibusdam pseudoprophetis decepti, censebant legalium observationem non minus in Evangelio quam in veteri Testamento ad salutem requiri: Circumcisionem igitur cum impio illo errore conjunctam damnat Apostolus, non autem circumcisionem assumptam propter solam œconomiæ necessitatem: qua quidem œconomia licet nec Galatæ, nec aliæ gentes ad fidem conversæ uti non potuerint, eo quod nulla eos urgeret necessitas significandi se ritus Mosaicos tamquam malos & idololatricos non detestari, illos tamen Apostoli adhibere potuerunt ejusdem œconomiæ caussa, ut scilicet Judæis conversis persuaderent falsa esse, quæ de illis a quibusdam malevolis dicta fuerant, detestari nimirum eos, tamquam idololatricos ritus, legalia quæ in lege Moysis præscripta fuerant.

Instabis 2. Ille sincere non observavit legalia, qui Petrum ea sincere observantem arguit Antiochiæ: atqui Paulus Petrum legalia sincere observantem arguit Antiochiæ, & quidem merito, ut ipsemet testatur in Epistola ad Galatas c. 2. *Cum autem* (inquit) *venisset Cephas Antiochiam, in faciem restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam similitudinem: Sed cum vidissem quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis, gentaliter vivis & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?*

Respondet Hieronymus in Epistola ad Augustinum, nec Petrum vere reprehensibilem fuisse, nec vere a Paulo fuisse reprehensum: in specie nimirum tantum Petrum reprehensibilis fuit, & simulate solum a Paulo fuit reprehensus. Petrus (inquit laudatus Pater) eo animo se subduxit a gentilium mensa, ea mente legalia cum Judæis observavit, ut Pauli reprehensioni locum daret, eaque apparenti reprehensione Judæi intelligerent posse christianos, etiam Judæos, cum gentibus ad fidem conversis non observare legalia.

Sed falsa est illa responsio, seu falsum est Petrum simulate cum Judæis conversis observasse legalia; falsum est quoque eum simulate tantum a Paulo fuisse reprehensum.

Nam 1. Apostolus in Epistola ad Galatas scribit, Petrum fuisse reprehensibilem: *Reprehensibilis erat*: 2. Testatur, eum non recte ad Evangelii veritatem ambulasse: *Sed cum vidissem quod non recte abularet ad veritatem Evangelii*; atqui falsum id esset, si Petrus simulate tantum Antiochiæ legalia servasset, si Paulus simulate tantum eum arguisset: immo Petrus laudari debuisset, si ex composito a gentibus discessisset, ut inani Judæorum ad fidem conversorum scrupulo mederetur. 3. Idem Apostolus cap. 1. Epistolæ ad Galatas asserit, & quidem cum juramento, vera esse quæ-

quæcumque in Epistola illa continentur: *Quæ autem* (inquit) *scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*; sed si simulate tantum Petrus observasset legalia, si simulate tantum eum Paulus arguisset, quæ in eo capite a Paulo scripta sunt in Epistola ad Galatas, vera non essent, seu verum non esset, Petrum reprehensibilem fuisse: eum recte non ambulasse ad veritatem Evangelii. Augustini est illud argumentum: sic enim Epistola 19. loquitur: *Si hoc fecit Petrus quod facere debuit: mentitus est Paulus quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quisquis enim hoc facit, quod facere debet, recte utique facit; & ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non recte fecisse quod eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est quod Petrus non recte tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii: Id ergo faciebat quod facere non debebat; & si tale aliquid Paulus ipse jam fecerat, correctum potius etiam ipsum credam Coapostoli sui correctionem non potuisse negligere, quam mendaciter aliquid in sua epistola posuisse, & in epistola qualibet, quanto magis in illa, in qua prælocutus ait: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.*

Respondeo igitur neg. maj. Ratio est, quia in iis circumstantiis, Paulus legalia observavit, in quibus eorum observatio tantum abest, ut fuerit scandalo, quin e contra ædificationi fuerit: e contra Petrus ea Antiochiæ servans, Gentibus ad fidem conversis, a quibus se subtraxit, ut judaice viveret, scandalo fuit, licet incautus: scilicet exemplo suo gentes a quibus discessit, induxit ad id faciendum ad quod non tenebantur, induxit quoque ad credendum ad id se teneri, ad quod revera non tenebantur, hoc est, intempestiva sua praxi gentes induxit, ut crederent, legalium observationem ad salutem in Evangelio requiri: *Si tu* (ait Paulus Petrum arguens) *cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?*

Instabis 3. Apostolus Petri factum simulationem bis vocat: *Et simulationi ejus* (inquit in Epistola ad Galatas cap. 2.) *consenserunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*: ergo Petrus Antiochiæ non sincere, sed simulate tantum, legalia servavit.

Resp. dist. ant. Apostolus Petri factum simulationem vocat in se, conc. ant. in animo Petri, neg. ant. Petri factum in se fuit simulatio, quia in se fuit signum quod legalium observatio a gentibus ad fidem conversis usurpari deberet: sed non fuit simulatio in animo Petri; hoc est, Petrus non observavit legalia ut persuaderet se ea in Dei cultum non observare, cum tamen alia ex caussa ea servaret. Id enim aperte demonstrant, quæ huc usque a nobis relata sunt momenta.

Instabis 4. S. Hieronymus pluribus in Epistolis docet, Apostolos post Christi mortem simulate tantum servasse legalia: ergo ex legalium observatione ab Apostolis usurpata colligi non potest, sinceram, hoc est, adhibitam in Dei cultum, legalium observationem, post Christi passionem, non fuisse mortiferam.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Neque enim Hieronymus (ut pluribus Epistolis Augustinus demonstravit) assecutus est eo in capite germanum scripturæ sensum. Præterea Hieronymus lectis Augustini Epistolis, tandem a priore sua sententia discessit, abiitque in eam quam Augustinus defenderat; scilicet lib. 1. contra Pelagianos cap. 8. Petrum recenset inter eos qui licet maxima sanctitate commendati sint, peccatis tamen venialibus sunt obnoxii; idque probat ex eo, quod (ait) *Paulus dicat de Petro, quod non recto pede incesserit in Evangelii veritate; & in tantum reprehensibilis fuerit, ut & Barnabas adductus fuerit in eamdem simulationem. Quis indignabitur id sibi denegari quod princeps Apostolorum non habuit?* Eam Hieronymi mutationem pluribus commendat S. Augustinus in Epistola 260. quæ est ad Oceanum.

Quæres 1. in quo circa legalium observationem Hieronymus, & Augustinus convenirent: & in quo præcise dissentirent.

Resp. Hieronymum & Augustinum in multis circa legalium observationem convenisse. Scilicet conveniebant 1. legalium observationem aliquo modo post Christi mortem fuisse licitam: 2. post Christi mortem licitum non fuisse uti cæremoniis Mosaicis tamquam vim aliquam, & efficaciam habentibus, multoque minus tamquam necessariis ad salutem; 3. non licitum fuisse iis uti tamquam significantibus futura; 4. Eas post sufficientem Evangelii promulgationem factas fuisse mortiferas.

Dissentiebant vero, quod Hieronymus vellet eas post Christi mortem statim fuisse non solum mortuas, hoc est, vi carentes, sed etiam mortiferas, id est, mortem spiritualem iis inferre qui eas in Dei cultum usurpassent; Augustinus e contra mortuas quidem esse fateretur, sed negaret fuisse tunc mortiferas: 2. Quod Hieronymus contenderet Apostolos nulquam sincere, hoc est, ad cultum Deo exhibendum, usos fuisse legalibus, sed simulatorie dumtaxat, id est, absque animo exhibendi cultum Deo per illorum usum; Augustinus e contra doceret, Apostolos ex animo & sincere aliquandiu post Domini mortem usurpasse legalia. 3. Quod Hieronymus post Origenem, Didymum, Apollinarem & S. Joannem Chrysostomum, contenderet, Petrum ne levioris quidem culpæ reum fuisse cum Antiochiæ gentes judaizare coegit; e contra Augustinus

nus affirmaret post Cyprianum Epist. 71. Ambrosium in locum Epistolæ ad Galatas de quo agitur, sanctum Petrum venialiter peccasse defectu debitæ attentionis ad scandalum quod prævidere debuit oriturum esse ex suo legalium usu, & ex sua præpostera in Judæos conversos œconomia. 4. Quod Hieronymus doceret simulatorie tantum arguisse Paulum; Augustinus e contra vellet, Paulum sincere arguisse Petrum, quod vere reprehensibilis esset, recteque ad Evangelii veritatem non ambularet.

Quæres 2. an Cephas quem Paulus arguit, fuerit Petrus Apostolorum Princeps, an vero unus ex septuaginta discipulis.

Resp. aliquos ex veteribus, inter quos Clemens Alexandrinus apud Eusebium libro hist. cap. 12. censuisse, Cepham illum non fuisse Petrum Apostolorum Principem, sed aliquem ex septuaginta discipulis. Vera est tamen proposita sententia: nam 1. & Cephas quem Paulus arguit, & Jacobus, & Joannes dicuntur columnæ Ecclesiæ, ac dextras Paulo & Barnabæ dedisse: at Petrus alius ab Apostolorum Principe adjungi non potuit Jacobo & Joanni, tamquam Ecclesiæ columnæ, nec Paulo dextras dedisse: nec obest quod Paulus Petri Apostoli adventum Antiochiam non recensuerit: scilicet, ut ipse Paulus fatetur, multa in Epistola ad Galatas omissa sunt.

Quæres 3. cur Paulus, idem agens quod Petrus, nullius vel levioris noxæ reus fuerit.

Resp. Paulum nullius noxæ reum fuisse quod (ait S. Thomas in hunc locum) debitam diligentiam adhibuerit, ne id fieret in iis circumstantiis, in quibus alicui posset esse scandalo; Petrus e contra (ut jam dictum est) non attenderit ut (cum pastor esset) attendere debuerat, ad scandalum quod ex illius facto in gentibus exortum est.

CONCL. 5. Destructo a Romanis Hierosolymitano Templo, quadragesimo circiter anno post Christi mortem, legalia fuerunt mortifera.

Probatur 1. Ideo statim post Christi mortem legalia non fuerunt mortifera, quod (ut ait Augustinus) Synagoga cum aliquo honore sepelienda esset: Sed non stabat illa ratio post destructum a Romanis Jerosolymitanum Templum: plane nimirum sepulta fuit, & extincta per Templi, in quo uno licebat offerre sacrificia, destructionem. 2. Opus non erat œconomia diuturniori cum Judæis, promulgato latius Evangelio. 3. Periculum erat, ne diuturnior legalium observatio faveret errori Ebionis & Cerinthi, contendentium eam observationem esse christianis necessariam ad salutem. Periculum erat pariter, ne scandalo esset gentibus ad fidem conversis: si enim vidissent tanto tempore servari legalia, arbitrati fuissent, vel Christi merita non fuisse sufficientia ad justificationem, vel ipsum esse gratis mortuum.

Nec contrarium probat exemplum Asiaticorum, qui Judæorum adinstar ad Victorem Papam usque Pascha celebrarunt luna 14. Mensis Martii, in quamcumque hebdomadæ diem incideret.

Non obstat quoque auctoritas Tertulliani, qui ineunte tertio sæculo Gentiles exprobrantes Christianis, quod in suis conventibus humanam carnem ederent, hoc argumento confutat: *Erubescat error vester christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in esculentis habemus; qui propterea quoque a suffocatis & morticinis abstinemus.*

Non obstant (inquam) duo illa argumenta. Nam 1. ita se gesserunt Asiatici, tum quod crederent suam disciplinam circa diem paschatis esse ex Evangelii præscripto, tum quod eis persuasum esset, eam a prioribus Asiæ Episcopis, ipso etiam Evangelista Joanne, observatam fuisse. Utramque illam rationem objecit olim Victori Papæ Polycrates data ad ipsum Epistola, quam Eusebius historiæ lib. 5. cap. 23. describit. 2. Christiani, tempore Tertulliani, a suffocatis, morticinis, & sanguine animalium temperarunt, non ex virtute & præscripto legis Mosaicæ, sed ex vi consuetudinis quæ apud eos invaluisset; aut vi præcepti Ecclesiastici, quod ab Apostolis in primo Concilio Jerosolymitano gentibus ad fidem conversis impositum fuerat.

De eo Ecclesiastico præcepto hæc habet Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. *Et in Actibus Apostolorum hoc lege præceptum ab Apostolis, ut abstinerent gentes tantum a fornicatione, & ab immolatis, & a sanguine, id est, ne quidquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt; sed a sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet. Hoc nunc discutere longum est, & non necessarium: quia & si Apostoli tunc præceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne prafocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi videntur rem facilem, & nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam gentes, propter angularem illum lapidem duos in se condentem, aliquid communiter observarent, & simul admonerentur, in ipsa arca Noe, quando Deus hoc jussit, Ecclesiam omnium gentium fuisse figuratam: cujus facti prophetia jam gentibus ad fidem accedentibus incipiebat impleri.*

CAPUT VIII.

De præceptis veteris Legis.

Not. 1. LEx vetus tria præceptorum genera complectebatur, Moralia, Cæremonialia, & Judicialia, juxta illud Deuteronomii 5. *Loquar tibi mandata mea, & cæremonias atque judicia.*

Not. 2. Præcepta Moralia sunt ea, quæ ad mores ad rectæ rationis normam exigendos conferunt. Hæc, licet ad legem naturalem pertineant, veteri tamen legi tribuuntur: eo quod in ea renovata fuerint, ac simul cum cæremonialibus & judicialibus tradita. Præcepta Cæremonialia sunt ea, quibus certi ritus ad Dei cultum præscribuntur. Hujusmodi sunt Templum, Sacrificia, Levitæ, immunditiæ, Purificationes, & ejus generis alia. Præcepta Judicialia sunt ea, quæ certum modum præscribunt justitiæ inter Judæos servandæ.

Not. 3. De præceptis Moralibus multa quærit & docet S. Thomas 1. 2, tota quæstione 100. De cæremonialibus vero ac judicialibus agit a quæstione centesima prima usque ad centesimam quintam inclusive. Quæstiones illas Lector adire poterit. De Moralibus tantum, quæ (ut dictum est) ad Decalogum reducuntur, nonnulla hic inserenda esse censemus.

De Decalogo.

Not. 1. Deus Decalogi legem scripto mandari voluit, quod ex corruptis hominum cordibus fere deleta esset; nec ad id quod spiritualis hominis residuum erat, homines carnales vellent attendere, nisi per ipsosmet sensus ad id cogerentur: *Sed ne sibi homines* (inquit Augustinus in Psal. 57.) *aliquid defuisse quærerentur; scriptum est in Tabulis, quod in cordibus non legebant: Non enim scriptum non habebant; sed legere nolebant: appositum est oculis eorum quod in conscientia legere cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est.*

Not. 2. Hic in Decalogo servatus est ordo, quod quæ ad Deum pertinent, tria priora præcepta complectantur; quæ vero ad proximum, posteriora septem: his autem verbis Decalogus Exod. c. 20. describitur.

Primum Mandatum: Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.

Alterum: Non assumes nomen Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Dei sui frustra.

Tertium: Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die, Sabbatum Domini est. Non facies omne opus in eo tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt; & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati & sanctificavit eum.

Quartum: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Quintum: Non occides.

Sextum: Non mœchaberis.

Septimum: Non furtum facies.

Octavum: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Nonum, & Decimum: Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Eodem ordine Decalogus traditur Deuteronomii capite 5.

ARTICULUS I.

De primo Decalogi mandato.

IN his verbis: *Non habebis Deos alienos coram me*, quibus continetur primum Decalogi mandatum, duo sunt, quorum alterum jubendi, alterum prohibendi vim habet; ea etenim est illorum verborum sententia, *Me verum Deum coles: alienis Diis cultum non exhibebis.*

Priori igitur parte homini præcipitur, ut Deo adorationem exhibeat, seu ut supremum illius in creata omnia dominium per fidem agnoscat; illi subjiciat se per caritatem, & in eo tamquam omnipotentissimo, ac maxime benefico, spem collocet tuam. Injungitur itaque trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Caritatis exercitium: quod quidem Christus his verbis apud Joannem significatum voluit: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Nec mirum: exterior enim corporis incurvatio, imperfectus est cultus; cum ex Augustino, si ab aliqua ex illis virtutibus non imperaretur, ficta sit & adumbrata tantum adoratio. Quid earumdem virtutum actus complectantur, quove tempore specialiter elici debeant, dicetur inferius ubi de illis Theologicis virtutibus expresse differemus.

Posteriore parte hujus præcepti: *Non habebis Deos alienos coram me*: vetamur ne cuiquam alteri divinum cultum exhibeamus, ut solebant permulti Judæorum; qui, licet se verum Deum colere profitentur, Deorum tamen multitudinem venerabantur, quique (ut eis Elias objiciebat) in duas partes claudicabant, quod & Samaritæ fecerunt, qui simul Deum Israelis, & deos gentium colebant.

Peccant igitur contra alteram hujus præcepti partem ; 1. qui contra fidem peccant, ut Ethnici, qui sufficienter Evangelium docentur : 2. hæretici, qui nolunt ea credere, quæ sancta mater Ecclesia credenda proponit : 3. ii omnes qui somniis, auguriis, ceterisque vanissimis rebus credunt : 4. qui peccant in spem, cujusmodi sunt ii qui de sua salute desperant : qui non confidunt divinæ bonitati : qui divitiis aut aliis animi, corporis, aut fortunæ bonis tantum innituntur : 5. denique, qui in caritatem peccant, ut sunt ii quibus amor creaturæ dominatur, quique statutis temporibus speciales illius actus non eliciunt. Vide quæ inferius in tractatu de fide, spe, & caritate dicentur.

Quæres qua ratione cultus, qui uni Deo debetur, concilietur cum cultu, quo Catholici Angelos ac sanctos prosequuntur : & quomodo imaginum usus & cultus cum primo illo mandato stare possint.

Resp. de duplici illa quæstione fuse a nobis actum fuisse harum Institutionum Tom. 2. ubi egimus de adoratione, Christo, & illius imaginibus a Catholicis exhiberi solita.

ARTICULUS II.

De secundo Decalogi mandato.

Alterum hoc Decalogi præceptum : *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, ex priore sequitur : nam is qui Deo, prout primo mandato jubemur, cultum debitum tribuit, cavet in primis ne quidpiam agat contrarii, proindeque sedulo satagit, ne assumendo nomen illius in vanum, alicujus in eum irreverentiæ reus constituatur.

Deus præceptum de quo agitur, sancire voluit, ut homines facilius intelligerent quam grave esset piaculum in vanum assumere, non syllabas quibus constat Dei nomen, sed rem ipsam illis syllabis significatam, seu essentiam divinam, aut attributa, aut personas, aut alias illius perfectiones.

Hæc de jurejurando lex duabus partibus constat. Priore jubemur divino numini honorem tribuere ; posteriore vero, prohibemur, non quidem ne omnino, sed ne per ipsum, aut falsum, aut frustra, aut temere juremus, ac ea ratione illius nomini contumeliam irrogemus. Sed ut materies hæc eo, quo par est, modo pertractetur, agendum est 1. de juramenti essentia : 2. de conditionibus ad ipsum requisitis : 3. de illius, tum materia, tum forma : 4. de subjecto, seu de personis, quæ juramenti capaces sunt : 5. de variis illius effectibus : 6. denique de modis, quibus tolli potest obligatio, quam quis juramento contraxerit.

De essentia juramenti.

Juramentum recte definitur : Attestatio divini Numinis ad fidem faciendam, aut firmandam promissionem.

Explicatur definitio. Juramentum dicitur 1. *Attestatio divini Numinis*, quod nempe sit actio per quam Deus vocatur in testem dicti aliquid affirmantis, aut negantis, aut promittentis. Vocatur (inquam) ut supremus testis, ac omni exceptione major, rogaturque ut infallibili sua asseveratione veritatem latentem aperiat, quando ei visum fuerit, saltem in die judicii, ut ait Apostolus 1. ad Cor. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. Juramentum dicitur. 2. *Ad faciendam fidem* ; idque in juramento assertorio; *Ad promissionem vero firmandam*, in juramento promissorio.

Ex his patet, juramentum esse actum religionis, ac cultus latriæ : qui enim jurat, implicite profitetur Deum esse primam veritatem, fatetur, eum esse omnipotentem, omniscium, universi provisorem, & gubernatorem. Patet 2. juramentum in debitis circumstantiis adhibitum, non esse prohibitum secundo Decalogi mandato, e contra sequitur, illud esse non tantum rem licitam, sed bonam & piam. Hinc Deus per semetipsum jurat Genesis 22. ad Hebræos 6. filio suo Christo æternum sacerdotium cum juramento pollicetur. Hinc etiam Apostolus jurare non timuit 1. ad Corinth. 15. *Per vestram gloriam*, & c. 10. *Deum testem invoco*, ad Galat. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior*.

Nec est, quod quis objiciat 1. hæc Christi apud Matth. verba, *Dico vobis non jurare omnino* : 2. nec ista alia apud eumdem Matthæum, cap. 5. *Sit autem sermo vester, est, est: non, non : quod autem his abundantius est, a malo est*. Nam prior locus damnat illud solum juramentum, quod debitis comitibus, judicio nimirum, justitia, & veritate destitutum fuerit : *Et ideo dicendum* (verba sunt S. Th. 2. 2. q. 89. art. 2. ad 2.) *quod sicut Augustinus dicit in libro de mendacio, quod Apostolus in epistolis suis jurans ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est, Dico vobis non jurare omnino, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate jurandi ad consuetudinem, & a consuetudine ad perjurium decidatur ; & ideo non invenitur jurasse nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem*. Alter locus sic exponitur ab Augustino in lib. de Sermone Domini in monte : *juratio a malo est, non jurantis, sed incredulitatis ejus qui jurare cogit*. Nec mirum : qui enim juramentum exigit, cum diffidat homini affirmanti, aut neganti, aut promittenti, infirmus est. *A malo est* (inquit) *illius, cujus infirmitate jurare cogerit*.

De juramenti comitibus.

Tres Comites, seu conditiones, requiruntur, ut juramentum sit licitum, juxta illud Jeremiæ 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia*. Itaque requiritur 1. ut id, quod afferitur, sit verum, vel certo existimetur verum, *in veritate*; qui enim falsum jurat, aut quod falsum, aut dubium putet, reus est maximæ in Deum irreverentiæ; eum scilicet vocans in testem mendacii, seu eum invocans ut mendacium confirmet.

Requiritur 2. ut *in judicio fiat*, hoc est, cum discretione, seu solum cum urget gravis necessitas, aut magna utilitas speratur, scilicet peccant in honorem Deo debitum, qui pro re levi, aut temere, Deum in testem vocant. *Quapropter* (inquit Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in monte) *quo intelligit non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrænat se quantum potest ut non ea utatur nisi necessitate; cum videt pigros esse homines ad credendum quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur*. Serm. 18. de verbis Apostoli; *Homines enim falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur, aut putat homo verum esse quod falsum est, & temere jurat*.

Requiritur 3. ut id quod juramento promittitur, sit licitum, *in justitia*: neque enim Dei omnipotentia invocari potest ad executionem rei malæ; unde Canone *Qui Sacramento* 12. q. 4. hæc habentur. *Qui Sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio, uno anno a communione corporis & sanguinis reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit, jejuniis, absolvat*.

De materiali & formali juramenti.

Materiale juramenti est id quod affirmatur, negatur, promittitur, cum invocatione divini Numinis: scilicet est id, ex quo juramentum constat, & circa quod versatur.

Nec est, quod quis dicat, multa in Scripturis juramenta reperiri, in quibus nulla est divini numinis invocatio. Nam etsi in eis semper explicita non sit, est tamen implicita: quia cum juratur per creaturas v. g. non juratur (inquit S. Thomas) prout in se sunt, sed prout in eis divina veritas elucet: sic juramus per Evangelium, id est, per Deum, cujus veritas in eo manifestatur, & per Sanctos qui eamdem veritatem & crediderunt, & observarunt.

Duplex est jurandi modus, per simplicem nimirum contestationem; fitque cum DEUS simpliciter invocatur ad fidem faciendam; Per execrationem, cum nempe inducitur creatura aliqua in quam divinum judicium exerceatur: Et sic (ait Sanctus Thomas) solet homo jurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit; sic & Apostolus juravit 2. ad Cor. 1. dicens: *Ego autem Deum invoco in animam meam*: sic etiam Joseph Genesis 42. per salutem Pharaonis jurasse legitur.

Formale juramenti est intentio faciendi fidem. Scilicet qui jocose exterius profert verba, ex quibus juramentum constat, & non habet intentionem ut credatur, quamvis graviter peccet, quod nomine divino abutatur; tamen non censetur formaliter perjurus. Necesse est ergo ut in jurante sit intentio, saltem extrinseca, faciendi fidem per invocationem divini Numinis. Adest autem semper illa intentio, quoties ita a jurante verba juramenti proferuntur, ut qui audiunt, credant ea proferri ad faciendam fidem.

Hinc autem colligitur, juramentum non solvi: 1. terminis ambiguis & æquivocis: 2. nec malitiosa intentionis retentione: nec dolosis restrictionibus mentalibus; nec verbis occulte prolatis; nec fallacia quacumque.

Confirmari possunt illationes illæ, auctoritate S. Aug. qui epist. 224. sic loquitur: *Perjuri sunt qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt*. Confirmatur 2. ex decreto Cleri Gallicani ad Comitia generalia congregati anno 1700. scilicet a quibusdam recentioribus hæ tres propositiones circa juramentum prolatæ fuerant in medium: 1. *Cum caussa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis*. 2. *Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret, non pejerat, etsi alio crimine tenetur, puta mendacii alicujus*. 3. *Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti*: iis autem propositionibus quarum prima jam ab Innocentio Papa XI. damnata fuerat, Clerus Gallicanus hanc censuram inussit: *Hæ propositiones sunt temerariæ, scandalosæ, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrariæ*.

Iterum in quorumdam libris hæc alia propositio legebatur: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis caussa, sive quocumque alio fine jurat se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligenda intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus*. Illi vero propositioni jam antea sine speciali qualificatione ab Innocentio Papa XI. proscriptæ, inustæ sunt ab eodem Clero Gallicano hæ speciales censuræ natæ: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, illusoria, erronea; mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperit, & sacris Scripturis adversatur*.

Iterum hanc aliam defenderant nonnulli: *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, pote-*

poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. Eam autem propositionem jam ante ab eodem Innocentio damnatam, hac speciali censura idem Clerus Gallicanus notavit: *Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excusat; publicæ potestati contra Dei mandatum adversatur.*

De juramenti subjecto.

Subjectum juramenti est omnis qui potest jurare. Jure naturali quilibet homo, modo sit rationis compos, potest jurare: potest enim assertionis, aut promissionis, Deum in testem vocare. Unde perjurii capaces sunt non modo masculi, sed etiam feminæ: non tantum senes, sed etiam pueri, qui rationis usum adepti sunt; non tantum clerici, sed etiam laici. Jure humano: 1. pueri ante annum ætatis 14. ad jurandum compelli non debent, infames qui de perjurio semel convicti fuerunt, ad jurandum, aut testimonium ferendum admitti non debent; quia (inquit S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 10.) *Ex retroactis præsumitur quod debitam reverentiam Sacramento non exhibebunt.* 3. Clerici apud Gratianum causa 22. q. 5. c. 22. licet vocati, coram laicis judicibus juramentum præstare vetantur; sed lex illa non obtinet in Galliis.

Quæres 1. Utrum ab infideli, qui prævidetur juraturus per Idola, juramentum exigere liceat.

Resp. 1. non esse licitum exigere ab infideli, ut per idola, vel falsum aliquem prophetam, aut falsam religionem juret: per idola nimirum, falsum Prophetam, falsam religionem, jurare, res est intrinsece mala: cum per eam juramenti speciem ratio entis immutabilis ac primæ veritatis Idolo, pseudoprophetæ, auctori falsæ religionis tribuatur.

Resp. 2. licitum esse ab infideli exigere ut sua promissa, aut assertiones suas, cum gravis urget necessitas, per juramentum confirmet; modo tamen juramentum illud (ut dictum est) ab exigente ad idola non determinetur. Ratio est, quia in eo casu exigitur res, quæ, urgente caussa justa, est bona & laudabilis.

Confirmatur responsio ex his Augustini verbis cap. 154. ad Publicolam: *Alia ergo quæstio est, utrum non peccet qui per falsos Deos sibi jurari facit, quando ille qui ei jurat, jurat per Deos falsos quos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari quæ ipse commemorasti de Laban & Abimelech, si tamen Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deum Jacob: hæc (ut dixi) alia quæstio est, quæ me merito fortassis moveret, nisi illa exempla occurrissent de Isaac & Jacob.. Sic etiam cum in libro Machabæorum Romani leguntur pacem firmasse cum Judæis, intelligendi sunt jurasse per falsos Deos, sicut Judæi juraverunt per Deum verum.*

Quæres 2. utrum quis ab eo, quem pejeraturum novit, jusjurandum exigere tuta conscientia possit.

Resp. 1. non licere homini privato. Ratio est, quia pejeraturi peccatum nulla justa utilitate compensari potest: unde qui ab eo juramentum exigit: particeps est irreverentiæ, quam in Deum committit, & præterea occidit ejus animam: *Si scit eum fecisse contrarium ejus quod jurat* (inquit S. Thom. 2. 2. q. art. 4.) *& cogit eum jurare, homicida est*; hausit illam doctrinam S. Thomas ex Augustino, qui erm. 28. de verbis Apostoli sic loquitur: *Qui exigit juramentum, multum interest, si nescit illum, falsum juraturum, an scit. Si enim nescit, ideo dicit, jura mihi, ut fides ei fiat, non est peccatum, tamen humana tentatio est. Si autem scit eum fecisse, novit fecisse, videt fecisse, & cogit jurare, homicida est: ille enim suo se perjurio perimit; sed iste manum interficientis compressit & pressit.*

Resp. 2. personam publicam, ut est Judex, secundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius juramentum posse exigere ab eo quem scit pejeraturum. Ratio est, quia: *Non videtur* (ait S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 4.) *ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.* Sed antea, (ait Sylvius) judex ille nullum non debet movere lapidem, ut impediat ne litigantium alter a pejeraturo jusjurandum requirat.

De effectibus juramenti.

Duplex est juramenti effectus. Juramenti assertorii effectus est finis omnium controversiarum, ut Apostolus ad Hebræos 6. definit. Juramenti vero promissorii effectus, est ligare jurantem: *Dicendum* (ait S. Thomas) *Quod, quicumque jurat se aliquid facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur, si tamen duo comites adsint, scilicet judicium & justitia.*

Non solvitur vinculum illud ex eo, quod juramentum per metum gravem extortum sit: *In juramento* (ait idem S. Doctor 2. 2. q. 89. art. 7.) *quod quis coactus facit, duplex est obligatio, una quidem qua obligatur homini cui promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem. Alia autem est obligatio qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia debet magis damnum temporale sustinere, quam juramentum violare.*

Nec est, quod quis dicat, juramentum vi extortum non magis ligare jurantem, quam vota ex extrinseco & injusto metu emissa voventem ligent. Nam 1. id habent ea vota ex jure Ecclesiastico, quo homines quibus injustus me-

metus incutitur, inhabiles ad vovendum declarantur: 2. ex ipsa votorum natura, quæ quidem posita est in rei alicujus promissione, quam DEUS acceptarit: at DEUS promissiones vi extortas non acceptat. E contra 1. jus Ecclesiasticum juramenta sic peracta declarat valere: 2. jure divino & naturali, jusjurandum, cui deest veritas, malum est, proindeque etiam ex injusto metu contra veritatem jurare non licet.

De modis quibus debitum ex juramento contractum solvitur.

Multis modis tolli potest debitum quod quis ex juramento promissorio contraxerit.

Tolli nimirum potest 1. per condonationem factam ab homine cui quis suam fidem obstrinxit. Tolli potest 2. per auctoritatem Superioris, qui vetet ne promissio executioni mandetur. Tollitur 3. per irritationem, cum nempe inferior pollicitus est rem potestati Superioris subjectam. Tollitur 4. per dispensationem; tunc enim efficitur, ut id quod erat materiæ juramenti, desinat esse materia: quia (ut supponitur) quamvis non sit contra bonum jurantis, est tamen contra bonum publicum, proindeque contra justitiam. Sic Papa, & Episcopi possunt absolvere a juramento quo quis coactus, pecuniam latroni promisit: *Materia juramenti promissori est aliquid futurum, quod variari potest* (ait S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9.) *ita scilicet quod in aliquo eventu potest esse illicitum, vel nocivum: & per consequens, non esse debitam materiam juramenti: Et ideo dispensari potest in juramento promissorio; quia talis dispensatio respicit materiam juramenti, & non contrariatur præcepto divino de juramenti observatione.*

Peti vero potest ea dispensatio etiam ab eo, qui juravit se non petiturum; deest enim novo illi juramento justitia, ut ejusdem q. 89. art. 7. his verbis docet Angelicus Doctor; *Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam.*

ARTICULUS III.

De tertio Decalogi mandato.

QUÆ spectant ad tertium Decalogi mandatum, quod quidem Exodi 20. his verbis expressum est: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, ad subsequentes quæstiones reducuntur: 1. quid Sabbati sanctificandi nomine intelligatur: 2. quid vetet lex de sanctificatione Sabbati: 3. quid eadem lege præcipiatur: 4. quinam sit modus Sabbati sanctificandi: 5. denique quinam sint homines qui Sabbatum sanctificare teneantur.

Quid sit Sabbati sanctificatio.

Sabbati sanctificatio, est religiosa certæ diei observatio ad colendum in communi Deum.

Explicatur allata definitio. 1. Est *observatio religiosa*, quia a virtute religionis imperatur. 2. Observatio *certæ diei*, id est, determinatæ: eo quod alioquin fideles convenire non possent ad gratias Deo agendas, aut petenda illius beneficia. 3. *Ad colendum Deum*, tum interno cultu per devotionem & orationem, tum externo per adorationem, oblationem, sumptionem divinorum, & per exercitium externum fidei, spei, caritatis, & aliarum virtutum.

Quæres 1. cur Deus in antiqua lege septimæ diei observationem præceperit: 2. cur in Ecclesia Christiana dies illa mutata fuerit in diem Solis, seu in diem, quam dicimus Dominicam; 3. utrum illa mutatio facta fuerit ab Apostolis.

Resp. 1. sanctificationem septimæ diei antiquitus præceptam fuisse 1. ad gratias Deo agendas propter factam intra sex dies rerum omnium creationem: 2. in honorem cessationis ab actione creativa. Utramque illam rationem his verbis tradit Scriptura, Exod. 20. *Memento ut diem Sabbati sanctifices .... Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo: idcirco benedixit Deus diei Sabbathi & sanctificavit illum.*

Respondet ad 2. Augustinus Sermone 151. de tempore: *Dominicum diem Apostoli, & apostolici viri ideo religiosa sollemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit. Apparet autem hunc etiam in Scripturis sanctis esse sollemnem: ipse enim est primus dies sæculi; in ipso formata sunt elementa mundi; in ipso creati sunt Angeli, in ipso a mortuis resurrexit Christus; in ipso de Cælis Spiritus sanctus super Apostolos descendit; manna in eodem in eremo primum de cælo datum est.*

Resp. ad 3. ab ipsis Apostolis illam, de qua agitur, mutationem factam fuisse. Dominicæ diei tamquam diei apud Christianos jam sua ætate sollemnis, meminit Joannes Apocalypseos, c. 1. *Fui in Spiritu in Dominica die.* Ea ipsa die ad exhibendum Deo cultum convenisse fideles, ostendunt hæc 1. ad Corinth. 16. *Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, collectæ fiant.* Idem innuunt hæc Actor. 20. *Una autem Sabbati*, hoc est, septimanæ, *cum convenissemus ad frangendum panem*; hoc est, ad sumendam Eucharistiam: in quæ quidem verba, sic loquitur Augustinus Epistola 86. ad Casulanum; *Una Sabbati, appellatur dies, qui nunc Dominicus appellatur, quod in Evangeliis apertius inve-*

invenitur : nam dies resurrectionis Domini, prima Sabbati a Matthæo, a ceteris autem tribus una Sabbati dicitur.

Mutationem illam Sabbati in diem Solis, seu in Dominicum diem, factam ab Apostolis antiqui Patres accurate observarunt. Justinus in fine alterius Apologiæ quam pro Christianis obtulit Antonino Imperatori, asserit suæ ætatis fideles in unum convenire solitos fuisse ut sacrificium offerrent: *Solis* (inquit) *qui dicitur, die*. Tertullianus in libro de Idololatria, c. 14. eamdem Christianorum consuetudinem recenset, cum hæc ait: *O melior fides Nationum in suam sectam, quæ nullam sollemnitatem Christianorum sibi vindicat, non Dominicum diem, non Pentecosten!*

Quæres 2. an lex de sanctificando Sabbato sit de jure naturali.

Resp. legem illam esse de jure naturali, quatenus præscribit aliquod tempus, quo homo vacet divino cultui per speciale exercitium fidei, spei, & caritatis; esse vero de jure positivo, quatenus tempus determinat, quo cultus Deo debet exhiberi. Docet nimirum ratio naturalis, aliquod tempus insumendum esse, ut creatura rationalis divinis det operam. Illi tempori lex positiva divina quondam pro Judæis Sabbati diem assignarat; Ecclesia vero Christiana propter rationes superius allatas diem Solis, seu primam hebdomadæ diem.

Colligitur hæc responsio ex Sancto Thoma, qui 1. 2. q. 122. art. 4. ad 1. sic loquitur: *Dicendum quod præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem cæremoniale: Morale quidem, quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis: inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc quod cuilibet rei necessariæ deputet aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & aliis hujusmodi: Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputatum, ad vacandum divinis, cadit sub præcepto morali. Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, est præceptum cæremoniale. Similiter cæremoniale est secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi, quæ fuit septima die: Et similiter secundum moralem significationem significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo: & secundum hoc, quodammodo est præceptum generale: Similiter cæremoniale est secundum significationem anagogicam, prout scilicet præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in Patria: Unde præceptum de sanctificatione Sabbati ponitur inter præcepta Decalogi, in quantum est præceptum morale, non vero in quantum est cæremoniale.*

Quæres 3. utrum præter Dominicum diem Ecclesia aliquorum aliorum dierum sanctificationem Christianis injungere potuerit.

Resp. affirmative. Ratio est 1. quia, cum nec ratio, nec Christus determinaverit in specie tempus, quo ex lege naturali homo tenetur vacare divinis, faciendæ determinationis hujusmodi potestas data est reipublicæ Christianæ quando Christus eam Matthæi 18. sic allocutus est: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis*. 2. Ecclesia a primis suis incunabulis (ut mox ostensum fuit) Christianos ad diei Dominicæ sollemnitatem adstrinxit; non enim divina lege dies illa cultui divino assignata fuit, sed Ecclesiastico tantum: ergo & alios dies potest eidem cultui consecrare. 3. Fideles nusquam reluctati sunt, immo gesserunt semper morem Ecclesiæ antiquæ, quæ præter diei Dominicæ sanctificationem, aliorum etiam dierum sollemnitatem præcepit, Incarnationis, v. g. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Mortis Christi, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes: illi enim dies tamquam sanctissimi a veteribus Patribus non raro recensentur. 4. Priorum sæculorum fideles, ex Episcoporum præscripto, coluerunt dies, quibus Martyres extremam diem clauserant, ut videre est apud Eusebium, qui hist. Eccles. lib. 4. cap. 15. refert Epistolam, quam de celebranda Polycarpi morte Smyrnensis Ecclesia conscripsit. Vide illud argumentum fuse pertractatum ad calcem Tomi 2. harum Institutionum Theologicarum.

Quid vetet Lex de Sabbati sanctificatione.

Lege de sanctificatione Sabbati multa prohibentur.

Primo, jure naturali diebus festis ea prohibentur, quæ ita mentem a divino cultu possunt avocare, ut postea homo ineptus sit ad cogitandum de Deo, ad ipsum orandum, &c. sive sint opera corporalia, servilia, aut libera, nugacitatis, aut meræ inertiæ; sive sint opera peccati mortalis; nihil enim magis quam peccatum opponitur sanctificationi Sabbati; nempe non mentem tantum, sed & cor ipsum avertit a Deo.

Desumpta est ea doctrina ex S. Thoma, qui in Opusculo 4. sic loquitur: *Opus servile non facietis in ea, potest intelligi de peccato: Et ideo contra præceptum hoc facit quis, quando in Sabbato peccat, quia operando & peccando offenditur Deus.*

Idem docet mox laudatus Doctor 2. 2. q. 122. ubi hæc scribit in responsione ad tertium argumentum: *Opus servile dicitur a servitute. Est autem triplex servitus, una quidem qua homo servit peccato .... alia vero qua homo servit homini ... tertia est servitus Dei .....*

Ope-

Opera servilia quæ dicuntur servilia primo vel secundo modo contrariantur observantiæ Sabbati, in quantum impediunt applicationem hominis ad divina. Et quia homo magis impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit.

Eamdem doctrinam tradit Synodus Lingonensis, quam legere est apud Bochellum Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. *De festis diebus & veneratione Sanctorum*, tit. 7. cap. 2. pagina (ut refert Merbesius) 575. hæc sunt laudatæ Synodi verba: *Homines utriusque sexus in festis diebus debent esse plurimum intenti divinis, puta orando, Ecclesiastica officia, & divina, ac sermones verbi Dei audiendo, de Deo & de Sanctis loquendo: & ut his verbis melius possint intendere, debent abstinere ab omni opere servili, & potissimum a peccato, quia gravius peccat in festo, quam qui in alienis diebus hoc facit.*

Idem quoque visum est S. Bonaventuræ: credidit nimirum circumstantiam illam diei festi, ita aggravare peccati malitiam, ut detegenda sit in sacramentali confessione: *Interrogandus est pœnitens* (inquit in Opusculo quod inscripsit, Confessionale, de circumstantiis c. 2. particula 20.) *de tempore quo peccatum perpetravit, utrum videlicet in tempore festivo, vel non festivo.* Existimavit Seraphicus ille Doctor, peccatum die festivo commissum quamdam esse sacrilegii speciem, sicut est illud, quod in loco sacro committitur.

2. Jure positivo divino vetabantur omnia opera servilia: *omne opus servile non facietis in eo*, seu opera quibus homo alteri homini servit; sive quod idem est, opera corporalia, cum homo non sit servus alterius secundum mentem, sed secundum corpus. Non omnia tamen opera corporalia vetantur divina lege, sed ea tantum quæ proprie pertinent ad servientes, nec communia sunt liberis & servis: *Opera etiam corporalia ad spiritualem Dei cultum non pertinentia* (ait S. Thomas 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.) *in tantum servilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad servientes: in quantum vero sunt communia & servis & liberis, servilia non dicuntur.*

3. Jure positivo humano vetantur 1. Venatio in Concilio Meldensi cap. 77. in Capitularibus Caroli Magni c. 22. *Non venationes exerceantur*. 2. Judicia, *Nec ad placita conveniant*. Ibidem: *Debet judicialis strepitus diebus conquiescere ferialibus*. 3. In Decretalibus Gregorii IX. lib. 2. Tit. de Feriis c. 5. vetatur ne quis ad juramentum admittatur: *Sacramenta nonnisi pro pace, vel alia necessitate præstentur*. 4. Prohibentur Notariorum opera: *Cessent Notariorum instrumenta* (inquit Concilium Bituricense habitum anno 1583.) *nisi quæ ex necessitate testamentorum, aut matrimoniorum caussa non differri possunt*. 5. Vetatur pictura: est enim inter opera servilia, præsertim si lucri caussa ex officio fiat. 6. Feminarum opera textoria, acupictilia in Concilio Aquisgranensi cap. 22. prohibentur. 7. Barbæ aut crinium tonsio, S. Carolus in tertio Concilio Mediolanensi: nec immerito: actio enim illa per tonsores ex officio, proprie servilis est: Tonsores tamen non peccare, si aliunde non habeant victui necessaria, docet Sambovius Tom. 1. Resolutionum casuum conscientiæ. 8. Prohibetur mercatus: *Ne quid ematur aut vendatur* (ait S. Carolus in Concilio Mediolanensi primo) *nisi quod ægrotis, aut illius diei victui necessarium est*. Excipiuntur tamen ab illa regula rustici, qui cum in urbes solis festivis diebus accedere valeant, possunt emere (sed occulte & sine scandalo) ea quibus jure indigent. Excipiuntur etiam peregrini, qui ex urbe immediate post festum discedere coguntur, multisque indigent quæ per emptionem tantum sibi comparare possunt. 9. Prohibentur itinera, quæ privati lucri caussa fiunt, & non propter bonum publicum, aut justam aliquam necessitatem: Idem enim de itineribus ferri debet judicium ac de operibus servilibus. 10. Vetantur choreæ, tripudia & saltationes; non tantum naturali jure, cum hominem ad peccatum inclinent, sed & positivo Ecclesiastico, ut probant hæc ex Capitularium lib. 6. *Ne in illo sancto die vanis fabulis aut locutionibus, sive cantationibus, vel saltationibus, aut derisionibus, stando in biviis, aut plateis, ut solet, inserviant*. Probant quoque hæc illa Concilii Turonensis habiti anno 1583. *Diebus Dominicis præsertim, & aliis festis commessationes, convivia publica, tripudia, saltationes, strepitus, & choreas fieri, venatu, & aucupatu tempus terere . . . sub anathematis pœna prohibet hæc sancta Synodus*. Decretorum illorum Ecclesiasticorum observationem Reges Galliæ tamquam Canonum executores præceperunt in suo regno; sic enim habet vernaculum Edictum ab Henrico III. in Comitiis Blesensibus latum anno 1579. *Enjoignons a tous Juges de faire garder & observer exactement les defenses portees par les Ordonnances d'Orleans, tant pour le regard des foires, marches, & danses publiques, que contre les joueurs de farces, Bataleurs, Cabaretiers, Maistres de jeu, de Paume, & d'Escrime; sur les peines portees esdites Ordonnances.*

Quæres, an in nullo casu liceat diebus festis vacare servilibus operibus.

Respondet S. Thomas Opusculo 4. his verbis: *Sciendum quod opera corporalia possunt fieri in Sabbato propter quatuor. 1. Propter necessitatem: unde Dominus excusavit discipulos evellentes spicas in Sabbato; ut Matthæi*

12. *di-*

12. dicitur. 2. *Propter Ecclesiæ utilitatem: unde dicitur in Evangelio, Matth. 10. quod Sacerdotes faciebant omnia, quæ erant necessaria in Templo die Sabbati.* 3. *Propter proximi utilitatem, unde Dominus curavit in die Sabbati habentem manum aridam, & confutavit Judæos reprehendentes eum, ponens exemplum de ove, Matth. 12.* 4. *Propter Superioris auctoritatem: unde Dominus præcepit Judæis ut circumciderent in die Sabbati, ut dicitur Joannis 7.* Hactenus S. Doctor.

Quid Lege de sanctificando Sabbato præcipiatur.

Lege de sanctificando Sabbato multa fidelibus injunguntur.

Fideles divino jure jubentur toto die festo piis operibus vocare: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Qui ergo audito Sacro, tota illa die, aut dormiret, aut luderet, aut nugis tereret tempus, præcepto divino non faceret satis.

Præterea jure Ecclesiastico præcipitur fidelibus ut integram Missam audiant. Vide quæ in nostro Tractatu de Sacramentis dicta sunt de conditionibus necessariis, ut quis illi debito faciat satis. Jubentur etiam ut sistant se præsentes Parochiali Missæ, si id commode fieri possit, & iis in locis, ubi hoc in capite vis juris positivi non desiit, ut revera in Gallis non desiit, ut fuse probavimus in nostro Commentario historico & dogmatico de Sacramentis.

Ecclesiæ Gallicanæ ea de re Decreta nonnulli tribus hisce propositionibus impugnaverant: 1. *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur, & docentur.* 2. *Talem legem in hac materia, nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec Nationum, sancire; nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt.* 3. *Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non potest censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam diebus Dominicis ad audiendam Missam, Parochialem scilicet.*

Eas propositiones jam in Comitiis Cleri Gallicani anno 1656. damnatas, speciali hac censura notavit idem Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. coactus: *Harum propositionum doctrina* (inquit) *falsa est, temeraria, scandalosa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ traditioni contraria, dicente Apostolo: non deserentes collectionem nostram sicut consuetudinis est quibusdam.*

Quæ sit forma, seu modus sanctificandi Sabbati.

Modus sanctificandi Sabbati est interior Dei cultus. Scilicet is, qui exteriorem Deo cultum exhibet sine interiori, Judæus est, non vero Christianus.

Eum sanctificandi Sabbati modum Ecclesia præscribit, quem Deus: nam præceptum Ecclesiasticum de die Dominica, & festis Martyrum, aliorumque sanctorum sanctificandis, est determinatio præcepti divini, quo hominibus aliquorum dierum in genere sanctificatio præscribitur: at Deus interiorem præcipue cultum injunxit, juxta illud Evangelii: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate; nam & Pater tales quærit.*

Præterea pietatis opera externa, quæ sine cultu interiore fiunt, ab Ecclesia non probantur, ut demonstrant hæc sacri Concilii Tridentini verba, sess. 22. in Decreto de observandis: *Ne patiantur sacrum hoc Sacrificium peragi, nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam, ac devota cordis affectu, non solùm corpore, adesse.*

Doctrinam illi quam hucusque tradidimus contrariam propugnaverunt recentiores quidam, qui has nimirum propositiones scriptis mandaverant: 1. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.* 2. *Eidem præcepto satisfit per reverentiam exteriorum tantum, animo licet voluntario in aliena, immo & prava, cogitatione defixo.* 3. *Præcepto Ecclesiastico orandi satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non autem mente, orat &c.*

Primam ex illis propositionibus jam ab Innocentio XI. proscriptam, hac speciali censura notavit Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. coactus: *Hæc propositio absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.* Alteram, cui hæc alia addita est in Censura Cleri: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem*; hac speciali nota idem Clerus proscripsit: *Doctrina his duabus propositionibus contenta, temeraria est, scandalosa, erronea, impietati & sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.* Tertiæ hæc quoque specialis nota inusta est: *Hæc propositio est absona, verbo Dei contraria, hypocrisim inducit a Prophetis a Christo damnatam his verbis: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Vide eamdem Cleri Gallicani censuram de multis aliis propositionibus eodem tendentibus.

Quinam ad Sabbati sanctificationem teneantur.

Quilibet homo qui sua ratione fruitur, tenetur ad sanctificationem Sabbati.

Ratio est. Prrimo quia præceptum, quo homines interdum aliquos dies sanctificare jubentur, est (ut dictum fuit superius)

rius) de jure naturali; omnes igitur homines obligat.

2. Determinatio diei Dominicæ, aliorumque festorum est ex Ecclesiastica traditione & præcepto; quod quidem ad omnes baptizatos spectat. Ex quo infertur hæreticis non licere, festivis in Ecclesia diebus, operibus servilibus vacare. Illis operibus prohibiti sunt semper in Galliis tolerati quondam Calvinistæ, ut patet ex his verbis Edicti lati a Carolo nono, anno 1561. *Seront tenus ceux de la nouvelle Religion garder nos loix politiques, mesme celles qui sont reçûes en l'Eglise Catholique en fait des festes & jours chomables.*

4. Præceptum de quo agitur, eo fine latum fuit ab Ecclesia, ut determinarentur dies quibus locorum incolæ divinis vacare debent. Unde concluditur peccare artifices, qui consulto recedunt a suis Parochiis, in quibus non est festus dies, operibus servilibus dent operam, nisi tamen non sine magna difficultate inceptum opus intermittere non possint. Nec mirum: agunt enim illi artifices in fraudem legis, inanemque reddunt sanctam, quam mox recensuimus, Ecclesiæ intentionem.

4. Præceptum de sanctificando Sabbato, prout injungit Missæ, verbi Dei, & vesperarum auditionem, est omnino Ecclesiasticum: Divinum vero est ac naturale prout injungit in genere aliqua pietatis opera. Ergo ab omnium operum pietatis exercitio non solvitur, qui diebus festis non potest se sistere præsentem Sacrificio, Vesperis, & audire Dei verbum: Ergo Pastores qui coguntur invigilare suis ovibus, quamdiu pascunt in agris, tenentur aliquandiu orare, cum id commode possunt. Confirmatur ex l. 6. Capitularium Caroli Magni; jubentur enim c. 22. diebus festis recitare Litanias, dum exeunt in agrum, & cum ex illo redeunt.

Quæres, utrum præceptum de sanctificando Sabbato obliget sub pœna peccati mortalis.

Respondent nonnulli recentiores casuum arbitri negative: unde hanc propositionem propugnarunt: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus:* Verum illam propositionem quam multis ab hinc annis jam Innocentius Papa XI. damnaverat, hac speciali censura notavit Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus ann. 1700. *Hæc propositio est scandalosa, ad violandas leges, tum civiles, tum Ecclesiasticas, vel etiam Apostolicas viam aperit; ac proinde superiorum auctoritate prohibenda.* Nec mirum: nam 1. gravem obligationem eo præcepto imponi ex duobus colligitur, 1. ex verbis legis, *Memento:* 2. ex eo quod Ecclesia in contumaces excommunicationis fulmen intorqueat.

ARTICULUS IV.

De quarto Decalogi Mandato.

QUARTUM Decalogi mandatum his scripturæ verbis Exodi 20. continetur: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* De illo autem mandato quærendum est 1. quis *patris & matris* nominibus intelligatur: 2. in quo positus sit honor eis debitus: 3. in quo posita sit merces quam Deus filiorum in parentes pietati ac reverentiæ rependit: *Ut sis longævus super terram.*

Quinam intelligendi sint parentum nomine.

Parentum nomine intelligendi sunt 1. præcipue ii ex quibus carnaliter generati sumus, de quibus dicitur Ecclesiastici 3. *Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi Dominis serviet iis qui se genuerunt.*

Intelligendi sunt 2. Ecclesiæ Pastores, juxta illud 1. ad Cor. 4. *Si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.*

Intelligendi sunt 3. ii quibus Imperium, aut Magistratus, aut Potestas ad publicum regimen commissa sunt: sic enim famuli Naaman lib. 4. Regum c. 5. eum Patrem appellant; *Pater* (inquiunt) *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras.*

Intelligendi sunt 4. ii, quorum curæ, fidei, probitati, sapientiæque traditi sumus, ut sunt Tutores, Curatores, Pædagogi, & Magistri; unde lib. 4. Regum, c. 4. filii Prophetarum, ipsique Reges Israel, Eliam patrem vocant: *Ascendit Elias per turbinem in cælum; Elisæus autem videbat & clamabat, Pater mi.* Deinde c. 23. *Elisæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Descenditque ad eum Joas Rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, currus Israel & auriga ejus.*

Intelligendi sunt 5. Senes, præsertim si probatæ sint vitæ. Unde Levitici 19. Deus præcepit: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. Ego Dominus.*

Verum licet mandatum Decalogi de omni parentum genere intelligatur, de illis tamen (ut jam dictum est) præcipue Lex loquitur, ex quibus geniti sumus: *Sunt enim* (inquit Catechismus ad Parochos) *immortalis Dei quasi quædam simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur; ab iis vita nobis data est; iis Deus usus est ut nobis animum, mentemque impertiret; ab iis Sacramenta deducti, ad Religionem, ad humanum cultum, civilemque instituti, ad morum integritatem & sanctitatem eruditi sumus.*

In quo positus sit honor parentibus debitus.

Honor, quem parentibus exhibere jubemur, positus est 1. in honorifico de iis sensu, & externo eorum cultu. Sic Joseph Ægypti Prorex Jacob in Patrem suum se gessit Gen. 46. *Juncto Joseph curru suo ascendit obviam patri suo ad eumdem locum. Vidensque eum irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit.* Unde rei sunt nati, quibus, etiam interius, parentes sunt despectui, qui maledicunt eis, qui ipsos verberant, irrident, de eis erubescunt. Hinc Levitici 20. dicitur: *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte morietur.*

Honor parentibus debitus ex interno amore proficiscatur oportet: si enim proximum quemque interiori amore prosequi debemus, ut lex præcipit: quanto magis eos qui erga nos ita sunt affecti, nullum ut laborem, nullaque pericula nostri caussa refugiant? Hincque patet non licere mortem eis optare, de illorum morte gaudere, licet mors illa non ut eorum malum, sed ut natorum bonum consideretur. Quidam recentiores Casuistæ contrarium hac propositione asseruerant: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias ex hereditate consecutas:* verum hocce de ea judicium tulit Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus anni 1700. *Hæc propositio est falsa, scandalosa, execranda, pietati erga parentes contraria, viam crudelitati & avaritiæ aperiens.* Proscripsit quoque hanc aliam Innocentius Papa XI. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.*

Positus est 2. honor debitus parentibus in eo quod nati debeant opem ferre parentibus, tum in iis quæ ad salutem æternam, tum ad corpoream spectant. Honor enim in Scripturis non solum sumitur pro cultu, sed etiam pro cura ejus cui honor exhibendus est: *Honora* (inquit Apostolus 1. ad Tim. 5. *viduas quæ vere viduæ sunt:* quod & alio loco sic idem Apostolus monet: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura; Non alligabis os bovi trituranti.* Idem etiam Christi testimonio comprobatur, qui Pharisæorum impietatem Matthæi 15. arguit, quod vellent natos esse immunes ab obsequiis præstandis, cum suas opes in Dei honorem consecrare vellent.

Hincque colligitur 1. peccare in hoc præceptum natos qui parentibus suis res magni momenti occulte surripiunt: Qui subtrahit aliquid (inquit Scriptura Proverbiorum capit. 28.) a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

Colligitur 2. veram esse hanc Angelici Doctoris sententiam. Quodlibeto 10. q. 5. art. 1. *Dicunt aliqui quod si aliquis habet parentem indigentem, debet ei dimittere, si quid habet, ad ejus sustentationem, & sic potest licite religionem intrare. Sed quia hæc opinio nimis videtur aspera, ideo melius videtur dicendum, quod aut iste qui habet propositum intrandi religionem, videt se in sæculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animæ suæ providere, quam corporali necessitati parentum, non tenetur in sæculo remanere. Si autem videt se posse in sæculo conversari absque peccato, distinguendum videtur: Quia si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, & alia opera perfectionis prætermittere; & peccaret eos dimittens; si vero sine ejus obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem honorifice, non propter hoc tenetur opera perfectionis prætermittere.* E contra si jam sit religiosus professus, sic ex eodem Sancto Thoma, ibid. debet se gerere: *Secus autem est de illo qui jam religionem intravit; quia cum jam sit mortuus mundo per professionem, solutus est a lege, qua in mundanis obsequiis parentibus tenebatur. In aliis autem spiritualibus (puta orationibus & hujusmodi) eis tenetur servire. Et hoc quod dictum est de introitu religionis, potest etiam de observantia virginitatis, & de aliis operibus perfectionis dici.*

Honor quem præcipimur in Decalogo parentibus exhibere, positus est 3. in obedientia quam in rebus magni momenti illis debemus, juxta illud Apostoli: *Filii obedite parentibus in Domino; hoc enim justum est.* Unde idem Apostolus in epistola ad Romanos cap. 2. inter gentium crimina recenset filiorum inobedientiam: *Parentibus* (inquit) *non obedientes.*

Inde vero colligitur peccare lethaliter filios qui in gravibus negotiis parentes non consulunt, & a fortiori qui mandata eorum executioni mandare detrectant. Hujusmodi sunt 1. qui in rebus ad disciplinam & curam domesticam spectantibus eos non audiunt: Secus vero in iis quæ ad eligendum statum, qui ordinem dicat ad salutem, spectant: *Non tenentur* (inquit S. Th. 2. 2. q. 104. art. 5.) *nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi. Sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum tenetur subditus suo Superiori obedire secundum rationem superioritatis; Sicut miles duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum; Servus domino in his quæ pertinent ad servilia opera exsequenda; Filius patri in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam.*

Hujus-

Hujusmodi 2. sunt ii qui nubunt, sive inconsultis, sive invitis parentibus: connubium enim ad domesticam disciplinam pertinet; & res est magni momenti, ut videre est in Concilio Trid. Inter eos 3. recenseri debent qui ab aliis, noxiis societatibus, collocutionibus periculosis, jubentibus parentibus, temperare nolunt.

In quibus filii parentibus obedire non debeant.

Filii parentibus, aut aliis superioribus obedire non debent in iis quæ Evangelicis sive præceptis, sive consiliis adversantur. Tunc enim servanda est Apostolorum Principis regula Act. 5. *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Unde est illud ipsiusmet Christi: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*; in quam quidem sententiam hæc habet Bernardus epist. 3. *Sola caussa qua non liceat obedire parentibus, Deus est; ipse enim dicit*, &c.

Hinc vero colligitur filiam non teneri obedire matri præcipienti ut se conferat ad comœdias, choreas, spectacula, cœtusque alios, in quibus salutis periculum incurrit. Non fit etiam inobedientiæ rea quando non nubit cum viro, vel impio, vel indole parum commoda, quamvis parentes id imperent propter divitias, quibus ille vir fruitur.

Quæ de filiis in parentes dicta sunt, in aliis subditis respectu quorumcumque superiorum intelliguntur. Illi doctrinæ adversatur hæc quorumdam casuistarum propositio: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Verum eam propositionem jam ab Innocentio XI. proscriptam, hac censura notavit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. *Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, verbis Dominicis aperte contraria, & hæretica: Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* Quæ de eo facto particulari dicta sunt, locum habent in aliis omnibus, in quibus famuli, scientes, suorum herorum iniquitati serviunt.

Quæ sit merces filiorum in parentes honori promissa.

Merces filiorum in parentes honori promissa, hisce verbis Exodi 20. continetur: *ut sis longævus super terram.*

Merces illa temporalis non omnibus absolute promittitur; sed iis tantum, quibus ad salutem expedierit: scilicet plurimi (scriptura teste) rapiuntur, ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne impendentibus calamitatibus opprimantur.

Nomine longioris vitæ, non ipsa vitæ prolixitas tantum intelligitur, sed etiam otium, quies, incolumitas, quibus tranquille vivitur: quæ quidem omnia intermixtam calamitatibus prolixiorem vitam maxime superant.

ARTICULUS V.

De quinto Decalogi mandato.

UT quinti Mandati, quod perspicuis his verbis, *Non occides*, in Decalogo legitur, ac quo homicidium prohibetur, integer ac germanus sensus tradatur, observandum est cum auctoribus Catechismi Romani, duo ea lege contineri: Alterum, ne occidamus, quod a nobis fieri vetitum est; Alterum, quod facere jubemur: ut nempe concordi amicitia ac caritate proximum nostrum, ipsos etiam inimicos prosequamur. De hoc postremo capite nihil hic scribemus: quæ enim ad illud spectant, de virtute Caritatis agentes inferius pertractabuntur. Circa prius autem quæremus 1. an cædes quovis in casu prohibeatur. 2. An id liceat pro conservatione bonorum, quæ fortunæ dicuntur. 3. An pro conservanda pudicitia. 4. An denique in vitæ propriæ defensionem, injustum invasorem occidere liceat.

Quæ cædes prohibeatur.

1. Bestias occidi prohibitum non est: datæ sunt enim in usum nostrum a Deo ipso: *Omne* (inquit Deus Genesis 9.) *quod movetur & vivit, erit vobis in cibum; quasi altera virentia tradidi vobis omnia*: Unde Augustinus sic, adversus Manichæos agens, loquitur: *Cum audimus, Non occides, non accipimus hoc dictum esse de frutetis, quia nullus eis sensus; nec de irrationalibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur.*

2. Cædes quam Magistratus adversus facinorosos imperant, hoc eodem præcepto non vetatur: *Non enim* (inquit Apostolus ad Rom. c. 13.) *sine caussa gladium portat*, Magistratus: *Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.* Nec mirum: malefactoribus enim morte per auctoritatem publicam illata, bonorum vitæ consulitur. *Non est igitur iniquitatis* (inquit Augustinus epist. 65. ad Macedon. cap. 6.) *sed potius humanitatis societate devinctus, qui propterea est hominis persecutor, ut sit hominis liberator.*

Insontes tamen Magistratibus occidere licitum non est, dicente Domino (Exodi 23.) *Non occides: quia aversor impium.* Unde Respublica Tyranno, aut hosti publico, caput innocentis postulanti tradere jure non potest, quamvis de Reipublicæ ipsius salute agatur, sed eum dumtaxat, qui juris ordine servato, capitalis sceleris reus convincitur: Alioquin enim Judex in illud Scripturæ, Deutero-

teronomii c. 16. peccabit, *juſte quod juſtum eſt perſequeris.*

Nota eſt opinio S. Thomæ docentis licere judici capitalem ſententiam proferre in hominem, quem certo novit innocentem, ſi, ſervato juris ordine, nocens convincatur: *Judex* (inquit 2. 2. q. 64. art. 6. in reſp. ad 3.) *ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus convincitur, debet diligentius examinare teſtes, ut inveniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut Daniel fecit. Si autem hoc non poteſt, debet eum ſuperiori relinquere judicandum. Si autem hoc nec poteſt; non peccat, ſecundum allegata ſententiam ferens, quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi qui eum aſſerunt nocentem. Miniſter autem judicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: alias excuſarentur carnifices qui Martyres occiderunt. Si vero non contineat manifeſtam injuſtitiam, non peccat præceptum exequendo; quia ipſe non debet diſcutere Superioris ſententiam: Nec ipſe occidit innocentem, ſed Judex cui miniſterium exhibet.* Verum licet ea de judicibus S. Thomæ opinio, ſpeculative vera foret, ad praxim tamen eam reduci non debere non ultimi ordinis Theologi contendunt: eo quod (inquiunt) occiſio ejus quem quis innocentem certo noverit, legi naturali repugnat, etiam ſi de bono publico agatur.

Judices, ne infracti præcepti, *Non occides*, rei fiant, in cauſſis capitalibus, judicare non debent ſolis præſumptionibus, aut indiciis, quamvis in ſpeciem graviſſimis, quod nonumquam fallant, ſed plenis dumtaxat probationibus, ſive legitimis teſtimoniis, aut propria rei confeſſione decernenda eſt capitalis ſententia.

In mitiorem quoque partem ſemper inclinare debent judices, cum eſt quæſtio de cauſſis ubi ſanguis fundendus eſt, modo tamen mitiorem illam partem leges approbent. Ita docet Aug. Epiſt. 64. ad Macedonium cap. 3.

3. In quintum Decalogi præceptum, *Non occides*, non peccant, qui juſto bello, non cupiditate, aut crudelitate impulſi, ſed ſolo publicæ utilitatis ſtudio vitam hoſtibus adimunt: *Miles* (inquit Auguſt. in lib. 1. de Civ. Dei, c. 20.) *cum obediens poteſtati ſub qua legitime conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ſuæ civitatis lege reus eſt homicidii. Immo niſi fecerit, reus eſt imperii contempti: Quod ſi ſua ſponte & auctoritate feciſſet, in crimen effuſi humani ſanguinis incidiſſet.* Quæ adverſus eam doctrinam objici poſſunt ex Can. XII. Concilii Nicæni 1. nec non ex Tertulliano, ſolvimus harum Inſtitutionum Tom. I.

Nec eſt militum expendere belli cauſſas: in favorem ſcilicet Principis judicare debent, ſi enormis error non appareat, ut revera apparet ſemper quoties ſubditus in ſuum legitimum principem bella movet.

Naturali nimirum & divino jure cuilibet ſubdito præcipitur ut Principi morem gerat: ac proinde eodem jure vetatur ne quid unquam tentet quod obedientiæ & obſequio illi debito adverſetur: Petri ſcilicet documentum eſt 1. ep. cap. 2. *Deum timete, Regem honorificate, Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

4. Nec etiam ejus præcepti rei fiunt, qui non ſponte, neque mediate, ſed fortuito hominem occidunt. Excipi tamen debent, qui rei injuſtæ dantes operam, proximum interimunt, ut in eo videre eſt, qui pugno aut calce gravidam mulierem percutiens, fetui, quem mulier illa in ſinu geſtat, mortem infert, quamvis fetus mors præter percutientis voluntatem accideret.

E contra rei ſunt homicidii 1. quicumque privata auctoritate hominem licet reum occidunt: *De occidendis* (inquit Auguſtinus epiſt. 154. ad Publicolam) *hominibus ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium; niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur.* Principium illud convellit hæc propoſitio a recentioribus quibuſdam propugnata: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam*; ſed ſcandalo, quod ea propoſitio pepererat, occurrit primum Alexander Papa VII. a quo proſcripta eſt, occurrit & Clerus Gallicanus ad Comitia generalia anno 1700. coactus: hac enim cenſura eam propoſitionem notavit: *Hæc propoſitio eſt erronea, crudelitatem, privatamque vindictam approbat.* Nec obeſt, quod leges Civiles in eum maritum non animadvertant; *Nam* (ut ait Sanctus Thomas in 4. Sent. diſt. 37. quæſt. 2. art. 1.) *Eccleſia in hoc non eſt adſtricta legibus humanis, ut judicet, cum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ eo judicio infligendæ ex hoc quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per judicium ſæculare. Et ideo in nullo caſu licet viro interficere uxorem propria auctoritate.*

Peccant 2. in eamdem legem qui aliquem malefactorem publicum privata auctoritate occidunt. Scilicet ad eos omnes qui auctoritate privata homicidium commiſerint extenduntur hæc Chriſti verba, Matthæi c. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Idem confirmari poteſt variis aliis tum Scripturæ, tum Patrum ſententiis.

Peccant 3. in idem Decalogi Mandatum, qui ſibi ipſis violentas manus inferunt. *Pejor eſt* (ait Auguſtinus lib. de patientia, c. 3.) *qui ſe occidit, quam parricida, quia nemo eſt homini ſe ipſo propinquior.* Ejuſdem facinoris reus eſt, qui damnatus ut fame pereat, cibum ſibi occulte oppoſitum non comedit, vel damnatus ut veneno extinguatur, ſumit venenum ſibi propinatum. Quamvis enim reus juſte condemnatus vim miniſtris infer-

inferre non possit, non potest tamen aliquid per se gerere, ex quo mors ipsa sequatur: *Sicut etiam* (ait Sanctus Thomas 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2.) *si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere.* Rei sunt quoque infractæ ejusdem legis, qui per crapulam, ebrietatem aut obscenas libidines, seipsos occidunt: *In multis escis* (inquit Scriptura, Eccli. cap. 37.) *erit infirmitas . . . propter crapulam multi obierunt.*

Peccant 4. in idem præceptum Medici qui mulieri prægnanti, in certo etiam mortis periculo constitutæ, potionem ad procurandum abortum porrigunt sive fetus sit animatus, sive inanimatus. Ratio est, quia procuratio abortus est res intrinsece mala, juxta illud Tertulliani Apolegetici cap. 9. *Homicidii festinatio est prohibere nasci*: unde merito hæc habet Ambrosius in Jure Canonico laudatus, Caussa 14. q. 5. Canone, Denique: *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravare alterum.*

An liceat occidere ad conservationem bonorum, quæ bona fortunæ dicuntur.

Non licet occidere ad conservationem bonorum, quæ bona fortunæ dicuntur:

Nam 1. Contraria sententia Scripturæ repugnat, quæ præcipit ut iis benefaciamus, qui nobis injuriam, vel verbis, vel facto inferunt: at cum ea caritate cædes latronis qui bona fortunæ per vim eripit, componi non potest.

2. Repugnat Traditioni. Scilicet Augustinus lib. 1. de lib. arbitrio, cap. 1. approbat hanc Exodi Sententiam: *Quomodo enim apud eam* (Dei providentiam) *sunt isti peccato liberi: qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

3. Pugnat pariter cum ratione: Eripitur nimirum vita, non corporalis modo, sed & spiritualis, & perpetuæ damnationi addicitur, pro minori bono, ut sunt divitiæ. Hinc in antiquo Testamento prohibetur, ne fur qui diurnus dicitur, quod bonis fortunæ tantum, non autem vitæ, insidiari censeatur, occidatur: *Quod si orto sole* (ait Lex, Exodi 22.) *hoc fecerit*, seu occiderit furem qui domum effringit, *homicidium perpetravit, & ipse morietur.*

An pro conservanda pudicitia occidere liceat.

Virgini, aut mulieri conjugatæ non licet occidere injustum pudicitiæ invasorem.

1. Ita sensit Augustinus; scilicet cum libro 1. de libero arbitrio, cap. 5. hanc ei objectionem Evodius proposuisset: *Non ergo Lex justa est, quæ dat potestatem feminæ ut violenter sui stupratorem irruentem, aut illaturum stuprum, si possit, interimat*, sic S. Doctor Evodii argumentum solvit: *Legem quidem non reprehendo, quia tales* (stupratorem & latronem qui occisionem tentat) *permittit interfici: sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.*

2. Femina de qua est quæstio, vel stupratorem interficeret, ne pateretur detrimentum virtutis castitatis, vel ut suæ apud homines famæ consuleret: atqui neutrum illam eximit a peccato. Non primum: cum non in corpore, sed in animo, castitatis virtus suam sedem habeat: *De pudicitia vero* (inquit Augustinus) *quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est. Unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest.* Non secundum; scilicet ut infra dicetur, homicidii rei sunt qui pro sua apud homines fama proximo vitam eripiunt.

3. Non obstant leges politicæ, quibus mulieri fit facultas occidendi violentum stupratorem. Nam 1. ex eo quod leges Civiles in quædam facta non animadvertant, non sequitur innoxia esse facta hujusmodi; multa quippe majoris mali vitandi caussa Respublica tolerat, quæ tamen Deus odit ac detestatur, ut patet in meretricio publico, quod aliquibus in locis legibus non castigatur. 2. Augustinus loco superius laudato, argumento ex legibus civilibus petito sic occurrit: *Nescio utrum non aliqua vehementiore ac secretissima lege* (de æterna loquitur) *teneantur, si nihil rerum est quod non administret divina providentia.*

An liceat interficere ad honoris conservationem.

Nemini unquam licet proximo vitam eripere, ut suæ apud homines famæ consulat.

1. Qui iniquum honoris invasorem occidit, vitam aufert, quæ principem inter bona naturalis ordinis locum tenet; ac præterea certæ ac perpetuæ damnationi eum addicit.

2. Nec Scriptura, nec Traditio, cum de quinto Decalogi mandato loquuntur, usquam casum, de quo agitur, excipiunt, at (ex Aug. l. 10. de civitate Dei, c. 21.) *his exceptis quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deum specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

3. Cum patientia, quæ nobis in Evangelio jubetur, conciliari non potest sententia quæ docet licitam esse occisionem ad honoris mundani conservationem: quis enim patientem eum dixerit, qui propter alapam, aut verbum contumeliosum, aut calumniam aliquam, hominem occiderit? *Qui ergo* (inquit August. epist. 5. ad Marcellinum) *vincit bono malum, patienter amittit temporalia commoda, ut doceat quæ pro fide, atque justitia contemnenda sint, quæ ille nimis amando sit malus.*

4. Propter ejus rei conservationem propter quâ age-

agere peccatum est, non licet hominis occisio: atqui agere non licet propter humanam famam: *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te* (ait Augustinus lib. 10. Confessionum, cap. 39.) *non defendetur ab hominibus, judicante te, nec eripietur, damnante te.*

5. Falsum est principium quo nititur opposita sententia: *Honor carior est quam vita.* Nam 1. nullum exilius est bonum, quam illud quod non in homine ipso, sed in alieno judicio positum est, ac proinde contra æquitatem peccat, qui vitam qua nihil naturale pretiosius est, proximo adimit. 2. Licet detur famam quæ ad aliorum etiam utilitatem refertur, esse aliquod magnum bonum, non inde tamen sequitur quod facinore conservari possit.

6. Nullus inter Christianos illud doctrinæ portentum, quod ad defensionem suæ apud homines existimationis, proximo vitam & temporalem, & æternam eripere liceat, ante centum ab hinc annos protulit in medium: ergo plusquam falsa est sententia, qua id asseritur.

Utrum injustum vitæ invasorem occidere liceat.

Qui *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, injustum vitæ invasorem occidit, speculative loquendo, non est reus homicidii.

Id expresse docet S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. ubi sic loquitur: *Si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia quam oporteat, erit illicitum: Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam vitæ alienæ.*

Practice loquendo, illicita est injusti vitæ invasoris occisio ad vitæ conservationem.

Ratio est, quia vix, aut potius nunquam, in praxi servari possunt conditiones quæ ad moderamen inculpatæ tutelæ requiruntur. Nam 1. defensor non debet plus agere quam sit opus ad declinandam mortem, quam invasor ei conatur inferre. 2. Non debet velle, proindeque nec tentare mortem aggressoris: alioquin enim in licita defensione non staret, sed iniquæ vindictæ reus constitueretur. 3. In iis quæ sunt præter defensionem debet se habere mere passive, ita ut si aggressori lethale vulnus infligatur, id accidat præter defendentis intentionem, sed id contingat ex ipso aggressore, qui irruit in defensoris ensem.

Desumptæ sunt illæ ad inculpatæ tutelæ moderamen requisitæ conditiones ex Sancto Thoma, qui loco proxime laudato sic loquitur: *Sed quia occidere hominem non licet nisi publica auctoritate, propter bonum commune: illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro Judicis pugnante contra latrones, quamvis & isti peccent, si privata libidine moveantur.*

Ea, qua dictum est, ratione explicato moderamine inculpatæ tutelæ, sententia S. Thomæ facile conciliatur cum S. Augustini doctrina: nempe docet S. iste Doctor eum, qui vitam suam corporalem conservat cum dispendio æternæ salutis sui proximi, violare naturalem caritatis ordinem, in eo positum quod majus bonum præferatur minori, ut est vita corporis respectu salutis animæ. Docet 2. servata proportione idem de vita corporea, ac de pudicitia ferri debere judicium: *De vita enim* (ait l. 1. de libero arbit. c. 1.) *fortasse cuipiam sit dubium, utrum animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur. Sed si auferri potest, contemnenda est; si non potest, nihil metuendum.*

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, colligitur 1. eum esse reum homicidii, qui interficit aggressorem fugientem, aut ita vulneratum ut nocere non possit. Colligitur 2. eodem facinore damnari, qui, cum suæ saluti aut per fugam, aut veniam petendo, aut tradendo pecuniam, aut aliquo alio modo consulere possit, eripit vitam aggressori.

Cleri Gallicani doctrina de Homicidio.

De homicidio nonnulli recentiores Casuum arbitri varias propositiones defenderant, postremis hisce temporibus, quarum plures prædamnatæ fuerant a summis Pontificibus. Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. congregatus, speciali Censura eas notavit, quam quidem censuram ad confirmationem eorum omnium quæ superius dicta sunt, operæ pretium est, ut hic exscribamus.

I. *Propositio.* Est licitum religioso, vel clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni, publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

II. *Propositio.* Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet Sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.

Censura. Hæ duæ propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, decalogo aperte repugnant, cædibus patrocinantur, & magistratibus, ipsique humanæ societati perniciem intentant.

III. *Propositio.* Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignorantia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam,

pam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

Censura. Hæc propositio est scandalosa, erronea, mundano honori servit, ultionem & homicidia excusat.

IV. *Propositio*. Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

V. *Propositio*. Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur; ac consequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi.

Censura. Hæ propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, infandis homicidiis, & parricidiis procurandis aptæ: homicidii enim festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet.

VI. *Propositio*. Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.

VII. *Propositio*. Licitum est, tam heredi quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere (defensione occisiva) sicut & jus habenti in cathedram vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.

VIII. *Propositio*. Non solum vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisiva defendere... Fatemur rarius licitum esse Ecclesiasticis... Si tamen aliquando futurum contingat tale malum (id est, gravissimum damnum) etiam ipsis licitum erit bona ista cum occisione furis defendere.

Censura. Hæ propositiones legi Dei (Exodi 22.) & ordini caritatis divinitus instituto contrariæ sunt, perniciosæ, & erroneæ.

IX. *Propositio*. Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifestavit, sed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) si aliter non potes effugere; ut si maritus pugionem habeat sub cervicali ad occidendam noctu conjugem: si quis venenum tibi propinandum paraverit; si Rex unus adversus alium classem adornarit.

X. *Propositio*. Si arma quidem nedum paravit, seu habet tantum decretum firmum & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divina, vel manifestatione confidenter amicis facta innotescat, potes prævenire; quia per illud decretum, etsi pure internum, sufficienter censetur esse aggressor.

Censura. Doctrina his duabus propositionibus contenta, juri naturali, divino, positivo, & gentium contraria est, nefandis cædibus, & fanatismo viam sternens, societatis humanæ perturbativa, regibus quoque præsentissimum periculum creat.

XI. *Propositio*. Ubi est scripta expressa permissio a Deo, ut reges & respublicæ possint interficere reos? An est in Scriptura? An in Traditione? Est ne fidei articulus? Si solo lumine naturali eo ducimur, patere ut ex eodem lumine naturali judicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggressore non solum vitæ, verum etiam honoris & rei.

Censura. Doctrina hac propositione contenta & illata, scandalosa est, erronea & hæretica, regibus & rebuspublicis injuriosa, variis ratiociniis & regulis vitam hominum & morum decreta subjiciens.

XII. *Propositio*. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

XIII. *Propositio*. Potest etiam duellum offerre, si non aliter honori consulere possit.

Censura. Doctrina his propositionibus contenta, falsa est, scandalosa, contraria juri divino & humano, tam Ecclesiastico quam civili, immo & naturali.

ARTICULUS VI.

De sexto Decalogi Præcepto.

Sexti præcepti Decalogi: *Non mœchaberis*, duplex est vis: Altera qua adulterium vetatur; Altera quæ jubet ut animi corporisque castitatem servemus.

Quænam vetentur sexto Decalogi mandato.

Sexto Decalogi mandato prohibentur inhonesta omnia & impudica: *Nomine Mœchiæ* (inquit Augustinus libro 6. quæstionum in Exodum) *illicitus concubinatus atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi.*

Hinc infertur 1. prohiberi sex luxuriæ species, Fornicationem nimirum, Adulterium, Incestum, Stuprum, Raptum, Peccatum contra naturam, Sacrilegium.

Cum absolutio a pluribus speciebus ad luxuriam spectantibus, Episcopis reservetur, tradenda est hic uniuscujusque definitio. Itaque Fornicationis nomine intelligitur commixtio soluti cum soluta. Adulterium est concubitus contra pactum conjugale cum altera matrimonio conjuncta. Incestus est cum quis fruitur muliere cum qua per consanguinitatem, aut affinitatem conjunctus est. Stuprum est actus venereus, quo virgo defloratur. Raptus est commixtio cum invita, aut consentiente quidem, sed quæ aut invitis parentibus, aut tutoribus per vim rapta fuerit. Vitium contra naturam consistit in actibus venereis, ex quibus generatio consequi non potest; ejus generis sunt mollities, sive pollutio voluntaria; bestialitas, sodomia; requisitus ad generationem non servatus concumbendi modus. Sacrilegium denique est actus venereus, habitus aut in loco sacro, aut cum persona, quæ, vel per aliquem e sacris ordinibus, vel per vota, Deo consecrata sit.

Infertur 2. non tantum illarum specierum luxuriæ actus externos sexto Decalogi man-

dato prohiberi; sed etiam internos, cum ad idem objectum spectent, ad quod externi. Unde Christus in Evangelio Pharisæos arguit, quod Legem de externis tantum luxuriæ actibus intelligeret: *Audistis quia dictum est: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.*

Infertur 3. quoslibet luxuriæ actus juri naturali repugnare: prohibentur etiam sexto Decalogi mandato, quod (sicut & cetera ejusdem decalogi mandata) juris est naturalis. Unde Alexander Papa VII. merito hanc propositionem damnavit: *Mollities jure naturali prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Quænam præcipiantur sexto Decalogi mandato.

Ipsamet castitas, ac media quæ ad illius conservationem necessaria sunt, sexto Decalogi mandato præcipiuntur.

Scilicet Apostolus 1. ad Thessalonicenses 4. sic loquitur: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum.*

Hinc patet præcipi 1. ut quisque impudicas cogitationes abjiciat: neque enim eas animo volvere potest, quin aut consentiat, aut iis delectetur; aut saltem quin sit delectationis, vel consensus periculum.

Præcipitur 2. ut quisque a tactibus, osculis, aspectibus, sive in proprio corpore, sive in alieno, aliisque hujusmodi actibus temperet, quibus ipsi etiam conjugati interdicuntur, cum ad actum conjugalem, procreandæ prolis, aut reddendi debiti caussa non referuntur. *De longe* (inquit August. in Ps. 50.) *vidit David illam in qua captus est. Mulier longe, libido prope. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet.*

Præcipitur 3. ut nullo motu corporeo, qui venereus sit, libere delectetur; nullum omnino appetat sive sanitatis, sive vitæ caussa: sunt enim intrinsece mali, & æterna lege damnati. Hinc ista Quietistarum propositio: *Non refert quid sensus agat, vel quid sentiat corpus, modo animus Deo conjungatur*, hæretica est, ad fræna libidinibus laxanda viam aperiens. Non absimilis est doctrina illius propositionis, ab ea quam in Beguardis & Beguinis Clemens Papa V. in Concilio Viennensi damnavit in Clementina: *Ad nostrum*. Tit. de hæreticis, ubi sic habetur: *Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus: Quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui & rationi subjecta, quod homo potest libere concedere spiritui quidquid placet.*

Præcipitur 4. ut quisque occasiones fugiat, quæ ad luxuriam provocant, ut sunt amatorii libri, comœdiæ, saltationes, collocutiones cum personis diversi sexus. Unde S. Carolus Confessariis injunxit ne eos absolvant, qui non pollicentur, se nuntium remissuros iis vanissimis, periculosissimisque rebus.

Præcipitur denique 5. sed indirecte, precum ac mortificationis praxis; luxuria enim ejus est generis, ut non nisi in oratione & jejunio expellatur.

Cleri Gallicani doctrina de sexto Decalogi mandato.

Aliquibus abhinc annis nonnulli recentiores inter alias perniciosas circa sextum Decalogi mandatum propositiones, has promulgarunt, quas Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia congregatus, an. 1700. speciali censura notavit.

I. *Propositio*. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum esse videatur.

II. *Propositio*. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

Censura. Doctrina his propositionibus contenta, scandalosa est, perniciosa, castarum & piarum aurium offensiva, & erronea.

III. *Propositio*. In hac vi & metu infamiæ, mortisque, poterat Susanna dicere: non consentio actui, sed patiar & tacebo, ne me infametis & adigatis ad mortem... Forte Susanna id vel non sciebat, vel non cogitabat; sic enim honestæ castæque virgines putant se esse reas, seque consensisse lenonibus, si non clamore, manibus, totisque viribus resistant... Potuisset Susanna in tanto periculo infamiæ & mortis, negative se habere, ac permittere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata, & execrata fuisset: quia majus bonum est vita & fama, quam pudicitia; unde hanc pro illa exponere licet.

Censura. Hæc propositio temeraria est, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, & legi Dei (Deuteron. c. 22.) contraria.

ARTICULUS IV.

De septimi Decalogi mandato.

SEPTIMI Decalogi mandato: *Non furtum facies*, hæc vis est, ac sententia 1. ut prohibeamur fortunæ bona, quæ proximi sunt, eo invito accipere, aut accepta servare nobis: 2. ut in proximum benefici simus ac liberales.

Quid prohibeatur septimo Decalogi mandato.

Duobus modis rei cujusque dominus potest esse

esse invitus, per ignorantiam nempe, aut per violentiam: Proindeque hocce præcepto, *Non furtum facies*, duo peccata prohibentur, furtum scilicet & rapina: Illud, est alienæ rei occulta ablatio; istud vero, est ablatio per violentiam. Furtum in tot species dividitur quot sunt bona specie diversa, quæ clanculum a domino possunt auferri. Quadruplicis vero generis sunt ea bona; Si ad privatum hominem pertineant, eorum ablatio simplex furtum appellatur; si publica, dicitur peculatus; si homo liber, vel alienus servus abducatur in servitutem, vocatur plagiatus; si bona quæ subripiuntur, divino cultui consecrata sint, aut in aliquo loco sacro contineantur, illorum subreptio dicitur sacrilegium.

Rapina plures sub se species continet. Nam 1. qui operariis debitam mercedem non persolvunt, raptores sunt. 2. Ejusdem facinoris rei sunt latrones, qui vias publicas obsident, sive cædem viatoribus inferant, sive non inferant. 3. Rapinæ rei sunt decimarum, vectigalium, seu tributorum defraudatores. 4. Rapinas faciunt nummarii Judices, qui venalia habent judicia. 5. Ad idem genus spectant rerum sibi creditarum inficiatores. 6. Non alio feneratores reducendi sunt. 7. Qui in debitores sævi sunt ac crudeles. 8. Tandem inter raptores computandi sunt, qui in frugum inopia comprimunt frumentum, faciuntque ut per suam culpam carior sit ac durior annona.

De variis modis, quibus alienum, aut occulte, aut violenter auferri potest, nihil amplius dicemus: quod nempe majori ex parte alienæ rei detentores recensendi sint inferius, cum de Contractibus, aut de Dominio, aut de Restitutione iis locis agemus, ubi disseremus de virtute justitiæ.

Quid jubeamur septimo Decalogi mandato.

Septimo Decalogi mandato, *Non furtum facies*, non solum prohibemur ne proximi bonis, quæ bona fortunæ dicuntur, detrimentum aliquod inferamus; sed etiam (ut jam observatum est) jubemur, ut in illum simus benefici ac liberales, cum nostra indiget opera.

De superfluis igitur illius miseriam sublevare naturali ac divino jure tenemur, immo & de necessariis, cum extrema est calamitas quam patitur. Superfluorum autem nomine ea intelliguntur, quæ supersunt honestæ sustentationi secundum cujusque statum ac conditionem, non vero secundum eum quem inani gloria ductus ambire posset: alioquin enim nec in ipsis etiam Magnatibus quidquam esset superfluum, nusquamve eleemosynam largiri tenerentur.

Cleri Gallicani doctrina de furto.

Iis quæ hucusque dicta sunt, adversantur variæ propositiones a recentioribus arbitris casuum propugnatæ, quas cum multis quæ, cum de virtute justitiæ agemus, a nobis referuntur, speciali censura notavit Clerus Gallicanus ad Comitia generalia coactus anno 1700.

I. Propositio. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Censura. Hæc propositio quatenus furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & reipublicæ perniciosa.

II. Propositio. Famuli & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Censura. Hæc propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.

III. Propositio. Potest uxor viro surripere pecuniam, etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis ac victu habeatur.

Censura. Hæc propositio temeraria est, scandalosa, & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo alimentis æquiparendo additur, furti iniquitati pessimas fallendi artes adjungit; in vitam humanam necessitates inducit a Christiana simplicitate, & honestate abhorrentes.

IV. Propositio. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

Censura. Hæc propositio est temeraria, scandalosa, erronea, evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdat.

ARTICULUS VIII.

De octavo Decalogi mandato.

IN hujusce præcepti, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, quod octavo loco in Decalogo recensetur, explicatione, eadem est adhibenda methodus, quæ in præcedentium expositione a nobis adhibita fuit. Quærendum scilicet est 1. quid prohibeat; 2. quid præcipiat; 3. quænam sit de eo præcepto Cleri Gallicani doctrina.

Quid prohibeatur octavo Decalogi mandato.

Præcepto, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, prohibetur 1. mendacium, quippe quod essentialiter sit malum, utpote veritati, ac æternæ legi, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, omnino oppositum: Unde mendacio nusquam uti licet, sive ut quis suæ, aut aliorum saluti consulat, sive ut maximum bonum operetur, sive ut summum malum declinet: non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. Vide Augustinum libris duobus, *De mendacio & contra mendacium.*

Quid autem sit mendacium explicat S. Doctor Enchiridii cap. 22. ubi sic loquitur: *Omne mendacium ideo dicendum esse peccatum, quia homo non solum quando scit ipse quod verum*

verum ſit : ſed etiam ſi quando errat , & fallitur ſicut homo , hoc debet loqui quod animo gerit , ſive illud verum ſit , ſive putetur , & non ſit . Omnis autem qui mentitur , contra id quod animo ſentit , loquitur voluntate fallendi . Et utique verba propterea ſunt inſtituta , non per quæ homines ſe invicem fallant , ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas proferat . Verbis ergo uti ad fallaciam , non ad quod inſtituta ſunt , peccatum eſt . Nec ideo ullum mendacium putandum eſt non eſſe peccatum , quia poſſumus aliquando alicui prodeſſe mentiendo : Poſſumus enim & furando , ſi pauper , cui palam datur , ſentit commodum , & dives cui clam tollitur , non ſentit incommodum . Nec ideo tale furtum quiſquam dixerit non eſſe peccatum . . . . . . Plurimum quidem ad bonum profeciſſe homines , qui nonniſi pro ſalute hominis mentiuntur , non eſt negandum : ſed in eorum tali profectu merito laudatur , vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia , non fallacia , quæ ut ignoſcatur ſat eſt , non ut etiam prædicetur , maxime in hæredibus Teſtamenti Novi , quibus dicitur : Sit in ore veſtro , Eſt , Eſt , Non , Non ; quod enim amplius eſt , e malo eſt .

Hinc rei ſunt judices qui mendacia comminiſcuntur ut a reis veritatem extorqueant . 2. Ipſimet rei , qui inficiantur commiſſa a ſe facinora , arbitrati ſe poſſe mentiri , ſaltem ſi juridice non interrogentur . 3. Rei quoque ſunt , qui cum mortem filii alicujus hominis ægrotantis tacere non poſſint , affirmant minime mortuum , ne eo nuntio audito ægrotus moriatur ; ita Auguſtinus in lib. contra mendacium cap. 17. Idem dicit de eo qui mentitur , ne prodat innocentem , ne pudicitiæ ſuæ detrimentum patiatur .

Prohibetur 2. uſus reſtrictionum mentalium , terminorum æquivocorum , amphibologicorum : qui enim utitur reſtrictione mentali , aut terminis æquivocis , aut amphibologicis , ſeu terminis , quorum ſenſus naturalis , & ordinarius , alius eſt a ſenſu in quo a loquente ſumuntur , fallit expectationem hominis , cui loquitur , ac proinde reus eſt mendacii , juxta illud Auguſtini in libro de Mendacio , cap. 3. *Ille mentitur , qui aliud habet in animo , & aliud verbis , vel quibuslibet ſignificationibus denuntiat . Unde etiam duplex cor dicitur mentientis , id eſt , duplex cogitatio : una rei ejus quam veram eſſe , vel ſcit , vel putat , & non profert : altera ejus rei , quam pro iſta profert , ſciens falſam eſſe vel putans .*

Prohibetur 3. tum in judicio , tum extra judicium , falſum teſtimonium , quo nempe alicui crimen imponitur . Hinc infractæ divinæ legis rei ſunt 1. qui ut teſtibus auctoritatem detrahant , fictitia crimina eis objiciunt . 2. Notarii qui falſa inſtrumenta conſcribunt , etiam iis in caſibus , in quibus iis , in quorum favorem fiunt , jus habent in rem aliquam , immo actu eam poſſident ; evincendi alioquin eo quod ſchedulam obligatoriam adverſæ partis amiſerint : unde Theologiæ facultas Parienſis anno 1665. die 3. Februarii declaravit doctrinam contrariam , *falſam eſſe , ſcandaloſam , & reipublicæ pernicioſam .*

Prohibetur 4. Detractio qua quis occultum crimen detegit . Illud enim teſtimonium licet veritate nitatur , falſum eſt tamen ratione circumſtantiæ , quod is nimirum de quo detrahitur , jus ad ſuam famam habeat . Detractionis rei ſunt 1. qui licet proximi detrimentum non intendant , de eo tamen detrahunt , ut intemperanti ſuæ linguæ faciant ſatis : 2. Qui detractionibus aures præbent , ſi enim auditores non eſſent , nulli detractores reperirentur : 3. qui cum poſſint detractionem impedire , ſilent tamen dum quis detrahit . Sed advertendum eſt detractoribus non debere accenſeri , qui crimen occultum ad Superiorem prudentem deferunt , a quo reus paterne moneatur , aut cuipiam amico retegunt , ne eidem amico iniqui illius hominis familiaris ſocietas noceat .

Quid præcipiatur octavo Decalogi mandato.

Altera octavi mandati parte , quæ affirmativa eſt , unum tantum præcipitur , nimirum ut veritas pro loco & tempore aperiatur , juxta illud Apoſtoli ad Epheſios c. 4. *Veritatem facientes in caritate , creſcamus in illo per omnia . Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo ; quoniam ſumus invicem membra .*

Ea lege dicendi veritatem , tenetur reus ſecundum ordinem juris interrogatus ; hoc eſt , tenetur confiteri crimen de quo , ſervato juris ordine , interrogatur ? *Quicumque* (ait S. Thomas 2. 2. quæſt. 69. art. 1.) *facit contra debitum juſtitiæ , mortaliter peccat . Pertinet autem ad debitum juſtitiæ quod aliquis obediat ſuo Superiori in his , ad quæ jus prælationis ſe extendit ; judex autem ſuperior eſt reſpectu ejus qui judicatur ; & ideo ex debito tenetur accuſatus judici veritatem exponere , quam ab eo ſecundum formam juris exigit : & ideo ſi confiteri noluerit veritatem , quam dicere tenetur , vel ſi eam mendaciter negaverit , mortaliter peccat : ſi vero judex hoc exquirat , quod non poteſt ſecundum ordinem juris , non tenetur ei accuſatus reſpondere ; ſed poteſt vel per appellationem , vel aliter licite ſubterfugere : mendacium tamen dicere non licet .*

Eadem eſt doctrina Catechiſmi Romani ad Parochos : *De reis autem* (inquit) *& ſontibus vult eos Deus verum confiteri , cum ex judicii formula interrogantur . Eſt enim teſtimonium ac prædicatio quædam , illa confeſſio laudis & glo-*

riæ Dei ex ipsius Josue sententia, qui Achan ad veri confessionem adhortatus inquit: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel: *Josue VII.* Secundum vero formam juris, reus interrogatur cum de crimine præcessit infamia, vel expressa indicia, vel semiplena probatio.

Nec obstat, quod reo ex occulti sui criminis revelatione, periculum capitis immineat. Nam ipse lubens per suum scelus in illud periculum incidit: Unde concluditur, eum in foro interno absolvi non debere, nisi polliceatur se confessurum esse veritatem: immo, cum quotidiana constet experientia reos eo in capite suis promissis non stare; plerumque promissio illa, etiamsi fieri supponatur, non est vera ac sincera voluntas confitendi crimen, sed velleitas tantum: unde ordinarie ante definitivam judicis sententiam absolvi non debent.

Desumpta est ea doctrina ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 69. art. 1. ad 1. sic loquitur: *Mentiri ad liberandum aliquem a morte cum injuria alterius non est mendacium simpliciter officiosum; sed habet aliquid de perniciioso admixtum. Cum autem aliquis mentitur in judicio ad excusationem sui, injuriam facit ei, cui obedire tenetur, dum sibi denegat quod ei debet, scilicet confessionem veritatis.* Idem ab eodem Sancto Doctore docetur Quodlibeto V. quæst. VIII. art. 2. quæst. enim, Utrum mulier accusata de adulterio occulto, teneatur suum peccatum judici confiteri; sic vero respondet: *Si adulterium sit omnino occultum, non debet peccatum suum in judicio confiteri; nec debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda; quia occulta soli divino judicio reservantur. Sed quando ex adulterio procedit infamia, vel aliqua signa evidentia apparent, quæ vehementem suspicionem facere possunt; vel quando est semiplene probatum, tunc debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda, & ipsa tenetur confiteri veritatem.*

Quod de confessione criminis proprii dictum est, locum etiam habet in complicibus; hoc est, reus servato juris ordine interrogatus, eos revelare tenetur, si infamia præcesserit, vel indicia vehementia, aut si jam unius testis accusatione proditi fuerint; immo & sine infamia præcedente, sine indiciis, sine accusatione vel unius testis, reus tenetur complices revelare in casibus jure expressis, hæresis nimirum, sortilegii, læsæ Majestatis, aut patriæ, falsæ monetæ, veneficii, publici latrocinii, &c.

Cleri Gallicani doctrina circa octavum Decalogi mandatum.

Plures propositiones a quibusdam recentioribus adversus Octavum Decalogi mandatum prolatas damnavit Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus anni 1700. Duas hic cum affixa eis speciali censura recensebimus, quod expressius octavo Decalogi mandato adversentur.

I. Propositio. Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & sancti, æquivocationibus, & amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt.

Censura. Hæc propositio scandalosa est, temeraria: mystice, parabolice, sive œconomice ad insinuandum altius veritatem dicta, vel tacita, cum vulgaribus gestis confundit: SS. Patrum acta ludibrio vertit; ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa & impia.

II. Propositio. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam injustitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

Censura. Hujus propositionis doctrina (*jam ab Innocentio Papa XI. damnata*) falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus & impostoribus portam aperit; & clare detegit, quam nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.

Nihil est quod æquivocationibus faveat.

Nihil prorsus est in Scripturis quod æquivocationibus, restrictionibus mentalibus, amphibologiis patrocinetur. *Si quæ* æquivocationes hujusmodi, restrictiones mentales, amphibologiæ in Scripturis referantur, historice narrantur, dogmatice vero non probantur, sicut nec quædam scelera quæ in ea a nonnullis perpetrata fuisse leguntur.

I. Sara neptis erat Abraham ex fratre Aram; potuit igitur dicere, ut vitæ suæ consuleret, esse sororem suam, non negando uxorem: consanguinei nimirum in Scripturis non semel fratrum & sororum nomine vocantur; 2. de Jacob qui se Isaaci primogenitum dixit, hæc scribit Augustinus libro contra mendacium, cap. 10. *Verax ergo significatio nullo modo mendacium recte dici potest. Ut autem in facto, ita & in verbo. Nam cum ei pater dixisset*, Qui es tu fili? *Ille respondit*; Ego sum Esau, primogenitus tuus. *Hoc si referatur ad illos duos geminos, mendacium videbitur. Si autem ad illud propter quod significandum ista gesta, dictaque, conscripta sunt, ille hic est intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac re loquens, ait*; Cum videritis Abraham, Isaac & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei; vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno. Et ecce sunt novissimi qui erant primi, & sunt primi qui erant novissimi: *Sic enim quodammodo minor majoris primatum frater abstulit, atque in se transtulit fratris. Cum igitur tam vera, tamque signi-*

significentur veraciter, quid hic debet putari falsum, dictumve mendaciter?

II. Quæ Angelus Raphael cum Tobia & dixit & egit, parabola quædam fuerunt, quæ peractis iis quæ agenda erant, explicari debuit, & revera ab ipso Raphaele explicata est; Parobola autem quæ, ubi oportet, exlicanda est, mendacium non est: sed veritas in ænigmate proposita.

III. Cum Christus, Lucæ 24. appropinquans castello Emmaus finxit se longius ire, nihil aliud egit quam vultum componere, & accingere se per modum ulterius profecturi, quidem revera profecturi, nisi discipulorum hospitalitate, & caritate impeditus fuisset; ac proinde Christus facto illo minime mentitus est.

IV. Æquivocatione pariter, aut restrictione mentali usus non est, cum Matthæi 13. dixit nescire se extremam judicii diem; *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Siquidem sciebat se Apostolis loqui, qui cum certo scirent, Christum esse Deum & hominem, noverant, quæ de se ipso affirmabat, aut negabat, convenire ipsi vel ut homini, vel ut Deo; ac proinde ad illorum mentem respondit Christus, asserens se, prout erat homo viator, nescire extremam judicii diem. Præterea nescire se dixit figurata locutione, quia nimirum non faciebat discipulos suos horam illam scientes. Nec is loquendi usus infrequens est in Scripturis; *Nunc cognovi*, id est, cognoscere feci, *quod timeat Deum*, ait Deus ipse, Abraham alloquens Genesis 22.

V. Apertus est quoque sensus horum Christi verborum, Joannis 7. *Ego non ascendo ad diem festum istum*; nempe 1. non dixit; *Non ascendam*, sed, *Non ascendo*, quæ verba tempus præsens significant, quasi dixisset; *vobiscum non ascendo, quamvis opportuno tempore ascensurus sim.* 2. In textu Græco legitur adverbium, *Nondum*, præfixum verbo *Ascendo*; ac proinde nulla tunc CHRISTUS restrictione mentali, nullis terminis æquivocis usus est.

ARTICULUS IX.

De nono & decimo Decalogi mandato.

Nonum Decalogi mandatum Deuteronomii cap. 5. hisce verbis exprimitur: *Non concupisces uxorem proximi tui*: Decimum vero, his aliis; *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.*

Quamvis duo illa præcepta sint idem cum sexto, *Non mœchaberis*, & cum septimo, *Non furtum facies*; qui enim actum externum operis alicujus prohibet, censetur & internum prohibere: conveniens tamen fuit, ut distinctius, & explicatius traderentur: ita enim comparati erant Judæi carnales, ut solos actus externos prohibitos esse censerent, justosque se putarent, modo in externos mœchiæ, & furti actus non prorumperent: unde Matthæi 5. quamvis hæc explicite tradita fuissent, Pharisæi actus internos non damnabant: *Audistis* (ait Christus ipse, pravam illam expositionem rejiciens) *quia dictum est Antiquis; Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Præterea sexto præcepto: *Non mœchaberis*, prohibita tantum videbatur concupiscentia uxoris alienæ adhuc sub viri potestate constitutæ: non vero prohibetur desiderium uxoris alienæ per divortium (quod apud Judæos erat in usu) repudiatæ; ita ut prohibeatur ne rivales ad divortium maritos impellant animo fruendi eorum uxoribus per matrimonium sibi postea jungendis.

Itaque duobus his præceptis prohibetur omnis voluntarius concupiscentiæ motus; hoc est, mali alicujus desiderium. Cum autem motus iste feratur aut ad jucunda, aut ad utilia, duobus specialibus præceptis prohibendus fuit; id est, necesse fuit, ut prohiberemur voluptatem quærere propter ipsam voluptatem, & bona proximi, licet nobis utilia, desiderare.

Peccant igitur contra nonum præceptum: 1. qui concupiscentiæ motibus ad voluptatem impellentibus consensum præbent, aut qui eos, cum orti fuerint, non comprimunt: *His constitutis*, (ait Augustinus in libro de spiritu & lit. cap. 26.) *peccatum erit hominis ex fide viventis aliquando alicui delectationi illicitæ consentire; non tantum in horrendis illis facinoribus & flagitiis perpetrandis, verum etiam in levioribus; ne vel aurem alicui voci quæ audienda non esset, vel linguam alicui qui dicenda non esset accommodet; vel ipso corde aliquid ita cogitare, ut mallet licitum quod male delectat, & per præceptum scitur illicitum: Etiam ista quippe consensio est ad peccatum, quod utique fieret, nisi pœna terreret.*

Peccat 2. in idem præceptum, & quidem lethaliter, qui alienam uxorem desiderat, ut ea fruatur etiam in matrimonio cum ea post mariti mortem contrahendo: *Qui alterius uxorem concupiscit* (inquit Catechismus Romanus ad Parochos) *facile ex una in aliam incidet cupiditatem: aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet.* Hinc patet nemini licere verbo, vel scripto, vel aliquo alio signo alicui mulieri significare se, si uxor moreretur, eam ducturum esse in matrimonium:

Peccant in decimum præceptum qui proprii quæstus caussa alienum incommodum, publicas calamitates appetunt: *Peccant etiam graviter in hoc præceptum mercatores* (inquit Catechismus ad Parochos) *qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt, atque id ægre fe-*

ferunt, ut alii præter ipsos sint qui vendant, aut emant, quo carius vendere aut vilius emere possint. Item qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo, ipsi lucrentur. Lethaliter etiam peccant milites, qui bellum expetunt, ut furari eis liceat. Medici item qui morbos desiderant, Jurisconsulti, Judices, Advocati, Procuratores, Actuarii, sive Scribæ qui caussarum, litiumque vim & copiam concupiscunt. Sed hæc satis sint de Decalogi præceptis.

QUÆSTIO II.

De Lege Nova.

Not. 1. De Lege Nova, seu Evangelica Sanctus Thomas agit 1. 2. a q. 106. ad 108. inclusive. Eam vero perpendit 1. in se ipsa; 2. per comparationem ad veterem legem; 3. per comparationem ad ea quæ in illa continentur.

Not. 2. Circa primum quærit 1. utrum lex nova sit scripta; 2. utrum justificet; 3. quando incœperit; & tandem 4. quousque duratura sit.

Not. 3. Circa secundum, idem Sanctus Doctor quærit 1. utrum lex nova sit alia a veteri; 2. utrum lex nova impleat veterem; 3. utrum in veteri contineatur; 4. an sit gravior veteri.

Not. 4. Circa tertium quærit 1. utrum lex nova debeat opera exteriora præcipere, vel prohibere; 2. utrum sufficienter se habeat in exterioribus actibus præcipiendis, vel prohibendis: 3. utrum convenienter instituat homines quantum ad actus interiores; 4. denique utrum convenienter superaddat consilia præceptis.

CAPUT PRIMUM.

De Lege Nova secundum se.

CONCLUSIO 1. Lex nova præcipue scripta est interius in corde; secundario vero scripta est extrinsecus.

Probatur prima pars. Jeremiæ 31. sic Deus ipse de nova lege loquitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* 2. Lex nova secundum præcipuam ejus partem est gratia Spiritus sancti quæ fidelibus datur per fidem Christi, juxta illud ad Rom. 8. *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis*: atqui gratia Spiritus sancti scripta est interius in corde, juxta illud Apostoli *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* 3. Idem asseritur ab Augustino in libro de Spiritu & littera, c. 26. Sicut (inquit) *lex sanctorum scripta fuit in tabulis lapideis, ita lex fidei scripta est in cordibus fidelium.*

Probatur altera pars. Lex nova secundum ea quæ in illa minus præcipua sunt, sunt facta Christi, præcepta ab eo tradita, leges positivæ ab eo sancitæ; quæ quidem suo modo aut disponunt ad consequendam gratiam, aut ad rectum illius usum: Sed hæc conveniens fuit scriptis mandari, ut ea fideles & docerentur & retinerent: ergo lex nova secundario scribi debuit extrinsecus.

Objicies. Lex naturalis indita est homini; juxta illud ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ostendendo opus legis scriptum in cordibus suis*: ergo ut lex nova differret a lege naturali, debuit extrinsecus scribi.

Resp. dist. ant. Lex naturalis, indita est homini per modum indicantis agenda & fugienda, conc. ant. per modum adjuvantis ad facienda & fugienda, neg. ant. In hoc lex nova differt a lege Naturæ, quod hæc demonstret quæ facienda sunt, illa vero præbeat vires, quibus faciamus quæ facienda sunt, juxta illud Scripturæ: *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis.*

CONCLUSIO 2. Lex nova sumpta quoad præcipuam sui partem justificat; non justificat vero sumpta quoad ea quæ in illa minus præcipua sunt.

Probatur prima pars. Lex nova, ex dictis, quantum ad præcipuam sui partem, est gratia Spiritus sancti: sed gratia Spiritus sancti per se justificat: ergo & lex nova: *Ibi* (ait Augustinus in libro de spiritu & littera) *lex extrinsecus est posita, qua injusti terrerentur: Hic*, scilicet in Evangelio, *intrinsecus data est, qua justificarentur.*

Probatur altera pars. Lex nova, ex dictis, secundario sumpta, nihil aliud est quam præcepta fidei & morum, quæ in Evangelio continentur: præcepta illa per se non justificant: reducuntur enim ad litteram quæ occidit, juxta illud Augustini in libro de spiritu & littera, cap. 14. *Per litteram intelligitur qualibet Scriptura extra homines existens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio. Unde etiam littera Evangelii occideret, nisi adesset interior gratia fidei sanans.*

CONCLUSIO 3. Lex nova dari non debuit a mundi exordio.

Probatur 1. Lex nova quæ principaliter est gratia Spiritus sancti, dari non debuit antequam impedimentum peccati ab humano genere per Christum tolleretur, juxta illud Apostoli ad Rom. 8. ubi postquam præmisit de Lege Spiritus vitæ, subjungit: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* 2. Lex nova, est lex perfecta; sed quod perfectum est, statim dari non debet; sed quodam (ait Sanctus Thomas) temporali

suc-

successionis ordine, sicut aliquis fit puer, & postmodum vir. Traditur ea ratio ab Apostolo: *Lex* (inquit ad Galat. 3.) *Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur: at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*. 3. Par fuit ut homo per peccata suam experiretur infirmitatem, & cognosceret se gratia indigere, juxta illud Apostoli ad Rom. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia*.

Dices: Videtur quod quædam fuerit acceptio personarum; nempe legem novam, seu gratiam hominibus certo tempore contulit, quam præcedenti aliquo tempore minime contulerat.

Respondet Sanctus Thomas his verbis: *Ad primum ergo dicendum quod humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideo quibuscumque non datur, hoc est, ex justitia: quibuscumque autem datur, hoc est, ex gratia, ut Augustinus dicit in libro de perfectione justitiæ. Unde non est acceptio personarum apud Deum ex hoc, quod non omnibus a principio mundi legem gratiæ proposuit, quæ erat debito ordine proponenda*.

CONCLUSIO 4. Lex nova perdurabit usque ad sæculorum consummationem.

Probatur 1. Ex Scripturis. Psal. 100. hæc de nova lege prædicantur: *Redemptionem misit populo suo, mandavit in æternum testamentum suum*. Hæc quoque Baruch. c. 2. *Statuam illis testamentum sempiternum*. Hæc etiam habentur ad Hebræos 13. *in sanguine testamenti æterni*.

Probatur 2. ratione S. Thomæ. Ea lex usque ad sæculorum consummationem perdurabit, qua in statu viæ dari non potest perfectior: ideo enim ad tempus data fuit lex antiqua quod esset imperfecta: atqui dari non potest in statu viæ lex quæ Nova sit perfectior. Siquidem perfectio legis sumitur ex modo quo cum ultimo fine conjungit; scilicet lex omnis pro fine habet conjunctionem cum beatitudine; proindeque cum ultimo fine: Sed dari non potest lex aliqua in statu viæ, quæ magis, quam Nova hominem cum ultimo fine conjungat: suppeditat enim Mediatorem Deum qui per sui sanguinis effusionem meruit auxilia omnia quibus indigemus ut finem ultimum in clara Dei visione positum adipiscamur; unde est illud Apostoli ad Hebræos 10. *habentes autem fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quæ initiavit nobis viam novam, accedamus*, ergo &c.

Objicies 1. Lex nova est imperfecta, juxta illud Apostoli; *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*: atqui lex imperfecta non perdurabit usque ad sæculorum consummationem: ergo neque lex nova.

Resp. dist. maj. Lex nova, est imperfecta comparata ad statum in quo erimus in patria, conc. maj. dicit enim Apostolus 1. ad Cor. 13. *Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*; est imperfecta, comparata ad statum viæ, neg. maj. in ea nimirum sunt omnia quæ homines viatores ad Dei possessionem perducere possunt.

Objicies 2. Lex in qua non est cognitio omnis veritatis, non est perfecta; sed in lege nova non est cognitio omnis veritatis: nondum enim Ecclesia consecuta est, quod Christus discipulis suis promisit Joannis 16. *cum venerit Paraclitus docebit vos omnem veritatem*: ergo &c.

Resp. dist. min. In lege nova non est cognitio omnis veritatis quoad eventus futuros, qui ad salutem necessarii non sunt, conc. min. Dicitur enim Actorum 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Non est cognitio omnis veritatis quæ ad credenda, aut agenda spectet, neg. min. Scilicet promissio Apostolis facta, die sacra Pentecostes, qua in eos Spiritus Sanctus effusus est, completa fuit; ac proinde docti sunt omnem veritatem, quæ ad salutem spectat. Hinc patet, quam turpiter erraverint Manichæi, cum asseruerunt in suæ sectæ principe, Mane nimirum, completum fuisse promissum illud.

Objicies 3. Lex nova perdurare debuit tantum, donec ubique Evangelium prædicaretur, juxta illud Christi Matthæi 24. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, & tunc veniet consummatio*: atqui jamdiu ubique prædicatum fuit Evangelium; ergo jamdiu desiisse debuit lex nova; ac proinde & alia successisse.

Resp. neg. maj. Hæc enim Christi verba: *Et tunc veniet consummatio*, non intelliguntur de lege nova, quasi desiisse debuerit statim atque in universo orbe Evangelium regni prædicatum fuit; sed intelliguntur de excidio urbis Jerosolymitanæ, quod quidem accidit non multo post mortem Apostolorum, quorum tempore Evangelium Christi (ut docet Chrysostomus) apud omnes nationes innotuit, aut saltem paucæ admodum fuerunt gentes, quibus tunc Evangelium Christi cognitum non fuerit.

CAPUT II.

De lege Nova per comparationem ad Veterem.

CONCLUSIO 1. Lex nova non differt a vetere quantum ad finem ultimum; sed tantum quantum ad modum, quo ad ultimum finem perducit.

Probatur prima pars. Utriusque legis, veteris & novæ, & unus & idem est finis ultimus, utraque nimirum eo tendit ultimo, ut homines subdantur Deo, qui quidem non alius

alius est in lege nova, quam fuerit in veteri, juxta illud ad Rom. 3. *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & praeputium per fidem*; ergo lex nova, quantum ad finem ultimum, ad quem tendit, non est alia a lege veteri.

Probatur altera pars. Ea lex quantum ad modum, quo ad ultimum finem perducit, est alia a veteri, quæ propinquius, hoc est per media propinquiora, homines cum Deo, ultimo fine, conjungit: atqui (ut dictum est superius) lex nova propinquius homines cum Deo, ultimo fine, conjungit, quam olim lex vetus conjunxerit. Ista enim (ex Apostolo ad Galatas 3.) fuit quasi Pædagogus puerorum, illa vero est terminus, ad quem antiquus ille Pædagogus perducebat, seu est lex caritatis, ad quam antiqua lex homines per umbras & figuras disponebat; lex autem caritatis est (ut ait Apostolus ad Colossenses 3.) vinculum perfectionis.

Objicies 1. Ea lex non est alia a veteri, cujus fides est eadem cum fide veteris legis: atqui fides novæ legis est eadem cum fide veteris legis, juxta illud ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: ergo &c.

Resp. dist. min. Eadem est fides, sumpta quoad ultimum finem, conc. min. utriusque nimirum legis fides, cum sit virtus theologica, habet & eumdem finem ultimum pro objecto, seu Deum ipsum. Est eadem quoad statum, & modum, neg. min. Siquidem quod in veteri lege celebratur futurum, in nova lege tamquam factum creditur.

Objicies 2. Ea lex non est alia a veteri, in qua non aliæ sunt promissiones, nec alia media consequendi promissiones: atqui in lege nova non aliæ sunt promissiones, nec alia media consequendi promissiones, quam fuerint in lege veteri. Nam 1. non minus in antiqua lege, quam in nova, promissiones sunt de spiritualibus & æternis, juxta illud Apostoli ad Hebræos 11. de veteribus loquentis: *Nunc autem meliorem partem appetunt, id est, cælestem.* 2. Non minus in antiqua lege, quam in nova, per caritatem comparari debebant promissiones factæ: filiis enim veteris Testamenti non minus præceptum erat, ut Deum diligerent, quam nunc filiis novi Testamenti præceptum sit: nempe Levitici 19. hæc habentur: *Diliges proximum tuum*, & Deuteronomii 6. *Diliges Dominum Deum tuum*. 3. In nova lege sicut & in veteri, homines a peccato per pœnarum timorem coercentur. 4. denique in nova lege sicut in veteri, quædam temporalia promittuntur, juxta illud Marci 10. *Accipietis centies tantum in tempore hoc, domos & fratres*: ergo &c.

Resp. conc. maj. dist. min. In lege nova non aliæ fuerunt promissiones, non alia media consequendi promissiones, quam fuerint in veteri, sed alius fuit modus habendi illa media, conc. min. & non fuit alius modus, neg. min. Scilicet lex vetus per se non conferebat caritatem, cujus præcepta hominibus imponebat; e contra vero lex nova & charitatem præcipit, & eam confert: quod enim præcipuum est in lege nova, est Spiritus Sanctus, qui nobis datur, & per quem (ut ait Apostolus ad Rom. 5.) *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Si qui vero fuerint in antiqua lege quibus Spiritus sanctus datus fuerit, non pertinuerunt illi ad legem veterem, sed ad novam: sicut ad veterem pertinent, qui tempore Evangelii propter sola promissa temporalia, vel ex solo timore pœnarum operantur.

Desumpta est ea responsio ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 107. art. 1. ad 2. sic loquitur: *Fuerunt tamen aliqui in statu veteris Testamenti, habentes caritatem & gratiam Spiritus sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales, & æternas, & secundum hoc pertinebant ad legem novam. Similiter autem in novo Testamento sunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit etiam in novo Testamento induci ad virtutis opera per timorem pœnarum, & per aliqua temporalia promissa: Lex autem vetus etsi præcepta caritatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus sanctus, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, ut dicitur Rom. 5.* Itaque discrimen novæ legis a veteri duplex est præcipuum: 1. quod illa per se habeat promissa spiritualia; ista vero temporalia: 2. quod illa per amorem quem inspirat, inducat ad præceptorum observationem; ista vero per pœnarum timorem: unde Augustinus in libro contra Adimantum c. 17. merito sic loquitur: *Brevis differentia Legis & Evangelii est timor & amor.* Hincque S. Doctor concludit legem cohibuisse manum, non animum; e contra vero Evangelium, cum sit lex amoris, & manum & animum cohibet a præceptorum infractione.

Objicies 3. Lex nova non minus est lex factorum, quam fuerit vetus; non minus enim quædam facta in novo lege, quam in veteri, præcipiuntur: ergo lex nova non est alia a veteri.

Resp. dist. ant. Lex nova secundum partem sui minus præcipuam, est lex factorum, conc. ant. secundum partem sui præcipuam, neg. ant. Pars novæ legis præcipua est gratia fidei & caritatis, minus vero præcipua, sunt præcepta de credendis & agendis: e contra vero præcipua & unica pars veteris legis fuit lex credendorum & agendorum, sine ulla Spiritus sancti justificantis subministratione: non enim (ut dictum est) lex vetus, sicut nova, per se Spiritum sanctum filiis suis conferebat.

Peti-

Petita eſt illa reſponſio ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 107. art. 1. ſic loquitur : *Ad tertium dicendum quod (ſicut ſupra dictum eſt) lex nova dicitur lex fidei, in quantum ejus principalitas conſiſtit in ipſa gratia, quæ interius datur credentibus, unde dicitur gratia fidei. Habet autem ſecundario aliqua facta & moralia & ſacramentalia, ſed in his non conſiſtit principalitas legis novæ, ſicut principalitas veteris legis in eis conſiſtebat. Illi autem qui in veteri Teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundum hoc ad novum Teſtamentum pertinebant : non enim juſtificabantur, niſi per fidem Chriſti, qui eſt auctor novi Teſtamenti. Unde & de Moyſe dicit Apoſtolus ad Hebræos* 11. *quod majores divitias æſtimabat theſauros Ægyptiorum improperium Chriſti.*

CONCLUSIO 2. Lex nova veterem legem explevit.

Probatur. Lex Nova explevit omnia quæ legi veteri defuerunt. Nam 1. juſtificat homines, quod quidem lex vetus efficere non poterat: unde eſt illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Quod impoſſibile erat legi, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in carne.* 2. Lex nova præſentia exhibuit, quæ lex vetus promiſerat, ſecundum illud 2. ad Corinth. 1. *Quotquot promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt, id eſt in Chriſto.* 3. Lex nova clare exhibet, quæ in veteri perobſcure ſub figuris adumbrata erant. 4. Chriſtus ipſe præcepta veteris legis adimplevit & opere & doctrina: opere quidem, quia circumcidi voluit, & alia obſervare quæ in lege præſcripta fuerant juxta illud ad Galatas 4. *Factum ſub lege.* Sua autem doctrina adimplevit præcepta legis tripliciter : Primo quidem verum legis intellectum aperiendo, ſicut patrum homicidio & adulterio, in quorum prohibitione Scribæ & Phariſæi non intelligebant, niſi exteriorem actum prohibitum. Secundo adimplevit Dominus præcepta legis obſervando, oſtendens, quomodo tutius obſervaretur id, quod lex vetus ſtatuerat ; ſicut lex vetus ſtatuerat, ut homo non pejeraret; & hoc tutius obſervatur, ſi omnino a juramento abſtineat, niſi in cauſſa neceſſitatis. Tertio adimplevit Dominus præcepta legis, ſuperaddendo quædam perfectionis conſilia ; ut patet Matthæi 19. ubi dicenti ſe obſervaſſe præcepta legis, dicit: *Unum tibi deeſt : ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes.*

CONCLUSIO 3. Lex nova in veteri continebatur.

Probatur. Se habuit lex vetus ad novam, ſicut umbra ad veritatem; ſicut ſemen ad arborem; ſicut ſpica ad frumentum : atqui umbra continet veritatem, ſaltem implicite, ſemen arborem, & ſpica frumentum in virtute : ergo lex vetus novam continebat. Hinc S. Joannes Chryſoſtomus exponens illud Marci 4. *Ultro terra fructificat, primum herbam, deinde plenum frumentum in ſpica,* ſic loquitur : *Primo herbam fructificat in lege naturæ, poſtmodum ſpicam in lege Moyſi, poſtea plenum frumentum in Evangelio.*

CONCLUSIO 4. Lex vetus fuit lege nova gravior præceptorum multitudine, ſed levior fuit quoad ea, quæ expreſſe præcipiebat.

Probatur prima pars. Ea lex fuit quoad præceptorum multitudinem gravior nova, quæ multo plura opera exteriora præcepit : atqui lex vetus multo plura opera exteriora præcepit, quam nova præcipiat ; ſiquidem lex nova legi naturali pauciſſima addidit, cum e contra lex vetus præter legem naturalem infinitum propemodum cæremoniarum numerum Judæis injunxerit; unde in Actis dicitur, jugum quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus.

Nec obſtat, quod in lege nova præter ſancitas a Chriſto leges, ſint plures aliæ, quas Eccleſia Chriſtiana ad populi fidelis regimen condidit. Nam 1. paucæ ſunt numero leges illæ, ſi cum Judaicis conferantur. 2. Eccleſiæ Paſtores in edendis legibus parci admodum & moderati eſſe debent, ne converſatio fidelium onerosa reddatur : unde æquiſſima eſt Auguſtini in Epiſtola ad Januarium de quibuſdam querimonia, *qui ipſam* (aut ait) *religionem noſtram quam in manifeſtiſſimis, & pauciſſimis celebrationum ſacramentis, Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus ; adeo ut tolerabilior eſſet conditio Judæorum, qui legalibus ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.*

Probatur altera concluſionis pars. Ea lex eſt gravior veteri quoad interiores actus virtutum, quæ multo plures præcipit, quam olim, ſaltem expreſſe, præceperit lex vetus: atqui lex nova multo plures virtutum actus præcipit, quam olim, ſaltem explicite, lex vetus præceperit: quamvis enim aliquos expreſſe præceperit, ut in primo & nono Decalogi præcepto videre eſt, multi ſunt tamen qui expreſſe præcepti non fuerunt, plures quoque mali qui expreſſe prohibiti non ſunt, nec pœna appoſita eſt iis, qui parvos illos actus interiores exercerent, ut patet in divortio, & in uſura reſpectu exterarum gentium: ergo quoad hoc lex nova gravior eſt veteri. Verum obſervandum eſt difficultatem illam ſe tenere ex parte objecti, non autem ex parte principii : ſiquidem principium actuum interiorum, alioquin in ſe difficilium, eſt voluntas hominis quæ Dei gratia movetur : at actus interiores conſiderati ex parte voluntatis, quæ Dei gratia movetur, non ſunt difficiles : ſcilicet is eſt gratiæ effectus ut ſuavia reddat, quæ alioquin in ſe maxime ardua ſunt : unde eſt illud 1. Joannis 5. *Mandata ejus gravia non ſunt :* quam ſententiam exponens Auguſtinus aſſerit, ea non eſſe amanti gravia, ſed non amanti tantum.

CA-

CAPUT III.

De iis quæ in Lege nova continentur.

CONCL. 1. Quædam, non interna tantum, sed etiam exteriora opera in lege nova convenienter aut præcipiuntur, aut prohibentur.

Probatur 1. ex Scriptura. In lege, cujus subditi sunt filii lucis, quædam opera exteriora convenienter aut præcipiuntur, aut prohibentur, juxta illud Apostoli ad Ephesios 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate*: atqui subditi legis novæ, sunt (si ad suæ vocationis normam vitam suam exigant) filii lucis: ergo in lege nova quædam opera externa convenienter aut præcepta, aut prohibita fuerunt.

Probatur 2. Conveniens fuit, ut in ea lege, cujus præcipua pars est caritas per Spiritum sanctum collata, quædam etiam externa opera præciperentur, aut prohiberentur: quædam enim opera externa tanquam instrumentales causæ, ut sunt sacramenta a Christo instituta, conferunt ad gratiam recipiendam; quædam vero sunt ipsiusmet gratiæ effectus, ut est confessio exterior nominis Christi; quædam denique contraria sunt divino ipsiusmet gratiæ motui: ergo in lege nova quædam, etiam externa, opera convenienter aut præcepta, aut prohibita fuerunt.

Objicies 1. Regnum Dei est omnino spirituale, juxta illud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*; nec non est illud aliud ad Rom. 14. *Regnum Dei est justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*: atqui in regno spirituali, ut est lex nova, convenienter externa opera nec præcipiuntur, nec prohibentur: ergo &c.

Resp. dist. maj. Regnum Dei secundum præcipuam sui partem, est omnino spirituale, conc. maj. sic enim sumptum, nihil est aliud quam caritas quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; secundum partem minus præcipuam est omnino spirituale, neg. maj. siquidem si caritas, si justitia, si gaudium Spiritus sancti, sunt id quod in regno Dei, seu in nova lege principem tenet locum, necesse est, ut actus etiam externi, qui illi caritati, illi justitiæ, illi gaudio conveniunt, aut disconveniunt, præcipiantur, aut prohibeantur.

Objicies 2. Lex nova est lex Spiritus, ut dicitur ad Rom. 8. atqui in lege Spiritus opera externa nec præcipi, nec prohiberi debent: ea nimirum sive præceptio, sive prohibitio arctant hominis libertatem: at in nova lege arctari non debet hominis libertas, quia (ut ait Apostolus 2. ad Corinth. 3.) *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. maj. Præceptio aut prohibitio arctant libertatem iniquam, conc. maj. libertatem æquam & rectam, neg. maj. Libertas justa & æqua in eo posita est, ut homo in omnibus Deo perfecte subdatur; ac proinde ut ea exequatur, quæ subjectionem illam aut promovent, ut sacramentorum receptio, aut quæ ex illa proficiscuntur, ut sunt opera virtutis, sive in Deum, sive in proximum; & ea declinet, quæ illi subjectioni adversantur, ut sunt opera omnia quæ justitiæ & caritati, sive in proximum, repugnant. Vide quæ de libertate Christiana dicemus inferius, ubi de justificatione differemus.

CONCLUSIO. 2. In lege nova triplicis generis præcepta continentur.

Probatur. In lege nova continentur 1. præcepta moralia, & quidem eadem quæ in veteri lege continebantur; siquidem præcepta moralia sunt ex lege naturali: quæ autem sunt ex lege naturali, eadem omnino fuerunt in utroque testamento: sed illud est discrimen inter præcepta moralia novæ legis, a præceptis moralibus veteris legis, quod actus illorum interiores clarius expressi sunt in nova lege, quam in veteri, ac præterea quod in Evangelio vindicata sint a Pharisæorum corruptelis. Sunt 2. præcepta cæremonialia, ut sunt ista: *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. *Hoc facite in meam commemorationem*. Sunt denique 3. præcepta judicialia, cujusmodi est illud: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. In eo autem judicialia legis novæ præcepta differunt a præceptis judicialibus veteris legis, quod ista quoad formam & quoad pœnam, specialia essent: illa vero generica tantum, hoc est in genere tantum præceptum est fidelibus, ut Ecclesiam tanquam matrem & judicem audiant.

DISSERTATIO QUINTA.

De Lege Humana.

Not. 1. HAc in dissertatione dicemus 1. de lege humana in genere; 2. de lege Civili; 3. denique de lege Canonica.

Not. 2. De lege humana in genere spectata multa expendenda sunt; 1. Utrum homines possint leges condere; 2. Quodnam sit objectum legum humanarum; 3. quodnam sit earum subjectum, id est, quinam humanis legibus teneantur; 4. utrum obligent in conscientia; 5. denique quænam sint ea, per quæ mutari possunt.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum homines possint leges condere.

CONCL. 1. Potestas Ecclesiastica potest leges condere.

Probatur conclusio. 1. Id jam potest Ecclesia quod potuit Apostolorum tempore: nimirum Ecclesia jam non minus est Christi sponsa quam fuerit, dum viverent Apostoli: Dotes & Privilegia quæ ei a Christo concessa sunt, non ad unum tempus coarctantur, sed se ad omnia sæcula extendunt: atqui Ecclesia potuit leges condere Apostolorum tempore: revera enim nonnullas condidit ipsis Apostolorum temporibus. Nam 1. Concilio primo Jerosolymitano (ut habetur in Actis c. 15.) ab ipsis Apostolis edita est lex qua gentes ad fidem conversæ, jussæ sunt a suffocato & idolotythis abstinere. 2. Paulus 1. ad Tim. 3. & ad Titum c. 1. legem condidit, per quam prohibitum est, ne bigami & neophyti ad Episcopatum assumerentur. 3. Lex de Eucharistia a jejunis tantum, extra casum necessitatis sumenda, ab ipsismet Apostolis (Augustino teste in Epistola ad Januarium) edita est. 4. Eamdem condendi leges facultatem agnovit trium priorum sæculorum Ecclesia, ut patet ex Canonibus qui iis temporibus circa disciplinam conditi sunt. 5. Necessaria est ea potestas in Ecclesia: si enim non adesset, Ecclesia demandatum sibi a Christo ministerium exequi non posset, seu non posset eos coercere, qui a lege divina deficiunt; non posset (quod tamen olim Paulus egit adversus Corinthium incestuosum) pertinaces & flagitiosos publicos a suo cœtu repellere; non posset ordinis, & disciplinæ vigorem conservare: sed hæc absurda sunt: ergo potestas Ecclesiastica potest leges condere.

Quæres 1. unde Ecclesia habeat facultatem condendi leges.

Resp. Ecclesiam ab ipsomet Christo accepisse facultatem condendi leges. Nam 1. sic Christus Lucæ 10. Apostolos, eorumque in Ecclesiastico regimine successores allocutus est: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* 2. Apostolus primæ ad Thessalonicenses, c. 4. scribit se non ex sumpta sibi temere, sed accepta divinitus potestate, leges præscripsisse: *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum.* 3. Eamdem potestatem ipse Christus expressit hisce verbis Apostolos alloquens Matthæi 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus;* declaravit insuper se ratum habiturum in cælis quod ipsi in terris acturi essent: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

Quæres 2. quinam in Ecclesia possint leges condere.

Resp. 1. id juris esse penes Concilium OEcumenicum. Ratio est 1. quia Concilium OEcumenicum universam Ecclesiam repræsentat: ergo si (ut probatum est) Ecclesia potest leges condere, jus illud est penes Concilium Œcumenicum. 2. Apostoli (ut jam fuit observatum) leges ad disciplinam spectantes condiderunt (ut habetur Actorum 15.) in Concilio Jerosolymitano, quod quidem fuit primum Concilium Œcumenicum: sed eadem vis est in aliis Conciliis Œcumenicis, ac fuit in primo Concilio Jerosolymitano: cum Ecclesia quovis tempore sit eadem: ergo, &c. 3. In Concilio Nicæno 1. & in aliis, quæ subsecuta sunt, multi conditi sunt Canones, multæ leges sancitæ: ergo illorum Conciliorum Patribus persuasum fuit Concilia OEcumenica posse legem condere.

Resp. 2. esse quoque penes Romanum Pontificem leges condere, quæ, servatis servandis, ubique gentium fideles ligent. Nam 1. usus est ea potestate sæculo secundo Victor Papa, dum Asiaticis cum Judæis, luna scilicet decimaquarta in quamcumque hebdomadæ diem incideret, Paschatis diem celebrantibus, sub anathematis pœna præscripsit, ut ad aliarum Ecclesiarum normam ritum suum exigerent, hoc est, ut Pascha non celebrarent, nisi die Dominica, quæ aut incideret in lunam decimam quartam Martii, aut illam immediate sequeretur. Conquesti sunt quidem nonnulli Prælati, quod ob id minas excommunicationis Asiaticis Victor intentasset, sed ultro agnoverunt in eo potestatem, legem de Paschali observatione Asiaticis præscribendi. 2. Eadem potestate eodem sæculo usus est Zephirinus Papa, cum (ut habet Eusebius hist. l. 5. c. 34.) statuit, ut mœchi & fornicarii pœnitentia perfuncti, absolutione donarentur. 3. Stephanus Papa I. medio tertio sæculo prohibuit, ne baptizati ab hæreticis, alio baptismate in Ecclesiæ sinum (contra quod Cyprianus senterat) admitterentur. 4. Tandem eamdem potestatem in seipsis agnoverunt alii Pontifices, eamque humillime in eis venerati sunt, quotquot extitere fideles: innumeras enim eorum constitutiones, seu leges, tum in Decreto Gratiani, tum in Gregorii IX. Decretalibus legere est.

Resp. 3. Cardinales, vacante Romana Sede, si ab electione per vim majorem impediantur, posse decreta provisionalia ferre ad Ecclesiasticæ disciplinæ defensionem: Scilicet Cardinales locum tenent Cleri Romani: at Clerus Romanus Sede vacante, si periculum disciplinæ alioquin immineat, nec ipsi liceat eligere Pontificem, potest ad ejusdem disciplinæ defensionem ferre quædam decreta provisionalia; ita nimirum se gessit post mortem Fabiani Papæ, cum (ut patet ex illius epistola ad Cyprianum) statuit provisionali decreto, ut lapsi, si vitæ periculum imminerer, antequam omnibus præscriptis sibi pœnitentiæ laboribus functi fuissent, absolutione & Eucharistia donarentur. Si vero Cardinales non impediantur ab eligendo Ponti-

fice,

fice, unice vacari debent Pontificis electioni, ut constat ex Clementina : *Ne Romani*, de Elect. in Sexto.

Resp. 4. Episcopos omnes pro suis diœcesibus posse leges condere, quibus disciplinæ vigori consulatur. Idque patet 1. ex Cypriano, qui sæpius asserit, Episcopos in suis diœcesibus, servata tamen debita subordinatione, id posse secundum canones, quod Romanus Pontifex in singulis orbis Ecclesiis. 2. Idem S. Martyr in epistola ad Rogatianum de aliquo suo Diacono jure conquerentem, scribit, eum pro Episcopatus vigore, & Cathedræ auctoritate, posse in Diaconum illum secundum regulas ecclesiasticas animadvertere. 3. In epist. 68. quæ est ad Clerum & ad plebem in Hispaniis constitutam, sic idem Sanctus Doctor loquitur: *Non sit tamen, quamvis novissimis temporibus, in Ecclesia Dei, aut Evangelicus vigor cecidit, aut Christianæ virtutis, aut fidei robur elanguit, ut non supersit portio sacerdotum, quæ minime ad has ruinas, & fidei naufragia succumbat : sed fortis & stabilis honorem divinæ Majestatis, & Sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur*. 4. Plures leges, plaudente postea tota Ecclesia, in suis diœcesibus condiderunt privati Præsules, ut videre est in Epistolis Gregorii Thaumaturgi ad Amphilochium: ergo penes est Episcopos leges ferre, quibus illorum diœcesani teneantur.

Resp. 5. Abbates exemptos, aliosque Prælatos, si vere sint Ordinarii, & quasi Episcopalem jurisdictionem habeant, nisi id de jure aut consuetudine prohibiti sint, posse leges condere, quibus eorum subditi ligentur. Ratio est, quia Abbates illi id possunt, quod locorum Ordinarii: ergo cum potestas ferendi leges sit penes Ordinarios, Abbates illi eodem jure fruuntur.

Resp. 6. Prælatos inferiores Episcopis, quique non habent jurisdictionem quasi Episcopalem, non posse ferre leges proprie dictas. Ratio est, quia Prælati illi non habent primariam illam potestatem, quæ ad leges ferendas requiritur. Nec obstat, quod in Conciliis suam sententiam ferant: tunc enim, aut id concessum est eis ex privilegio, ut Ordinum Præpositis Generalibus indultum est, vel suffragium ferunt, non quidem nomine proprio, sed Episcoporum, quorum sunt Vicarii & Procuratores.

Resp. 7. Concilia Provincialia posse leges ferre, quæ in tota Provincia obtineant, scilicet Prælati, ex quibus illa Concilia constant, repræsentant totius Provinciæ Ecclesiam; ac proinde idem habent jus quod totius Provinciæ Ecclesiæ competit.

Resp. 8. Capitula Cathedralia, Sede vacante, cum jurisdictionem Episcopalem habeant tantum per modum transeuntis, non posse leges ferre quæ in tota diœcesi obtineant, nisi provisionaliter, cum id nimirum necesse est ad ecclesiasticæ disciplinæ defensionem: unde in Jure Canonico statutum est, ne quid, Sede vacante, innovetur.

Resp. 9. Universitates & Facultates posse quidem Statuta condere, quibus earumdem Facultatum membra teneantur, sed non posse ferre leges proprie dictas. Ratio est, quia facultates perfectam communitatem non constituunt, sed imperfectam tantum: at jus condendi leges proprie dictas non pertinet, nisi ad communitatem perfectam, ut agentes de lege in communi, diximus.

Objicies 1. In lege veteri nullæ fuerunt ecclesiasticæ leges, seu leges ad disciplinam spectantes, ab hominibus ecclesiasticis conditæ; immo ne aliquas ferrent, prohibiti leguntur Deuteronomii 4. & a Christo Matthæi 15. & Marci 7. reprehensi sunt Judæi, qui id posterioribus temporibus tentassent: ergo neque in lege Nova Ecclesiasticæ leges condi debuerunt.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia Deus per semetipsum omnibus contulerat, quæ ad populi Judaici regimen spectabant: at sic Christus Ecclesiæ suæ consulere noluit, non quidem amoris defectu, sed honoris caussa suam ipsi potestatem contulit, juxta illud Evangelii: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*; voluitque jus illud iis committere, quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

CONCL. 2. Potestas Civilis potest leges condere.

Probatur 1. Eam facultatem Civili potestati concessam fuisse docet Christus Lucæ 20. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. 2. Eamdem facultatem in potestate sæculari agnoverunt Apostoli, & quidem divinitus ipsi concessam: *Omnis anima* (ait Apostolus ad Romanos 13.) *Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim Potestas nisi a Deo*. Paullo post sic prosequitur: *Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem*. 3. Christus ipse seipsum civilis Potestatis legibus subjecit: Principi nimirum tributum solvit, & ab aliis solvi jussit.

Probatur 2. ex traditione. Patres unanimi consensu eam, de qua agitur, facultatem agnoverunt in sæculari Potestate. Sanctus Polycarpus apud Eusebium histor. lib. 4. c. 15. sic Ethnicum Præsidem alloquitur: *Tibi quidem rationem reddere non me piget: præceptum enim nobis est, ut Magistratibus & Potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipsis nihil noceat*. Hæc etiam habet Sanctus Justinus in Apologia ad Antoninum Imperatorem: *Vectigalia sane & collationes eis, qui a vobis sunt ordinati, exactoribus, præ omnibus ubique inferre intendimus, quemadmo-*

admodum ab eo sumus instituti. Videri in eumdem finem possunt Tertullianus in Apologetico c. 30. Origenes lib. 1. & 4. contra Celsum, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium hist. lib. 4. cap. 10. Athanasius in Apologia ad Constant. Augustinus lib. 4. de Civitate Dei, cap. 33. & alii omnes Patres, qui ab Ecclesiæ exordio ad hæc usque tempora scripserunt.

Quæres, quinam sint inter Sæculares, qui leges condere possunt.

Resp. quæstionem illam solutam a nobis fuisse iis locis, ubi de legis in communi sumptæ natura disseruimus.

QUÆSTIO II.

De objecto Legum humanarum.

Not. Hic objecti nomine intelligimus materiam, de qua leges humanæ feruntur: de ea autem materia quæremus 1. quænam ea sit quæ propria est legi Civili; 2. quænam legi Canonicæ: 3. utrum lex Canonica possit actus internos præcipere; 4. utrum lex humana possit sese ad actus præteritos extendere.

CONCLUSIO. 1. Potestas Civilis non potest leges ferre de rebus spiritualibus.

Probatur. Res spirituales, sunt vel sacramenta, vel fidei quæstiones, vel res ad Ecclesiæ disciplinam spectantes: atqui Potestas Civilis 1. de Sacramentis legem ferre non potest, cum Christus solis Apostolis, & eorum in Episcopatu & Sacerdotio successoribus, dispensationem commiserit: Apostolos enim alloquebatur, cum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris*, & cum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; & ita de aliis Sacramentis. 2. Non potest quoque ferre leges de fidei quæstionibus: sola enim Ecclesia prout Clericos complectitur, constituta est Judex controversiarum, quæ ad fidem spectant, ut harum Institutionum Tom. I. fuse probavimus. 3. Non potest etiam leges condere circa exteriorem Ecclesiæ disciplinam: ea nimirum facultas solis ecclesiasticis Pastoribus divinitus tradita est: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis*. Nec mirum est quod civilis potestas se se ad ea quæ spiritualia sunt, non extendat: scilicet a Deo tantum constituta est, ut paci terrenæ & tranquillitati temporali consulat.

Objicies. Imperatores sæpius de rebus spiritualibus leges condiderunt. Nam 1. Theodosius Junior, Cyrillo Alexandrino, & Joanni Antiocheno prohibuit, ne ordinarent Episcopos, nisi prius pacem inter se iniissent. 2. Quidam Imperatores ipsa Concilia Generalia confirmarunt. 3. Justinianus Imperator multa sanxit, quæ ad Ecclesiæ disciplinam pertinent: ergo res spirituales sunt materia Legum Civilium.

Resp. ad 1. Theodosio Juniori persuasum fuisse, Canones vetare, ne Episcopi etiam Catholici, ordinationes celebrent, aut clericos ab officio deponant, cum imminet schismatis periculum, ut imminere credidit, cum Cyrillus Alexandrinus, & Joannes Antiochenus, post Nestorii in Concilio Ephesino depositionem, cui Joannes Antiochenus nolebat adhærere, mutuis inter se anathematismis pugnarent. Itaque eo in casu Theodosius Imperator se se gessit, non tamquam legis alicujus conditorem, sed solum tamquam Canonum executorem.

Resp. 2. datam ab Imperatoribus Generalibus Synodis confirmationem, intelligi debere de confirmatione per executionem, non autem de confirmatione per judicis potestatem: hoc est, adhæseunt latis a Synodis legibus, easque tamquam canonum custodes in imperio sibi subdito voluerunt executioni mandari. Vide quæ de eo argumento harum institut. Tom. 1. de Conciliis agentes diximus.

Resp. ad 3. Justinianum multa in negotiis Ecclesiasticis sumpsisse sibi, quæ jure illi minime competebant. Dici potest præterea, Justiniani de Ecclesiastica disciplina leges vim non habere, nec alias habuisse, nisi in quantum aut expresse, aut implicite suo consensu ab Ecclesia confirmatæ sunt. Sed iis quæ mox dicta sunt lux affulgebit ex iis quæ proxime sequenti Conclusione statuuntur.

CONCLUSIO 2. Quamvis sæculi principes de rebus spiritualibus leges ferre non possint, possunt tamen, immo & debent, curare, ut Ecclesiasticæ leges executioni mandentur.

Probatur ex Scriptura. Leges quæ circa Dei cultum in Pentateucho continentur, executioni mandari jussit David Rex lib. 1. Paralipomenon cap. 13. ubi plebe advocata, Sacerdotes, ipsumque summum Sacerdotem sanctificari jussit, & Dei arcam deferre. Cap. 16. coram arca constituit Levitas, qui ministrarent & recordarentur operum ejus, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel. Secundi Paralip. c. 17. Josaphat Rex, Sacerdotes & Levitas percurrere jussit Judææ civitates, ut Dei legem populos docerent. Ejusdem lib. cap. 14. Joas, auctore summo Sacerdote Joiada, ædificiorum templi curam demandavit. Lib. 4. Regum cap. 23. Josias Helciæ pontifici, & Sacerdotibus secundi ordinis præcepit, ut vasa Idolo Baal consecrata ex Domini templo projicerent.

Nec dici potest quod reges illi quippiam eo in capite, quod sui non esset officii, tentaverint. Scilicet usurpatum officium Deus inultum non reliquisset, idemque experti fuissent quod Osias Rex, qui sacro thuribulo manum admovens, hæc 2. Paralip. c. 26. audiit a piissimo

piissimo Sacerdote: *Non est tui officii, Ozias, ut adoleat, incensum coram Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron qui consecrati sunt, ad hujusmodi ministerium.*

Probatur 2. Exemplis christianorum Imperatorum. 1. Constantinus Magnus a Donatistis rogatus, tres Gallicanos Episcopos designavit a quibus eorum cum Catholicis caussa discuteretur. Concilium Romanum & Concilium Arelatense in quibus mota de Donatistis quæstio iterum ageretur, indixit, ut ipse in sua ad Celsum Africæ Vicarium epistola testatur. Curavit semper ut latum de Ariana hæresi, & de celebratione paschatis Nicænæ Synodi decretum accurate servaretur. Congregatos ad Synodum Nicænam Patres, Eusebio teste libro 4. de Constantini vita, sic allocutus est: *Vos quidem in eis quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis, Ego vero in eis quæ extra geruntur, Episcopus sum a Deo constitutus.*

2. Theodosius in epist. ad S. Cyrillum & ad Metropolitanos in Concilio Ephesino lecta sic loquitur: *Ante omnia autem operam damus, ut Ecclesiasticus Status ejusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quam maxime congruat; idemque ex omnium concordia & consensione suam tranquillitatem obtineat, cum per ecclesiasticarum controversiarum pacem a nobis, & seditionibus liber existat: dum demum ut pia religio ab omni omnino nota & reprehensione immunis perseveret: eorumque vita qui vel inter Clericos censentur, vel magno quoque inter illos Sacerdotio funguntur, omni prorsus navo & culpa vacet.*

3. Innumera quoque Galliarum Regum decreta existunt, quibus curarunt ut latæ in Conciliis leges accuratissime a Clero servarentur. Videri possunt, quæ Carolus IX. in Articulo 12. Decretorum Aurelianensium, & Henricus III. in Comitiis Blesensibus de ecclesiastica disciplina Canonibus & Conciliis firmata statuerunt. Tantum autem abest, ut Ecclesia Imperatorum illorum eo in capite factum arguerit, quin e contra id eorum officii esse declaraverit. Hinc Leo Magnus Leonem Imperatorem Epist. 75. cap. 3. sic alloquitur: *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata, restituas; depellendo scilicet pervasores juris alieni, & antiquæ fidei Sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando.* Hinc etiam S. Augustinus Epistola 50. sic loquitur: *Serviant Reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo: terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio; quando autem veritatem prædicat, errantibus & discredentibus utilis admonitio est, & insensatis inutilis afflictio.*

CONCLUSIO 3. Materia propria legum Canonicarum sunt res spirituales.

Probatur. Ea materia propria est legum Canonicarum, quæ ad fidelium æternam salutem confert: nempe non ob aliud instituta est a Christo potestas ecclesiastica quam ut homines ad æternam salutem promoveat: Atqui res spirituales ad æternam fidelium salutem conferunt: Ergo res spirituales sunt materia propria legum canonicarum.

Confirmatur 1. ex ipsiusmet Christi verbis, qui aperte Joannis 18. profitetur, suum regnum non esse de hoc mundo: *Regnum meum* (inquit) *non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Hinc idem Christus non alia arma suæ Ecclesiæ contulit, quam spiritualia: *Arma malitiæ nostræ* (inquit Apostolus 2. ad Cor. 10.) *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes*: In quæ quidem Apostoli verba sic loquitur Bernardus lib. 4. de Consideratione cap. 3. *Fac opus Evangelistæ, & pastoris opus implesti: aggredere verbo, non ferro.* Ejusdem operis lib. 2. cap. 6. sic Eugenium Papam alloquitur: *Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus.* Ibidem scribit, Petrum suis successoribus aurum non tradidisse, nec argentum; indeque concludit, Eugenium Papam illa non habere Apostolico jure: *Esto* (inquit) *ut alia quacumque ratione hæc tibi vindices, sed non Apostolico jure. Nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias: numquid dominationem?*

Confirmatur 2. ex Athanasio, qui in sua ad Constantinum Apologia, sic loquitur: *Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo: Neque enim fas est in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & Sacrorum habes Imperator.*

CONCL. 4. Materia legum humanarum non sunt tantum actus externi, sed etiam interni, hoc est, non solum actus externi, sed etiam interni, subjacent humanis legibus.

Probatur. Actus interni sunt quintuplicis generis. 1. Nonnulli habent connexionem essentialem cum actibus externis consideratis in genere moris. 2. Nonnulli se habent per mo-

modum dispositionis ad actum externum debite exercendum. 3. Aliqui per signa quædam externa manifestantur. 4. Alii se habent per modum finis respectu externorum qui præcipiuntur. 5. Tandem aliqui sunt qui nec sunt essentiales actibus externis consideratis in genere morum; nec dispositiones ad actus externos debite exercendos, nec per signa aliqua extrinseca manifestantur, nec se habent per modum finis respectu externorum qui ab humana lege præcipiuntur: Atqui omnes illæ actuum internorum species sunt materia humanæ legis, seu subjacent humanæ legis directioni: Ergo actus interni sunt materia humanarum legum. Minor argumenti propositio sic per partes ostenditur.

1. Idem ferri debet judicium de omnibus actibus internis qui habent essentialem connexionem cum actibus externis lege humana præscriptis, ac de horarum canonicarum recitatione quam Ecclesia clericis injungit: non enim potior est ratio de uno, quam de alio: Atqui actus interni, attentio nimirum mentalis, subjacent ecclesiasticæ legi, scilicet illi actus subjacent ecclesiasticæ legi, sine quibus ipsa lex ecclesiastica non impletur: Sed lex ecclesiastica de recitatione horarum canonicarum non impletur sine actibus internis, attentione nimirum. Cum enim nonnulli Casuistæ recentiores hanc propositionem in medium protulissent: *Præcepto (de horis Canonicis) satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non autem mente orat. Respondeo me tota hebdomada, toto mense, toto anno legisse (horas) sine culpa veniali; & me non peccavisse venialiter tam certe scire, ut possim juramento firmare ... homo sum ... distractiones non evito, involuntarias millies, interdum etiam voluntarias; & nihilominus nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor; quia prudenter suppono me ad actionem internam non teneri; eam habere, bonum esse, & ea carere, nequidem levem esse culpam, me ad lectionem tantum & attentionem externam obligari*: Cum (inquam) nonnulli recentiores Casuistæ eam propositionem in medium protulissent, Clerus Gallicanus ad Comitia generalia anno 1700. coactus, hac eam speciali censura notavit: *Hæc propositio est absona, verbo Dei contraria, hypocrisim inducit a Prophetis & Christo damnatam, his verbis: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.*

2. Actus interni qui se habent per modum dispositionis ad actus externos debite exercendos subjacent quoque humanæ legi: nempe qui actus externos ab Ecclesia præscriptos debitis iis dispositionibus vacuus exercet, præcepto de iis actibus externis ab ea lato non satisfacit: Ecclesia enim non tantum actuum substantiam præscribit, sed etiam modum quo recte fieri debent, ut ipsum divinum præceptum de iis actibus externis exercendum adimpleatur. Negarant id nonnulli recentiores, a quibus duæ subsequentes propositiones propugnatæ fuerant. *Ecclesiæ præcepto* (audiendi Sacrum) *satisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, immo & prava cogitatione defixo. 2. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.* Verum Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. eas propositiones hisce verbis damnavit: *Doctrina his duabus propositionibus contenta, temeraria est, scandalosa, erronea, impietati & sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.*

3. Ratum est apud omnes, actus internos, qui per aliquod signum extrinsecum produntur, subjacere Ecclesiæ legibus, non directivis tantum, sed etiam coactivis. Scilicet Ecclesia in hujusmodi actus pœnis canonicis animadvertit, ut patet ex Martino Papa V. qui in Concilio Constantiensi sess. 45. Inquisitoribus præscribit, ut de hæresi suspectos diligenter interrogent, num pro defunctis Joanne Hus, Joanne Wicleff, & Hieronymo a Praga preces fuderint; an eis, licet ab Ecclesia præscissis, cultum exhibuerint, qui piis & sanctis viris post mortem exhiberi solet.

4. Videtur etiam esse extra controversiam, actus internos, qui externorum respectu se habent per modum finis, humanis legibus subjici. Cum enim v. g. Ecclesia præcipit jejunium, ut inter christianos principes pacem a Deo obtineat, singulis fidelibus præcipit, ut illum finem mente sibi proponant; alioquin enim frustraretur fine quem intendit: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

5. Tandem ex Conciliis colligitur, actus internos qui nec essentiales sunt externis consideratis in genere moris, nec eis per modum dispositionum præsupponuntur, nec per externos manifestantur, nec sunt eorum finis, præcipi aut vetari aliquando legibus humanis: Siquidem Ecclesia imperat actum internum fidei ab externo omnino distinctum, ut videre est in his sacræ Tridentinæ Synodi verbis in procemio sess. 6. *Districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare aut docere, quam præsenti decreto statuitur, ac declaratur.*

Objicies 1. Eos actus aut præcipere, aut vetare non possunt leges humanæ, de quibus potestas humana judicare non potest; frustra enim præcipiuntur, quæ si omittantur, puniri non possunt: Atqui leges humanæ judicare non possunt de actibus internis; sicut enim de ignotis nulla est cognitio, ita nec potest esse judicium.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia cognitio actuum requiritur quidem ad vim coactivam,

vam, quæ posita est pœnis, quibus in prævaricatores animadvertitur; ut enim prævaricatores puniantur, necesse est, ut de prævaricatione convincantur: sed ea cognitio non requiritur ad vim directivam; possunt enim humanis legibus imperari, quæ an postea a subditis fiant, aut non fiant, ignorantur. Nec inde sequitur, quod humanum præceptum de eis fiat: licet enim prævaricatores, per prævaricationis manifestationem, apud homines non sint, rei tamen apud Deum constituuntur.

Objicies 3. Nec finis, nec modus legis cadunt sub præceptum: Ergo nulla lex humana potest præcipere actus internos, sive necessarii sint, ut externi pie exerceantur, sive sint externorum finis. Probatur ant. ex præcepto de jejunio, cui haud dubie fit satis ab eo, qui propter inanem gloriam a cibis temperat.

Resp. dist. ant. Nec finis, nec modus legis cadunt sub illud præceptum speciale, quo actus præcipitur, conc. ant. Non cadunt sub aliud præceptum generale, quo nimirum Ecclesia fidelibus injungit, ut actus externi, quos imperat sint actus veræ & christianæ virtutis, neg. ant. Hinc vero, patet solutio ad argumentum petitum a jejunio: Patet quoque, hanc propositionem ab Alexandro Papa VII. cum multis aliis damnatam: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, merito hac speciali censura a Clero Gallicano in Comitiis generalibus anni 1700. notatam fuisse: *Hæc propositio temeraria est, erronea, sacrilegio favet, & præcepto Ecclesiæ illudit*. Patet 3. ex mox laudata censura, eum qui facit confessionem voluntarie nullam, non tantum reum esse infracti præcepti divini, quo vetatur, ne fiat confessio voluntarie nulla; sed etiam reum esse præcepti Ecclesiastici, quo jubetur confessio: At non ob aliud reus est Ecclesiastici præcepti, quam quod præcepti Ecclesiastici debitum modum non servaverit.

Objicies 3. auctoritatem S. Thomæ, qui 1. 2. q. 91. art. 4. sic loquitur: *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: Judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de exterioribus actibus qui apparent. Et tamen ad perfectionem virtutis requiritur quod in utrisque actibus homo rectus existat: & ideo lex humana non potest cohibere & ordinare sufficienter interiores actus, sed ad hoc necessarium fuit, quod superveniret lex Divina*. Ex eo S. Doctoris textu evidenter patet 1. actus mere internos, cujuscumque sint speciei, non subjacere legibus humanis. Patet 2. rationem cur eis subjacere non possint, peti ex eo, quod de iis actibus homo judicare non possit. Patet 3. solius legis divinæ esse præcipere ac ordinare actus, qui mere sunt interni, nulloque signo exteriori manifestantur.

Resp. 1. S. Thomam loqui de lege secundum vim coactivam, non autem secundum vim directivam. Resp. 2. eumdem S. Doctorem velle, divinam legem fuisse necessariam, ut homo per peccatum excæcatus doceretur internorum actuum rectitudinem, seu, ut sciret quodnam motivum sibi in iis actibus proponere debeat, & quo modo ab eo debeant exerceri; sed S. Thomas non negat, potestatem Ecclesiasticam posse pariter præcipere rectitudinem quam divinæ legis ope fideles detexerint; nec id mirum est: nimirum ea rectitudo est omnino necessaria ad fidem supernaturalem, ad quem ordinat actus externos quos injungit.

CONCLUSIO 4. Lex humana non potest se extendere ad actus præteritos.

Probatur 1. Ut lex aliqua se extendat ad actus præteritos debet efficere, ut quod actum est ante legem, sit peccatum: sed id efficere non potest; peccatum enim supponit legem cui adversetur: nempe definitur ab Augustino, dictum, factum, vel concupitum contra legem; unde ubi non est lex, ait Apostolus, *non est prævaricatio*.

Probatur 2. ex Leg. 7. Cod. tit. de legib. ubi hæc habentur. *Leges & Constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim & de præterito tempore & adhuc pendentibus negotiis cautum sit*.

Confirmatur ex eo, quod lex vel præcipit quod agendum est, vel vetat quod non est agendum, vel permittit, quod agi aut non agi potest: ergo lex est tantum aut de præteritis, aut de præsentibus.

Objicies 1. Contractus præteritus irritari potest per subsequentem legem: ergo pariter lex subsequens potest efficere ut, quod non erat peccatum ante legem, fiat peccatum post legem.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia contractus, ut valeat, indiget approbatione Superioris, ac proinde si illa approbatio non subsequatur, & a fortiori si per legem subsequentem negetur, necesse est, ut irritus fiat: e contra actus præteritus malitiam non accipit a lege subsequente; ac proinde per eam legem fieri non potest ut sit peccatum.

Objicies 2. Multæ sunt humanæ leges, quibus declaratur actus præteritos esse malos & iniquos: ergo leges humanæ sese extendunt ad actus præteritos.

Resp. dist. ant. Multæ sunt humanæ leges quibus declaratur actus quosdam præteritos esse iniquos dependenter ab aliqua lege quæ illos actus præcesserit, conc. ant. independenter ab illa lege, neg. ant. hoc est, leges declaratoriæ supponunt obligationem, qui

propter legem aliquam priorem, sive æternam, sive naturalem, sive positivam divinam, aut humanam, quæ in usu esset, subditi tenebantur. Addita sunt hæc verba, *aut humanam legem quæ in usu esset*, ut ostenderetur, declarationem non se extendere ad actum præteritum vetitum per legem, quæ usu recepta non sit: unde S. Gregorius Magnus (ut suo loco dicetur) merito judicavit, durum esse Petrum in Sicilia Subdiaconum cogere, ut se ipsum separaret ab uxore sua, cum praxim continentiæ Subdiaconis diu ante præscriptam, in sua provincia usu receptam non invenisset, nec antea promisisset continentiam.

QUÆSTIO III.

De subjecto legum humanarum.

Not. Hic quærendum est 1. Utrum justi humanis legibus subjiciantur. 2. Utrum ipsi legum conditores. 3. Utrum Clerici politicis legibus teneantur. 4. An peregrini tum civilibus, tum Ecclesiasticis legibus subjiciantur.

CONCL. 1. Justi & quoad vim directivam, & quoad vim coactivam humanis legibus subjiciuntur.

Probatur 1. pars 1. ex Apostolo, qui ad Rom. 13. sic loquitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Terminus iste universalis, *Omnis*, homines omnes complectitur; ergo & justos & peccatores. Altera pars non minus est evidens: Ille enim humanis legibus quoad vim coactivam subjicitur, qui potest deficere: Siquidem qui deficere potest, a legislatore potest puniri: Atqui homines etiam justi, deficere possunt, hoc est per legis prævaricationem fieri possunt iniqui: ergo subjacent humanis legibus etiam quoad vim coactivam.

Objicies 1. Justi spiritu ducuntur: sed qui ducuntur spiritu, non sunt sub lege, juxta illud Apostoli: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Præterea idem Apostolus absolute dicit: *Justo lex non est posita*.

Resp. ad 1. dist. min. qui ducuntur spiritu, non sunt sub lege secundum quid, conc. min. non sub lege absolute, neg. min. Sensus Apostoli est, quod justi legibus humanis non teneantur, seu quod non agant ex timore legis, sed ex amore quo moventur & impelluntur, juxta illud 1. Petri 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum*. Ad 2. dist. ant. justo non est posita lex qua terreatur, conc. ant. qua diligat, neg. ant. Hoc est, justus non servat legem ex timore pœnæ, quam lex minatur, sed ex amore justitiæ, quem lex naturalis & divina præcipiunt.

CONCLUSIO 2. Legislatores tenentur suis legibus quoad vim directivam, non autem quoad vim coactivam.

Probatur prior pars. Legislatores, cum sint reipublicæ capita, illius inferioribus partibus tamquam membris cum quibus cohærent, debent se conformes exhibere in iis quæ in eo statu in quo eminent, indecentiam non arguunt: hincque fit, ut Episcopus qui subditis sibi Clericis tabernas aut ludos prohibet, ea licite frequentare non possit. Præterea leges feruntur ad commune bonum: sed Legislatores non minus quam subditi ad commune bonum tenentur: ergo & legibus quibus bono communi consulitur.

Probatur altera conclusionis pars. Vis coactiva supponit superiorem, a quo, si quis legem infringat, puniatur: atqui Legislator, ut supponitur, superiorem non habet respectu legis quam ipse sancivit: ergo suis legibus non subjacet, quoad vim coactivam. Hincque colligitur Episcopum qui sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ Clericis suis tabernas prohibuit, aut vestem talarem injunxit, non incidere in suspensionem, si aut tabernas frequentet, aut vestem talarem non deferat.

Objicies 1. Nemo se ipsum ligare potest, quia nemo potest sibi imperare: atqui si Legislator latis a se legibus teneretur, idem se ipsum ligaret: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Nemo quoad vim coactivam se ipsum ligare potest, conc. maj. quoad vim directivam, neg. maj. Cum enim quis communitatis leges præscribit ad commune bonum, debet suo exemplo, illi communi bono consulere.

Objicies 2. Nihil obstat, quominus Legislator puniatur pœna per ipsam illius legem constituta: ergo Legislatores, etiam quoad vim coactivam, suis legibus subjiciuntur.

Resp. neg. ant. Obstat nimirum quod pœna infligi debeat a persona quæ distincta sit ab ea cui infligitur.

Quæres, quo jure Legislatores suis legibus quoad vim directivam teneantur.

Resp. ad id teneri eos lege naturali: Scilicet lex naturalis jubet, ut caput membris quibus cohæret, ubi agitur de communi bono, conforme se ipsum exhibeat: alioquin enim turbaretur debitus ordo, quem ipsa lex naturalis servari jubet, perturbari vetat.

CONCLUSIO 3. Clerici tenentur parere legibus civilibus, salva Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum immunitate.

Probatur prima pars. Illi tenentur parere civilibus legibus: qui sunt reipublicæ cives: partes enim aliis partibus, in iis quæ statum suum non dedecent, debent se conformes exhibere: atqui Clerici sunt reipublicæ cives: cum enim Ecclesia sit in republica, necesse est, ut Ecclesiæ ministri sint ejusdem reipublicæ cives. Hinc non ad laicos tantum, sed etiam ad clericos spectant hæc Christi verba: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; &*

quæ

quæ sunt Dei, Deo. Ad clericos pariter non minus quam ad laicos, spectat illud Apostoli ad Titum 3. *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire*; nec non & illud 1. Petri 2. *Subditi estote Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis*. Nec enim Evangelium, nec Apostoli iis in locis inter clericos & laicos distinxerunt: Unde Theodoretus in cap. 13. Epistolæ ad Romanos, sic loquitur; *Et Sacerdos, & Antistes, & Monasticam vitam professus, iis debent parere, quibus demandati sunt Principatus*.

Probatur altera pars ex Conc. Trid., quod sessione 25. de Reform. cap. 20. asserit: *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam esse*: Personarum autem Ecclesiasticarum immunitatis forma, non eadem est in singulis orbis Christiani provinciis.

Dices. Principes sæculares nonnunquam bonis Ecclesiasticis utuntur, ut rempublicam adversus hostes tueri possint: ergo saltem in bonis Ecclesiasticis, nulla est immunitas.

Resp. dist. ant. Principes sæculares ex Ecclesiæ concessione utuntur bonis Ecclesiasticis, conc. ant. sine Ecclesiæ concessione, neg. ant. Admonebat nuper Eminentissimus Cardinalis de NOAILLES in Oratione apud Regem Christianissimum habita post Generalia Cleri Gallicani Comitia anni 1701. Gallicanos Præsules in difficilibus regni temporibus, Regibus Christianissimis pecuniæ summam ex Ecclesiasticis reditibus collectam concedere solitos esse, ut ea Cleri subventione pauperes, vectigalibus quibus solvendis impares sunt, liberentur: quo in casu, hoc est, cum agitur de pauperibus sublevandis, sanctissimi Ecclesiæ Præsules vendi volunt (addebat) ipsa etiam vasa sacra. Principes (ajebat) non in alium finem reditibus sibi ab Ecclesia concessis uti possunt.

CONCLUSIO 4. Subditi alicujus Principis, extra regnum degentes, tenentur legibus personalibus, & iis etiam quæ ad commune bonum reipublicæ, cujus sunt cives, spectant.

Probatur prima pars. Leges personales subditos comitantur ubicumque degerint; iis ergo legibus parere tenentur. Hinc subditi extra regnum degentes, nusquam in proprium Principem bellum movere possunt. Altera vero pars non minus est evidens; quælibet enim pars tenetur pro viribus conferre bono communi totius, cujus est pars: ergo ubicumque sint alicujus reipublicæ cives, tenentur legibus quæ ad commune reipublicæ bonum pertinent.

CONCLUSIO 5. Peregrini & advenæ non tenentur patriis legibus localibus; sed tenentur legibus, & consuetudinibus locorum, ad quæ veniunt, vel in quibus diversantur, quamvis solummodo transeundi & non commorandi intentionem habeant.

Probatur prima pars. Legislatoris jurisdictio extra proprium territorium non extenditur: ergo extra illud existentes ligare non potest legibus, quæ personæ conditionem non sequuntur. Hinc infertur 1. eum qui extra propriam parochiam peregrinatur, non teneri ad festum quod in ea celebratur. Infertur 2. hominem Gallum qui extra regnum, non quidem in fraudem legis circa matrimonium in Gallia receptæ, præscripto per jus & consuetudinem tempore commoratus est, posse nubere non servatis legibus, quæ circa matrimonii celebrationem in Galliis observantur.

Probatur altera conclusionis pars 1. Absentia peregrinos a legibus patriis eximit: ergo eos subjicit legibus locorum: par est enim, ut qui ex absentia commodum sentit, sentiat & onus, 2. Æquum est, ut peregrini aliquibus legibus subjiciantur: nempe nemo privatus exlex esse debet: ergo cum (ut mox dictum fuit) patriis legibus non ligentur, par est, ut teneantur legibus locorum per quæ transeunt, aut in quibus commorantur. 3. Ibi quis lege ligatur, ubi sortitur forum: ergo cum peregrini & advenæ sortiantur forum in locis per quæ transeunt, in quibus commorantur; æquitati consonum est, ut locorum illorum legibus teneantur.

Confirmatur auctoritate & rationibus Augustini. S. Doctor lib. 3. Confessionum cap. 8. sic loquitur: *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens*.

In Epistola quæ in veteri editione est numero 86. ad Casulanum, refert Ambrosium suasisse piæ matri sollicitæ de jejunio, quod aut Romæ, aut Mediolani servabatur, ut pro locis, in quibus degeret, jejunium observaret, aut non observaret: *Quando hic sum* (verba sunt Ambrosii) *non jejuno Sabbato: quando Romæ sum, jejuno Sabbato. Et ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere*. Eam regulam secutus est Augustinus ipse: *Sed quoniam* (inquit) *contingit, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesia, alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes; mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est*.

Idem S. Doctor Epist. 118. quæ est ad Januarium, eamdem regulam præclara hac sententia confirmat; *Nec disciplina ulla est* (inquit) *in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte diverterit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, in*

differenter est habendum, & propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandam est.

Hinc autem colligi potest 1. peregrinum, qui toto mane peregrinatur in parochia, in qua festus aliquis dies celebratur, teneri ad audiendum Sacrum, & ad abstinendum a quolibet opere servili. Colligi potest 2. eum qui mane discessit a loco, in quo servatur jejunium, posse serotinis horis cœnare, & comedere carnes in loco, in quo idem jejunium non servatur.

QUÆSTIO IV.

Utrum leges humanæ obligent in foro interiori.

Not. Expendendum est hic 1. utrum leges humanæ tum Ecclesiasticæ, tum Civiles obligent coram Deo, & in foro interiori conscientiæ: 2. quando obligent sub pœna peccati mortalis, aut venialis: 3. utrum obligent cum periculo vitæ: 4. utrum lex, quæ Pœnalis dicitur, obliget in conscientia.

CAPUT PRIMUM.

Utrum in foro interiori civilis & canonica lex obligent.

CONCLUSIO. Leges humanæ tum Ecclesiasticæ, tum Civiles, subditos obligant coram Deo, & in foro interiori conscientiæ.

Est contra Valdenses, Anabaptistas, Lutheranos, & Calvinistas, qui contendunt humanas leges obligare tantum in foro exteriori, indeque concludunt eas illæsa conscientia infringi posse, si absit scandalum. Est quoque contra Gersonium, qui libro de vita spirituali, lectione 4. docet, leges humanas prout humanæ sunt, non obligare sub peccato; sed tantum quatenus illarum transgressores impingunt in præceptum divinum. Addit, legis humanæ esse determinare tempus, modum, aut opus, ad quod indeterminate divina lex obligat. Auctoris illius sententia differt ab opinione Sectariorum, quibus placet non esse penes Superiores Ecclesiasticos determinare, aut modum, aut tempus, quo jus divinum obligat.

Probatur prima pars conclusionis contra Hæreticos. 1. Leges Ecclesiasticas veram coram Deo obligationem imponere habetur ex Scriptura. Nam Matthæi 18. dicitur, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: Sed qui tamquam Ethnicus & Publicanus haberi debet quod Ecclesiam non audierit, gravis peccati coram Deo reus est. Lucæ 10. sic Christus suos Apostolos, earumque in Episcopali officio successores alloquitur: *Qui vos audit, me audit*: ergo qui non audit Ecclesiam aliquid præcipientem, reus est, quasi Christum ipsum non audierit. Sic etiam loquitur Apostolus ad Hebræos cap. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*. Præpositorum igitur leges præcepti vim habent, cujus infractio vera fit inobedientia: inobedientia autem est peccatum coram Deo: ergo qui leges Ecclesiasticas infringunt, vere coram Deo peccant. Idem ostenditur ex Conciliis œcumenicis quæ hucusque in Ecclesia Christiana celebrata sunt. Nempe nonnunquam in eos qui legibus Ecclesiasticis non parent, pœna suspensionis, depositionis, immo & anathematis, animadvertunt: at gravissimæ illæ pœnæ non infliguntur nisi iis, qui coram Deo rei fuerint.

Probatur eadem conclusionis prima pars contra Gersonem. 1. Ab Ecclesia nonnulla præcipiuntur quæ nec sunt juris naturalis, nec divini, ut demonstrant hæc Pauli verba 1. ad Corinth 7. *Præcipio ego, non Dominus*. 2. Multa sunt in Canonibus, quæ nec jus naturale, nec divinum præcipiunt, quæ tamen si non observentur, gravissimis pœnis puniuntur, ut patet de cælibatu eorum qui in sacris ordinibus constituti sunt. 3. Perabsurdum est asserere, filios quos Deus jussit obedire parentibus, non teneri coram Deo iis obedire, nisi in iis quæ juris sunt naturalis & divini: ergo pariter perabsurdum est asserere, fideles quos Deus jussit obedire Præpositis, teneri tantum coram Deo iis obedire, cum aliquid præcipiunt, quod juris est naturalis, aut divini.

Probatur altera conclusionis pars, quæ est de legibus Civilibus, tum adversus Hæreticos, tum contra Gersonium. Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 13. expresse asserit, eum qui potestati non obtemperat, Dei ordinationi resistere: *Itaque* (inquit) *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*: atqui Dei ordinationi resistit, coram Deo reus est; ut ibidem ait Apostolus: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt*. Idem Apostolus aperte ait, fideles subditos esse oportere potestati non tantum propter pœnam quam potest prævaricatoribus infligere, cum gladium portet; sed etiam propter conscientiam, hoc est, ad vitandum peccatum, quod in foro conscientiæ ab eo admittitur qui Potestatis legem infregerit: *Ideo* (ait) *necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Ex eo principio idem Apostolus concludit subditos teneri legibus quæ a Potestate Civili de vectigalibus & tributis latæ fuerint: *Ministri enim* (inquit) *Dei sunt, in hoc ipsum servientes; Reddite ergo omnibus debita: Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal: Cui timorem, timorem: Cui honorem, honorem*. Idem aperte docet Apostolus Petrus, cum jubet, ut propter Deum Regi & ministris ab eo constitutis a fidelibus obedia-

diatur: *Subditi* (ait 1. epist. cap. 1.) *omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.*

Hinc patet, quam merito Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. congregatus hanc propositionem: *Subditi possunt justa tributa non solvere*, hac speciali censura notaverit: *Hæc propositio seditiosa est, Apostolicæ doctrinæ, ac dictis Dominicis aperte contradicit.*

Objicies 1. Potestas Civilis mere temporalis est, ordinata nimirum, ut foveat terrenam inter cives pacem: ergo non potest per suas leges spirituale debitum hominibus sibi subditis imponere.

Resp. dist. ant. Mere temporalis est ratione objecti, conc. ant. quippe quæ versetur tantum circa res labentis ac fluxæ naturæ, cujusmodi est reipublicæ pax, quam sibi ultimo proponit. Mere temporalis est ratione debiti quod imponit, neg. ant. Scilicet potestas civilis est emanatio & participatio potestatis divinæ, juxta illud Apostoli ad Romanos 13. *Non est enim potestas nisi a Deo*: ergo quemadmodum Potestas divina debitum imponit spirituale, ita etiam & Potestas civilis, caussæ enim quæ a superiore emanant, superioris vim participative habere censentur.

Objicies 2. Habere vim obligandi, saltem sub pœna peccati mortalis, est habere vim auferendi gratiam sanctificantem: atqui nulla lex humana habet vim auferendi ab anima subditorum gratiam sanctificantem: cum enim gratia sit effectus Dei, a solo Deo auferri potest; ergo &c.

Resp. dist. min. Nulla lex humana vim habet gratiam sanctificantem auferendi physice & efficienter ab anima subditorum, conc. min. non physice, sed moraliter tantum, neg. min. Lex humana consequenter ad actum demeritorium suorum subditorum, aufert moraliter gratiam sanctificantem, quatenus sese habet per modum conditionis, quam si subditus non impleat, meretur a Deo privari gratia sanctificante.

CAPUT II.

Quandonam leges humanæ obligent sub mortali, aut veniali peccato.

CONCLUSIO 1. Quoties quis legem humanam infringit ex contemptu, peccat lethaliter.

Probatur 1. Contemptus non in hominem a quo lex sancita est; sed in ipsum Deum qui homini potestatem suam contulit, refunditur: *Non est enim* (ait Apostolus) *potestas nisi a Deo.*

Probatur 2. Ex Bernardo qui in libro de præcepto & dispensatione, c. 8. sic loquitur; *Hæc ergo generalis regula sit universorum, quæ per se nec bona, nec mala sunt; aut divina institutione, aut propria cujusque professione, fixa non sunt, ut non jussa quidem, licite utrumlibet vel admittantur, vel non admittantur: jussa vero, sine culpa non omittantur, sine crimine non contemnantur. Ubique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis.* In quo autem neglectus & contemptus differant, sic idem S. Doctor exponit: *Differunt autem quod neglectus quidem languor inertiæ est; contemptus vero, superbiæ tumor. Porro contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis est.*

Ne quis vero verba illa de contemptu legum in gravi tantum materia interpretetur, obstant quæ Bernardus ejusdem libri c. 11. de peccatis ratione materiæ levibus scribit: *Peccata sunt* (inquit), *& Deus probibet omne peccatum, & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in usum & consuetudinem. Et tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis.*

Probatur 3. ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 186. docet, contemptum in legem esse semper peccatum mortale, & explicat in quo præcise positus sit ille contemptus: *Tunc* (inquit) *committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem propter particularem aliquam caussam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, etiamsi frequenter ex eadem caussa, vel alia simile peccatum iteret.*

CONCLUSIO 2. Lex humana, sive Canonica, sive Civilis, obligat sub mortali, quando materia quæ præcipitur est gravis; sub veniali vero tantum, quando materia est levis.

Probatur 1. Id habetur ex communi Ecclesiæ consensu. 2. Se habet quoad debitum lex humana, sicut divina; sive naturalis sit, sive positiva: Sed lex divina in materia gravi obligat sub pœna peccati mortalis; in materia vero levi, sub pœna solum venialis, ut patet in levi mendacio, in levi furto, in levi irreverentia erga parentes: ergo & humana.

Quæres 1. quandonam censeatur esse gravis materia quæ humana lege præcipitur:

Resp. gravem esse materiam posse cognosci ex multiplici capite. 1. Ex ipsis verbis quibus lex exprimitur, idque præsertim in legibus Canonicis, in quibus hæc commina-

tionis

tionis formula nonnumquam reperitur: *Sub indignatione Dei omnipotentis, sub interminatione divini judicii.* Dignoscitur 2. ex gravitate pœnæ quæ in legem peccanti infligitur. Hujusmodi sunt in jure Ecclesiastico, excommunicatio, suspensio, depositio, interdictum personale: in Civili vero, pœna capitis, servitutis, carceris perpetui, publicationis bonorum, &c. Dignoscitur 3. ex circumstantiis quæ occurrunt, v. g. cum Respublica præcipit civibus, ut premente annona frumentum suum justo pretio divendant, aut ne extra regnum illud transferant. Dignoscitur 4. ex fine magni momenti, quem sibi Legislator proponit: cujusmodi sunt commune bonum, publica fidelium ædificatio.

Quæres 2. utrum Legislator possit in materia levi obligare suos subditos sub mortali.

Respondet Bellarminus lib. de Laicis cap. 1. negative; nec immerito; Siquidem naturalis & necessarius effectus legis est obligare sub mortali in materia gravi, & sub veniali tantum in materia levi. Confirmatur ex eo quod lex humana, quæ materiam, spectatis omnibus circumstantiis, levem sub peccato mortali præciperet, esset injusta; neque enim conformis esset æternæ, aut naturali legi, quæ quidem (ut jam observatum est) non obligant sub mortali in materia quæ sit levis, tum ratione sui, tum ratione circumstantiarum in quibus aut admittitur, aut omittitur materia levis. Hinc S. Augustinus monet Superiores, ut legem æternam consulant, antequam leges aliquas ferant; *Conditor* (inquit in libro de vera Religione, c. 31.) *legum temporalium, si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit legem æternam, ut secundum ejus immutabiles regulas, quid sit pro tempore vitandum, jubendumque decernat.*

Quæres 3. qua ratione subditi se se gerere debeant, cum nec eis, nec aliis viris sapientibus constat, materiam legis esse gravem, aut levem materiam.

Resp. teneri eos præpositis suis obedire; in dubiis enim standum est tutioribus, & judicandum in favorem Legislatorum, qui nonnunquam ad commune bonum promovendum, ad vitandum scandalum, aut declinandum gravis mali periculum, sub interminatione divini judicii, sub pœna gravis inobedientiæ, sub pœna peccati mortalis, res etiam leves, prohibere coguntur.

CAPUT III.

Utrum lex humana obliget cum vitæ periculo.

CONCLUSIO. Leges humanæ non semper, sed in aliquibus tantum casibus, obligant ad sui observationem cum periculo vitæ.

Probatur prior pars. 1. Non major est vis humanæ legis, quam legis naturalis; illa enim est istius participatio; atqui lex naturalis (exceptis iis quæ prohibendi vim habent) non obligat semper cum periculo vitæ; ut patet in filio qui parentem exterius non colit, cum illi ex eo cultu vitæ periculum imminet; modo tamen nihil faciat, dicatve contra cultum, quem ei jure naturali tenetur exhibere. Patet iterum ex lege depositi, quod quidem licet jus naturale præcipiat, ut reddatur; retineri tamen potest, si vitæ periculum immineat. 2. Neque etiam lex divina positiva obligat semper cum vitæ periculo; neque enim peccavit David, cum ad necessitatem redactus, comedit panes propositionis, quibus ex lege divina solis Sacerdotibus vesci licitum erat.

Hinc sequitur 1. fideles, secluso scandalo, non teneri ad jejunium Ecclesiasticum, ad horas Canonicas, ad audiendam missam festivis diebus, ad annuas tum communionem, tum confessionem, cum leges illas cum vitæ periculo, immo & cum non sine gravi valetudinis, aut bonorum detrimento, servari non possunt. Sequitur 2. licere propter gravem necessitatem cum excommunicatis, etiam expresse denuntiatis, communicare; lex enim de vitandis excommunicatis non debet esse pœna respectu eorum qui innoxii sunt, sed eorum tantum qui rei sunt. Sequitur 3. ipsis etiam excommunicatis in gravi necessitate constitutis licere cum fidelibus communicare.

Quæres 1. an Lex seu Constitutio Carthusianorum de abstinentia carnium, eos obliget in extremo vitæ periculo.

Respondet Sylvius ad quæstionem illam 1. Carthusianum in ea extrema necessitate positum, cui nulli alii cibi præter carnes suppeterent, posse ac debere vesci carnibus. Probat 1. quia ut habetur capite *Sicut*, *de consecr. dist.* 1. extrema necessitas excusat ab observatione legis humanæ. 2. Quando duæ leges inter se pugnant, minor debet cedere majori: ergo & in eo casu lex Carthusianorum debet cedere legi naturali quæ major est, & quæ vitæ conservationem præcipit. 3. Carthusianus qui in ea, de qua agitur, circumstantia carnibus non vesceretur, esset sui ipsius homicida, juxta illud Ambrosii; *Pasce fame morientem; si non paveris, occidisti.* 4. Sequeretur alioquin Carthusianum in iis circumstantiis constitutum, damnatum esse ut fame periret. 5. Lex Carthusianis de abstinentia carnium imposita, non exprimit casum, de quo agitur; ergo ad illum extendi non debet; cum (ut habetur in jure) favores sint ampliandi, & odia restringenda, præsertim cum agitur de vitæ conservatione. 6. Nec obstat, quod inde oriretur scandalum; scandalum enim in eo casu non foret datum, sed acceptum; cuique enim evidens

dens esse debet, quod in extrema necessitate actus ille sit licitus.

Respondet 2. Idem auctor, Carthusiano ægrotanti non licere, etiam secreto, vesci carnibus, si alii cibi adsint, quibus impedire possit ne fame pereat.

Probat 1. quia consuetudo abstinendi a carnibus, etiam in morbis periculosissimis, vim habet præcepti & legis, & quidem toto approbante Ordine: justam autem esse illam consuetudinem evincitur ex eo, quod cedat in bonum spirituale totius Ordinis; plurisque referat ut privatus aliquis religiosus vitam amittat, quam ut infringatur lex quam totus Ordo servavit semper, & per quam a ceteris omnibus differt.

Probat 2. Si (inquit idem auctor) occasione morbi etiam gravissimi, Carthusianis liceret vesci carnibus, facile totius Ordinis disciplina tepesceret: ita namque inciperet dispensatio, primo quidem in casibus periculosis; deinde vero paullatim ad multos alios casus traheretur; ita ut omnes graves morbi essent occasio solvendæ carnium abstinentiæ: Et cum Medici sæpe inveniant morbos, quibus curandis, vel utilem, vel etiam necessarium judicent esum carnium, Carthusiani passim in infirmariis vescerentur carnibus. Ut igitur (prosequitur Auctor) ista sancta Religio maneat in suo vigore, laudabile ac honestum est, quod etiam in articulo mortis a carnibus se abstineant; idque non tantum coram aliis, sed etiam in secreto. Dum enim scitur eam Constitutionem ita stricte observari, ut ne secreto quidem carnibus vesci liceat, fit quod religiosi eam exactissime servent, neque dispensationes quærant.

Probat 3. Lex (inquit Sylvius) de vita propria conservanda, non obligat simpliciter & absolute pro omni casu vel eventu, sed sub conditione, hoc est, nisi caussa aliqua honesta & gravis aliud postulet.

Probat 4. Si Medicus (sunt ejusdem auctoris verba) judicet esse necessarium ut infirmus patriam, aut aerem mutet si vitam conservare velit, ipse non tenetur patriam deserere; & in exteras regiones proficisci: sicut etiam non tenetur, vel delicatissimis cibis, vel medicinis pretiosissimis uti, etiamsi medicorum judicium sit, ejusmodi esse illi necessaria.

Ex iis tum rationibus, tam solutionibus ad argumenta partis adversæ mox laudatus scriptor hanc conclusionem elicit: *Quapropter* (ait) *cum Carthusianis sit honesta, eaque valde rationabilis caussa abstinendi a carnibus, etiam in extremo mortis cujusvis periculo; scilicet ne eorum regula relaxetur; lex naturalis de vita propria conservanda non obligat ipsos, ut cum alii cibi non desunt, ad ejus conservationem utantur carnibus, etiamsi alioquin sint morituri.*

Quæres 2. utrum Idolothytis vesci liceat.

Resp. Sylvius 1. licitum esse vesci Idolothytis in extrema necessitate, quando alioquin esset fame moriendum; modo omne pusillorum scandalum evitetur. Ratio est, quia Idolothytis vesci, non divina Evangelii lege, sed humana tantum, Actorum 15. vesci prohibitum est: ea autem humana lex ab Apostolis tamquam Ecclesiæ Pastoribus ad quamdam œconomiam lata, jampridem abrogata fuit. Præterea antequam esset abrogata, secundum se non obligabat cum vitæ dispendio: quia, cessante scandalo, & idololatriæ tum specie, tum periculo, nullum erat publicum commune bonum, propter quod ea lex cum tanto discrimine obligaret.

Resp. 2. idem auctor, quod, etiam extra necessitatem extremam, vesci liceat idolothytis, modo tamquam cibi communes edantur, & nullum sit periculum, neque quod infirmi exemplo illo inducantur ad comedendum, aut in honorem idoli, aut contra conscientiam qua existiment, carnium idolis immolatarum sumptionem esse quamdam immolationis speciem; neque quod is, qui iis vescitur, existimandus sit falsam deorum religionem, vel quid simile, profiteri.

Illam responsionem mox laudatus scriptor probat ex generalibus istis Apostoli sententiis: *Omnia mihi licent*, 1. ad Corinth. 10. *Omnia sunt munda*, ad Rom. 14. *Omnia munda mundis*, ad Titum 1. *Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, 1. ad Tim 4.

Probat iterum ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 103. art. 4. ad 3. asserit, comestionem idolothytorum fuisse pro illo tantum tempore prohibitam, quo necesse erat, judæos & gentes in unum convenire: eam vero prohibitionem desiisse *manifestata Evangelicæ doctrinæ veritate, in qua Dominus docet, quod nihil, quod per os intrat, coinquinat hominem, ut dicitur Matth. 15 Et quod nihil est rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ut 1. ad Timoth. 4. dicitur.*

Probat tandem ex eo, quod nec S. Augustinus, nec S. Leo Magnus, nec Sanctus Hieronymus, qui mox dictis in speciem repugnare videntur, revera non repugnent. Nam 1. Augustinus epistola 154. respondens ad Publicolam, quærentem de Christiano famis necessitate victu, si nihil uspiam invenerit, nisi cibum in idolio positum, ubi nullus est alius hominum, utrum ei satius sit mori, quam illud in cibum sumere; Augustinus (inquit Sylvius) hisce verbis, quibus Publicolæ quæstionem solvit: *Si certum est esse* (Idolothytum) *melius Christiana veritate respuitur*, nec non his aliis in libro de bono conjugali, c. 16. *Satius est mori fame, quam Idolothytis vesci*: non dicit illicitum tore eo in casu idolothytis vesci; sed tantum quod idolothytum *melius Christiana veritate respuitur*. Addit idem auctor,

S. Do-

S. Doctorem loqui ex suppositione, quod infirmus quispiam venturus esset in suspicionem editæ a Christiano carnis in idolio repertæ, ac proinde Augustinum supponere, comestionem eo in casu pusillo postmodum futuram esse scandalo. 2. Cum Sanctus Leo Epistola 79. c. 5. jubet, ut satisfactione purgentur quidam Christiani, qui a Barbaris in captivitatem abducti, comederant idolothyta: *Ut pœnitentiæ satisfactione purgentur, sive terror extorserit, sive fames suaserit*: intelligendus est de casu, aut in quo non adfuisset extrema necessitas, aut id cum scandalo, & in religionis injuriam factum fuisset. 3. Cum S. Hieronymus in c. 15. Matthæi scribit, cibos per se non esse malos, sed fieri immundos ex dæmonum invocatione: *Sciendum* (inquit) *quod ipsi quidem sibi, & Dei creatura omnis munda sit, sed idolorum ac dæmoniorum invocationibus fiat immunda*: intelligi debet de immunditia quæ accidit cum iis qui idolothyta comedunt, aut ipsi invocant idola, aut invocantibus consentiunt.

CAPUT IV.

Utrum Lex pœnalis obliget in conscientia.

Not. Lex vulgo triplex distinguitur; nempe alia est, aut mere præceptiva, aut mere prohibitiva; alia mere pœnalis; tertia est mixta. Prima definitur, ea quæ actum aliquem præcipit aut prohibet, nulla facta mentione pœnæ quæ transgressori infligatur. Hujusmodi sunt leges de Missa festivis diebus audienda, de solvendis vectigalibus, de non evehendo ex patria frumento. Secunda est, quæ præter præceptum, aut prohibitionem, pœnam in transgressores decernit: hujusmodi esset ea, quæ hisce verbis exprimeretur: *Nemo pecuniam extra regnum extrahat, & qui extraxerit, solvet nummos centum*. Ea autem pœna vel copulative, vel disjunctive in lege exprimitur. Tertia tandem est ea, quæ non expresso præcepto, aut non expressa prohibitione, operis alicujus pœnam decernit in eos qui opus illud egerint: sicut si lex dicat, qui frumentum ex regno exportaverit, solvet centum aureos.

CONCLUSIO 1. Lex pure præceptiva, hoc est, in qua pœna non apponitur, aut prohibitiva, obligat sub reatu culpæ, sive sit Canonica, sive sit Civilis.

Probatur. Ex dictis superius, aliquæ leges, tum Canonicæ, tum Civiles, obligant sub reatu culpæ: ergo eæ præsertim quæ pure præceptivæ sunt, aut prohibitivæ: evidenter enim notam faciunt Legislatoris intentionem; ac proinde qui leges illas non observat, resistit Potestati, & (ut addit Apostolus) Dei etiam ordinationi, a quo est omnis potestas.

CONCL. 2. Lex pœnalis mixta obligat sub reatu culpæ ad actum, aut ponendum, aut omittendum, qui aut præcipitur, aut prohibetur.

Probatur. Lex mere præceptiva, aut prohibitiva, obligat (ut dictum est) sub reatu culpæ: ergo etiam & lex pœnalis mixta; siquidem additio pœnæ nihil detrahit ex vi præcepti, aut prohibitionis; immo vim illam auget & confirmat: idque patet 1. ex hac lege divina Genesis 2. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Idem in hac alia, quæ habetur Exodi 12. videre est: *Septem diebus fermentum non apparebit in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel*. Patet 2. in lege Canonica de paschali communione; *Omnis utriusque sexus*, quæ habetur titulo *de pænit.* & cui pœna in prævaricatores additur: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura*. Patet 3. in lege Civili de armis noctu non ferendis sub pœna carceris: ea enim pœna ideo infligitur, quod arma noctu ferens fiat inobediens legi: omnis autem innobedientia per se peccati rationem habet. Addendum est, pœnam addi legi, ut lex fidelius observetur; at id verum non esset, si additio pœnæ vim obligandi a lege detraheret.

CONCL. 3. Lex etiam mere pœnalis obligat sub reatu culpæ, tum ad subeundam pœnam, tum ad ponendum actum lege præceptum, tum ad omittendum lege prohibitum.

Probatur 1. Lex mere pœnalis præcipit, ut pœna subeatur: ergo sub reatu culpæ obligat ad solvendam pœnam: qui enim non solvit, fit legi solutionem præcipienti inobediens. 2. Obligat quoque ad omittendum, aut ponendum actum lege aut prohibitum aut præceptum, quia pœna juste infligi non potest, nisi ei qui prius peccaverit, juxta illud Aug. l. 1. Retract. c. 9. *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & peccatum nominatur*. 3. Inflictio pœnæ virtualiter includit Legislatoris præceptum, aut prohibitionem; ideo enim pœnam infligit, ut actus omittatur, aut fiat; ac proinde nulla datur lex ita mere pœnalis, ut non sit, saltem virtualiter, mixta.

Objicies 1. Ex Sancto Thoma 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. statuta quædam sunt in religionibus, quæ ad culpam non obligant, sed tantum ad pœnam: Sed ideo statuta illa ad culpam non obligant, quod sint leges mere pœnales: ergo lex mere pœnalis non obligat sub reatu culpæ ad actum, cujus omissio pœna aliqua castigatur.

Resp. dist. maj. Statuta &c. non obligant ad culpam per accidens, conc. maj. per se, neg. maj. Ratio est, quia auctores statutorum, de quibus agitur, clare, ut supponitur, mentem suam expresserunt, se nimirum non velle in quibusdam exterioribus actibus sub reatu

reatu culpæ obligare, sed tantum ad subeundam pœnam, quam infligi duxerunt iis, qui illos actus aut agerent, aut omitterent. Hujusmodi sunt Dominicanorum, aliorumque plurimorum Religiosorum hominum constitutiones, quæ ad disciplinam exteriorem spectant: unde Constitutiones illæ in eo capite non tam dici debent leges, quam ordinationes quædam & directiones, quibus religiosa disciplina promovetur.

Objicies 2. Leges quædam sic disjunctive exprimuntur: *Nemo in sylva regia lignum cadat, aut si ceciderit, duplionem ærario publico solvat. Nemo vinum extra regnum evehat, vel solvat viginti nummos*: atqui leges quæ sic disjunctive exprimuntur, non obligant sub reatu culpæ. Nam 1. cum lex aliqua est disjunctiva, relinquit subdito, utrumlibet voluerit, eligere: ergo si quis mulctam solvere velit, non tenetur omittere actum lege prohibitum, aut ponere præceptum. 2. Se habet subditus respectu legis mere pœnalis quæ disjunctive exprimitur, sicut is qui vovit respectu voti, quod disjunctive emisit, v. g. si quis dicat, Voveo me alea nusquam lusurum, aut si ludam, duplionem erogabo pauperibus: atqui is qui sic vovit, non tenetur ad non ludendum, si pauperibus duplionem eroget: ergo neque subditus tenetur actum ponere lege expressum, si velit pœnam subire, quæ disjunctive in lege exprimitur.

Resp. leges pœnales, in quibus actus & pœna disjunctive exprimuntur, non obligare ad duo membra, sed ad unum tantum, scilicet aut subeundam pœnam seu mulctam iis qui actum præceptum omiserint, aut prohibitum posuerint, impositam, vel ad ipsum actum vetitum omittendum, aut ad ponendum præceptum. Sed advertendum est, ea quæ mox dicta sunt, locum non habere in actibus qui aut divina aut naturali lege prohibentur: unde si lex mere pœnalis cum disjunctione statueretur de non cædendis lignis in proximi nemore, aut de non ducendis animalibus ad aliena pascua; lex illa obligaret sub reatu culpæ ad omittendum actum, qui per eam prohiberetur: scilicet est contra legem naturalem, ut quis proximi aut lignum, aut pascua furetur. Non habent quoque locum in lege humana mere pœnali, etiam disjunctive expressa, si alia lex mixta, quæ sit in usu, præcesserit; sic nec a peccato, nec a restitutionis debito excusaretur, qui justa tributa non solveret sub eo obtentu, quod paratus esset subire mulctam quæ iis imponitur, qui tributa per fraudem non solverint: v. g. stante hac lege: Nemo in urbem evehet merces extra regnum conquisitas, non liberaretur a culpa, si revera merces illas eveheret in urbem, quamvis paratus esset mulctam subire, confiscationem nimirum mercium, si in fraude & simulatione sua deprehenderetur.

Quæres, utrum leges pœnales obligent ad pœnam statim solvendam, hoc est, an qui leges pœnales transgrediuntur, teneantur pœnam constitutam subire, antequam a Judice vel ipsi condemnentur, vel eorum crimen declaretur.

Resp. 1. reum, hoc est, eum qui legem pœnalem infregit, non teneri ad subeundam pœnam ante latam a judice sententiam, si pœnam in lege exprimatur, prout ferenda tantum; ut cum dicitur, *sub pœna excommunicationis, sub pœna publicationis bonorum*, aut cum hisce aut similibus terminis exprimitur, *qui hoc egerit, suis bonis privetur, solvat centum aureos, excommunicetur*. Ratio est, quia (ut habet Regula juris 49. in Sexto) *In pœnis benignior est interpretatio facienda*: at non foret benignior interpretatio, si dum lex significat pœnam esse ferendam, sic interpretaremur, ut actu ferretur absque ulla Judicis sententia: id enim interpretari, pœnam, quæ decernitur ferenda, jam esse latam.

Resp. 2. quod quando lex continet pœnam latam, sed quæ requirit ipsiusmet rei, seu transgressoris, actionem, reus ordinarie non teneatur subire pœnam ante sententiam Judicis, nisi forte ad Canonicam aut religiosam disciplinam pertineat, ut sunt jejunium, oratio, &c. aut nisi ipsismet verbis legis significetur, non esse expectandam Judicis declarationem.

Ratio primæ partis est, quia cum (inquit Sylvius) leges ex se sint mutæ & inanimatæ, opus est actione Judicis, qui illarum executionem promoveat. Præterea a recepta consuetudine alienum est, ut reus sponte, & absque ulla condemnatione vel declaratione, in iis quæ crudelitatem & inhumanitatem sapiunt, in seipsum legis executionem promoveat: Hincque patet, reum qui aut suspendio, aut mutilatione damnatus est, non posse illam sententiam adversus seipsum exequi. Ratio alterius partis est, quia reus tenetur parere justæ legi, cujus verba perspicua sunt. Unde (inquit Natalis Alexander) si reus exsilio damnatus sit, aut mulcta pecuniaria, sponte in exsilium abire, aut mulctam solvere tenetur ex officio conscientiæ: eæ nimirum actiones nihil inhumani, nihil crudelitatis includunt.

Respondet 3. Sylvius. Quando lex continet pœnam latam in mera privatione consistentem, sive quando lex ante sententiam Judicis ipso facto privat transgressorem jure, vel commodo, vel actione, vel aliquo alio bono, quatenus illa pœna non requirit aliquam actionem, ut executioni mandetur, nec quidquam continet juri naturali repugnans, statim incurritur, statimque subiri debet. Sic censuræ quas lex dicit ipso facto incurri, statim obligant absque ulla Judicis declaratione: & bonorum, quæ ipso facto

facto confiscantur, dominium statim amittitur. Idem esse debet judicium de privatione vocis activæ aut passivæ, quam lex ipso facto incurrendam decernit. Idem quoque de beneficii Ecclesiastici titulo ac proprietate in clerico, qui crimen admisit, propter quod lex eum ipso facto privatum esse decernit,

Sed observandum est 1. quod ipse reus ante Judicis declarationem non tenetur seipsum abdicare possessione beneficii, cujus titulo excidit; nec debeat restituere fructus ex eo perceptos, modo officia, & onera beneficio annexa exequatur. Ad id enim titulum coloratum satis esse doctissimi Theologi censent, eaque est Gallicanæ jurisprudentiæ praxis.

Excipiendus est tamen ab ea regula casus quo lex expresse definit, non esse expectandam Judicis sententiam, ut reus & titulo beneficii, & possessione, & fructibus ex eo perceptis spolietur, & perceptos restituat. Tunc enim lex est aperta & justa, ac proinde reus statim illi parere tenetur.

Observandum est iterum, quod si ante judicis declarationem reus aliquem jurisdictionis actum exerceat, valeat actus ille, quamvis ex parte ipsius rei sit illicitus. Hincque concluditur, acta Parochi qui peccavit in legem quæ aliud præcipit, vel prohibet sub pœna beneficii ipso facto incurrenda, valide exerceri: unde valet absolutio sacramentalis quam impendit, valet matrimonium cujus celebrationi interest. Nec mirum, nam Ecclesia Acta illa probat, ut consulat quieti fidelium, & ne ex Parochi inobedientia innoxius populus detrimentum aliquod patiatur.

Observandum est tandem, clericum de quo agitur, ea tantum lege posse (ut dictum est) ante judicis declarationem retinere fructus beneficii, cujus jure *ipso facto* excidit, ut onera illi annexa adimpleat; contrarium docuerant nonnulli recentiores, cum hanc propositionem promulgarunt: *Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in concupiscentia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna:* Verum Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. coactus, hac speciali censura propositionem illam notavit, quam jam ante Alexander VII. proscripserat; *Hæc propositio falsa est, temeraria, cavillatoria, ac præceptis Ecclesiasticis illudit.*

CAPUT V.

Utrum lex in falsa præsumptione fundata, obliget in conscientia.

Not. VARIIS modis lex aliqua fundari potest in falsa præsumptione; juxta varios illos modos variæ conclusiones statuendæ sunt.

CONCL. 1. Lex quæ aliquid præcipit, quod præsumitur esse licitum, & tamen a parte rei est illicitum, non obligat in conscientia.

Probatur 1. Non est vera lex; est enim de ratione legis, ut justa sit, hoc est, ut objectum illius sit licitum & honestum: 2. Lex illa obligaret ad peccatum, quod est absurdum: 3. In eo præsertim casu locum habet illa juris regula: *Lex in præsumptione fundata non obligat in conscientia, quando præsumptio falsa est.*

Hinc vero concluditur, eum qui habet impedimentum occultum dirimens, nec petere, nec reddere debitum posse vi legis quæ decerneret, ut ii omnes qui in facie Ecclesiæ matrimonium celebrarunt, more maritali vivant; immo teneretur potius excommunicationem externam ferre, quam eo in casu exigere aut reddere debitum conjugale.

CONCL. 2. quando Legislator in quovis casu singulari aliquid suspicatur, & ratione ejusmodi suspicionis legem generalem constituit, quia in singulis actibus ita præsumit, ea lex in conscientia non obligat hominem, in quo præsumptio illa locum non habet.

Probatur 1. In eo casu locum habet axioma juris superius relatum. 2. Quemadmodum veritati manifestæ consuetudo cedere debet (ut habetur c. *veritatem*, dist. 8.) ita æquum est, ut eidem veritati præsumptio cedat.

Ejus generis lex invenitur in c. *Veniens*, nec non & in capite, *Qui fidem*, titul. *De Sponsalibus*, ubi statuitur, quod sponsalia de futuro, in matrimonium legitimum transeant per carnalem copulam subsecutam; fundatur enim in præsumptione, quod ea copula non ut plurimum, sed in quovis casu fiat animo maritali; hoc est, ex intentione perficiendi matrimonium: & propterea si illa intentio ex parte alterutrius defuerit (sicut ipse potest optime novisse) lex illa non obligat ad simul manendum, & conjugaliter vivendum. Nec id mirum est: siquidem de ratione matrimonii est mutuus partium consensus, qui quidem per nullam humanam potestatem suppleri potest; sed si quis eorum post hujusmodi copulam alteri nupserit, hoc aliud matrimonium est validum; ita ut non possit cum priore conjugaliter vivere absque mortali peccato, quidquid judex contrarium præceperit.

CONCL. 3. Quando Legislator ex falsa præsumptione definitiva facti, legem generalem constituit, si præsumptio sit falsa, lex, propter quam factum illud condit, non obligat.

Probatur. Tunc lex non obligat, cum Legislator non intendit, ut obliget; vis enim legis præcipue petitur ex intentione Legislatoris: atqui Legislator non vult, ut lex a se lata obliget, cum lata est ex falsa præsum-

pio-

ptione definitiva facti: factum enim, quod falso supponit esse verum, est caussa legis: ergo, &c. Hincque Sylvius colligit 1. sententiam, qua Judex ex falso allegatis & probatis aliquem damnat, aut ad restituendam rem alienam, aut dimissionem possessionis rei suæ, non obligare in conscientiæ foro, nisi ut scandalum vitetur, si sit illius periculum. Colligit 2. in hujusce nostræ conclusionis casu locum habere axioma juris, quod superius laudatum est: *Lex fundata in præsumptione non obligat, quando præsumptio est falsa.*

CONCLUSIO 4. Quando lex fertur in casibus, qui ut plurimum accidunt, obligat in conscientia eum etiam in quo ratio legis locum non habet.

Probatur 1. in casu de quo agitur, legislator ad vitanda incommoda, quæ alioquin ut plurimum acciderent, intentionem habet omnes sibi subditos obligandi: ergo lex ab eo lata unumquemque subditum obligat, etiam in foro interiori. 2. Se habet lex in eo casu, sicut in casu de armis noctu minime ferendis: atqui in casu de armis noctu minime ferendis, lex obligat etiam eum, in quo ratio legis locum non habet, hoc est, quamvis ea non ferat, ut alicui noceat, propter quam tamen unam rationem, lex illa (ut supponitur) lata fuit. 3. In casu, de quo est quæstio, lex non minus vim habet suam, quam in casu de sollemni professione monastica non edenda ante decimum sextum ætatis annum: atqui lex illa de professione monastica vim habet suam, etiam in eo in quo locum non habet juris præsumptio, hoc est, in eo qui ante decimum sextum ætatis annum maturo est judicio: ergo quando lex fertur in casibus, qui ut plurimum accidunt, obligat in conscientia eum etiam in quo ratio legis locum non habet.

QUÆSTIO V.

De variis modis, quibus Lex humana mutari potest.

Not. LEges humanæ variis modis mutari possunt: 1. per Epikiam, 2. per Dispensationem: 3. per Privilegium: 4. per Tolerantiam: 5. per Derogationem: 6. per Abrogationem: 7. per Irritationem: 8. denique per consuetudinem contrariam. De variis illis legum humanarum mutationibus in hac quæstione agendum nobis incumbit.

CAPUT PRIMUM.

De Epikia.

CONCL. 1. Epikia recte definitur, Interpretatio legis ab homine privato secundum jus magis universale, vel quod magis viget.

Probatur 1. Epikiam esse legis *interpretationem*, patet ex eo, quod sit actus, quo aliquis judicat, legem quæ generatim lata est, in quodam particulari casu, in quibusdam singularibus circumstantiis non obligare. 2. Epikiam fieri *ab homine privato*, clarum est ex eo, quod in hoc differat a juridica legis interpretatione; hæc enim fit aut ab ipso legislatore, aut per potestatem publicam cui legislator jus de suis legibus interpretandis facultatem fecerit. 3. Adduntur hæc verba: *Secundum jus magis universale*, eo quod legem interpretari non liceat, nisi eam comparando ad aliam legem superiorem. Sic lex de debito conjugali reddendo, comparata ad aliam legem superiorem, ut est ea qua prohibetur, ne abortus fiat, nec non ea qua prohibetur, ne quis vitæ periculo seipsum exponat: illæ nimirum leges magis sunt universales, quam lex quæ præcipit reddi debitum conjugale: unde mulier, quæ in alterutro ex iis casibus non reddit debitum, legem per Epikiam interpretatur, hoc est, judicat, non fuisse mentem legislatoris, ut lex ab eo lata in iis casibus obligaret.

CONCLUSIO 2. Legis interpretatio per Epikiam est licita.

Probatur 1. Interpretatio legis per Epikiam est interpretatio legis ad mentem legislatoris: atqui licita est interpretatio illa, cum per eam legislator finem assequatur suum, bonum scilicet commune, ad quod lex quælibet debet essentialiter ordinari. 2. Necesse est, ut quis aliquando per Epikiam legem interpretetur: ergo licita est. Probatur ant. Legislator humanus non potest in condenda lege omnes & singulos casus præcavere; unde leges suas proponit secundum ea, quæ in pluribus accidunt, suamque intentionem dirigit ad utilitatem communem. Necesse est igitur, ut si quis existat in particularibus casibus, quem humanus legislator non prævideritt, legem illius per Epikiam interpretetur.

Quæres, utrum Epikia locum habeat non solum in lege humana, sed etiam in lege divina, tum naturali, tum positiva.

Resp. affirmative. Idque patet 1. ex lege de reddendo debito, quæ licet sit juris naturalis, utpote ad justitiæ virtutem pertinens, explicatur tamen per Epikiam a conjuge, quæ debitum non reddit, cum adest abortus periculum. Id etiam patet 2. in lege de reddendo deposito, quæ quidem per Epikiam judi-

judicatur non obligare, cum redditio depositi potest esse noxia, aut depositi domino, aut alicui alteri homini. Id quoque patet 3. in lege de sanctificando sabbato, quam quidem, licet divinam, Machabæi per Epikiam judicarunt non obligare in ea circumstantia, in qua violatio sabbati ad vitæ conservationem necessaria foret.

Monitum hic lectorem volumus, Epikiam in lege naturali, aut positiva divina locum habere tantum, cum lex quæ per Epikiam explicatur, stare non potest cum alia lege magis universali: e contra vero ex alio etiam capite lex humana Epikiam patitur per quamdam veluti correctionem, hoc est per judicium, quo quis judicat legislatorem humanum non prævidisse casum particularem, in quo lex ab eo universim lata in republicæ detrimentum vergeret.

CAPUT II.

De Dispensatione.

Not. QUÆRIMUS hic 1. quid sit dispensatio: 2. utrum & a quibus concedi possit: 4. quid requiratur, ut sit licita, tum ex parte dantis, tum ex parte utentis: 4. an illicita dispensatio valeat.

CONCLUSIO 1. Dispensatio recte definitur, Exemptio a lege, auctoritate Superioris facta, sed non in perpetuum.

Explicatur definitio. Dispensatio dicitur 1. *Exemptio a lege*, & in hoc cum privilegio convenit, per utrumque enim privati a lege quæ viget eximuntur. 2. Dicitur *auctoritate Superioris facta*; quia ad legis relaxationem inquiritur jurisdictio: at jurisdictio nonnisi Superioribus competit. Dicitur 3. facta, *non in perpetuum*; & in hoc disconvenit a privilegio; quod quidem (ut infra dicetur) non confertur ad tempus, sed in perpetuum.

CONCLUSIO 2. Legitimi Superiores ex causa in legibus humanis dispensare possunt.

Probatur. Legitimi Superiores possunt (ut superius dictum est) leges condere: ergo possunt quoque, urgente causa, earum obligationem relaxare: quippe quod non major potestas ad relaxandam obligationem legis requiratur, quam ad imponendam ejusdem legis obligationem.

Quæres 1. quinam in specie sint Superiores, qui jus habent dispensandi in legibus humanis.

Respondeo, jus illud pertinere 1. ad Superiores qui leges humanas tulerunt: 2. ad rectores multitudinis, licet legislatore inferiores, cum ab ipso legislatore jus illud specialiter commissum est, aut cum ita fert consuetudo recepta, aut urget gravis necessitas: sic Episcopus dispensat in lege de cibis prohibitis, licet lex illa ab iis lata sit, qui Episcopo superiores sunt.

Quæres 2. an perantiquus sit usus concedendi dispensationes in legibus canonicis.

Resp. proferri posse plura exempla, quibus probetur, antiquitus dispensationes concessas fuisse in pœnis, quæ per canones iis infliguntur, qui peccaverint. Nam 1. Augustino teste libro 1. contra Parmenianum, pœnitentia, seu satisfactoriæ pœnæ Canonibus præfixæ remitti solebant, quando, alioquin, imminebat præsens schismatis periculum. 2. Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, nonnumquam contra Canones suis Episcopalibus Sedibus restituti sunt, ut videre est in Concilio Nicæno primo, Novatianorum respectu: videre est etiam in variis Conciliis, quæ in caussa Donatistarum habita sunt. 3. Anno 374. Bigami ad Diaconatum, Presbyteratum, vel Episcopatum contra Canones ordinati, tolerati fuerunt a Siricio & aliis summis Pontificibus. 4. Adolescentibus post actam publicam pœnitentiam conjugem ducere contra regulas indultum est a Leone Magno, Epistola 92. quæ est ad Rusticum Narbonensem. Evidens est igitur, nonnumquam primis Ecclesiæ temporibus aliquando dispensatum fuisse in pœnis, quæ prævaricatoribus inflictæ fuerant a lege.

Resp. iterum antiquitus concessas etiam fuisse dispensationes non tantum in pœnis, sed etiam a legibus servandis. Et quidem 1. indultum est Ambrosio adhuc Neophyto, & nondum baptizato, ut ad Episcopatum Mediolanensem eligeretur, quamvis id & per Apostolum, & per Canones vetitum fuisset. 2. Fabianus Papa, annuentibus Clero & plebe, Novatianum Clinicum, hoc est, baptizatum in gravis morbi periculo, presbyterum, Eusebio teste, hist. l. 6. cap. 43. consecravit. 3. Synodus Ancyrana, quæ circa annum 414. & 415. celebrata fuit, canone 10. declaravit Diaconos, qui cum ordinarentur, protestati fuerant se non posse temperare ab usu uxorum quas ante suam ordinationem duxerant, posse circa castitatis legem per canones Diaconis impositam dispensari. 4. Gelasius Papa I. ut Italarum Ecclesiarum viduitati consuleret, epistola prima in lege de interstitiis servandis dispensavit: indulsit nimirum, ut monachi intra annum Presbyteri consecrari possent, laici vero intra octodecim menses. 5. Symmachus Papa circa annum 501. in Epistola ad Avitum Viennensem expresse docuit, quandoque a Canonibus dispensandum esse in iis casibus, quibus ab ipsa lege cautum fuisset, si prævidisset singulares illos casus, addiditque, crudelitatem sapere eorum agendi modum, qui legi insistunt, cum illius observantia Ecclesiis infert præjudicium: leges enim ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant. 6. Gregorius

rius Magnus circa annum 590. Anglis recenter ad fidem ab Augustino monacho conversis indulsit, ut extra quartum consanguinitatis & affinitatis gradum nubere possent, quamvis quæ tunc vigebant leges, vetarent, ne nuptiæ intra septimum consanguinitatis, aut affinitatis gradum celebrarentur. 7. Eidem quoque Augustino propter necessitatem, quæ tunc urgebat, facultatem fecit, ut solus Episcopos in Anglia consecraret, quamvis canonibus injunctum fuisset, ut Episcopus nonnisi a tribus Episcopis consecraretur. 8. Concilium Meldense anno 845. celebratum, canone 64. Nothos, alioquin Canonibus prohibitos, ordinari permittit. Ex iis quæ hucusque dicta sunt, patet, veram non esse eorum sententiam, quibus placet, nullas a legibus Ecclesiasticis ante sæculum undecimum dispensationes concessas fuisse.

CONCL. 3. Superioribus licitum non est a lege sine caussa dispensare.

Probatur 1. Id non licet Magistratui Politico. Ratio est quia dispensans sine caussa peccat contra fidem, quam Reipublicæ debet. Peccat quoque contra prudentiam; eximit nimirum ab onere communi eum qui eximendus non est. Peccat denique nonnunquam contra justitiam: scilicet reus fit acceptionis personarum, quæ quidem est vitium justitiæ distributivæ oppositum.

Probatur 2. Id de quo agitur in conclusione, non licet Superiori Ecclesiastico. Nam vel ipse condidit leges, in quibus dispensat; vel illæ leges latæ sunt Canonibus, vel denique statutis monasticis & regularibus. Si primum, propter easdem rationes reus est, propter quas peccat Magistratus Politicus, cum sine caussa dispensat. Si secundum, dissipationis crimine tenetur, non dispensatoris laude commendatur; cum enim ex officio legum observationi invigilare teneatur, non potest sine peccato earum infractioni connivere, & a fortiori non potest positive annuere, ut violentur. Si tertium, peccat pariter propter eamdem rationem: scilicet statuta monastica non permittuntur Superioris arbitrio, sed prudentiæ; ac proinde cum non adsit prudentia, ubi nulla est dispensandi caussa, reus fit, cum a statutis monasticis sine caussa dispensat.

Confirmatur ex S. Bernardo, qui libro 3. de consideratione cap. 4. sic loquitur: *Quid ergo prohibeo dispensare? Non sum tam rudis, ut ignorem, positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est.* Quænam autem sit ea necessitas, iisdem hisce terminis aperit: *Utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Idem Sanctus Doctor in libro *De præcepto & dispensatione*, eamdem regulam tradit; sic enim cap. 2. loquitur: *Stabile dixerim, quod ita est necessarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas sit, nisi solis dispensatoribus Mysteriorum Dei, idest, Præpositis, verbi gratia, Regulæ sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti, nec non & authentici Canones, & si quæ sunt alia Ecclesiastica Instituta digna auctoritatis. Quæ quoniam a sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseverent, nec omnino cuivis subjectorum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur. Quia tamen ab hominibus, etiam per homines loco & officio illis canonica electione succedentes, licite interdum, innoxieque pro caussis, personis, locis, & temporibus dispensantur. Porro inventa atque instituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret; sed quod ita magis expediret, nec plane ad aliud, quam ad lucrum, custodiamque caritatis. Quamdiu ergo caritati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem Prælatis sine offensa possunt. At si e contrario contraria forte aliquando visa fuerint, his duntaxat, quibus hoc posse videre datum est & providere creditum est.*

Ex eo principio idem S. Doctor primum hanc elicit conclusionem: *Nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro caritate inventa fuerint, pro caritate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur?* Elicit quoque hanc aliam: *Sicut e regione procul dubio foret, si statuta pro sua caritate contra caritatem tenerentur. Teneant ergo firmam, fixamque immobilitatem etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt; sed quatenus caritati deserviunt.*

Duplicem illam regulam idem Bernardus auctoritate Patrum confirmat: *Numquid autem hoc ego, vel solus sentio, vel primus dico? Annon hoc ipsum & Papa Gelasius sensit? Ait siquidem:* Ubi (*inquit*) necessitas non est, inconvertibilia maneant Sanctorum Patrum Decreta. *Leo quoque Papa:* Ubi (*inquit*) necessitas non est, nullo modo Sanctorum Patrum constituta violentur. Et *infert:* Ubi ergo necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, si potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis.

Sanctus Doctor idem asserit de statutis Monachorum, quod & de sacris Canonibus: *Quidquid* (inquit in libro de *Præcepto & Dispensatione*, cap. 4.) *de spiritualibus in regula traditum est, in manu Abbatis nequaquam relinquitur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus constat observantiis, ne ipsa quidem in ejus voluntate posita est, ut ejus-*

tiem deserviat voluntati ; sed magis caritas. Neque enim Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit, etsi (quod negandum non est) Dei regula, caritas, regulæ S. Benedicti jure præponitur. Esto proinde ut interdum Regulæ littera cedat pro tempore caritati, cum ratio necessitatis vel caritatis exegerit: Absit tamen, ut hominis cujuspiam subdatur voluntati.

Rationem reddit: *Super* (inquit) *fratrum sane transgressiones, non super Patrum traditiones, non constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & ultor vitiorum. Arbiter namque sanctas illas Observantias, Prælatorum prudentiæ & fidei creditas, non subditas voluntati. Hinc est, quod idem Legislator in his quæ Abbati dispensanda reliquit, caute nusquam (ut memini) voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut providentiam, aut certe arbitrium, seu aliquid hujusmodi ponit: Volens nimirum providum fidumque dispensatorem, rationis, ubi forte dispensat, sequi judicium, non suæ placitum voluntatis. Unde & intimat ei non semel, quod de omnibus judiciis suis Deo redditurus sit rationem.* Hinc vero patet, quam rei sint religiosorum Ordinum præpositi, qui, aut nec invigilant regularum observationi, aut qui in eis sine caussa dispensant, hoc est, ubi dispensationem caritas non exigit.

Patet 2. quam immerito nonnulli docuerint, eos qui præsunt Ecclesiis, posse pro arbitrio in legibus Canonicis dispensare; neque enim dominium habent in Canones, sed executionem tantum, hoc est, in Ecclesiarum speculis a Deo constituti sunt, ut executioni sacrorum Canonum invigilent. Id vero potest ex Concilio Tridentino confirmari, quod quidem vetat, ne aliqua dispensatio concedatur, nisi dispensatio illa in bonum commune cedat; *Nonnisi* (inquit sess. 25. de reformat. cap. 18.) *pro communi utilitate concedantur*. Idem docet sessione 24. de reform. cap. 5. *in secundo gradu* (ait) *numquam dispensetur, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam caussam.*

CONCL. 3. Illicitus est usus dispensationis, quam aperte constat sine caussa fuisse concessam.

Probatur. Quisque legi subditus tenetur in foro conscientiæ eam servare, quamdiu ab ea legitime exemptus non fuit; eo enim in casu vigent in privatum quemque vis & pondus legis: ergo illicitus est usus dispensationis, quam constat sine debita caussa fuisse concessam. Regulæ quam nostra conclusio tradit, adhærendum censet Bellarminus in admonitione ad suum nepotem, ubi sic loquitur: *Sciendum est, Pontificiam dispensationem, quando non adest justa caussa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli.*

CONCL. 4. Dispensatio a Canonibus, quæ sine caussa concessa fuerit, nonnunquam irritari potest, antequam executioni mandata sit: Si autem jam mandata sit executioni, aliquando non potest irritari, aliquando vero potest.

Probatur prima pars. Eæ dispensationes possunt ab iis, ad quos spectat, irritari, quæ possunt declarari subreptitiæ: atqui dispensationes quæ sine caussa concessæ fuerint, nonnunquam, saltem antequam executioni mandatæ fuerint, possunt ab iis, ad quos spectat, irritari, ut probant hæc Concilii Trid. verba sess. 25. de refor. cap. 18. *Sciant universi* (inquit sacra Synodus) *sacratissimos Canones exacte ab omnibus & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id, caussa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Probatur altera conclusionis pars. Fert unanimis Ecclesiæ consensus, ut valeant quædam dispensationes, quæ illicite & petitæ & datæ fuerint. Scilicet ea praxis admissa est, quod alioquin Ecclesiæ pax perturbaretur. Unde sic res quæ ex obtenta dispensatione illicita ad judicium Ecclesiasticum deferatur, nonnunquam irritari non debet. Hincque sequitur 1. eos qui in occultis irregularitatibus dispensati sunt, ut ordinentur, aut ut beneficii Ecclesiastici capaces fiant, a judice Ecclesiastico declarari non posse inhabiles ad Ordines quos receperint, aut ad beneficium, quod vi hujusmodi dispensationis fuerint consecuti: modo tamen dispensanti nihil falsi expositum fuerit; ut ab ea irregularitate dispensatio obtineretur. Sequitur 2. eum qui in tertio, vel in quarto consanguinitatis, aut affinitatis gradu, etiam sine caussa, dispensatus est a Romano Pontifice, impediri non debere, ne conjugem accipiat, nec contractum ex vi illius dispensationis matrimonium posse in aliquam nullitatis suspicionem venire, nec natos ex illo matrimonio filios posse spurios & illegitimos declarari.

Probatur tertia pars, seu dispensationes illicitas aliquando, etiam post rei, ad quam datæ fuerant, executionem, invalidas esse etiam quoad forum externum. Scilicet res nonnullæ sunt, in quibus Ecclesiæ recepta consuetudo dispensationes non admittit, & præsertim in Galliis, ut videre est in articulo quadragesimo secundo Libertatum Galliæ, hoc est, Canonum qui in Galliis constanti consuetudine servantur. Hinc si dispensatio in primo gradu ad matrimonium contrahendum

con-

concederetur, in Galliis hujusmodi dispensatio declararetur irrita; & matrimonium sic contractum, a judice Ecclesiastico dissolveretur. Similiter si aliquis ex Ordinibus Mendicantium permitteretur, aut Canonicatum, aut Ecclesiam parochialem regere, collatio pro nulla & invalida haberetur: Id nimirum vetitum est Gallorum usibus ut patet ex Edicto Caroli VII. ad cujus quidem normam judices Ecclesiastici lites ex usu Gallicanæ Ecclesiæ dirimere consueverunt.

CAPUT III.

De Privilegio.

Not. Exponendum est hic 1. quid sit privilegium: 2. quotuplex sit: 3. quot modis irritum fit, ac nullum: 4. quænam sint juris regulæ circa privilegia.

CONCLUSIO 1. Privilegium recte definitur, Exemptio a lege servanda in favorem aliquorum per modum legis perpetuæ facta.

Explicatur conclusio. Privilegium dicitur 1. *Exemptio a lege servanda*, & in hoc convenit cum dispensatione; utrumque enim concedit exemptionem a lege quæ vigeat. 2. Dicitur Exemptio *facta per modum legis perpetuæ*, & in hoc differt a dispensatione, quæ quidem nec per modum legis, nec in perpetuum, sed ad tempus tantum conceditur. Hincque patet, quod privilegia debeant esse in commune bonum, cum (ut dictum est) per modum legis concedantur: lex enim essentialiter statui debet ad bonum commune.

CONCL. 2. Privilegium multipliciter dividitur.

Probatur enumeratione. Privilegium aliud est locale, aliud personale, aliud corporale. Primum, est illud quod Ecclesiæ, Dignitati, Civitati, vel alicui loco, aut aliquibus personis ratione loci conceditur. Ejusmodi vero privilegium, perpetuum est, seu vim habet, donec locus, dignitas, Ecclesiæ consistunt, nisi totum, aut ex parte revocetur: id nimirum statuitur cap. *Recolentes*, Extr. *De statu Monachorum*. Si tamen ipsa res, Ecclesia, vel locus, cui privilegium annexum est, non Superioris auctoritate, sed hostis incursione destruatur, privilegio fruitur, ut decernitur c. *Quæ semel*, Caussa 19. q. 3.

Altera privilegii species, dicitur privilegium personale, definiturque privilegium, quod alicui, vel aliquibus, & quidem propriis nominibus expressis, conceditur: hujusmodi privilegium *personam sequitur*, & *extinguitur cum persona*, ut habetur in septima Regula juris in *Sexto*, nec non cap. *Mandata*, Extr. *De præsumptionibus*.

Tertia privilegii species, dicitur privilegium corporale, & est illud quod alicui Universitati, Societati, Ordini, Capitulo, vel Collegio ita conceditur, ut quodlibet illius membrum illo privilegio juvetur: hujusmodi autem privilegium perdurat, donec aut desinat corpus civile, aut Ecclesiasticum, cui concessum est, aut donec a concedentis successoribus revocatum fuerit.

CONCL. 3. Privilegium variis modis irritum est, ac nullum.

Probatur enumeratione, quam apud Sanctum Antoninum 1. part. Tit. 19. cap. 1. legere est: Primo irritum est, si per subreptionem obtentum fuerit: quæ enim sic obtinentur, non juvant impetrantem, ut habetur cap. *Litteris*, Extr. *De Rescriptis*, & c. *Cum olim*, Extr. *De sentent. & re judicat*. 2. Si alicui constitutioni contrarium sit, cujus expresse non meminerit, c. *Cum ees*, Ext. *De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli*. 3. Si tollat consuetudinem, & eam expresse recenseat, c. *Licet* Tit. *De Constitutionibus*, in Sexto 4. Si contra Sententiam latam, & de ea nullam mentionem fecerit, cap. *Inter dilectos*, Extr. *De fide instrumentorum*. 5. Si, lite pendente, sit impetratum, nisi de ea circumstantia mentio expresse fiat, c. *Caussam*, Extr: *De testibus*. 6. Cessante privilegii caussa, cessat privilegium, c. *Cum cessante*, Extr. *De appellationibus*. 7. Excidit privilegio, qui agit contra Privilegii tenorem, c. *Porro*, &c. *Concessionibus*, Extr. *De privilegiis*. 8. Cessat privilegium, cum alicui nocere incipit, vel etiam ei cui concessum est: *Quod enim* (ait Regula juris 61. in Sexto) *ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*: Unde & est illud Simplicii Papæ, *Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate*. 9. Definit per ejus, ad quem spectat, revocationem: & reipsa revocari debet cum est in aliorum gravamen, & communi bono minime subservit. 10. Tollitur per ejus, cui concessum est, renunciationem, cap. *Nuper*, Extr. *De Decimis*.

CONCLUSIO 4. Nonnullæ sunt regulæ, quæ circa privilegiorum usum servandæ sunt.

Probatur enumeratione. 1. Ita restringi debent privilegia, ut ultra id quod expressè in eis conceditur, non extendantur: scilicet privilegia sunt quædam species rei odiosæ, cum legi contraria sint, & non raro Ecclesiæ disciplinam enervent: unde Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. cap. 11. asserit: *Privilegia & exemptiones, quæ variis titulis, plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere*.

II. Qui se per Sedis Apostolicæ privilegia exemptos asserunt, a locorum Ordinariis requisiti, hujusmodi privilegiorum authenticum exhibere debent, ac ad legendum tradere

dere, nec non de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum in manus dare tenentur. Si autem immunitatem suam Canonica præscriptione tueantur, de præscriptione debent facere fidem. Id nimirum expresse decernitur cap. *Accepimus*, Extr. *De fide Instrumentorum*: Ratio est, quia *privilegia non inspecta, non valent argui falsitatis*.

III. Privilegium & quodcumque aliud instrumentum, cujus litteræ legi non possunt, maxime in nota temporis quo datum est, vel cujus carta est vetusta, scriptura vero alicubi saltem, est recentior; vel cujus sigillum non est authenticum, fidem non facit: ita statuitur cap. *Inter dilectos*, Extr. *De fide instrument.*

IV. Falsa latinitas privilegium & quodvis aliud Summi Pontificis rescriptum vitiat, cap. *Ad audientiam*, Extr. *De rescriptis*. Si tamen in narratione facti, vel in nominibus possessionum abrasum sit privilegium, vel quodlibet aliud instrumentum, aut rescriptum; propterea tamen venire non debet in suspicionem falsi, cap. *Ex litteris*, Extr. *De fide Instrumentorum*. Si aliquarum tantum litterarum in loco minime suspecto rasura deprehendatur, privilegium, aut rescriptum non censetur irritum, cap. *Ex conscientia*, Extr. *De crimine falsi*. Multo minus rescriptum vitiat unius tantum litteræ defectus, cap. *Ex parte*, Extr. *De fide Instrumentorum*.

V. Privilegia uni, vel certis quibusdam personis concessa, ad alias personas non extenduntur propter paritatem rationis: unde sic habet regula juris 28. in Sexto, *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*. Sic etiam 24. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum*.

VI. Privilegio exciderunt, qui spatio annorum quadraginta eo non sunt usi. Ita statuit Alexander III. cap. *Accedentibus*, Extr. *De privilegiis*. Exemptus ratione unius rei vel loci, non censetur exemptus ratione aliarum, sive rerum, sive locorum, cap. *Cum capella*, Extr. *de Privilegiis*. Privilegia quæ derogant jurisdictioni Ordinarii, post Concilium Tridentinum censeri solent subreptitia. Privilegia, quibus conceditur, ne is, aut ille excommunicari, aut interdici possit, nisi sint Reges, aut Reginæ, vel ipsorum filii, in Galliis non recipiuntur, hoc est, non sunt in usu. Vide caput, *Ne aliqui*, Titul. *De privilegiis*, in Sexto.

Quæres, an valeant privilegia, antequam privilegiato innotuerint.

Resp. privilegia valere statim atque a procuratore privilegiati acceptata fuerint, modo tamen ejus sint naturæ, ut privilegiatus eis licite uti possit antequam sibi innotuerint: secus vero cum eis sine peccato uti non potest, antequam in illius notitiam venerint. Ratio est, quia probabile non est, eum qui privilegia concedit, velle iniquo usui occasionem præbere.

CAPUT IV.

De Tolerantia, Derogatione, Abrogatione, Irritatione.

CONCLUSIO 1. Tolerantia definitur, Permissio negativa rei prohibitæ, seu, est legis adhuc vigentis infractio, quæ videtur, nec tamen punitur, aut arguitur.

Infractæ legis tolerantia nonnunquam necessaria est, tum ut vitetur majus malum, tum ne Reipublicæ, sive Politicæ, sive Ecclesiasticæ, pax turbetur: *Terrena civitas* (inquit Augustinus lib. 15. de Civ. Dei c. 18.) *scortorum usum impunitam turpitudinem facit*. Idem docetur a Cypriano Epist. 55. *Remitto* (inquit) *omnia, multa dissimulo studio & voto colligendæ fraternitatis*.

Ubi vero desinit urgere necessitas, legislatores, aut ii qui ex officio curare debent, ut leges serventur, tolerantia licite uti non possunt, ut Epist. 22. cap. 5. hisce verbis docet Innocentius Papa I. *Quod pro remedio ac necessitate statutum est, constat primitus non fuisse. Ergo quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat, quia aliud ordo legitimus, aliud usurpatio quam ad præsens fieri tempus impellit*.

CONCL. 2. Derogatio nihil aliud est, quam legis, quæ viget, imminutio secundum aliquam sui partem, v. g. cum ovorum usus quadragesimali tempore permittitur.

Derogatio a lege fieri tantum potest a Superiore, & quidem cum caussa, quæ bonum commune respiciat, cum sit quædam veluti a lege secundum aliquam sui partem dispensatio.

CONCL. 3. Abrogatio est antiquatio legis secundum omnes suas partes.

Probatur. Abrogatio non in alio differt a Derogatione, quam quod ista sit legis tantum imminutio, illa vero, totius legis abrogatio. Sic lex Moysis per Evangelium abrogata dicitur, quod secundum omnes suas partes essentiales, cæremoniales nimirum, antiquata fuerit; juxta illud Apostoli ad Hebræos 7. *Translato Sacerdotio; necesse est, ut Legis translatio fiat*. Sic etiam lex canonica de temperando a suffocatis, quæ ab Apostolis in primo Concilio Jerosolymitano lata fuerat, abrogata fuit per contrariam consuetudinem.

CONCL. 4. Irritatio est, cum lex, etiamsi lata fuerit, fit nulla & invalida, antequam recipiatur.

Probatur. Non ob aliam rationem irrita facta est lex, quam Imperator Mauricius tulerat de militibus non admittendis ad monachatus professionem: nempe ideo irritata dicitur, quod cura Gregorii Magni in irritum abierit, antequam vigeret.

Quæres, quot modis irritatio legis fieri possit.

Resp. legem humanam irritari, vel cum propter contrariam & usu receptam consuetudinem ab hominibus sapientibus & fidelibus executioni non mandatur, vel cum in legislatore defuerunt, aut potestas, aut voluntas. Sic irritantur leges humanæ, quæ naturali, aut divino juri contrariæ sunt, aut quæ supponunt aliquod factum, tanquam verum, quod tamen a parte rei falsum est.

Sed lectorem monitum velim, non omne quod illicitum est, esse irritum: scilicet matrimonii contractus post emissum simplex castitatis votum, licet illicitus sit, non est tamen irritus, nec ab humana aliqua potestate irritandus. Aliqua tamen illicita (ut dictum est) irrita sunt, sed id (ut observatum est) non oritur ex parte ejus qui illicitum fecit, sed ex defectu aut voluntatis aut potestatis in eo qui legem tulit: sic irriti sunt contractus omnes, qui ad turpem caussam a duobus ejusdem flagitii reis celebrantur; neque enim lex aliqua potest crimina, sive sint flagitia, sive facinora, jubere.

CAPUT V.

De consuetudine.

CONCL. 1. Consuetudo recte definitur, Jus moribus utentium introductum, ubi lex ipsa deficit, vel cum ejus sensus dubius est.

Explicatur definitio. Consuetudo dicitur 1. *Jus* quia (ut infra dicetur) si legitimæ conditiones adsint, vim legis habet: 2. Dicitur *Jus moribus utentium introductum*: neque enim origo consuetudinis petitur a legislatore, sed ab usu quem populus invexit. Dicitur 3. jus introductum, *ubi lex ipsa deficit*; quia est ipsius legis, quæ non extat, aut non viget, veluti supplementum. Dicitur 4. *vel cum legis sensus dubius est*: consuetudo enim optima est legis interpres; unde consulitur, quoties circa legis sensum dubium occurrit.

CONCLUSIO 2. Consuetudo multipliciter dividitur.

Probatur. Consuetudo dividitur 1. in generalem & particularem. Illa, totius est Reipublicæ, seu Civilis, seu Ecclesiasticæ: ista vero est particularis Reipublicæ, sive Civilis, sive Ecclesiasticæ.

Consuetudo generalis totius Ecclesiæ, cujus origo non reperitur, ad ipsorum Apostolorum, aut pleniorum Conciliorum institutionem refundi debet, juxta illud Augustini Epistola 118. veteris Editionis, quæ est ad Januarium: *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini Passio & Resurrectio & Ascensio in cælum, & Adventus de cælo Spiritus Sancti anniversaria sollemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa quacumque se diffundit Ecclesia.*

Eas vero generales Ecclesiæ consuetudines esse Legis scriptæ loco, tradit ibidem Augustinus, c. 5. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Idem ab eodem S. Doctore docetur Epistola 36. quæ est ad Casulanum, ubi sic loquitur: *Quisquis hunc diem* (qui nunc dicitur Dominicus, & olim dies Solis) *jejunio decernendum putaverit, sicut quidam jejunantes Sabbatum observant, non parva scandalo erit Ecclesiæ; nec immerito: in his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt.*

Consuetudo particularis, seu quæ est loci alicujus, aut Ecclesiæ cujusdam, si nihil contineat quod fidei aut moribus repugnet, observanda est ab iis qui in eo loco, aut in ea Ecclesia morantur, aut qui peregrini ad eum locum, aut ad eam Ecclesiam accedunt. *Consuetudines quæ per loca terrarum regionesque variantur* (ait August. Epist. 118. ad Januarium) *sicuti est, quod alii jejunant Sabbato, alii vero non; aliqui quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: Totum hoc genus rerum liberas habet observationes; nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.*

Idem docet Gregorius Magnus in responsis ad Augustinum Anglorum Episcopum, & habetur apud Gratianum, cap. Noverit, Dist. 12. sic autem loquitur: *Mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicana, seu in qualibet Ecclesia, aliquid invenisti, quod plus omnipotentis Deo placere possit, sollicite eligas: & ut Anglorum Ecclesiæ, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige: & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.*

Consuetudines particulares locorum, si nec rectæ fidei nec bonis moribus repugnent, facile immutari non debent: *Ipsa mutatio consuetudinis* (ait Augustinus Epist. 118. ad Januarium, c. 5.) *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.* Monet idem S. Doctor Epistola 119. ne usurpentur consuetudines, quæ salubrius ad pietatem homines promovent, quæque in seipsis sunt utiliores, si infirmis quibusdam hominibus sint offendiculo: *Si aliquorum* (inquit) *infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum fit. Si enim eo modo impediat, ut majora studiorum lucra speranda sint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maxime id quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis, cum & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.*

CONCLUSIO. 3. Consuetudo in multis vim legis habet.

Probatur. Primo, consuetudinem generalem, hoc est, quæ ab universa servatur Ecclesia. vim legis habere, evidens est ex locis, quæ ad defensionem & explicationem præcedentis conclusionis allata sunt. 2. Id pariter evidens est de consuetudinibus particularibus respectu eorum, qui aut in locis in quibus vigent, commorantur, aut qui ad ea loca peregrini accedunt.

Probatur iterum variis exemplis. 1. Consuetudo satis est ad firmandam jurisdictionem, ut patet ex Gregorio Magno lib. 1. Epist. 75. ubi Numidiæ consuetudines in Primatibus constituendis approbat, ut nimirum ex Ordinationis tempore, non ex electione, non ex Sede, Primatus habeatur, non solum excepto Carthaginiensi. 2. Valet etiam consuetudo ad introducenda matrimonii impedimenta, ut videre est in Basilio in Epistola ad Diodorum, ubi docet, non licere demortuæ uxoris sororem in Matrimonium ducere. *Propter morem* (inquit) *qui vim legis habet.* Nec obstat, quod in canonibus Apostolorum jam antea vetitum esset: nempe Basilii ætate Canones, qui dicuntur Apostolici, nondum vim legis habebant.

CONCL. 4. Consuetudo certis quibusdam conditionibus vestita, abrogat legem antea latam.

Probatur. Consuetudo legitime præscipta vim legis habet, ut superius ostensum est: ergo si contraria sit legi, quæ ante lata fuerit, eam abrogat, efficitque, ut abeat in desuetudinem, ac proinde ut vim amittat suam; lex enim quæ in desuetudinem, & a fortiori, quæ in contrariam consuetudinem abiit, non obligat.

Verum, ut nova consuetudo, aut ex parte, aut ex toto, vim legis tollat, tres in ea conditiones requiruntur. Nempe requiritur 1. ut non sit contra jus naturale, aut divinum positivum: 2. Ut nec legislator, nec ii quibus ex officio incumbit, ut legum observationem curent, ei non contradixerint: aut si aliquando contradixerint, desierint postea contradicere. 3. Ut a legitimo tempore, hoc est, tempore ad præscriptionem requisito, sit in usu; ac proinde cum in jure Civili præscriptio locum non habeat ante decem annos, & in jure Ecclesiastico ante quadraginta, ita nec consuetudo ante illud temporis spatium antiquiorem legem abrogare potest.

Defectu primæ conditionis, consuetudo, quam nonnulli molliores ministri in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sequuntur, dum levissimas quasdam satisfactiones pro gravissimis sceleribus injungunt, ministros illos a peccato non eximit: scilicet opposita est iuri divino, quo præscribitur, ut convenientes pro qualitate criminum satisfactiones imponantur. Ejusdem conditionis defectu, consuetudo pecuniam mutuo dandi cum obligatione reddendi aliquid, sive certum, sive incertum, præter sortem mutuantes non excusat ab usuræ crimine; usura enim (ut suo loco dicetur) est contra jus naturale & divinum. Defectu alterius conditionis, praxis laicorum quorumdam, qui raro admodum, aut nunquam sistunt se præsentes Missæ Parochiali, non est legitima consuetudo in Galliis, ubi Concilia Provincialia, Decreta Cleri Gallicani ad Comitia Generalia congregati, ac specialia Episcoporum Statuta, obsistunt. Defectu tertiæ conditionis, praxis eorum, qui consuetudines legi contrarias invehunt, innoxia non est, quamvis ii qui longo post tempore eam sequuntur, non peccent, juxta tritam hanc Vincentii Lirinensis sententiam: *Condemnantur magistri, absolvuntur discipuli.*

DISSERTATIO SEXTA.

De speciebus Legis humanæ.

Not. DUÆ sunt legis humanæ species, Civilis nimirum & Canonica. Prior, est quæ in terrena civitate ad pacem terrenam fertur a Principibus sæcularibus; posterior vero quam in Christiana religione ad pacem cælestis civitatis ferunt Ecclesiæ Prælati; hincque patet, illam dirigi ad bonum temporale, istam vero tendere ad promovendam fidelium æternam salutem. De utraque illa humanæ legis specie seorsim est hic agendum.

QUÆSTIO PRIMA.

De Lege Civili.

Not. DE lege Civili quæri potest 1. quotuplex sit: 2. Quænam illius promulgatio requiratur, ut obliget: 3. An vis illius ab acceptatione populi pendeat.

CONCLUSIO 1. Jus Civile, duplex apud Gallos distinguitur, Romanum & Gallicum.

Probatur. Apud Gallos Judices duplicis illius juris auctoritate pendentes lites dirimant: ergo jus civile duplex est apud Gallos.

Quæres 1. quid nomine Romani juris intelligatur.

Resp. nomine Romani juris intelligi Constitutiones, quæ reperiuntur 1. in Codice Theodosii; 2. in Pandectis, seu in libris Digestorum; qui quidem nihil aliud sunt, quam collectio Sententiarum, quæ ex veteribus Jurisconsultis excerptæ fuerunt, 3. in Codice Justiniani; 4. in libro Novellarum, quæ & Authenticæ nonnumquam appellantur, 5. in quatuor Institutorum libris. Monitum tamen hic volumus lectorem, Francos per jus Romanum, illud tantum intellexisse, quod in codice Theodosii legitur. Illius sic sumpti meminit Concilium Aurelianense, quod anno 521. celebratum est, can. 1. Meminit quoque can. 20. & 21. Concilium Turonense, quod quidem anno 568. habitum est.

Quæres 2. quid sit Jus Gallicum.

Resp. Jus Gallicum consuetudine magis, quam scriptis legibus contineri. Complectitur tamen, præter consuetudines, varias Regum Franciæ Constitutiones, quarum nonnullæ sunt in usu, aliæ vero non observantur. Sed de his Jurisconsulti. Nobis interim plusquam satis est, quod ea indicaverimus.

CONCLUSIO 2. Habita ratione solius juris naturalis, lex Civilis obligat statim atque subditis innotuit. Stando autem in jure positivo, varia pro varietate nationum promulgatio requiritur.

Probatur prima pars. Legis Civilis promulgatio ideo fit, ut in subditorum notitiam veniat: ergo stando in jure naturali, obligat statim atque in subditorum notitiam venerit: venit autem passim, cum in Curia Principis promulgatur; facilis enim est, & frequentissimus ex provinciis ad Curiam, & a Curia ad provincias commeatus.

Probatur altera pars. 1. Leges Imperiales non obligant, nisi post duos menses ab earum sollemni promulgatione facta in Metropoli, in qua quis degit. Id nimirum colligitur ex Authentica quæ incipit, *Ut novæ Constitutiones*. 2. In Galliis consuetudo obtinet, ut leges Civiles non obligent, nisi Parlamenta, ut vocant, in singulis provinciis eas a Rege vere emanavisse declaraverint; a Parlamentis vero mitti solent ad inferiora subsellia, in quibus iterum promulgantur. Defectu specialis illius promulgationis, quædam Gallicanæ leges vim habent in Normannia, quæ tamen in Burgundia nullum robur habent.

CONCLUSIO 3. Vis legis Civilis non pendet absolute ex acceptatione populi.

Probatur 1. ex eo, quod vis legis Civilis pendeat ex ipsa populi subjectione in iis quæ ad pacem terrenam spectant, & ab obedientia, quam jure divino populi suo Principi debent: at illa subjectio, illaque ad obediendum obligatio, a populi consensu minime pendet. 2. Alioquin Princeps juste (ut supponitur) exigeret executionem legis a se sancitæ; & ex altera parte populus juste pariter ejusdem legis acceptationem, ac executionem detrectaret, quod est absurdum, ut probat censura quam Alexander Papa VII. & postea Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. congregatus huic propositioni inussit: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Id tamen non impedit, quin populus, hoc est, major & sanior populi pars, Principem humillime monere possit vel factum falsum, quod lata ab eo lex supponit, vel illius cum avita consuetudine oppositionem, vel impedimentum quod præstat majori provinciarum bono. Nempe sapientes Principes declararunt, moneri se velle de legis incommodo, si quod in ea prudentiores, antequam executioni mandetur, detexerint. Si tamen post humillimam illam monitionem Princeps suæ legis executionem urgeat, populus ei morem gerere tenetur, modo tamen in ea nihil sit, quod legi naturali, aut divinæ positivæ repugnet. Ratio est, quia populus eo in casu judicare debet, exigere Reipublicæ bonum, ut nulla antiquæ suæ consuetudinis ratio habeatur.

Quod si Princeps intelligat, legem a se latam, a populo receptam non fuisse, eumque impositis pœnis ad receptionem non compellat, tacito suo consensu legi suæ derogasse, & ab ea firmitatem abstulisse, censendus est: unde est illud Gratiani dist. 4. *Leges instituuntur cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur.*

QUÆSTIO II.

De Lege Canonica.

Not. DE hac humanæ legis specie quæremus eadem, quæ de Civili: 1. Nempe quid & quotuplex sit: 2. Agemus de Rescriptis summorum Pontificum: 3. Expendemus ubinam fieri debeat illius promulgatio: 4. An fideles obliget independenter ab eorum consensu, & acceptatione.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit lex Canonica.

CONCLUSIO 1. Lex Canonica recte definitur, Lex quæ ab Ecclesiæ Prælatis ad promovendam fidelium salutem sancitur.

Explicatur definitio. Primo, Lex Canonica dicitur sanciri ab Ecclesiæ Prælatis; eos enim, non autem sæculares Principes Christus alloquebatur, cum dixit: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*. Dicitur 2. quæ sancitur *ad promovendam æternam fidelium salutem*, & in hoc (ut superius observatum est ex Augustino) lex Canonica differt a Lege Civili: hæc enim non ob aliud fertur, quam ut inter cives terrenæ paci consulatur.

CONCLUSIO 2. Lex Canonica, seu Jus Canonicum, duplex est, Vetus & Novum.

Probatur. Jus Canonicum triplici Codice continetur, Orientali, Africano, & Occidentali: Sed in illo triplici Codice aliud est jus Vetus, & aliud Novum. Scilicet in illo triplici Codice nonnullæ sunt Constitutiones, quæ antiquitus servabantur quidem, sed jam temporis nullam omnino vim habent: Aliæ vero reperiuntur, quæ his quoque temporibus vigent, ut ex mox dicendis constabit.

Quæres 1. quid nomine Codicis Orientalis intelligatur.

Resp. Codicem Orientalem complecti 1. collectionem quinquaginta Canonum, qui vulgo dicuntur Apostolici, non quidem quod Apostoli sint illorum auctores, sed quod ab Ecclesiarum Apostolicarum Episcopis per duo priora sæcula, & medium tertium conditi, in unum volumen Firmiliani Cæsareæ in Cappadocia Episcopi tempore redacti sint. Gelasius Papa volumen illud anno 492. rejecit inter Apocrypha, hoc est, inter libros quorum auctoritas non valeret ad dirimendas aut fidei, aut morum, aut disciplinæ controversias. 2. Idem Codex Orientalis complectitur collectionem Canonum Concilii Nicæni primi, Constantinopolitani primi, multarumque Synodorum Provincialium, quæ quarto sæculo ineunte in Oriente celebratæ fuerunt: Sunt autem illæ Synodi, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiochena, Ancyrana, & Laodicæna,

Quæres 2. quas Constitutiones, quasve Leges, Codex, Africanus dictus, complecteretur.

Resp. Codicem Africanum continere Canones qui in Africa editi sunt usque ad annum 419. quo quidem anno in Concilio Carthaginiensi probata fuit illorum collectio.

Quæres 3. quarum Synodorum decreta Codex Occidentalis complectatur.

Resp. 1. Codicem Occidentalem per quatuor priora sæcula complexum fuisse solos Nicænos Canones: *Canonibus porro obsequendum esse sentimus* (inquit Innocentius Papa I. in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum) *qui Nicææ sunt decreti: quos solos consectari docet Ecclesiam Catholicam, & juxta eos judicare.*

Resp. 2. Codicem Occidentalem post quartum sæculum fuisse complexum decreta Conciliorum Orientalium, seu collectionem quæ apud Orientales dicebatur Codex universæ Ecclesiæ. Aberant ab illa collectione Canones Apostolici, Africani, Sardicenses, nec non Canones Synodorum quæ ad ea usque tempora in Occidente habitæ fuerant, ut sunt Arelatensis prima & Eliberitana.

Resp. 3. illi eidem Codici insertam postea fuisse collectionem Dionysii, qui vulgo *Exiguus* dicebatur. Nimirum laudatus Abbas veteri collectioni, quam nova translatione donavit, quinquaginta Canones Apostolicos, Synodi Sardicensis quinque supra viginti, Africanos 138. tres Constantinopolitani primi Concilii addidit. Non addidit Ephesinos, sed Chalcedonenses 27. Addidit quoque Decretales Epistolas Romanorum Pontificum a Siricio ad Hormisdam usque conscriptas: non enim antiquiores aliquas repererat. Statim (Cassiodoro teste) ab Ecclesia Romana approbatus & receptus fuit ille Dionysii Exigui liber; obtinuit pariter in Galliis tempore Concilii Aurelianensis anno 538. exceptis tamen Canonibus Apostolorum, qui quidem ætate Caroli Magni recipi cœperunt una cum Gallicanarum Synodorum Canonibus.

Resp. 4. circa annum 781. emersisse collectionem aliam, quam Riculphus Moguntinus ex Hispania adduxit sub nomine Isidori Hispalensis. Ea Riculphi collectio præter Codicem Dionysianum complectebatur decreta ad disciplinam spectantia, quæ Romani Pontifices ad Siricium usque tulisse ferebantur: quæ quidem decreta esse supposititia, nunc Eruditi omnes conveniunt. Eorum decretorum auctoritatem Gallicanæ Ecclesiæ sæculo nono, instante licet Nicolao Papa I. admittere noluerunt. Nec mirum; ferebant enim, nullam Synodum cogi posse sine auctoritate Romani Pontificis, nec eo inconsulto posse judicari caussas Episcoporum; quæ quidem duo capita contraria erant disciplinæ, quam ad ea usque tempora Galli servaverunt. Anno 1010. Burchardus easdem Romanorum Pontificum, qui ante Siricium vixerant, Epistolas Decretales novæ suæ collectioni inseruit, nec non ann. 1100. operi a se adornato Yvo Carnotensis multa quoque ex Digestis, Codice, & Novellis addidit, proindeque Codicem composuit, qui, tum ex Canonibus, tum ex legibus Civilibus constaret.

Resp.

Resp. 5. anno 1150. prodiisse Decretum Gratiani, Benedictini Monachi, Bononiensis. Addidit Isidori collectioni ea quæ ab Yvone collecta fuerant, & præterea plurima veterum Patrum loca laudavit.

Gratianum opus suum, quod inscripsit *Concordantia discordantium Canonum*, in tres divisit partes. Prima, Distinctiones unam supra centum continet, in quibus agit de jure divino, de jure humano, de iis quæ pertinent ad mores componendos, & ad ecclesiasticam disciplinam. Altera pars, complectitur caussas sex supra triginta, quas quidem in varias quæstiones distribuit; caussæ autem trigesimæ sextæ inseritur Tractatus de pœnitentia, qui quinque Distinctionibus absolvitur. Tertia denique pars, quæ inscribitur, *de Consecratione*, quinque Distinctionibus perficitur.

Resp. 6. anno 1236. Gregorium Papam IX. promulgasse librum Decretalium, seu Epistolarum, quas variis de caussis Summi Pontifices ad diversarum Provinciarum Episcopos miserant ab eo tempore, quo Gratianus suum Decretum publici juris fecerat. Illæ autem Epistolæ collectæ fuerunt & redactæ in compendium opera S. Raymundi ex Ordine Prædicatorum, & divisæ in libros quinque, quibus ann. 1296. Bonifacius Papa VIII. sextum addidit, constans ex Epistolis Pontificum, qui Ecclesiæ Romanæ a Gregorio IX. ad suam usque ætatem præfuerant, nec non ex Decretis Conciliorum Lugdunensium, & ex pluribus aliis, quæ ipse Bonifacius ediderat. Hic Sextus Decretalium nullo unquam tempore in Galliis fuit in usu.

Resp. 7. anno 1317. Joannem Papam XXII. promulgasse Clementinas in quinque libros distributas. Continent Clementinæ decreta Concilii Viennensis, cui ipse Clemens Papa V. præfuerat. Clementinis Joannes XXII. duas ipse addidit Decretales, quæ quidem Extravagantes dicuntur, quod extra corpus juris vagentur; nec non multas alias Extravagantes, quæ solent appellari Communes, eo quod non unius, sed multorum sunt Romanorum Pontificum.

Hinc censemus, lectorem moneri debere, nec Gratiani Decretum, nec Gregorii IX. Decretales, nec Clementinas, nec Extravagantes Joannis XXII. nec Extravagantes Communes in usu esse apud Gallos, nisi in iis rebus, in quibus cum antiquis Gentis moribus, & receptis in regno Synodis cohærent.

CONCLUSIO 3. Multiplex est discrimen inter disciplinam quæ jus novum invexit, & eam quæ jure antiquo obtinebat.

Probatur. Jus novum differt a veteri, 1. in eo quod potestas, qua in plerisque caussis judicandis Synodi Provinciales fruebantur, jure novo ad solum Romanum Pontificem pertinere videatur: indeque orta sit nova judiciorum Ecclesiasticorum forma ad cognitiones caussarum per Pontificum Romanorum Rescripta in Provinciis constituendas. Hinc etiam emanarunt innumeræ eorum Pontificum Constitutiones, quæ hisce temporibus in formulis actionum & in usu fori accurate servantur.

2. Beneficia quæ olim in ipsa ordinatione conferebantur, sicut nunc in ordinatione Episcopali Cathedrales Ecclesiæ conferuntur, ab ipsa ordinatione distincta sunt, & Clerici sub titulo patrimonii majoribus ordinibus adscribuntur. Indeque natæ sunt regulæ de beneficiis adquirendis, amittendis, commutandis, & resignandis in Romana Curia.

3. Pœnitentiarum publicarum rigor maxime temperatus est, dispensationumque Apostolicarum usus in matrimoniis, in votis, aliisque permultis rebus frequens factus fuit. Capitulis pariter concessæ fuerunt exemptiones ab Episcopali jurisdictione, introductaque Monachorum, & Ordinum, sive Mendicantium, sive aliorum privilegia.

4. Tandem multiplices Monachorum species, & Religiosarum Societatum diffusa per totam Ecclesiam multitudo, quæ ab Episcoporum sollicitudine libera, novis regulis & institutis, a Romano Pontifice reguntur.

CAPUT II.

De Summorum Pontificum Rescriptis.

Dispositiones quæ ab Apostolica Sede proficiscuntur, dividi solent in Privilegia, Mandata, & Rescripta. Ipsa etiam Rescripta subdividuntur in Rescripta gratiæ, & Rescripta justitiæ: utraque vero pro formarum, in quibus expediri solent, diversitate, dicuntur Signaturæ, Brevia, Bullæ, Constitutiones. De Privilegio satis superque dictum est a nobis superius; de reliquis igitur Pontificum Romanorum dispositionibus hic agendum nobis incumbit.

1. Mandatum Apostolicum in jure frequens est illud quo Papa significat Ordinario, ut certæ alicui personæ de beneficio provideat, cap. *Mandatum*, Tit. *de Rescriptis*. Ejusmodi Mandata pro odiosis habentur, quod juri communi opposita sint, & Ordinariorum canonicam potestatem plurimum coarctent. Mandata circa præbendas quæ nondum vacant, quæque litteræ Expectativæ dicuntur, damnavit Bonifacius Papa VIII. cap. *Detestanda*, Titul. *De Concession. Præbendarum* in Sexto. Concilium Basileense, & in regno Galliæ Pragmatica Sanctio Mandata omnia de providendo, & beneficiorum expectationes, quæ in iisdem Galliis patrio idiomate *Survivances* dicuntur, omnino sustule-

stulerant. Verum Concordantiis inter Leonem Papam & Franciscum I. Galliarum Regem Bononiæ initis, & in Concilio Lateranensi postmodum approbatis, Mandata ita temperata sunt, ut quilibet Summus Pontifex semel in vita sua Ordinarium in regno cui decem præbendarum collatio competit, in una possit, (ut loquuntur) gravare, & eum cui jus est conferendi quinquaginta, vel plurium, in duabus. Tandem Concilium Tridentinum sessione 14. de Reformat. capite 19. omnes omnino Expectativas, omniaque Mandata de providendo penitus abstulit.

2. Signaturæ Apostolicæ circa diversa servantur, sive circa concessionem beneficii, quod quis per supplicationem petierit: sive circa absolutionem, aut dispensationem, aut rehabilitatem (ut vocant) in favorem supplicantis. Signaturæ in papyro conscribuntur, neque muniuntur sigillo, & ut plurimum hisce verbis exprimuntur: *Fiat ut petitur*.

3. Breve Apostolicum, est contracta & brevis Scriptura, quæ in negotiis, quæ non sunt magni momenti, conceditur: ea vero vel in papyro, vel in membrana indifferenter conscribi solet, munirique sigillo in cera, aut rubea, aut viridi, sub annulo Piscatoris, ac præterea Secretarii subscriptione. In Apostolicis litteris quæ Brevia dicuntur, non autem in aliis earumdem litterarum speciebus fit mentio annulli Piscatoris: *Datum sub annullo Piscatoris*.

4. Bullæ sunt concessiones, aut ordinationes in rebus gravioribus, nec nisi in membranis describuntur, aliquantoque sunt Brevibus prolixiores, utpote præfectionem & clausulam, quæ in Brevibus supprimuntur, continentes. Sigilla Bullarum plumbea sunt, ac præseferunt Petri & Pauli Apostolorum effigiem. Quoties Bulla in materia gratiæ conscribitur, appenditur sigillum e filis sericis. Si vero Bulla sit in materia justitiæ, aut si sit executoria, filis canabis plumbum appenditur. Ob eam rationem in Consistorialibus provisionum Bullis, quæ Romæ pro Gallicani regni prælaturis conceduntur, cannabeus laqueus inseritur; Scilicet post Concordata inter Leonem Papam & Franciscum I. Francorum Regem inita, collationes quæ ad Regis Christianissimi nominationem ac præsentationem fiunt, justitiæ sunt (ait Cabassutius noster) & necessitatis.

5. Itaque Rescripta Justitiæ ea sunt, quæ debitum auxilium petentibus impertiunt, & ut plurimum ad lites, ac justitiæ in exteriori foro administrationem pertinent; ejusmodi vero sunt Evocationes, Delegationes judicum in partibus. E contra litteræ quæ *gratiæ* Rescripta dicuntur, ex mera liberalitate ac clementia Pontificis impetrantur, ut in Dispensationibus, Indulgentiis, Remissionibus, Absolutionibus, Rehabilitationibus, Provisionibus de dignitatibus ac beneficiis tam in forma *gratiæ vel pauperum*, quam in forma *Dignum*. Hinc patet, Rescripta quæ *justitiæ* dicuntur, nullum jus novum ei conferre, cui conceduntur: sed jus antea quæsitum, vel confirmant, vel jubent, ut de eo cognoscatur. Rescripta vero *gratiæ*, impetranti jus novum attribuunt, nec exigunt caussæ cognitionem, cum sint (ut loquuntur) meræ voluntatis, nisi tamen falsitatis, vel obreptionis arguantur, aut nisi nominatim & expresse eis inserta sit aliqua conditionis clausula, cujusmodi est hæc, *Si dignus erit*, in commissariis beneficiorum collationibus, ut in cap. *Cum adeo*, de Rescript. aut ista communis, *Si ita est*.

Tandem Rescriptorum, seu Litterarum *justitiæ* a Rescriptis, seu Litteris *gratiæ*, discrimen vel ex primo illorum intuitu dignoscitur; nempe Litteræ quæ *justitiæ* dicuntur, per verbum *Placet* subscribi solent; litteræ vero gratiæ, per hoc aliud verbum *Fiat*. Præterea in *gratiæ* Rescriptis Papæ nomen, per capitales & majusculos characteres scribitur integrum; in Rescriptis vero *justitiæ* primus tantum character nominis Papæ majusculus est, reliqui e contra ejusdem nominis characteres minusculi sunt. In Bullis quoque speciale discrimen se prodit: scilicet (ut jam observatum est) laqueis sericis, & laqueis cannabinis plumbum appenditur.

6. Litteræ gratiosæ per aliquem tertium, etiam laicum, & nullo speciali mandato munitum, impetrari possunt. Hinc fit, ut laicus pro clerico etiam inscio beneficium impetrare possit, nec non & aliæ gratiæ, cujuscumque sint generis; ut patet ex cap. *Nonnulli sunt & alii*, de rescript. E contra ut quis pro alio justitiæ Litteras impetret, necesse est, ut ad id speciali mandato muniatur. Rebuffus tamen *In praxi Benefi.* Titul. *Different.* inter Rescripta num. 18. monet, in Regni Franciæ Curiis indiscriminatim admitti Litteras, sive *justitiæ*, sive *gratiæ*, quæ sine speciali mandato per tertiam personam impetratæ fuerint.

7. Litteræ *justitiæ*, si executioni mandatæ non fuerint, post annum expirant, cap. *Si autem*, & cap. *Plerumque*, de Rescript. E contra Litteræ gratiosæ perpetuam vim habent. L. *Falso*, Cod. *De diversis. Rescript.* æquum enim est, ut concessa per Principem gratia perpetuo permaneat, cap. *Si cui* de præbendis in Sexto. Nisi tamen quis ultra modum negligentiam suam protraxerit, cap. *Si Clericus*.

8. Posterius in eodem negotio Rescriptum, quod

quod altera pars impetraverit, irritum est, ac nullum, si expressam de priore mentionem non fecerit; unde prius rescriptum in omni suo robore permanet. Sed si rescriptum posterius de priore mentionem faciat, illud abrogat in eo capite, in quo est cum posteriori incompatibile, cap. *Ceterum*, de Rescript. Hincque fit, ut in collatione beneficii posterius rescriptum, in quo prioris mentio facta non fuit, pro subreptitio & pro nullo habeatur, c. *Cum olim* de Sentent. & de re Judic.

9. Expressio falsi, quæ obreptio dicitur; itemque suppressio veri, quæ subreptio dici solet, si sit malitiosa, rescriptum reddit invalidum; cap. *Dicenti* 25. quæst. 2. Sed si ex ignorantia sola, vel mera simplicitate processerit, sic (inquit Cabassutius) est distinguendum: vel enim impetrans, re etiam integre & vere expressa, judicio viri prudentis petitum obtinuisset saltem in forma communi; eoque in casu judex per illud Rescriptum delegatus procedere debet servato juris ordine, non vero secundum specialem, & extraordinariam Rescripti formam. Sed si delegatus apud se judicet, quod rei veritate plane manifesta, & absque interventu obreptionis, aut subreptionis Papa rescriptum concessurus non fuisset, eo in casu delegatus eadem ratione se se gerere debet, ac si rescriptum nullo modo fuisset impetratum, cap. *Super litteris*, de rescript.

10. Per rescriptum quo Papa mandat Ordinario, ut jure Diœcesis Clericos corrigat, non datur eidem jurisdictio in exemptos, cap. *Grave*, nec excluditur appellatio ad Metropolitanum, nisi tamen in Litteris apposita sit clausula, *De nostra auctoritate*; tunc enim appellatio immediate ad Apostolicam Sedem devolveretur.

11. Cum quis ad gratiam per rescriptum restituitur, id semper est intelligendum, salvo jure, alteri ante hanc restitutionem quæsito: nisi diserte contrarium exprimatur, cap. *Quamvis* 8. de rescript. in. 6.

12. Innocentius III. statuit in Concilio Lateranensi, & habetur in cap. *Nonnullis*, de rescrip. ne quisquam per Apostolicas Litteras trahatur ultra duas diætas extra suam diœcesim, nisi vel constet, has litteras de partium consensu impetratas fuisse, vel huic constitutioni expresse in illis litteris derogetur. Quin etiam posterior Bonifacii Constitutio prohibet, ne caussæ committantur ultra diætam unam a finibus diœcesis computandam. Ubi vero reus & actor fuerint diversarum diœcesum, diæta ista computetur a finibus diœcesis ipsius rei. cap. *Statutum*, §. *Cum vero*, & §. *Cum autem*, de rescript. in 6.

13. Ubi quis contra suos adversarios rescriptum impetraverit, nec illud, sive ex malitia, sive ex negligentia, intra annum, ex quo judicum habuit copiam, produxerit; sed postea illud idem proferre voluerit ad eludendum posterius rescriptum ab adversa parte impetratum, statuitur quasi invalidum, eo quod mentionem non fecerit oppositi anterioris rescripti; cap. *Plerumque* de rescript. E contra posterius valet, & nullatenus primum. Nec mirum, nemini siquidem sua fraus patrocinari debet.

14. Quoties Pontifex Maximus suo rescripto demandat aliquem externæ jurisdictionis actum, non committit Clericum, nisi qui in ecclesiastica dignitate constitutus sit, vel habeat personatum, aut ad minus Ecclesiæ Cathedralis Canonicatu potiatur; frequentius vero Vicarium, aut Officialem generalem, nusquam tamen Officialem Foraneum, eo quod illius potestas sit tantum perticularis, cap. *Statutum* de rescript. in 6. & in Clementin. *Est*, eodem Titulo, nec non in Concilio Tridentino sess. 4. cap. 19. de reform.

15. Notatu (inquit Cabassutius) maxime dignum est caput *Significat*, de officio judic. ordin. ubi cum aliqui nuptias in gradu prohibito contraxissent, & hujusce scandalosæ & incestæ conjunctionis querela ad Summum Pontificem delata fuisset, delegatus ab eo fuit judex Ecclesiasticus in eadem diœcesi ad inquirendum & definitive judicandum in caussa: verum delegatus executionem mandans neglexit, permisitque partes in pristino scandalo permanere. Admonitus demum Pontifex, rescripsit, Episcopum non in hac solum, sed generaliter in omnibus similibus caussis, posse vel malitiam Apostolici delegati supplere, & hujusmodi caussas ex officio cognoscere, partesque ligare, aut solvere, prout expedire judicaverit.

16. Rescripta, & Litteræ, tam Papæ quam Legati, quibus communi Ecclesiæ disciplinæ derogatur, aut imminuunt Ordinariorum auctoritatem canonicam ac jurisdictionem, ut sunt exempli caussa dispensationes circa Monialium clausuram, aut ea rescripta quæ publicam habent executionem, debent antea Ordinariis exhiberi, quorum officii est, ut expendant, utrum suppressione veri, aut suppositione falsi, aliove gravi defectu Apostolicæ Litteræ vitientur; adeoque suum (ut vocant) *Visa*, & approbationem scripto apponere, vel denegare, aut recusare, executionem permittere aut prohibere, aut suspendere, c. *Quod super his*, de fide instrum. & cap. *Porro* de privil. Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 5. & sessione 22. cap. 5. nec non sessione 24. cap. 11. decernit, Episcopos in ejusmodi litterarum examine esse delegatos Apostolicos.

17. Circa Litteras Apostolicas observatu dignum est caput *Finale* de officio jud. deleg.

deleg. decernens, si delegati a Papa electa sit industria, non posse hunc delegatum subdelegare: electa vero censetur particularis personæ industria, quando ea persona proprio exprimitur nomine, & non tantum officii, aut dignitatis designatione in litteris delegationis.

Præterea si nudum in delegatione ministerium alicui, etiam proprio nomine non designato, summus Pontifex injunxerit, hic non poterit subdelegare: ut si Mandato de prædicanda Cruce, certam aliquam personam sui officii admonere, clanculum de aliquo facto inquirere, & similia. In his enim censetur electa personæ industria particularis.

Tandem absolutionis beneficium, etiam circa casus Episcopo reservatos, potest ab Apostolico Delegato, si ejus electa fuerit dignitas, vel officium, alteri personæ ab eodem subdelegari; sed non poterit, si proprio nomine fuerit appellatus etiam cum officii, vel dignitatis expressione, cap. *Finali* de offic. judic. ordin. Idem statuit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. de Casibus reservatis, & sess. 24. cap. 6. de reform.

18. In Galliarum Regno, producenti Signaturas, aliasve Curiæ Romanæ expeditiones nulla fides habetur, si non sint (ut loquuntur) certificatæ a duobus trapezitis, aut expeditionariis, in ipso originali attestantibus & subscriptis, ut statuitur edicto quod a Ludovico XIV. Titul. 15. art. 8. latum est. Vide de his omnibus caput sextum libri 1. quem Cabassutius noster inscripsit, *Juris Canonici Theorica & Praxis*, ex quo quæ hucusque dicta sunt, exscripsimus.

CAPUT III.

De promulgatione Legum Canonicarum.

Not. NEmini dubium est, quin Legum Canonicarum promulgatio requiratur, ut fideles iis legibus teneantur; neque enim populi ligantur legibus positivis, quas invincibiliter ignoraverint: sed quæstio est, ubinam promulgari debeant; an satis sit, ut in civitate primaria alicujus ditionis promulgentur, an vero requiratur, ut in singulis provinciis publicentur.

CONCLUSIO. Lex Canonica, quæ nova sit, non obligat in Provinciis, in quibus non est specialiter promulgata. Ita docet Cabassutius noster cap. 4. lib. 1. *Juris Canonici Theoriæ & Praxis*.

Probatur 1. ex comparatione legum canonicarum cum legibus civilibus. Leges civiles (ut superius dictum est) non obligant in Provinciis, in quibus specialiter promulgatæ non fuerunt: ergo neque novæ leges canonicæ. Probatur conseq. 1. Leges canonicæ imitantur civiles, cum istæ illius non sunt oppositæ. 2. Ideo leges civiles in singulis Provinciis promulgari debent, quod alioquin in notitiam subditorum sufficienter pervenire non censeantur: Sed ea ratio valet pariter in novis legibus canonicis. 3. Ideo leges civiles promulgantur in singulis Provinciis, quod subditi alioquin existimare possint, quod eæ leges non fuerint a Principe latæ; vel si latas credant, putent non esse Principis mentem, ut in singulis Provinciis obligent: atqui rationes illæ idem robur habent in novis legibus canonicis: ergo leges canonicæ non obligant in provinciis, in quibus promulgatæ non fuerunt.

Probatur 2. exemplis ab Ecclesia vetere petitis. In more nimirum fuit apud Majores nostros, ut sua decreta in singulas Provincias dirigerent. Tertullianus lib. de pudicitia c. 1. scribit, Decretum quod Zephirinus Papa edidit de admittendis ad divina mysteria mœchis pœnitentia functis, valvis Ecclesiarum affixum fuisse, & in Provinciarum Ecclesiis lectum. Cyprianus Epistola septuagesima quarta, quæ est ad Pompejum, fidem facit, Stephanum Papam litteras suas de non iterando baptismate de hæreticis collato, ad omnes tum Orientis, tum Africæ Provincias direxisse. Marius Victorinus lib. 1. testatur, Nicæna Decreta per totum orbem fuisse missa. Theodoretus hist. lib. 1. c. 9. monet, Concilii Sardicensis Canones una cum Nicænis Canonibus in Provincias transmissos fuisse. Leo Magnus Epist. 65. scribit, Chalcedonense Concilium a se per Provincias ad Episcopos directum fuisse.

Probatur 3. Defectu promulgationis in Provinciis plurimæ Constitutiones Canonicæ, nec olim in omnibus Provinciis, nec modo in quibusdam vim habent. Nam 1. Epist. Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem, de Continentia Diaconorum, licet ubique fere promulgata fuisset, in Galliis tamen statim vim legis non habuit, eo quod in Galliis specialiter publicata non fuisset: id patet ex 2. Can. Concilii, quod postea Turonis habitum est. 2. Leonis Magni Epist. 84. de continentia Subdiaconorum, quod specialiter in Sicilia promulgata non fuisset, nondum in eo regno vigebat, desinente sæculo sexto, ut apud Greg. Magnum l. 1. Epist. 42. videre est. 3. Non ob aliam rationem in Galliis, in Germania superiore, in Polonia, in Anglia non est in usu Constitutio: *Sicut ad sacrorum*, data Romæ ann. 1564. qua Pius Papa IV. declaravit, Concilium Trident. non tantum in fide & moribus, sed etiam in capitibus quæ ad disciplinæ reformationem spectant, ubique gen-

gentium obligare. 5. Ipſorum etiam Conciliorum Generalium decreta, quæ ad diſciplinam pertinent, in ſingulis Provinciis ſpecialiter promulgari debent; nimirum defectu ſpecialis hujuſmodi promulgationis matrimonia clandeſtina, hoc eſt, quæ fiunt ſine Parochi & teſtium præſentia, valent in pluribus orbis chriſtiani provinciis, quamvis Concilium Tridentinum ea nulla eſſe ac irrita declaraverit.

Objicies 1. Romæ toti orbi chriſtiano jus dicitur ſecundum uſus Romanos, licet uſus illi ſpecialiter in provinciis promulgati non fuerint: ergo Romani judices ſupponunt, capita quæ ſpectant ad diſciplinam, licet in Provinciis ſpecialiter minime promulgata, omnes Chriſti fideles obligare.

Reſp. 1. Plura negotia Romæ non judicari, ſed committi in Provinciis ſecundum uſus regnorum, & antiquam praxim quæ in iis regnis viget.

Reſp. 2. diſt. ant. Jus Romæ dicitur toti orbi habendo rationem legum & conſuetudinum quæ vigent in Provinciis, conc. ant. non habendo rationem illarum legum & conſuetudinum, neg. ant. Nec enim Romani judices Gallis, Angelis, Polonis, jus dicunt ſecundum diſpoſitionem Tridentinæ Synodi, quamvis alioquin per Conſtitutiones Pii Papæ IV. declaratum fuerit, cauſſas omnes ad præſcriptam in laudata Synodo reformationem judicari debere.

Reſp. 3. Romanos judices pro ea qua pollent æquitate & ſapientia, cum jus ſecundum uſum Romanum dicunt diſſitis Roma Provinciis, ſupponere, uſus illos in iis Provinciis vigere, ac fuiſſe promulgatos.

Objicies 2. Qui in aliqua diœceſi nominatim, ſervatis ſervandis, excommunicatione innodatus eſt, ubique vitari debet, quamvis lata in eum excommunicationis ſententia in aliis diœceſibus promulgata non fuerit: Ergo leges obligant etiam in Provinciis, in quibus ſpecialiter promulgatæ non fuerunt.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Ratio eſt, quia particularis excommunicatio lata in privatum aliquem, non eſt lex, ſed applicatio legis de vitandis excommunicatis, quæ ubique gentium recepta fuit, ac promulgata. Verum ſi nova aliqua lex ferretur, qua ipſo facto excommunicarentur ii qui in hoc vel illud crimen incidiſſent, non obtineret, nec in uſu eſſet in Provinciis, in quibus ſpecialiter promulgata non fuiſſet.

Objicies 3. Canones qui aut ad fidem, aut ad mores pertinent, obligant iis etiam in locis, ubi ſpecialiter promulgati non fuerunt: ergo a pari obligant leges quæ ad diſciplinam ſpectant, quamvis in provinciis ſpecialiter publicatæ non fuerint.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia canones qui ad fidem aut ad mores pertineant, nihil aliud ſunt, quam juris naturalis, aut juris divini declaratio: at jus tum naturale, tum divinum poſitivum ſufficienter promulgatum eſt; ac proinde mirum non eſt, quod obliget, etiamſi de novo ſpecialiter in provinciis non promulgetur. E contra novæ leges humanæ nuſquam (ut ſupponitur) in provinciis ſpecialiter publicatæ fuerunt: atque ita mirum non eſt quod in iiſdem Provinciis non ſint in uſu, nec vim aliquam habeant.

Quæres, in quo diœceſis loco promulgari debeant Epiſcoporum leges.

Reſp. leges Epiſcoporum, ut obligent, promulgari debere in Pronis miſſarum Parochialium, ſaltem regulariter loquendo. Si autem quibuſdam in diœceſibus aliæ conſuetudines vigeant, in praxi ſtandum eſt hujuſmodi conſuetudinibus.

CAPUT IV.

De acceptatione Legum Canonicarum.

Not. NON eſt hic quæſtio de legibus, quæ continentur in Canonibus qui jam & recepti ſunt, & promulgati: conſtat nimirum obligare populos independenter a nova populorum acceptatione: ſed quæſtio eſt de novis legibus, quæ in receptis Canonibus non continentur.

CONCLUSIO 1. Novæ leges Eccleſiaſticæ quæ de novo feruntur, non ſunt in uſu, nec obligant, niſi cum acceptatæ fuerint ab iis, qui ſaniorem Eccleſiarum particularium partem conſtituunt. Ita Cabaſſutius noſter loco in capitis ſuperioris concluſione laudato.

Probatur 1. auctoritate, & ratione Gratiani, Canone *In iſtis*, §. *de legibus*, ubi ſic loquitur: *Leges* (quoad vim obligandi) *inſtituuntur cum promulgantur, firmantur autem cum moribus utentium comprobantur.*

Probatur 2. Æquitatis eſt, ac rectæ rationis ut nova diſciplina generalis non ſanciatur, quæ populos ad majus bonum non promoveat, & cujus ipſimet populi non ſint capaces: ergo ſi vel una ex iis conditionibus alicui novæ legi Eccleſiaſticæ defuerit, lex illa robur habere non poteſt: atqui deeſt aliqua ex iis conditionibus, cum ſanior ſubditorum pars novam illam legem non admittit. Sanioris nimirum partis ſubditorum, non autem ſuperiorum qui longius diſtant, quique populorum, a quibus abſunt, genium & mores non noverint, eſt expendere, an novæ leges temporibus, locis, geniis conveniant, & judicare, an pacem promoturæ ſint, aut perturbaturæ. Eo, quod explicatum eſt, de novarum Legum acceptatione

tione principio, nituntur Galli in defensione suarum Immunitatum, quas quidem immunitates, Ecclesiæ Gallicanæ Libertates vocare consueverunt. Scilicet *Libertates* illæ, si ut par est intelligantur, nihil aliud sunt, quam veterum Canonum, & receptarum in regno consuetudinum observatio.

Objicies 1. Leges Civiles, si justæ sint, vim legis habent, etiamsi a subditis non acceptentur: ergo & novæ leges Ecclesiasticæ; non enim potior est ratio de uno, quam de alio.


Resp. 1. Principes qui sapientia commendati sunt, non solere legibus a se de novo latis insistere, cum sanior, & major subditorum pars eas non admittit: immo per quandam œconomiam illarum executionem ad tempus magis opportunum protrahunt: aut per conniventiam patiuntur, ut leges illæ per contrarium usum in desuetudinem abeant. Vide quæ de legibus Civilibus superius dicta sunt.

Resp. 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia cum in novis legibus civilibus non est evidens suppositio falsi; aut cum nihil contra Dei aut Ecclesiæ mandata præcipiunt, subditorum non est expendere, utrum ad commune bonum conferant; sed (ut jam dictum est) debent illas admittere, nec Princeps Politicus tenetur rationem reddere, cur novas illas leges condiderit. Econtra sanioris & majoris fidelium partis est expendere, an novæ leges Ecclesiasticæ geniis & moribus populorum conveniant; præsertim si legum illarum conditores longius a Provinciis absint. Caritas non minus quam potestas in Ecclesiasticarum legum conditoribus elucere debet: nam (ut ait Christus in Evangelio) *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*: ergo ubi Provinciarum Ecclesiasticarum pars major & sanior censet, novas Ecclesiasticas leges admitti non debere, Pastores, pro sua in oves caritate, illarum executionem urgere non debent.

Objicies 2. Legislatores Ecclesiastici, & in primis Romanus Pontifex, a Deo habent potestatem condendi leges, & ubique gentium fidelem populum ligare: ergo leges Ecclesiasticæ vim habent, etiamsi a saniori ac majori fidelium parte in quibusdam Provinciis non acceptentur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia quod novæ leges vim non habeant in Provinciis, in quibus non acceptantur, non oritur ex defectu potestatis in Legislatoribus, & præsertim in Romano Pontifice, cui in persona Petri dictum est a Christo, *Pasce agnos meos*, *Pasce oves meas*; sed id oritur ex defectu voluntatis: neque enim Legislatores Ecclesiastici, in primis Romanus Pontifex, (cum non quærant, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, hoc est, quæ corpori illius mystico prodesse possint) non censentur velle, ut novæ leges a se latæ vim habeant in locis in quibus sanior & major fidelium pars judicat Provinciarum genio, moribus, tempori, non convenire.

Confirmatur illa responsio ex eo, quod nova decreta, licet in se ipsis optima sint, per accidens tamen, habita nimirum ratione circumstantiarum in quibus populi fideles quibusdam in Provinciis versantur, Reipublicæ Ecclesiasticæ pacem perturbare possint, aut saltem Ecclesiis particularibus non prodesse. Nec id diffitebantur, qui ad præclaram hanc Augustini sententiam Ep. 118. attenderint: *Ipsa quippe mutatio consuetudinis, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*



INSTI-

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS SEXTA.

De Deo Auctore Gratiæ.

GRATIA inde nomen accepit, quod gratis detur: *Gratia* (inquit Aug. in Psal. 44.) *merito nominatur, quia gratis datur*: hinc fit, ut opponatur debito; juxta illud Apostoli ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Et ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*.

Illud autem gratiæ nomen tribus modis in Scripturis accipitur; 1. late, nimirum pro eo omni quod gratis datur, seu absque debito ex parte conferentis, & merito ex parte recipientis, sive sit naturale, sive sit supernaturale. Eo sensu creatio, conservatio, providentia generalis, gratia dicuntur: *Quadam* (inquit August. Epist. 95.) *non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus: & de hoc tanto beneficio gratias agere debemus: unde merito & ista gratia dici debet, quia non præcedentium aliquorum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est*. Nec obstat, quod dona naturalia videantur esse debita, ac proinde gratiæ nomen, quod quidem significat id quod gratis datur, donis naturalibus tribui non possit. Non obstat (inquam) eo quod licet dona naturalia debeantur conditioni subjecti, cui conferuntur, ut intellectus homini; non debentur tamen præcedentibus subjecti meritis.

Sumitur 2. stricte, nempe pro beneficiis supernaturalibus creaturæ rationali collatis, sive sint ex Christi meritis, sive non sint. Ea ratione auxilia quæ Deus Angelis, & Adamo innocenti in ordine ad salutem contulit, gratiæ nomen sibi vindicant, ut apud Augustinum libro de Corrept. & grat. cap. 11. videre est: *Quid ergo* (ait S. Doctor) *Adam non habuit Dei gratiam? immo vero habuit magnam, sed disparem*.

Sumitur 3. strictissime, scilicet pro beneficiis supernaturalibus, quæ homini indigno & peccatori ex Christi merito conferuntur. De gratia eo sensu sumpta loquitur Apostolus ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu*. Quibus in verbis Apostolus non dicit tantum, *justificati gratis*, sed addit, *per gratiam ipsius, & per redemptionem quæ est in Christo Jesu*; nimirum ut significet, justificationem post lapsum Adami, non solum gratis dari, sed etiam indignis & peccatoribus dari, qui nisi per secundum Adamum redimerentur, iræ filii & servi Diaboli permanerent.

De gratia in eo ultimo sensu sumpta dicemus in hac institutionum nostrarum parte: quam quidem methodi caussa in varias dissertationes dividemus, in quibus agemus primum de iis quæ ad gratiam actualem spectant, postea de iis quæ pertinent ad gratiam habitualem, & tandem de Justificatione & Merito disputabimus.

DISSERTATIO PRIMA.

De Gratia Actuali.

Not. 1. NOmine gratiæ actualis intelligitur actio divina, per quam creatura rationalis adjuvatur ad omnes operationes, quæ vires illius naturales superant, quæque ad æternam illius salutem ordinantur.

Not. 2. Gratiæ autem actualis sic definitæ exponemus necessitatem, gratuitatem, divisiones, & tandem de gratia sufficiente, & de gratia efficaci fuse differemus. Verum antequam id tentemus, nonnulla paucis dicenda sunt de dissidiis, quæ circa gratiam, tum hisce temporibus, tum etiam antiquioribus, orta sunt.

QUÆSTIO I.

De Dissidiis, quæ circa gratiam orta sunt.

HÆresis, quæ postea a Promotore Pelagio nomen accepit, auctorem habuit Origenem: *Doctrina tua* (ait Hieronymus de Pelagio agens in Epistola ad Ctesiphontem) *Origenis ramusculus est*.

Rufinus Monachus Aquilejensis Origenem secutus, prævit etiam Pelagio. Hausit hæresim ex Didymo Origenista, quem (ut ipse fatetur lib. 2. Invectivarum contra Hieronymum) Alexandriæ per sexennium audiit.

Pelagius, a quo jam diximus, Secta nomen accepit, ex sancto Prospero initio carminis de ingratis patria Brito fuit, professione vero (ut Augustinus asserit lib. de hæres. c. 88.) Monachus, impia sua dogmata palam prodidit anno 412. in sua epistola ad Demetriadem ex nobili Aniciorum familia, quæ abdicatis fortunis & sæculo, suadente Augustino, virginitatem suam Deo consecraverat.

Anno 415. Eros & Lazarus Episcopi Gallicani, qui in Orientem secesserant, adversus Pelagium Eulogio Cæsariensi Palæstinorum Primati libellum accusationis obtulerant. Is ut litem dirimeret, Lyddæ, quæ alio nomine Diospolis vocabatur, Synodum indixit. Lectis capitulis, quorum reus expostulabatur Pelagius, Synodus delatum absolvit, quod aut negarit objecta, aut per æquivocationes laudatæ Synodi Patribus illuserit; & quidem eo facilius quod Latine non loquerentur, nec Eros, aut Lazarus propter unius ægritudinem Concilio adesse potuerint.

Cælestius patria (ut vult Hieronymus in prooemio libri tertii in Jeremiam) Scotus, professione Monachus, sed postea in Asia Presbyter consecratus, Romæ Rufinum & Pelagium audiit. Tantam Sectæ navavit operam, ut Pelagiani (Augustino teste, cap. 88. de hæresibus) Cælestiani passim nuncuparentur: nec enim alio nomine in Ephesina Synodo damnati sunt.

Julianus damnatæ Pelagianorum causæ, mortuo Zosimo, Pontificatum ineunte Bonifacio, patrocinium in se suscepit. Anianus Diaconus ei quoque promovendæ non segnem navavit operam. Anno 493. iis in Piceno se adjunxit Seneca nullius eruditionis vir.

Pelagiani damnati sunt in Concilio Carthaginiensi anno 412. in Diospolitano anno 415. in Carthag. & Milevitano ann. 416. in plenario totius Africæ ann. 417. in Ephesino primo ann. 431.

Proscripti quoque fuerunt ab Innocentio Papa I. a Zosimo, a Bonifacio, a Sixto, a Leone Magno, a Gelasio, ab Hormisda in sua ad Possessorem Epistola.

Pelagiani idem senserunt de homine innocente, ac de homine lapso: seu easdem ei miserias adscripserunt. Contenderunt, homines nasci sine peccato originali: unde negarunt, concupiscentiam, ignorantiam, mortem, esse illius effectus. Docuerunt, veram Christi gratiam, quæ in luminis & amoris inspiratione posita est, non esse necessariam ad aliquod pietatis opus. Post sollemnem tamen suæ hæreseos condemnationem, eam admiserunt quidem, sed quæ humanis meritis impetrari posset, & quæ ad facilius, non autem ad absolute operandum requireretur.

Joannes Cassianus, primus Semipelagianismi auctor prædicatur. Hæresim illam docuit in suis Collationibus, ac præsertim 13. Siquidem c. 8. docet, initium bonæ voluntatis a nobis esse, Deumque ad illius intuitum nobis gratiam suam largiri. Cap. 11. negat, exemplis a Zachæo & pro latrone petitis, principia bonæ voluntatis a Deo esse. Cap. 12. contendit, Centurionis fidem non fuisse Dei donum.

Vincentius Lirinensis in Commonitorio quod anno 434. publici juris fecit, Cassiano adhæsisse videtur. Vide doctissimi Norisii rationes in historia Pelag. Faustus Rejensis in suis de gratia & libero arbitrio libris non Semipelagianum tantum, sed & Pelagianum se probat.

Gennadius Presbyter Massiliensis anno 490. librum edidit *de viris illustribus*, in quo commendavit Fausti libros, Cassiani opera; Prosperum vero vocavit infamatorem. Vitalis Presbyter Carthaginiensis, & ipse etiam Augustinus ante Episcopatum, Semipelagianismo laborarunt. Vide ejusdem Augustini Epist. ad Vitalem, & c. 3. libri de prædest. Sanctorum.

Semipelagiani damnati sunt a Cælestino Papa I. scilicet in suis ad Galliarum Episcopos litteris imponi jubet silentium Massiliensibus Augustini obtrectatoribus, probatque ea omnia, quæ idem Augustinus adversus fidei hostes de divina gratia scripserat. Proscripti sunt quoque ab Hormisda Papa, a quo in specie probati sunt ejusdem Augustini de prædestinatione SS. & de dono perseverantiæ libri. Eos quoque damnavit Felix Papa IV. in Capitulis quæ ad Cæsarium Arelatensem transmisit, quibusque Arausicana secunda Synodus subscripsit.

Quamvis Semipelagiani faterentur, Dei gratiam ad quodcumque opus bonum, sive incipiendum, sive perficiendum, necessariam esse; contendebant tamen eam absolute non requiri ad initium fidei, cui initio conjunctum esse volebant desiderium sanctitatis, quod precibus expressum esset. Idem de perseverantia ac de fide docebant, seu volebant, penes hominem esse eam suis precibus, quas Deus in eo non operaretur a Deo impetrare. Ægre ferebant distinctionem gratiæ hominis lapsi a gratia hominis sani, quam Augustinus in libro de Correp. & Gratia asseruerat, istam vocans auxilium *sine quo*, illam vero, auxilium *quo*. Ut intelligatur germana Semipelagianorum doctrina, legendæ sunt Epistolæ Prosperi & Hilarii ad Augustinum, nec non ejusdem Augustini libri de Prædestinatione SS. & de dono perseverantiæ.

Medio sæculo IX. Gotteschalcus, patria Germanus, professione Monachus, de prædestinatione ad mortem, de voluntate Dei

circa

circa hominum salutem; de morte Christi, graves inter Rabanum Moguntinum, Hincmarum Remensem, Pardulum Laudunensem ex una parte, & ex alia inter Remigium Lugdunensem, & Concilium Valentinum, discordias excitavit. Legendi sunt ea de controversia Hincmarus in Opusculo de prædest. & Remigius in lib. de tribus Epistolis, nec non Concilii Valentini Canones.

Anno 1567. occasione librorum Michaelis Baji Pius Papa V. Constitutionem promulgavit, in qua sex supra septuagnita propositiones proscriptæ sunt.

Anno 1586 Academia Lovaniensis, cui & postea Duacensis adhæsit, censura notavit varias de prædest. & gratia propositiones, quas Lessius & Hamelius Lovanii promulgaverant.

Anno 1594. occasione *Concordiæ* Ludovici Molinæ, graves in Hispania Prædicatores inter & Jesuitas contentiones exortæ sunt. in Congregatione *de Auxiliis*. Litem postea in suspenso posuit Paulus Papa V.

Anno 1653. occasione libri cui titulus, *Augustinus Cornelii Jansenii, Yprensis Episcopi*, prodiit Innocentii Papæ X. Constitutio, qua famosæ quinque propositiones damnatæ sunt, affixa unicuique speciali censura.

Eam Innocentii Constitutionem subsecuta est alia, qua anno 1656. Alexander Papa VII. declaravit, quinque illas propositiones damnatas fuisse, & a se iterum damnari *in sensu a Jansenio intento*. Idem Alexander ann. 1664. edidit Formularium hisce verbis conceptum: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji anno 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octob. 1656. summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout per illas prædictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

Occasione difficiliorum quæ circa Formularii subscriptionem orta fuerant in Belgio, ab Innocentio XII. duo Brevia emanarunt. Priore idem Pontifex has regulas præscripsit: *Quare præcipimus, ut quemadmodum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debent sincere absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas Propositiones ex libro Jansenii excerptas* IN SENSU OBVIO, *quem ipsamet Propositionum verba præseferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices, Prædecessores Nostri, damnatumque haberi voluerunt a Christi fidelibus; ita per Fraternitates Vestras ab iis qui Formulario præscripto subscribent, ac juramentum præstabunt, præter Formulam ipsam traditam, verbaque in Constitutione Apostolica præscripta, quidquid aliud vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis, verbo vel scripto non exigatur, etiam sub prætextu quod Additiones ad Nos transmissæ comprehendantur, seu contineantur in Formulario Alexandri VII.*

Altero Brevi prius confirmatum est. *Ex iisdem autem litteris* (verba sunt secundi Brevis ad Belgarum Episcopos dati Romæ die 24. Novem. 1696.) *aperte deprehendimus mala, quæ quoad Jansenismum exponitis, non procedere ex eo quod Brevi a Nobis die 6. Febr. anni 1694. ad vos dato, satis ipsis non sit consultum; sed potius quia idem Breve executioni fortasse, uti par esset, non mandetur, cum illud nulla prorsus indigeat explicatione, aptumque sit, ubi in ipso præscripta adimpleantur, efficax atque opportunum afferre remedium.*

Illa Innocentii XII. Brevia promulgarunt in Galliis primum Eminentissimus Cardinalis DE NOAILLES, Archiepiscopus Parisiensis, in Mandato, seu Instructione Pastorali de Prædestinatione & Gratia anno 1696. postea Illustrissimus Carolus Mauricius le Tellier Archiepiscopus, Dux Remensis, in Instructione Pastorali anno 1697. & tandem Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. congregatus, a quo Brevia illa dicta sunt *æquissima & ab omnibus approbata*. In praxi standum est laudatis Brevibus, & usurpandum illud Augustini contra Pelagianos: *Duo Rescripta venere, finitatis est*. Utinam & contentiones!

QUÆSTIO II.

De necessitate Gratiæ in homine lapso ad cognoscendum verum.

Not. **V**Erum vel est ordinis supernaturalis, quod nempe sine Dei revelatione sciri non potest; vel naturalis, quod per hominum doctrinam potest haberi. Primi generis veritates passim appellantur veritates fidei: quæ vero secundi generis, dicuntur veritates rationis. De necessitate gratiæ per respectum ad verum, secundum diversas illas rationes consideratum, hic nobis agendum incumbit; hoc est, quærendum est 1. utrum gratia sit necessaria ad fidem; 2. utrum requiratur ad cognoscendum verum naturale.

CAPUT PRIMUM.

An Gratia necessaria sit ad fidem.

Not. **I**N fide tria considerari possunt, cogitatio de mysteriis quæ per fidem creduntur, affectus credendi, seu imperfectum desiderium fidei, & tandem ipse fidei actus. Pelagiani docuerunt, sive ad cogita-

tionem de mysteriis fidei, sive ad affectum credendi, sive ad ipsummet fidei actum, homini lapso satis esse externam revelationem cum interiori mentis illuminatione. Semipelagiani, ii præsertim de quibus Prosper & Hilarius ad Augustinum scripserunt, fatebantur quidem, ipsum actum fidei a Deo esse per gratiam voluntatis, etiam per se efficacem; sed contendebant, Deum in nobis non operari primum affectum fidei, seu imperfectum illius desiderium: docebant e contra, primam illius velleitatem esse a nobis. Nonnulli Scholastici, inter quos Ludovicus Molina in sua Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 7. §. *Illud tamen*, asseruerunt, liberum arbitrium posse actu mere naturali iis assentiri, quæ fides docet: non ita tamen, ut assensus ille fiat, prout oportet, hoc est, ita ut conferat ad salutem.

CONCLUSIO 1. Gratia est simpliciter necessaria ad eliciendum actum fidei, prout oportet; est contra Pelagianos.

Probatur 1. elicere actum fidei, sicut oportet, quatuor modis intelligi potest; 1. ita ut per illum actum fiat satis præcepto, quo actus fidei præcipitur: 2. ut ille actus ad justificationem conferat: 3. ut fiat ex pio in Deum revelantem affectu; 4. ut ille actus sit ita certus ex parte credentis, ut ipse credens paratus sit mortem subire pro veritate quam credit: Atqui gratia est simpliciter necessaria ad eliciendum actum fidei, prout oportet, quocumque ex iis quatuor modis hæ voces, *prout oportet*, sumantur.

Nam 1. præcipitur actus fidei, qui sit supernaturalis; nempe præcipitur actus qui nobis utilis sit. Sed supernaturalis actus fidei non potest elici sine gratia, cum natura sibi relicta non possit ea, quæ ejus conditionem excedunt: nullam enim cum iis proportionem habet. 2. Gratia est etiam necessaria ad eliciendum actum fidei qui ad justificationem præparet; id nempe expresse definitum est in Concil. Trid. sess. 6. can. 3. Necessaria est quoque gratia, ut quis ex pio in Deum affectu credat: siquidem pius ille in Deum affectus, est initium bonæ voluntatis: at bona non est in Deum voluntas sine gratia: *Quasi vero* (inquit Augustinus libro de Gratia Christi, c. 21.) *aliud sit bona voluntas, quam caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus essemus.* Gratia est etiam necessaria, ut habeatur tanta certitudo, quanta requiritur, ut quis pro veritate quam credit, mortem subire paratus sit: neque enim aliunde, quam ex Dei adjutorio, oriri potest tanta illa certitudo de mysteriis quæ in speciem plerumque pugnant cum ratione naturali, & de quibus, cum sint fidei, non habetur demonstratio. Ergo gratia est simpliciter necessaria, ut quis actum fidei eliciat, sicut oportet.

CONCL. 2. Ad affectum credendi sicut oportet, hoc est, ad desiderium, vel tenuissimum, habendæ fidei; vera & efficax per Christum gratia simpliciter & absolute requiritur. Est contra Semipelagianos.

Probatur 1. argumentis quæ tradit Augustinus lib. de prædestinatione SS. c. 2. Ad Rom. 11. hæc habentur: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*: ergo Deus est ipsum etiam initium fidei: qui enim dicit *Omnia*, nihil omnino excipit.

Hæc quoque leguntur ad Philippenses. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut pro illo patiamini*: in quæ quidem verba sic loco mox laudato loquitur Augustinus: *Utrumque enim ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut plenius & perfectius credatis in eum; sed ut credatis in eum. Nec seipsum misericordiam consecutum dixit* (1. ad Timoth. 1.) *ut fidelior, sed ut fidelis esset; quia sciebat, non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo ejus augmentum, sed ab eo se factum fidelem, a quo & Apostolus factus est.*

Hæc etiam habentur 1. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* At in systemate Semipelagianorum nullum esset argumentum, quo ad deprimendum hominem Apostolus utitur, si initium fidei ab homine, non a Deo, esset: homo nimirum posset respondere, se quidem habere fidem a Deo, sed initium habere a seipso. Tanti momenti Augustino visum est illud argumentum, ut coegerit eum ad discedendum a semipelagianismo, quo ante suum Episcopatum laboraverat: *quo præcipue testimonio* (inquit libro de Prædest. Sanct. cap. 3.) *etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans, fidem qua in Deum credimus, non donum Dei, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo.*

Tandem si initium fidei non a Deo, sed ex nobis sit, illudque fidei initium a Deo ipsam fidem impetret, gratia secundum merita nostra dabitur; quod quidem damnatum est in Pelagio; dabitur enim illi initio fidei, illi bono affectui credendi, inchoatæ illi bonæ voluntati. Augustinus urget illud argumentum in lib. de Prædest. Sanct. cap. 2.

Probatur 2. eadem nostra conclusio auctoritate Concilii Arausicani II. cujus doctrinam amplexæ sunt omnes orbis Ecclesiæ. Canone 5. expresse definitum est, initium fidei, ipsum credulitatis affectum, qui hominem aliqua ratione disponit ad justitiam, non minus esse Dei donum, quam ejusdem fidei incrementum, seu actum quo Deo revelanti rei-

reipsa credimus: *Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem; sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.*

Objicies 1. Apostolus asserit quidem, gratiam non esse ex operibus, sed non dicit eam non esse ex fide: ergo dici potest, quod fides præcedat gratiam, ac proinde quod gratia ad fidem non requiratur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia opera quædam possunt esse sine gratia, cum e contra fides sine ea esse non possit: nec mirum, nam idem Apostolus asserit ad Galat. c. 2. hominem non ex operibus, sed ex fide justificari, ac proinde supponit, fidem esse omnino supernaturalem. Augustini est ea responsio: nempe sic loquitur lib. de Prædest. Sanct. cap. 7. *Ex fide autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie operæ nuncupantur, in quibus juste vivitur.*

CONCL. 3. Cogitationes de amplectenda fide, quæ, audita Evangelii prædicatione, subeunt mentem hominis infidelis, sunt a gratia.

Probatur 1. Eæ cogitationes influxum, saltem remotum, habent in actum fidei; ac proinde non sunt naturalis ordinis: quod enim est ordinis mere naturalis, nullum omnino habet influxum in actum omnino supernaturalem, alioquin ad eum disponeret; quod tamen, tum ex Concilio Arausicano II, tum ex Concilio Tridentino superius laudatis, dici minime potest.

2. Concilium Arausicanum II. expresse definit, nullum bonum per naturæ vigorem cogitari posse sicut expedit: *Si quis* (inquit canone VII.) *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, confirmat... hæretico fallitur spiritu.*

3. Augustino ita persuasum fuit, fidei cogitationem quæ sit salutaris, haberi non posse sine gratia, ut inde a fortiori concluserit, fidei initium haberi non posse sine gratia. Postquam enim laudavit hanc Apostoli sententiam 2. ad Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; sic adversus Semipelagianos discurrit libro de Prædest. Sanct. cap. 2. *Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.*

CONCLUSIO 4. Liberum arbitrium non potest actu mere naturali iis assentiri, quæ fides docet. Est contra Ludovicum Molinam.

Probatur 1. Patres, cum pelagianos & Semipelagianos impugnarunt, absolute & simpliciter asseruerunt, hominem lapsum non posse sine gratia revelatis assentiri, nec distinxerunt inter assensum qui ad salutem conferat, & inter eum qui minime conferat: ergo censuerunt, assensum per actum mere naturalem admitti non debere.

Probatur 2. Assensus datus veritati revelatæ, vel est ex motivo divinæ revelationis, vel ex aliquo alio. Si secundum, non erit actus fidei, quia non habebit illius objectum formale *quo*, quod quidem (ut dicemus in Tractatu de fide) est sola divina revelatio: per illud enim motivum fides ab aliis virtutibus Theologicis distingitur. Si primum, assensus ille erit omnino supernaturalis; habebit enim specificativum supernaturale, divinam nimirum revelationem, ac proinde elici non poterit per actum mere naturalem.

Probatur 3. Non alium ob finem excogitatus videtur assensus ille per actum mere naturalem, quam ut, aut ex occasione, aut pacto, aut per se, Deum moveat ad conferendam gratiam, quæ ad eliciendum supernaturalem actum fidei requiritur: At sic assensum per actum mere naturalem defendere, ut sit via ad assensum supernaturalem, videtur esse sententia Cassiani damnata in Concilio Arausicano II. & impugnata a S. Prospero libro contra Collatorem cap. 36.

Objicies. Intellectus potest propriis viribus attingere veritates omnes supernaturales: ergo eis quoque per easdem vires potest assentiri. Probatur ant. Intellectus potest propriis viribus attingere id omne, quod continetur intra specificativum illius objectum: atqui veritates omnes intra ipsum continentur: si enim non continerentur, intellectus, licet divino adjutus auxilio, eas attingere non posset, cum nulla potentia ferri possit extra suum objectum specificativum: siquidem propter eam rationem oculus non potest audire, nec auris videre: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Si illud objectum sit potentiæ proportionatum, conc. maj. si non sit proportionatum, neg. maj. Veritates supernaturales, licet contineantur intra objectum specificativum intellectus, quod est omne verum, nullam tamen cum eo habent proportionem, cum sint ordinis omnino diversi.

Confirmatur solutio. Licet lux solis contineatur intra objectum specificativum visus, quod est corpus coloratum, quia tamen ob nimium ejus splendorem non est intra objectum proportionatum oculi corporei, ab eo videri nequit, nisi virtute aliqua speciali

& extraordinaria roboretur: Ita similiter quamvis veritates supernaturales, & mysteria fidei sint intra objectum essentiale & specificativum nostri intellectus, quod est verum, ut abstrahit a naturali & supernaturali, a creato & increato, a spirituali & corporeo; quia tamen non continentur intra ipsius objectum proportionatum & connaturale, non possunt ab eo naturæ viribus attingi; sed cum eo debent per gratiæ auxilium fieri proportionatæ.

Quæres 1. utrum gratia, quæ requiritur ad fidem, sit solum gratia intellectus, an etiam voluntatis.

Resp. gratiam, de qua est quæstio, esse gratiam & intellectus & voluntatis; Ratio est 1. quia intellectus & voluntas concurrunt ad actum fidei, ille quidem, cogitando, ista vero, assentiendo; nempe credere, ex Augustino lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. *nihil aliud est, quam cum assensione cogitare*; cogitare autem est actio intellectus, sicut & assentire est actio voluntatis: ergo necesse est, ut utraque potentia adjuvetur a Deo ad eliciendum actum fidei. 2. Nemo credit, nisi ex affectu crudelitatis, hoc est, nisi illius voluntas prius bene afficiatur circa veritates fidei: at affectus ille credulitatis ex gratia est; ita enim definit Concilium Arausicanum II. superius relatum. 3. Actus fidei est justitiæ, hoc est, bonæ voluntatis initium, quod quidem a Deo esse credit Ecclesia contra Semipelagianos: *Tu* (inquit August. in Epist. ad Vitalem) *initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis, non vis donum esse Dei.*

Quæres 2. an vera sit fides in iis qui ad credendum ex pravo affectu, regnandi v. g. præcipue moventur.

Resp. negative. Ratio est 1. quia affectus credendi est donum Dei: at id de affectu pravo dici non potest, cum sit peccatum. 2. Affectus credendi (ut ex Augustino probatum est) est initium bonæ voluntatis: pravus affectus e contra est initium malæ voluntatis. 3. Credens ex affectu pravo se habet, sicut qui propter vanam gloriam eleemosynam largitur: ergo sicut in eo homine non est vera misericordiæ virtus; ita nec in credente ex affectu pravo est vera fides. Ideo enim in homine illo non est vera misericordiæ virtus, quod finis vanæ gloriæ imperet eleemosynam: sed pariter in credente, de quo agitur, pravus finis imperaret assensum, qui veritatibus fidei præberetur.

Quæres 3. Utrum gratia fidei sit prima gratia, hoc est, utrum fides sit in homine primus effectus gratiæ prævenientis.

Resp. in fide quatuor considerari posse; 1. cogitationes de fide amplectenda, si idonea sint credendi motiva; 2. voluntas Evangelium audiendi ex desiderio salutis. 3. bonus in Evangelium auditum affectus; & tandem 4. ipse actus fidei, seu consensio, quam voluntas præbet revelatis in Evangelio. De cogitationibus hæc habet Augustinus in libro de prædest. Sanct. cap. 2. *Quamvis enim raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur, necesse est tamen, ut omnia quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur.* Voluntas Evangelium audiendi ex proprio salutis desiderio eluxit in Proconsule Sergio, antequam fidem amplecteretur: *Hic* (inquit Lucas Actor. 13. *accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire verbum Dei.* De affectu credulitatis insignis est locus in Concilio Arausicano II. Can. v.

His præmissis, ad quæstionem propositam respondendum est, fidem sumptam pro consensione, quam voluntas præbet revelatis, non esse primum effectum gratiæ; si nomine effectus id omne intelligatur, quod in homine est a gratia: scilicet cogitationes de amplectenda fide, voluntas audiendi Evangelium, bonus in Evangelium auditum affectus, sunt (ut superius ex Augustino & Concilio Arausicano II. probatum est) effectus gratiæ; at eæ cogitationes, ea voluntas, ille affectus, præcedunt actualem voluntatis consensionem.

Verum si fides sumatur pro actu supernaturali in suo genere completo, dicendum erit, eam esse primum effectum gratiæ actualis: Siquidem Deus neminem movet ad aliarum virtutum supernaturalium actus, nisi prius ei fidem tribuerit, juxta illud Augustini in Epistola ad Sixtum: *Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quod isti extollunt, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita: sed gratuitum Dei donum esse fateamur; si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Alia in eumdem finem S. Doctoris loca referentur inferius, ubi de gratiæ ad agendum bonum necessitate differemus.

CAPUT II.

Utrum Gratia sit necessaria ad cognoscendum verum naturale.

Not. VERUM ordinis naturalis duplex est, speculativum & practicum. Prius, est illud, quod non pertinet ad operationem, sed sistit in mera cognitione; alterum ordinatur ad operationem, quod nempe vel ad eam moveat, vel ipsam dirigat. Verum, sive sit speculativum, sive practicum, considerari potest, vel divisive, vel collective: priori modo sumptum, est verum ab alio separatum; posteriori modo, est verum cum aliis conjunctum.

Not. 2. Certum est, gratiam Creatoris, seu

seu auxilium Dei prout est auctor naturæ, requiri ad cognitionem cujuscumque veri, sive speculativi, sive practici, sive divisive sumatur, sive collective. Scilicet necesse est, ut Deus intellectum conservet, eumque per suum concursum adjuvet ad operationes, quæ non superant naturales illius vires. Eam Creatoris gratiam S. Thomas passim appellat auxilium Dei moventis, unde in omnibus articulis, in quibus agit de necessitate gratiæ, semper asserit, & homini innocenti, & homini lapso, sive ad cognitionem veri, sive ad operationem boni, necessarium esse auxilium Dei moventis. Illud Dei Creatoris auxilium duplex est, ordinarium, & extraordinarium. Prius nihil aliud est, quam concursus, quo tamquam provisor universalis omnes omnino caussas adjuvat ad effectus, qui illarum naturæ conveniunt; posterius positum est in quadam speciali providentia, per quam creaturas quasdam in iis circumstantiis ponit, in quibus tanta ad operandum non occurrunt impedimenta, quanta occurrerent, si in aliis circumstantiis constitutæ fuissent. Nemo dubitat, quin istud quoque posterius auxilium, sit necessarium respectu quarumdam veritatum naturalium, ad quarum cognitionem, & multum laboris, & multum otii requiruntur. Itaque quæstio de qua hocce capite agitur, est de auxilio Dei moventis, per Christum, hoc est, quæstio est, utrum gratia, quam Christus per mortem suam nobis promeruit, necessaria sit ad cognoscendum verum ordinis naturalis, sive sit speculativum, sive sit practicum, sive divisive, sive collective sumatur.

Not. 3. Circa quæstionem, ea, qua dictum est, ratione explicatam, duplex est Theologorum sententia. Prima docet quodcumque verum ordinis naturalis cognosci posse, saltem divisive, sine gratia Dei per Christum, sive sit speculativum, sive sit practicum, sive ad bonum operandum moveat, sive non moveat. Ita passim recentiores Thomistæ. Altera, quæ est Gregorii Ariminensis, Capreoli, & Vasquesii, contendit, verum, sive speculativum, sive practicum, sive collective, sive divisive sumptum, si ad bonum operandum moveat, ab homine lapso cognosci non posse sine actuali gratia per Christum.

CONCLUSIO 1. Veritates, sive speculativæ, sive practicæ, quæ sunt ordinis naturalis, quæque ad bonum operandum non movent, divisive cognosci possunt sine gratia Dei per Christum, non autem collective.

Probatur prima pars. Gentiles in disciplinis, tum physicis, tum moralibus, plures veritates, & quidem abstrusissimas (ut ex eorum libris patet) cognoverunt: atqui eas veritates non cognoverunt ex auxilio gratiæ per Christum: Nam 1. prima gratia per Christum est (ut capite superiori dictum est) fides, aut saltem motus ad fidem; qui quidem motus Gentilibus illis, cum nihil audierint de Christo, nusquam concessus est. 2. Gratia per Christum non datur, nisi in ordine ad salutem: neque enim Christus mortuus est, ut humanarum disciplinarum, quæ ad salutem non conferunt, cognitionem homini lapso mereretur: *Abjiciatur a Christianorum cordibus ista fallacia* (verba sunt Augustini, Pelagium in Epistola ad Sixtum impugnantis, quod gratiam, cujus necessitatem in Concilio Diospolitano confessus fuerat, liberum arbitrium in creatione nobis concessum interpretaretur) *Nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus. Illa est enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur: quippe homo erat, qui dicebat: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*: Ergo sine gratia per Christum Gentiles compararunt humanarum disciplinarum cognitionem, eamque nunc temporis Christiani comparant, cum per se ad salutem nulla ratione conferant, nisi ad ædificationem Ecclesiæ, hoc est, ad eam adversus illius hostes defendendam, a Christianis ordinentur.

Probatur altera conclusionis pars. Ut veritates quæ sunt ordinis naturalis, collective cognoscantur, non satis est in homine potentia physica; sed præterea requiritur potentia moralis, hoc est, potentia ab omnibus impedimentis libera: atqui in homine lapso non reperitur potentia moralis respectu omnium veritatum, licet sint ejusdem cum eo ordinis. Plura nimirum, & quidem insuperabilia, impedimenta occurrunt, quibus ejusmodi cognitio fit ei moraliter impossibilis. Nam 1. brevior est vita, quam ut satis sit ad tot tantarumque rerum cognitionem comparandam. 2. Acumen ingenii continuo ac indefesso, qualis requiritur, labore propter debilia sensuum organa prorsus obtunditur; juxta illud Sapientiæ 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. 3. Nullus unquam post Adami lapsum omnium omnino veritatum naturalium cognitionem assecutus est, quantocumque valuerit ingenio, quantamcumque diligentiam adhibuerit: ergo ea cognitio est homini lapso moraliter impossibilis.

CONCLUSIO 2. Aliquæ veritates morales, licet ad bonum honestum moveant, cognosci possunt sine auxilio gratiæ per Christum.

Probatur. Veritates quæ Decalogo continentur, per se movent & excitant voluntatem ad bonum honestum; vix enim fieri potest, ut quis de hac veritate, *Parentes sunt colendi*, serio cogitet, quin ad cultum paren-

tibus exhibendum excitetur: atqui veritates quæ decalogo continentur; possunt cognosci sine gratia per Christum. Quamvis enim intellectus humanus in naturalibus per peccatum originale debilitatus fuerit, tantum tamen infirmitatem non contraxit, ut adhibito diligenti & indefesso labore, colligere non possit conclusiones practicas, quæ proxime saltem (ut Decalogi præcepta) ex primis morum principiis sequuntur. 2. Gentiles olim multa ex officio bona & honesta operati sunt, & nunc etiam operantur sine auxilio gratiæ per Christum: ergo a fortiori sine eodem auxilio potuerunt cognoscere veritates, quarum cognitio ad illa opera ex officio bona & honesta movere potuit.

Objicies 1. Nullum omnino verum cognosci potest sine cognitione, quia cognitio est essentialiter cogitatio: atqui nihil cogitare possumus sine Dei gratia per Christum, Apostolo teste 2. ad Corinth. 3. *Non quod* (inquit) *simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Concilium Milevitanum cap. 4. asserit, rerum agendarum cognitionem non minus esse donum Dei, quam ipsummet agere: *Utrumque* (ait) *Dei donum est, scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus*: ergo sine gratia veritates morales, saltem quæ ad praxim spectant, sine Dei per Christum gratia cognosci non possunt.

Concilium Arausicanum secundum Can. 9. expresse asserit, quod quidquid habemus veritatis, non ex nobis, sed ex Deo fit: *Divini muneris est, cum recte cogitamus.* Et ne quis rectam illam cogitationem ad supernaturalem cogitationem restringat, Concilium Can. 22. docet quod *Nemo habet de suo, nisi peccatum & mendacium.*

Resp. ad 1. Apostolum loqui de cogitatione, quæ ad salutem, ejusque consequendæ media ordinem dicit: *Quod ergo* (inquit Augustinus lib. 2. de Prædestin. Sanct. cap. 2.) *pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia ex Deo est; profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est.*

Resp. ad 2. Milevitanum Concilium loqui de cognitione eodem modo sumpta, quo cogitatio, de qua in loco mox laudato loquitur Apostolus. Ratio est, quia Concilii definitio est contra Pelagianos, qui fatebantur quidem, cognitionem legis observandæ esse Dei donum: *Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam* (inquit Pelagius apud Augustinum in libro de Gratia Christi, cap. 7.) *dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis: ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat*: sed negabant, dilectionem boni agendi esse donum Dei, seu negabant gratiam actionis: *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii & Cælestii scriptis, quæcumque legere potui* (ait idem Augustinus in eodem libro de gratia Christi, cap. 30.) *nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Unde Concilium Milevitanum supponens, quod Pelagiani fatebantur, *donum Dei esse scire quid agere debeamus*, docet, id non satis esse, sed præterea credendum esse, Dei quoque donum esse, *diligere ut faciamus.* Unde consequens est, idem Milevitanum Concilium laudato canone loqui de cognitione, quæ ad justificationem conferat; non autem de cognitione, quæ ad illam nullum omnino ordinem dicat, cujusmodi est ea, quam in nostra conclusione ostendimus haberi posse sine Dei gratia per Christum.

Resp. ad 3. Concilium Arausicanum de cogitatione loqui eodem sensu sumpta, quo Concilium Milevitanum. Ratio est 1. quia loquitur de cogitatione, quæ cum animo a peccatis temperante conjuncta est: *Divini est muneris* (inquit) *cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia continemus.* 2. Idem Concilium Can. 7. expresse ad salutis negotium determinat, ac restringit cogitationem, quam Canone 9. divini esse muneris definiit: *Si quis* (inquit) *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, confirmat... hæretico fallitur spiritu.* 3. Concilii Arausicani definitio est adversus Semipelagianos, qui initium salutis homini tribuebant: ut autem illud principium avertat, asserit, ne ipsam boni quidem agendi cogitationem, quæ primum inter præparatorios ad justificationem actus locum tenet, a nobis esse, sed ab illuminatione Spiritus Sancti.

Objicies 2. Quod a Deo postulamus, non est a nobis, sed contra Dei donum est: *Oratio* (inquit August. Epist. 95.) *est clarissima gratiæ testificatio*: atqui a Deo postulamuus cognitionem veri, ac præsertim moralis, quod Decalogo continetur: *Da mihi intellectum* (ait Rex Propheta Ps. 118.) *& scrutabor legem tuam*: ergo verum morale, licet ordinis sit naturalis, cognosci non potest sine gratia per Christum.

Resp. conc. maj. dist. min. A Deo postulamus cognitionem veri in ordine ad Dei gloriam, & ad nostram salutem; conc. min. sine ordine ad Dei gloriam & nostram salutem, neg. min. Res quas non referimus ad Dei gloriam, male petuntur, ac proinde non petuntur per Christum: Christus enim mortuus non est, ut consuleret temporalibus

bonis

bonis nostris, saltem in se sumptis; sed ut per ea ad spiritualia nos promoveret. Hincque patet, cognitionem veri, quod ad salutem non ordinatur, a Deo per orationem ab Ecclesia non peti, ac proinde male ex oratione concluditur, verum quod ad salutem non confert, sine gratia cognosci non posse.

Objicies 3. Cognitio Decalogi, quæ movet affectum ad observanda Decalogi præcepta, disponit ad justificationem, saltem remote: ergo sine gratia comparari non potest.

Resp. dist. ant. Si illa cognitio moveat ad observationem Decalogi tamquam ad bonum conferens ad salutem, conc. ant. tamquam ad bonum honestum tantum, sed rationi naturali consonum, neg. ant. Ratio est, quia in multis Gentilibus fuit non tantum affectus, sed etiam ipsamet observatio plurium præceptorum Decalogi propter bonum honestum, saltem tamquam finem proximum; & tamen ille affectus, illa observatio non fuerunt ex gratia, cum ex Augustino libro 1. ad Simplicianum cap. 2. Deus in eligendis aut vocandis hominibus, ejusmodi affectus, aut observationis nullam omnino rationem habuerit.

Objicies 4. Homo per peccatum factus est omnino cæcus: Unde a Gregorio Magno Hom. 11. in Evang. adumbratus dicitur cæco illo, cui (ut habetur Luc. 18.) Dominus visum restituit. Atqui cæcus cæcitate mentis nullam veritatem per proprias vires potest cognoscere cujuscumque generis sit ea veritas: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Homo per peccatum factus est omnino cæcus quoad veritates ordinis supernaturalis, hoc est, quæ conferunt ad salutem, conc. ant. scilicet amisit lumen fidei & scientiæ, quod Deus primis parentibus infuderat; quoad veritates ordinis naturalis, saltem divisive sumptas, neg. ant. Alioquin enim homo lapsus nec prima etiam principia, *Totum est majus sua parte*: *bonum est faciendum, malum fugiendum*, per naturæ vires cognoscere posset, quod est absurdum.

Quæres 2. utrum sine gratia elici possit actus prudentiæ.

Resp. elici posse circa aliqua: sic absque gratiæ auxilio, intellectus judicare potest præceptum de colendis parentibus, hic & nunc quoad substantiam saltem, seu quoad officium, observandum esse: E contra prudentia circa omnia præcepta, sine speciali auxilio Dei per Christum haberi non potest. Ratio est, quia prudentia circa omnia præcepta, etiam quoad substantiam & quoad officium sumpta, supponit appetitum circa omnia præcepta rectum & ordinatum; intellectus enim judicat pro variis voluntatis affectibus: at sine speciali per Christum gratia appetitus non est circa omnia præcepta rectus. Hinc licet Philosopho per demonstrationem persuasum sit, Deum esse super omnia diligendum; non esse tentationi consentiendum: sine gratia tamen non judicat hic & nunc Deum esse super omnia diligendum; hic & nunc non esse consentiendum tentationi: nec mirum; siquidem judicium illud semper cum praxi conjunctum est, nempe includit imperium, quo voluntas id agere jubetur, quod intellectus hic & nunc agendum esse judicat.

QUÆSTIO III.

De necessitate Gratiæ ad bonum agendum.

Not. Expendendum est hic, utrum sine gratia bonum aliquod fieri possit; an sine illius auxilio servari possint Decalogi præcepta, saltem quoad substantiam; an necessaria sit ad diligendum Deum; ad superandas tentationes; ad vitandum peccatum mortale; ad vitanda venialia; ad perseverantiam finalem; ad resurgendum a peccato; & tandem an ad singulos actus requiratur.

Moveri autem possunt eæ difficultates vel de homine per peccatum lapso, vel de homine stante in originali justitia. Necesse est igitur, ut quæramus 1. utrum homo per peccatum lapsus aliquid ex iis, quæ mox appellata sunt, possit sine gratia; 2. an homo stans in justitia originali nonnulla, sine ejusdem gratiæ auxilio, potuerit.

CAPUT PRIMUM.

An homo per peccatum lapsus possit sine gratia bonum aliquod operari.

Not. NON est hic quæstio de bono supernaturalis ordinis: Si enim (ut quæstione præcedenti dictum est) homo gratia destitutus, ne cogitare quidem possit de bono supernaturali, à fortiori illud sine gratia nec velle, nec operari potest. Tota igitur difficultas est de bono morali, quod sit ordinis naturalis, seu quod ad æternam salutem nihil omnino, sive remote, sive proxime, conferat.

ARTICULUS I.

Utrum Gratia habitualis sit necessaria ad agendum bonum morale, quod sit ordinis naturalis.

CONCLUSIO. Gratia habitualis, seu, quod idem est, gratia sanctificans, non est necessaria ad agendum bonum, quod sit ordinis naturalis.

Probatur 1. Gratia habitualis non est necessaria ad agendum bonum opus supernaturale, seu

seu quod ad salutem æternam disponit ac præparat: ergo a fortiori non requiritur ad bonum opus morale, quod sit ordinis naturalis, seu quod ad salutem æternam nec disponat, nec præparet.

Enthymematis antecedens sic ostenditur. Si gratia habitualis ad bonum opus supernaturale foret necessaria, sequeretur 1. opera impii, hoc est, hominis jacentis in statu peccati mortalis, etiam ex motu gratiæ propter Deum facta, esse peccata: nimirum impius, quamdiu est impius, non habet gratiam habitualem; quippe quod justificatio impii sit necessarius gratiæ habitualis effectus: atqui opera impii ex motu gratiæ propter Deum facta, non sunt peccata: *Si quis dixerit* (inquit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7.) *omnia opera quæ ante justificationem fiunt, vere esse peccata, anathema sit.*

Sequeretur 2. Dei mandata esse impio simpliciter & absolute impossibilia: scilicet, adjutus gratia etiam efficaci, ea observare non posset; quod tamen sine hæresi affirmari non potest: *Nam* (inquit post Augustinum Tridentina Synodus sess. VI. cap. XI.) *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

Sequeretur 3. impium in omnibus suis actibus, etiam ex gratia elicitis, servire cupiditati, quod est falsum: nempe damnata est hæc propositio a Pio Papa V. *in omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Damnata est & hæc alia: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.*

Sequeretur 4. actus fidei, spei, caritatis inchoatæ, & pœnitentiæ, qui ab impio ante justificationem eliciuntur, esse peccata, quod est hæreticum, cum ii actus impium ad justificationem præparent; ut definiit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6.

Sequeretur tandem 5. omnia opera infidelium esse peccata; tantum enim abest, ut habeant gratiam habitualem, quin & actuali destituti sint ii qui nihil unquam de Evangelio audire potuerunt. At id falsum est; damnata enim fuit hæc Propositio a Pio Papa IV. *Omnia opera infidelium sunt peccata.*

Probatur 2. Ea gratia non est necessaria ad bonum agendum, sine qua fieri potest opus ex omni parte bonum, hoc est, tum ratione officii, tum ratione finis: atqui opus ex omni parte bonum fieri potest sine gratia habituali. Nam 1. Nemo dubitat, quin opus bonum ratione officii, fieri possit sine gratia habituali, cum & a Gentilibus (ut mox dicetur) fieri possit. 2. Non minus certum est, quod opus bonum ratione finis, sine eadem gratia fieri possit: nempe per fidem & inchoatam caritatem ad Deum referri potest: ergo, &c. Huc referri possunt tum Scripturæ, tum Patrum sententiæ, quibus impii admonentur, ut se per fidei, caritatis, eleemosynæ, aliorumque operum exercitium ad justitiam præparent: *Date eleemosynam* (ait Christus Lucæ 11.) *& omnia munda sunt vobis. Facite* (inquit Joannes Baptista Matthæi 3. Pharisæos & Sadducæos alloquens) *fructum dignum pœnitentiæ.*

Objicies 1. In Scripturis eo nomine plura opera, alioquin in se optima, rejiciuntur, quod ab impiis fiant: *Quare* (inquit Deus ipse Ps. 49. peccatorem alloquens) *tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Isaiæ 1. *Ne offeratis* (ait Deus) *sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi*: ergo ad opus undequaque bonum, in operante requiritur gratia sanctificans.

Resp. neg. ant. Siquidem opera, alioquin in se optima, quorum meminit argumentum, rejiciuntur, quod fierent ab impœnitentibus, immo & ad quodcumque scelus paratis, unde laudatis ex Psalmo 49. verbis hæc alia subjiciuntur: *Tunc vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Dici iterum potest, rejici ea, quod ob pravum finem, nimirum vanam gloriam, a Judæis fierent, aut saltem quod in iis exterioribus actibus, contempto interno Dei cultu, totam suam justitiam collocarent: *Populus hic* (ait Deus Isaiæ 29.) *labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

Objicies 2. Homo gratia sanctificante destitutus refert omnia sua opera in pravum finem, ad objectum nempe, in quo suum finem ultimum constituit; ergo quodcumque illius opus est malum, saltem ratione finis.

Resp. neg. ant. Nam 1. sicut homo justus non refert omnia ad Deum, licet in eo suum ultimum finem constituat, cum nonnunquam venialiter peccet: ita nec impius omnia refert ad eam creaturam, in qua finem suum simpliciter ultimum constituit. 2. Impius non agit semper tamquam impius, hoc est, ex cupiditate; sed agit aliquando ex motu Spiritus Sancti, nondum quidem inhabitantis, sed moventis, ex motu imperfectæ saltem & inchoatæ caritatis, id est, nondum quidem dominantis, sed impellentis & excitantis; at opus quod fit ex motu Spiritus Sancti, licet nondum inhabitantis, ex motu caritatis, quamvis nondum dominantis, non refertur in pravum finem: ac proinde quodcumque peccatoris opus non est peccatum. In homine impio, saltem quem excitat & movet Dei gratia, duæ sunt arbores; una, quæ mala est, cupiditas nimirum; altera, quæ bona est, caritas: utraque affert fructum sibi convenientem; mala quidem fructum malum, hoc est, peccatum; bona

vero

vero fructum bonum, id est, integrum. Augustini est illud argumentum in libro de Gratia Christi c. 18.

ARTICULUS II.

Utrum aliqua gratia actualis requiratur ad agendum bonum morale, quod ordinis sit naturalis.

Not. 1. IN bono morali tria considerari possunt, substantia operis quod agitur; finis honestus ad quem ex se tendit; & tandem finis ultimus ad quem ultimo ab operante referri debet: sic in eleemosyna erogatio pecuniæ, aut alterius rei utilis, est opus quod agitur: sublevatio alienæ miseriæ, est finis ad quem ultimo ab operante referri debet.

Not. 2. Nemini dubium est, quin substantia operis alicujus moralis ab homine lapso fieri possit sine gratiæ actualis auxilio: sed quæstio est 1. an ab eodem homine operante substantia operis moralis possit sine gratia referri ad finem honestum; 2. an quoque sine ejusdem gratiæ auxilio ad debitum finem ultimum ab operante referri valeat; 3. quodnam in specie sit ejusmodi gratiæ auxilium.

CONCL. 1. **Homo per peccatum lapsus potest sine gratia opus aliquod referre ad finem honestum.**

Probatur. Finis honestus est ille qui rectæ rationi conveniens est, hoc est, quem approbat & præcipit recta ratio: atqui homo lapsus potest aliquod opus referre in finem qui rectæ rationi conveniens sit, hoc est, quem approbet & præscribat recta ratio: ergo, &c. Probatur min. 1. Relatio, de qua agitur, ordinis est omnino naturalis. 2. Plerumque est omnino facilis, cum operans in aliquibus saltem casibus innata propensione in eam feratur, ut patet in matre, quæ filio suppeditat alimenta, quæ ad illius vitam sustentandam necessaria sunt: nempe movet eam amor quo filium deperit, ut erogationem alimentorum referat ad filii sustentationem, quæ haud dubie finis est rationi conveniens. 3. Gentiles absque omni gratiæ auxilio aliquando ejusmodi bona quondam operati sunt, hoc est, nonnulla ex suis operibus retulerunt ad finem rationi consentaneum: scilicet visi sunt aliqui, qui pudicitiam conjugalem servaverint, quod fides tori eam præscriberet; steterint promissis, quod id recta ratio juberet: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*; depositum reddiderint, quod judicarent injustum esse retinere; operuerint nudos, ut eorum sublevarent miseriam; jus alteri fideliter dixerint, ut æquitati consulerent. 4. Quamvis ratio per peccatum debilitata fuerit, quamvis voluntas maximam contraxerit infirmitatem, nec illa quoad omnis veri moralis cognitionem, nec ista quoad omnis moralis boni executionem omnino extincta est; ergo voluntas, absolute loquendo, potest sine gratia bonum aliquod ad finem honestum referre. De ea boni specie intelligendus est Augustinus in libro de Spiritu & littera, cap. 27. ubi asserit, apud impios Deum verum minime colentes, reperiri quædam facta, *quæ*, cum proximum finem honestum habeant, *secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus*.

Verum quamvis, *absolute & metaphysice loquendo*, homo lapsus nonnumquam propter finem honestum, hoc est, rationi convenientem, sine gratia operari possit; perraro tamen id in praxi contingit.

Et sane concupiscentia qua ardet, quæque in eo est altera veluti natura, fere semper eum pertrahit, ut bonum, etiam in seipso honestum, vel ad voluptatem, vel ad vanum aliquem alium finem referat: at cum urget ejusmodi tentatio, voluntas nunquam, si absit gratia, hæret in operis honestate; scilicet (ut inferius suo loco dicetur) nulla omnino tentatio, ne levis quidem, sine gratiæ auxilio superari potest.

Præterea ut homo lapsus operis honestati inhæreat, necesse est, ut statim post peractum opus alio mentem avocet suam: nempe summum alioquin erit periculum, ne ex operis honesti consideratione voluntas sibi complaceat: quo autem magis honestum fuerit peractum opus, eo præsentius imminebit inanis gloriæ periculum, ut docet Augustinus in libro 4. contra Julianum cap. 3.

Hominem lapsum perraro inhærere honestati operum moralium, nisi Dei adjutorio roboretur, facile colligi potest ex veterum, qui sapientes habebantur, exemplo: nempe aut voluptati, aut humanæ laudi, aut ceteris animi libidinibus servierunt in iis etiam factis, quæ maximam præ se ferebant honestatem.

Epicurei omnia sua studia in voluptatem, animi saltem, contulerunt: *Quales virtutes* (ait Augustinus capite 3. libri 4. contra Julianum, solvens hominis illius Pelagiani argumentum, petitum contra gratiæ necessitatem ex antiquorum infidelium præclare factis) *Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tuendam*.

Stoici ipsa operum honestate, alioquin in se bona, ipso virtutum decore, gloriati sunt: nec mirum: quo enim (ut jam observavimus ex Augustino) mens sibi videtur melior, eo magis, si per gratiam non impediatur, in se ipsa tumescit: *Virtutes* (ait idem Augustinus libro 19. de Civitate Dei, cap. 25.) *cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ & superbæ sunt*: (per accidens tamen, eo quod

quod tunc sint homini vano inanis complacentiæ occasio) & *ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt*.

Nulla gens præclare factis magis se commendavit, quam Romana, ita ut propterea Augustinus Epistola 107. asseruerit, *diabolum finere aliquos habere nonnulla veluti opera, in quibus laudantur per quasque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclare, gloriosissimeque vixerunt*. At in illis praclare factis, Romani non eorum factorum honestati, sed inani gloriæ servierunt: *Veteres, primique Romani* (ait Augustinus lib. 15. de Civ. Dei, cap. 18.) *quantum eorum docet, & commendat historia, laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant: hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitarunt. Ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt; ipsam denique patriam, quoniam servire videbatur inglorium, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt*.

Quod generaliter de tota gente Romanorum asseruerat Augustinus, asseruit quoque de privatis, qui præ ceteris virtuti studuisse videbantur. Nam de Bruto qui liberos suos pro patriæ incolumitate interemerat, ait, quod *eum vicerit laudis immensa cupido*. De Camillo, quod Patriam idcirco a Gallis iterum liberaverit, *quia non habebat potiorem, ubi posset vivere gloriosius*. De Marco Pulvillo qui filium insepultum abjici præceperat, *quod in ejus corde orbitatis dolorem gloriæ cupiditas vicerat*. De Marco Regulo, quod ideo reversus fuerit ad Carthaginienses, quia, sicut ipse responderat: *Posteaquam Afris servierat, dignitatem illic honesti civis habere non poterat*. De Lucii Valerii, Quinti Cincinnati, Fabricii, & similium paupertate, divitiarumque contemptu, quod sic vixerint *pro conservanda gloria Romanorum*. De Catone, quod honores quos petiit, petere non debuerit. De Cajo Cæsare, quod *laudis aviditate, gloriaque cupidine exercitum, bellumque novum expeteret*. Ubi S. Doctor hæc de probatioribus Romanis fuse prosecutus est, hanc de ceteris sententiam profert: *Hæc sunt duo illa, libertas & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Romanos*.

CONCL. 2. Homo lapsus non potest sine gratia deliberatum aliquod opus ad deditum finem ultimum referre.

Probatur. Debitus ultimus finis cujuscumque actus deliberati est solus Deus: atqui homo lapsus non potest sine gratia deliberatum aliquod opus ad Deum referre: ergo nec ad debitum finem ultimum.

Major argumenti Propositio variis rationibus ostendetur hujus operis parte 7. ubi dicemus de præcepto, quo quilibet homo jure naturali tenetur omnia in Dei gloriam referre. Minor itaque sic ostenditur: Creatura rationalis non potest aliquod suum opus ad Deum referre, nisi illum amet, saltem imperfecte: Nemo enim agit propter aliquem finem, nisi pondere aliquo in eum feratur: *pondus* (inquit Augustinus Enarratione 1. in Psal. 29.) *est impetus quidam cujusque rei conantis ad locum suum*. Pondus autem creaturæ rationalis non alius est, quam illius amor: *Amor meus* (ait idem S. Doctor lib. 15. Confess. 9.) *pondus meum, illo feror quocumque feror*. Sed homo lapsus non potest sine gratia Deum amare, vel imperfectissime, nec ut auctorem naturæ, nec ut auctorem gratiæ. Scilicet sine gratia non potest agere contra ardentissimum & efficacissimum amorem, quo seipsum & res creatas prosequitur; ac proinde suum affectum convertere non potest ad Deum, a quo per peccatum originale omnino aversus factus est. Vide quæ hujusce capitis articulo 3. de eodem argumento dicentur.

ARTICULUS III.

Quæ gratia actualis necessaria sit, ut actus deliberati ad ultimum finem referantur.

Not. Auctores, quibus placet, hominem lapsum non posse sine gratia referre aliquod opus ad debitum finem ultimum, non conveniunt, cujus generis sit ejusmodi actualis gratia.

Gregorius Ariminensis, Cardinalis Roffensis, & plures alii, contendant, esse gratiam fidei, hoc est, gratiam, quæ concedatur homini jam in Deum ex revelatione credenti, aut saltem homini jam per divinum auxilium habenti affectum illum credulitatis, de quo loquitur Concilium Arausicanum II.

Contensonius, ex inclyto Dominicanorum Ordine pius & doctus Theologus, scripsit, eam gratiam non semper in subjecto, cui conceditur, præsupponere fidem, aut effectum credulitatis; immo contendit dari nonnumquam iis qui de revelatione nihil audierunt, ita ut (inquit) is cui lumine naturali persuasum est Deum existere, illumque esse summum creaturæ rationalis bonum, auxilio moveatur & excitetur ad referendum suum opus ad Deum.

Gabriel Vasquez, qui censet hominem non teneri omnia sua opera deliberata ad finem simpliciter ultimum, hoc est, ad Deum, referre, docet tamen, opus aliquod referri non posse in finem honestum, seu rationi consentaneum, sine speciali Dei auxilio; quod quidem, quamvis sit ex meritis Christi, ordinis tamen sit omnino naturalis, tum quod ad finem naturalem referatur, scilicet ad honestatem rationi convenientem: tum

quod non supponat motivum aliquod supernaturale; ac proinde ad salutem nihil omnino conferat.

CONCLUSIO. Gratia actualis quæ necessaria est, ut homo lapsus opera sua in debitum ultimum finem, Deum nempe, referat, in subjecto præsupponit gratiam fidei.

Probatur 1. Fides, aut quæ ordinantur ad fidem, ut cogitatio de revelatione, affectus credulitatis, auditus Evangelii ex illo credulitatis affectu, sunt primus gratiæ actualis effectus: ergo ante gratiam fidei non datur aliqua gratia actualis, per quam non credens opus suum ad Deum referat. Probatur ant. ex Augustino, qui libro de Prædestinatione Sanctorum sic loquitur: *Fides prima datur, ex qua impetrentur cetera.* Idem S. Doctor in Præfatione in Ps. 31. expresse docet, quod, ubi non est fides, non sit aliquod opus bonum bonitate petita ex relatione ad debitum ultimum finem; nam S. Doctor (ut hujusce capitis articulo 1. ostendimus) agnovit posse reperiri ante fidem bonum opus bonitate petita ex fine proximo, seu ex operis honestate, quam operans sibi proponere potest: *Nemo*, inquit) *computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat.* Nec mirum, nempe ad opus bonum bonitate finis ultimi requiritur, ut operans sibi finem illum ultimum proponat: at sibi eum non proponit, nisi per fidem dirigatur: *Bonum enim opus* (inquit) *intentio facit, intentionem fides dirigit.* Rem eamdem aliis terminis tradit in Psalmum 67. asserit enim, eum qui in Deum non credit, non agere propter Deum: *Ea quippe* (inquit) *sola sunt bona opera* (bonitate finis ultimi) *quæ fiunt per dilectionem. Ad hoc autem necesse est, ut antecedat fides; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei nisi prius credat in Deum.*

Probatur 2. nostra conclusio. Nulla gratia actualis datur impiis ante auxilia, quæ ad fidem præparant; ergo gratia quæ necessaria est, ut quis aliquod opus ad debitum ultimum finem referat, non præcedit fidem. Probatur ant. Ea gratia data non fuit iis qui Deum ignorarunt, & quos Apostolus ad Ephesios 2. scribit, *Sine Deo in hoc mundo fuisse;* de quibus Propheta Regius Ps. 78. hæc ait: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.*

Collata quoque non est impiis, quibus ante Evangelium Deus nonnullam suæ existentiæ cognitionem impertitus est, & de quibus Apostolus hæc ait: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit;* siquidem, si data eis fuisset ejusmodi gratia, quidam Deum amavissent ac coluissent, ex iis nonnulli Deum glorificassent, aliqui ei gratias egissent: nempe si ea gratia hominibus illis data fuisset, nonnulla sua opera ad eum tamquam ultimum finem retulissent; quod quidem sine quadam glorificatione, & quadam gratiarum actione fieri non potest, cum relatio illa sine amore non fiat, & amor sit ipse Dei cultus, juxta illud Augustini lib. 12. de Trin. c. 14. *Et quis est cultus ejus, nisi amor ejus?* Atqui homines illi nulla ratione Deum glorificarunt, nusquam ei gratias egerunt: *Quia* (inquit Apostolus) *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.*

Præterea si quæ gratia præcederet fidem, aut ea saltem quæ ad eam ordinantur, opera ex illo auxilio facta, essent justificationis initium, nempe bonam voluntatem includerent, & quidem supernaturalem; gratia etiam, ex cujus adjutorio opera illa fierent, non esset ex liberalitate Creatoris, sed ex beneficio Redemptoris: atqui absurdum est consequens; nec enim conciliari potest cum his verbis Concilii Tridentini sess. 6. cap. 8. *Ideo per fidem justificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo.*

Confirmatur iterum. Impius, cui fides deesset, qui tamen ex auxilio gratiæ suum opus ad Deum referret, esset, quoad hoc, arbor bona; ac proinde illius opus non posset esse sterile ad vitam æternam. Ita ratiocinatur Augustinus lib. 4. contra Julianum, cap. 3. *Quomodo igitur, obsecro, non aut jocaris in his disputationibus, aut deliras, qui sterilium fructum arborum laudas? Qui utique, aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, profecto steriles arbores non sunt, immo & bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere, falsumque erit, quod scriptum est: Sine fide impossibile est placere Deo.* Legendum est totum cap. 3. lib. 4. contra Julianum, ut Augustini de eorum, qui sine fide agunt, operibus doctrina accurate intelligatur.

Objicies 1. Deus infideles, quibus numquam daturus est fidem, movet ad quædam bona opera: ergo nec fides, nec ea quæ ad fidem ordinantur, sunt prima gratia, quæ infideli conceditur. Probatur ant. variis exemplis. De Polemone, quem Xenocrates ebrium in suas scholas ingressum, de fruge temperantiæ disputando, in alios mores repente convertit, Augustinus sic loquitur Ep. 130. *Et ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino.*

In lib. Esther, c. 15. hæc habentur, *Convertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem:* Quo quidem Scripturæ loco utitur Augu-

Augustinus in lib. de Gratia Christi, c. 24. ut probet, Deum bonas voluntates in cordibus hominum operari: *Intueamur* (inquit) *atque fateamur, non lege atque doctrina resonante, sed intrinsecus, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.*

Idem S. Augustinus in lib. de Patientia, cap. 26. docet, *nullo modo culpandam, imme vere laudandam esse patientiam*, qua schismaticus quispiam pericula, gladium, ipsamque crucem patitur, ne Christum coram infideli tyranno neget. Cap. 27. asserit, eam schismatici patientiam Dei donum esse: *Proinde* (inquit) *sicut negandum non est hoc etiam esse donum Dei.*

Idem S. Doctor pudicitiam conjugalem, quæ a nonnullis Gentilibus accurate servatur, adscribit Dei dono: *Quis autem* (ait de pudicitia agens l. 1. de Nuptiis & Concup. c. 3.) *audeat dicere donum Dei esse peccatum?* Eidem quoque dono adscribit propensum, qui in nonnullis Gentilibus visus est, animum ad sublevandam pauperum & egenorum miseriam. Docet idem de aliis Gentilium virtutibus ferri debere judicium: *Quanto ergo* (inquit lib. 4. cont. Julian. c. 3.) *tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri, quam eorum tribueres tantummodo voluntati; licet ipsi hoc nesciant, donec, si ex illo sunt prædestinatorum numero, accipiant Spiritum S. qui ex Deo est, ut sciant quæ a Deo donata sunt eis.*

Ex iis momentis evidenter colligi videtur, nec fidem, nec ea quæ ad fidem præparant, esse primam gratiam, quæ infideli conceditur; ac proinde nihil obstat, quin asseratur, Deum per interius auxilium movere infideles quosdam, ut ad ipsum per lumen rationis cognitum nonnulla ex suis operibus referant.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo nec fides, nec ea quæ ad fidem ordinantur, sunt prima gratia, quæ infideli conceditur in ordine ad finem honestum, conc. conseq. in ordine ad finem ultimum, neg. conseq. Deus infideles, quibus nusquam daturus est fidem, aliquando movet, ut sibi finem honestum proponant in externis actionibus, quas operantur, & in eo sensu illa opera sunt Dei dona; sed eos non movet, ut ea opera referant ad debitum ultimum finem. Unde quamvis cum Augustino concedatur, Polemonis temperantiam, quorumdam Gentilium pudicitiam conjugalem, schismatici, ne Christum abneget, morientis constantiam esse Dei dona quantum ad illum finem honestum, quem sibi homines illi proponunt, quemque sibi alioquin, urgente præsertim tentatione, non proponerent, esse Dei donum; non sequitur tamen, fidem non esse primam gratiam homini datam in ordine ad finem ultimum, qui (ut jam diximus) non alius est quam DEUS ipse amore fruitivo possidendus.

Objicies 2. Cornelius Centurio sine fidei auxilio eleemosynas suas ad Deum retulit: ergo gratia fidei non est necessaria, ut quis bona opera ad Deum referat. Probatur ant. Cornelii eleemosynæ, antequam fidem a Petro fuisset edoctus, a Deo ipso probatæ sunt: sic enim antequam Petrus eum adiisset, eum in visu Angelus Dei allocutus est Actorum 10. *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*: Atqui Cornelii eleemosynæ a Deo probatæ non fuissent, nisi Cornelius eas ad Deum retulisset: ergo gratia fidei non est necessaria, ut quis bona sua opera ad Deum referat.

Resp. neg. ant. Scilicet licet Cornelius Centurio explicitam in Christum fidem non haberet, antequam Petrus eum adiisset; habebat tamen explicitam fidem in Deum, & implicitam in Christum mediatorem. Desumpta est ea solutio ex Augustino, qui in libro de Prædestinatione Sanct. cap. 7. sic loquitur: *Solet dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, antequam crederet: quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.*

Confirmatur responsio. Cornelius ex Judæorum conversatione Deum verum, ceteraque vitæ futuræ mysteria didicerat, ac proinde credebat ea quæ illi credebant: ergo cum Judæi crederent in Deum, & in Mediatorem Dei & hominum, & ex illa fide orarent, aliaque obirent pietatis officia: ita & ex earumdem rerum fide Cornelius, antequam a Petro explicitam in Christum fidem doctus fuisset, suas eleemosynas erogaverat; unde fide explicita in Deum, & implicita in Christum, venit ad explicitam Christi ejusque mysteriorum fidem, quæ post Evangelium promulgatum necessaria est necessitate medii, ut ad calcem tractatus nostri de Incarnatione probavimus.

CAPUT II.

An præcepta Decalogi sine gratia servari possint.

Not. 1. PRæcepta Decalogi considerari possunt, vel secundum substantiam, vel secundum modum. Priore modo sumpta nihil aliud sunt, quam officium, quod per ea aut præcipitur, aut prohibetur; acce-

accepta vero posteriori modo, præter officium dicunt finem ultimum, ad quem ab operante ultimo referri debent. Non est hic quæstio de præceptis Decalogi secundo modo acceptis; jam enim fuse ostendimus, neminem sine gratia operari posse propter DEUM, ultimum creaturæ rationalis finem. Tota igitur difficultas est de præceptis acceptis priore modo, seu secundum substantiam.

Not. 2. Circa propositam quæstionem duæ sunt auctorum sententiæ. Prima quæ tribuitur *Scoto*, docet, hominem lapsum posse sine gratia singula Decalogi præcepta quoad substantiam observare: altera vero quæ est Sancti Thomæ, contendit eumdem hominem posse nonnulla Decalogi præcepta secundum substantiam implere, sed non omnia.

CONCLUSIO 1. Homo lapsus potest sine gratia observare nonnulla Decalogi præcepta quoad substantiam accepta.

Probatur. Ex observatis, præcepta Decalogi secundum substantiam sumpta, nihil aliud sunt quam officia, quæ per ea aut præcipiuntur, aut vetantur: atqui quorumdam præceptorum officia servari, aut omitti possunt sine gratia: nempe licet liberum hominis arbitrium multam per peccatum infirmitatem contraxerit, non est tamen omnino extinctum: ergo potest exequi quædam ex officiis, quæ Decalogo præscribuntur, aut quædam ex iis omittere quæ vetantur.

Confirmatur argumentum ex Augustino, qui (ut præced. quæst. dictum est) aperte lib. 4. cont. Julian. c. 3. docet, in nonnullis Gentilibus visa fuisse plurium virtutum officia; scilicet reperti sunt, qui tori fidem servarunt, qui cultum exhibuerunt parentibus, qui suis opibus alienam miseriam sublevarunt, qui a perjurio, homicidio, pluribus aliis externis vitiis Decalogo vetitis temperarunt. Idem videre est in obstetricibus Ægyptiis, quæ iniquo Pharaonis præcepto de interficiendis omnibus Hebræorum masculis non obtemperarunt; & quidem ita, ut actui illi in se honesto, mercedem temporalem Deus ipse rependerit.

CONCLUSIO 2. Homo lapsus non potest sine gratia servare singula præcepta Decalogi, etiam quoad solam substantiam accepta.

Probatur 1. Homo lapsus (ut quæstione proxime sequenti probabitur) non potest sine gratia Deum, etiam ut auctorem naturæ, super omnia diligere. 2. Non potest quoque servare præceptum, quo prohibetur, ne voluntas titillanti concupiscentiæ consensum præbeat: neque enim servatur illud præceptum sine victoria ex tentatione: at nulla tentatio, vel levior & minima, sine gratia (ut dicetur inferius) servari potest. 3. Quorumdam præceptorum substantia difficilis est observatu; ut sunt, nemini malum inferre, bonum e contra pro occurrentibus occasionibus proximis etiam inimicis impendere; at homo in statu naturæ lapsæ, utpote maxime debilis, ea non potest, quæ difficilia sunt: ergo, &c.

Probatur 2. ex Scriptura. Quod ad justificationem confert, servari non potest sine gratia; alioquin enim homo per naturæ vires se se præpararet ad gratiam, quod quidem asseri non posse, demonstrabitur inferius: atqui observatio omnium & singulorum mandatorum Decalogi confert ad justificationem; juxta illud ad Rom. 2. *Factores legis justificabuntur*: cui consonant hæc Christi verba Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.

Præterea si tota Decalogi lex servari posset sine gratia, aliqui homines non adjuti Dei gratia eam legem aliquando servassent, quod enim est possibile, in aliquibus saltem reperiri debuit: sed nemo unquam non adjutus gratia, servavit omnia ac singula Decalogi præcepta: hinc Paulus ad Rom. 3. scribit, *Judæos & Græcos*, sibi ipsis permissos, *omnes sub peccato esse*; additque, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Idem Apostolus ejusdem Epist. c. 7. scribit, hominem carnalem, hoc est, qui per Dei gratiam factus non est spiritualis, suis passionibus servire: *Cum* (inquit) *essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*. Sed qui passionibus servit, qui morti fructificat, non servat omnia & singula Decalogi præcepta: ergo, teste Scriptura, servari non possunt.

Probatur 3. ex Traditione. Concilium Milevitanum, quod habitum est in caussa Cælesti, hæc habet can. 5. *Quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tamquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit*. Primum Concilium Carthaginiense in Epistola Synodica ad Innocentium, quæ est 90. inter Augustinianas veteris editionis, testatur Pelagianos fuisse damnatos, quod dicerent, *in eo Dei gratiam esse deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset complere, sive naturaliter in corde scriptam, sive litteris datam*. Idem docet, eademque ratione loquitur Innocentius Papa I. in Epistola ad Patres Concilii Carthaginiensis. Idem quoque Cælestinus in Epistola ad Galliarum Episcopos.

Respondent adversarii, Scripturam, Concilia, Summos Pontifices, Patres, iis locis, in quibus asserunt, Dei mandata non posse servari sine gratia, non intelligi de præceptis

ptis Decalogi, seu quæ juris sunt naturalis, sed tantum de præceptis juris positivi divini, ut est præceptum fidei, aut saltem, si intelligantur de præceptis Decalogi, loqui eos de præceptis sumptis secundum modum, secundum quem fieri debent, hoc est, ex imperio caritatis: aut tandem de præceptis, prout eorum observatio confert ad justificationem, & ad vitam æternam consequendam.

Sed nullius momenti sunt eæ responsiones. Nam 1. Apostolus c. 3. Epistolæ ad Rom. ubi asserit, Judæos & Græcos legis reos esse, expresse loquitur de lege morali seu quæ Decalogo, aut explicite, aut implicite saltem, continetur; laudat enim hæc Prophetæ Regii verba: *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum*. 2. Synodica Concilii Carthaginiensis expressam quoque mentionem facit legis Decalogi, cum damnat Pelagium, quod contenderet, ab homine lapso & legem in corde scriptam, & legem litteris consignatam posse sine gratiæ auxilio observari. 3. Patres ad nostræ conclusionis defensionem laudati, non loquuntur solum de fidelibus, quibus observatio positivæ legis præscripta est, sed etiam de infidelibus, qui sola lege naturali tenentur: ac proinde cum definiunt, legem sine gratia servari non posse, intelliguntur præcipue de lege naturali, quæ continetur Decalogo, aut quæ ad eam reducitur. 4. Et Scriptura & Patres de ea lege loquuntur, ad cujus observationem promovendam Christus præcipue venit: atqui Christus venit præcipue, ut legis naturalis observationem promoveret, hoc est, legis illius, quam ex hominum & mente & cordibus peccatum deleverat. 5. Scriptura & Patres impossibilitatem servandi divina mandata sine gratiæ auxilio non repetunt ex supernaturalitate illorum mandatorum, sed ex infirmitate, quam homo per peccatum contraxit: ergo non loquuntur de Decalogo sumpto secundum modum, hoc est, prout aliquid confert ad vitam æternam, prout est meritoria; sed de Decalogo secundum substantiam accepto.

Solvitur argumentum desumptum ex cap. 2. Epistolæ ad Romanos.

Objicies. Mandata quæ a Gentilibus naturaliter observata sunt, possunt observari sine gratia: atqui mandata Decalogi a Gentibus naturaliter observata fuerunt; id enim expresse testatur Apostolus ad Roman. 2, ubi sic loquitur: *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*. Nec responderi potest, Apostolum loqui de gentibus ad fidem conversis: siquidem gentes ad fidem conversæ legem habent; scilicet fideles omnes per fidem & baptismum, Christi legem amplexi sunt, cum e contra gentes, de quibus agit Apostolus, sine lege fuerint: *Qui* (inquit) *legem non habent*; ergo, &c.

Resp. dist. maj. Mandata quæ a Gentilibus naturaliter observata sunt, possunt observari sine gratia, si vox illa *naturaliter* sumatur per oppositionem ad gratiam, conc. maj. si sumatur tantum per oppositionem ad solam legem scriptam, neg. maj. Hoc autem postremo sensu vocem *naturaliter* ab Apostolo sumi docet Augustinus in libro de spiritu & littera cap. 27. *Non moveat* (inquit) *quod naturaliter dixit, eos quæ legis sunt, facere: hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis*.

Instabis 1. Apostolus loquitur de gentilibus ad fidem minime conversis, seu de infidelibus: atqui infideles non habent gratiam ad servandum Decalogum requisitam, cum juxta principia S. Augustini & S. Thomæ, prima gratia sit fides, seu nulla ante fidem homini lapso gratia conferatur: ergo vox *naturaliter*, in Apostoli textu, non sumitur tantum per oppositionem ad legem scriptam, sed etiam per oppositionem ad gratiam.

Resp. neg. maj. Variis nimirum argumentis ostendi potest, Apostolum loqui de gentilibus, Christi Mediatoris fidem jam imbutis.

Primo, Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 3. docere voluit, & cap. 7. concludit, sine fide Christi omnes tam Judæos, quam Græcos sub peccato esse; omnes declinasse; omnes inutiles factos esse; in omnibus locum habere Prophetæ verba: *Sepulcrum patens est guttur eorum*, &c. at illi scopo Apostoli contraria esset sententia, qua assereretur, gentes sine fide Mediatoris, sine auxilio gratiæ, legem naturalem, seu Decalogum observasse.

2. Apostolus loquitur de legis observatione, quæ conferat ad justificationem: scilicet verbis, de quibus hic agitur, ista immediate præmittit; *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*: sed infideles non ita observant legem, ut ea observatio ad justificationem conferat: ergo loquitur de gentilibus ad fidem conversis.

3. Loquitur de operibus, quibus Deus vitam æternam in mercedem daturus est: *Qui* (inquit) *reddet unicuique secundum opera ejus, iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam .... Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco*.

4. Apostolus ad capitis calcem, eum quem dixerat, naturaliter ea quæ legis sunt, facere, vocat Judæum in abscondito, & justitiam ejus circumcisionem cordis in Spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est: At ea de Gentibus a Christo alie-

alienis, aut de illorum operibus, dici minime possunt: ergo, &c. Nec obstat, quod Apostolus dicat, gentes, de quibus loquitur, esse sine lege: *Cum enim* (inquit) *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, &c. non obstat (inquam) siquidem lex Christi non est lex scripta, sicut fuit olim lex a Moyse promulgata: tum quod præter legem naturæ, & fidem mysteriorum pauca Christus imperaverit; tum quod lex Christi magis consistat in spiritu & gratiæ donis, quibus impleantur mandata, quam in præceptis, quæ jubemur implere: unde Christus ipse nihil scripto reliquit, ea vero quæ ab Apostolis scripta sunt, ex occurrentibus tantum occasionibus, dictante Spiritu sancto, litteris consignata fuerunt.

Instabis 2. Patres textum Apostoli, de quo est quæstio, passim intelligunt de gentibus nondum ad fidem conversis: scilicet exponitur a Chrysostomo de gentibus quæ Christi adventum & Evangelicæ gratiæ tempus præcesserunt, de quibus ait quod eo majori admiratione dignæ sint, quod sine scripta aliqua lege, omnia, quæ legis sunt, executioni mandaverint. Theophylactus & auctor Commentarii in Paulum in eamdem sententiam abierunt. Hieronymus in caput 29. Ezechielis expresse eumdem Apostoli locum de idololatris exponit.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Chrysostomus locum illum intelligit de gentibus fidelibus, quæ Christi adventum præcesserunt, conc. ant. de gentibus infidelibus, neg. ant. Antequam Christus in lucem prodiret, nonnulli fuerunt extra populum Judaicum, qui explicite in Deum & implicite in Christum credentes, sine externæ legis auxilio, sed non sine gratia, legem naturalem servarunt; de iis gentibus, non autem de infidelibus, Chrysostomus Apostoli textum explicuit, id enim perspicue docent ipsa S. Doctoris verba, quæ sic habent: *Gentiles hic appellat Apostolus, non eos qui idololatræ essent, sed eos qui Deum colerent, qui naturæ legi parerent, exceptis Judaicis cæremoniis, ea tantum quæ ad pietatem conferrent, observarent; qualis erat Melchisedech cum suis omnibus, qualis erat Job, quales erant Ninivitæ, qualis erat Cornelius.* Ad 3. dicendum est, alios Patres, qui locum, de quo agitur, interpretati sunt de gentibus a Christi fide alienis, sensisse, eas gentes non omnia quæ legis sunt, sed aliqua tantum observasse, & quidem faciliora, qualia sunt, cultum parentibus impendere, reddere depositum, jus litigantibus dicere, non pejerare. Idque præsertim patet in Hieronymo, qui eo Apostoli textu utitur, ut commendet Nabuchodonosor Regem, quem constat legem naturæ permultis in capitibus infregisse. Privatis tamen Theologis non licet censuram inurere oppositum sentientibus: unde a Pio Papa V. merito proscripta fuit hæc propositio: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos, Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*: ergo, &c.

Solvuntur quædam alia Scripturæ loca.

Objicies 1. Apud Isaiam cap. 44. de Cyro, viro idololatra, prædicitur, quod omnem Dei voluntatem complebit. Cap. 46. Deus eum vocat, virum voluntatis suæ. Unde sic arguitur: Cyrus, utpote idololatra, caruit auxilio gratiæ quæ per Christum a Deo datur; atqui tamen omnia legis naturalis præcepta servavit; ex Isaia nempe omnem Dei voluntatem complevit; ergo omnia & singula præcepta legis naturalis possunt, saltem secundum substantiam, servari, sine gratia Dei per Christum.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Cyrus complevit omnem Dei voluntatem beneplaciti, conc. ant. voluntatem signi, neg. ant. Impii complent semper eam Dei voluntatem, quæ a Theologis dicitur voluntas beneplaciti, quia sive de ea cogitent, sive non cogitent, Deus per eos exequitur, quod æterno & absoluto suo decreto statuit; non implent vero voluntatem signi, hoc est, præcepta quæ sunt signum extrinsecum divinæ voluntatis. Unde Prophetiæ sensus est: *Quæ prædico & promitto de populo meo e captivitate liberando, & in terram suam reducendo, de templo & civitate restauranda, ea omnia Cyri jussu & imperio implebuntur.* Confirmatur ex eo, quod Cyrus homo fuerit idololatra, sanguinarius, & alienorum Regnorum invasor injustus, ut ex historiis patet: at perabsurdum est dictu, hominem idololatram, sanguinarium, & alienorum Regnorum invasorem servasse omnia legis naturalis, quæ ad Decalogum reducitur, præcepta.

Objicies 2. Marci 10. quidam a Domino jussus servare mandata, respondit, se ea a juventute servasse; *Hæc omnia observavi a juventute mea*: quod autem non ficte, sed vere observasset, Marcus non obscure innuit, cum hæc scribit; *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum*: Atqui vir ille gratiam non habuit: neque enim adhuc credebat in Christum: ergo omnia mandata legis naturalis possunt, saltem secundum substantiam, sine gratia servari.

Resp. 1. neg. min. Nec obstat argumentum, cum enim homo ille Judæus esset, explicita in Deum, & implicita in Christum fide imbutus erat; ac proinde potuit habere gratiam actualem, per quam Decalogi mandata servarit.

Resp. 2. dist. maj. Respondit, se a juventute servasse hæc omnia, hoc est, officia in pro-

proximum, de quibus Christus locutus fuerat: *Præcepta nosti, Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem*, conc. ant. Respondit; se servasse hæc omnia, hoc est, omnia omnino legis præcepta, neg. maj. Neque enim primum observaverat: scilicet implicatus erat amore suarum possessionum, in eisque suam ponebat fiduciam: siquidem invitatus a Christo, ut divitias suas relinqueret, non adquievit, sed (ut ait Evangelista) abiit tristis: inde vero Christus tacite eum culpans, occasionem sumpsit hanc proferendi sententiam: *Quam difficile est, confidentes in pecuniis in Regnum Dei introire*: at divitiarum amor, quo vir ille tenebatur, fiducia quam habebat in pecuniis, non choærent cum observatione primi & maximi mandati: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Nec obstat, quod *Jesus eum intuitus, dilexit eum*: non enim dilexit, quod omnia legis mandata, etiam quoad substantiam accepta servasset; sed quod de suæ salutis negotio Christum sincero ac simplici animo consuleret; *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?*

Objicies 3. Paulus adhuc sub lege, & nondum sub gratia constitutus, totam legem, ac proinde Decalogum servavit; sic enim ad Philippenses 3. de seipso loquitur: *Secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela*: Ergo tota Decalogi lex, saltem secundum substantiam, potest observari sine gratia.

Resp. dist. ant. Paulus totam legem servavit quantum ad externa officia, conc. ant. quantum ad sincerum cordis affectum, neg. ant. Neque enim tunc dilexit Deum super omnia, nec repressit prava desideria, quæ lege vetantur. Confirmatur responsio ex modo, quo Paulus ipse de sua antiqua justitia locutus est. Primæ ad Timoth. 1. dicit, se fuisse blasphemum, & contumeliosum, & se vocat primum, id est, præcipuum peccatorem. Ad Titum 3. hæc etiam habet: *Eramus aliquando & nos increduli, errantes, servientes desideriis, & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.*

Objicies 4. Vel possibilia sunt omnia & singula Decalogi præcepta, vel impossibilia. Si primum, possumus ea per solas liberi arbitrii vires observare; si secundum, infractio mandatorum non erit peccatum, cum nemo ad impossibile teneatur: ergo, &c.

Resp. omnia & singula Decalogi mandata esse possibilia; inde tamen non sequitur, posse ea servari sine Dei gratia. Ratio est, quia illud censetur, & est revera possibile, quod aut per proprias vires, aut per Dei gratiam servare possumus. Desumpta est ea solutio ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 109. art. 4. solvens idem quod nobis objicitur argumentum, quodque Pelagiani ad nauseam usque Augustino quondam objecerunt, sic loquitur: *Ad secundum ergo dicendum, quod illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi in 3. Ethic. Quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus. Unde Hieronymus confitetur, sic nostrum esse liberum arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio.* Vide quæ de eodem argumento fusius dicentur inferius, ubi expendemus an gratia sufficiens omnibus hominibus detur.

CAPUT III.

Quænam gratia requiratur ad observandum, etiam quoad substantiam, Decalogi mandata.

Not. NONNULLI scholastici contenderunt ad servanda omnia Dei mandata secundum substantiam, satis esse gratiam legis, hoc est, cognitionem præceptorum Decalogi, sive illa cognitio habeatur proprio hominis labore, sive per speciale auxilium, quo illius cognitio comparetur. Asseruerunt alii, satis esse gratiam actualem, ut omnia præcepta per totam vitam ita serventur, ut nullum, saltem per culpam lethalem, infringatur. Alii tandem docuerunt, quod licet singula præcepta, quæ pro aliquo tempore occurrunt, per gratiam actualem servari possint, omnia tamen collective sine gratia habituali per diuturnum aliquod tempus, ac præcipue per totam vitam servari non posse.

CONCL. 1. Sola gratia legis satis non est homini lapso, ut servet omnia & singula Decalogi mandata, etiam secundum solam substantiam sumpta.

Probatur 1. ex Scriptura. 1. Apostolus ad Galatas 2. sic loquitur: *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Nomine vero justitiæ eo loci intelligitur observatio mandatorum, juxta illud Scripturæ: *Qui facit justitiam, justus est*; unde Apostoli sensus est: Si homo lapsus possit ope solius legis se innocentem custodire per observationem mandatorum, gratis, hoc est, incassum Christus mortuus est. 2. Tantum abest ut lex, si sola detur, satis sit ad observationem mandatorum, quin e contra (sed per accidens) prævaricationem inferat; unde ad Rom. 5. hæc habet Apostolus: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum*. Hæc etiam ad Corinth. 15. *Virtus vero peccati lex*. Hæc quoque ad Rom. 7. *Occasione accepta, peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam: sine lege peccatum in me mortuum erat, sed cum venit mandatum, peccatum revixit. Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit.*

Qua vero ratione fiat, ut lex, seu cognitio mandati, reos potius efficiat, quam innocen-

nocentes, exponit Augustinus in libro de spiritu & littera, ubi scribit, id contingere, quod ea sit corrupta, superbaque voluntatis conditio, ut in prohibita promptius, & suavius feratur, propriæ libertatis amans, ac cujusvis subjectionis impatiens; juxta illud Poetæ: *Nitimur in vetitum, volumus, cupimusque negata.* Ex eodem Augustino, se habet concupiscentia, cum per legem premitur, sicut aqua cui obex opponitur: quemadmodum ergo impetus aquæ, vehementior fit obice posito, & tandem superato obice violentius per prona devolvitur: ita concupiscentia, lege obicis adinstar posita, vires colligit, & majori cum impetu fertur ad ea, quæ per legem vetantur.

Probatur 2. ex traditione. Pelagius ad mandatorum observationem, legem requirebat: tamen damnatus est ab Ecclesia Catholica: ergo Ecclesiæ persuasum fuit, legem satis non esse ad observationem mandatorum. Antecedens expresse asseritur ab Augustino libro 4. ad Bonifacium capite 5. in libro de gratia Christi, in libro de Spiritu & littera, & in omnibus fere operibus, quæ adversus Pelagianos ab eo conscripta sunt. Idem ostendi potest ex omnibus Conciliis, quæ quinto sæculo contra Pelagianos & Semipelagianos habita sunt. Instar omnium sit Carthaginiense secundum, canone 4. ubi definitur, per gratiam nobis præstari, *ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus*. His consonat canon ultimus Concilii Arausicani secundi, quo asseritur, Deum nobis fidem & amorem sui prius inspirare, ut cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Ex iis textibus patet, præter mandati cognitionem, præter gratiam legis, ad observationem mandatorum requiri gratiam voluntatis, quæ non aliud est, quam interna subministratio spiritus, quam Dei amor quem ipse Deus nobis inspirat.

CONCL. 2. Gratia actualis satis est ad servanda omnia præcepta collective; etiam per diuturnum aliquod tempus. Est contra plures Thomistas.

Probatur 1. Cum Patres contra Pelagianos docuerunt, gratiam requiri ad servanda Dei mandata, de sola gratia actuali locuti sunt, ut de Pelagiana hæresi disserentes, ostendunt Theologi. 2. Satis est gratia actualis, ut omnes concupiscentiæ motus comprimantur. 3. Gratia actualis posita est in inspiratione suavitatis & amoris: atqui suavitas illa, amor ille, quoties amori terreno, delectationi, concupiscentiæ carnali præponderant, toties effectum suum consequuntur, hoc est, voluntatem determinant ad bonum agendum, & ad declinandum peccatum.

Objicies 1. Concilia, in quibus Pelagianus error damnatus fuit, definierunt, gratiam qua justificamur, requiri ad observationem mandatorum; ita enim loquitur Milevitanum, can. 3. atqui gratia qua justificamur, est gratia habitualis; scilicet actualis præparat tantum ad justificationnem: ergo ad observanda omnia collective præcepta Decalogi, etiam quoad solam substantiam sumpta, satis non est gratia actualis, sed præterea habitualis requiritur.

Resp. dist. maj. Concilia, in quibus Pelagianus error damnatus fuit, definierunt, gratiam qua justificamur dispositive, requiri ad observationem mandatorum, conc. maj. qua justificamur formaliter, hoc est, quæ sit justificationis forma, neg. maj. Ratio est, quia Pelagiani contendebant gratiam qua ad justificationem præparamur, non esse necessariam ad singulos pietatis actus; asserebant enim satis esse liberum arbitrium adjutum auxilio legis; ac proinde quando Concilia definierunt, ad mandatorum observationem requiri gratiam, qua justificamur, verbis illis, *qua justificamur*, non intellexerunt gratiam quæ sit forma justificationis, sed gratiam quæ ad justificationem disponat.

Objicies 2. Ut quis omnia Decalogi mandata per diuturnum aliquod tempus observet, necesse est, ut per totum illud tempus Deus ipsi conferat auxilia efficacia, quæ ad bonum, quod præcipitur, agendum, & ad declinandum malum, quod prohibetur, requiruntur: atqui homini jacenti in peccato mortali Deus tot tantaque auxilia conferre non solet; alioquin enim Deus in suo agendi modo non distingueret amicos suos a suis inimicis.

Resp. conc. maj. dist. min. Deus homini jacenti in peccato mortali, tot tantaque auxilia non confert, si homo ille non tantum sit in reatu peccati mortalis, sed etiam in ejus affectu, conc. min. si sit quidem in illius reatu, & non sit in illius affectu, neg. min. Fatemur equidem requiri ut homo non sit in affectu peccati mortalis, ut per diuturnum tempus totam legem observet: at non requiritur, ut non sit in reatu peccati mortalis, hoc est, necesse est quidem, ut peccatum suum non amet, sed non est necesse, ut peccati culpa ei jam dimissa sit. Homini non habenti affectum ad peccatum, Deus pro divinæ suæ sapientiæ dispositione, auxilia ad observationem legis requisita, conferre solet, etiamsi in reatu peccati versetur: id nimirum persuasum fuit majoribus nostris, qui lapsos in gravia crimina, non nisi expletis in pœnitentia pluribus annis absolvebant: si enim censuissent, ad mandatorum observationem per longius illud spatium, requiri gratiam habitualem, tandiu absolutionem, qua gratia habitualis confertur, nequaquam distulissent.

CAPUT IV.

Utrum gratia homini lapso sit necessaria ad Deum diligendum.

Not. DEUS considerari potest, vel tamquam auctor naturæ, vel tamquam auctor gratiæ. Priori modo consideratus, est auctor & largitor bonorum, quæ creaturæ in suo esse naturali consideratæ conveniunt; altero vero modo spectatus, est auctor & largitor bonorum, quæ creaturam promovent ad finem, qui illius naturam excedit. Conveniunt omnes Theologi hominem propriis viribus non posse Deum diligere tamquam auctorem gratiæ, quia creatura nullam cum Deo sic considerato proportionem habet; unde quæstio est hic solum de dilectione Dei, ut auctoris naturæ, seu quæritur, utrum homo lapsus, sine gratia, Deum ut auctorem naturæ diligere possit.

Not. 2. Circa eam quæstionem triplex est auctorum sententia. Scotus, Durandus, & Ludovicus Molina contendunt hominem lapsum posse sine auxilio gratiæ Deum, ut auctorem naturæ, etiam super omnia diligere. Estius, Sylvius, & plures alii docent, Deus ab eodem homine lapso amari posse sine gratia, amore qui non sit super omnia, sed qui in quadam tantum bona in Deum affectione positus sit. Bellarminus cui non pauci præiverunt, quemque postea multi secuti sunt, asserit, non posse Deum sine gratia diligi, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfecte, neque imperfecte ullo modo.

CONCL. Homo lapsus, sine gratia nullo modo potest diligere Deum, etiam ut auctorem naturæ.

Probatur 1. ex Scriptura. Amor hominis in Deum, in Scripturis non homini, sed DEO tribuitur: Ad Romanos 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. 1. Joannis 4. *Caritas ex Deo est*. Ad Ephes. 6. *Pax fratribus, & caritas cum fide a Deo Patre*. Ad Galatas 5. *Fructus Spiritus est caritas, gaudium*, &c. Unde sic arguitur. Si Deus, sive ut auctor gratiæ, aliquo modo sine gratia diligi posset, caritas hominis in Deum non esset donum Dei; neque enim ea quæ sunt ex propriis viribus, dicuntur Dei dona nisi abusive, ut olim apud Pelagianos: atqui ex Scripturis, caritas hominis in Deum est donum Dei: ergo Deus nullo modo diligi potest sine gratia.

Respondent adversarii, 1. ea Scripturæ loca intelligi, aut de amore Dei, tamquam auctoris bonorum supernaturalium, aut de amore qui non sit super omnia, non autem de amore Dei tamquam auctoris naturæ, aut de amore Dei, qui non sit super omnia.

Sed vanæ sunt eæ responsiones. Nam 1. absolutæ sunt laudatæ ex Scriptura sententiæ, & simpliciter, ac sine nulla restrictione affirmant, hominis in Deum amorem esse donum Dei: ergo cum Deus tamquam auctor naturæ vere sit Deus, sententiæ illæ non minus intelligi debent de amore Dei ut auctoris naturæ, quam de amore Dei ut auctoris gratiæ. 2. Implere Dei legem est Dei donum; neque enim (ut capite superiori ostensum est) lex, seu Decalogus, impleri potest sine gratia: atqui implere legem, seu Decalogum, est, non tantum diligere proximum, sed etiam Deum ut auctorem naturæ: nimirum Decalogus cum sit lex naturalis, præcipit dilectionem Dei ut auctoris naturæ: ergo dilectio Dei, etiam ut auctoris naturæ, est Dei donum. 3. Amor quo proximus diligitur est Dei donum, juxta illud 1. Joannis 4. *Si diligamus invicem, caritas Dei in nobis perfecta est*: ergo etiam & amor quo Deus ut auctor naturæ diligitur. 4. Si perfecta caritas ex Deo sit, ab eo etiam erit imperfecta: nam cujus rei est perfectio, illius est etiam inchoatio; ac proinde si amor quo Deus ut auctor naturæ super omnia diligitur, est Dei donum, amor quo non super omnia diligitur, seu quo quis incipit bene erga illum affectus esse, erit quoque donum Dei: *Nec initium ejus* (inquit Augustinus lib. 2. ad Bonifacium, c. 9.) *ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: sed si caritas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in ejus donis nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia ejus præveniet me.*

Probatur 2. ex Conciliis. Hæc habet Milevitanum canone 4. *Utrumque Dei donum est, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus*: ergo ea diligere, quæ ad decalogum pertinent, donum Dei est. Hæc etiam habet Arausicanum II. canone 25. *Prorsus Dei donum est diligere Deum*. Non distinguit Concilium inter amorem Dei ut auctoris naturæ, & inter amorem Dei ut auctoris gratiæ; sed indistincte loquitur de omnibus respectibus, sub quibus amari potest. Idem Concilium non loquitur tantum de amore perfecto, sed de omni amore; indefinitis enim, ac proinde universalibus terminis utitur: *Prorsus Dei donum est diligere Deum*. Præterea in eodem canone 25. definitur, ipsam etiam dilectionem quæ movet ad quærendum baptisma, quæ haud dubie est inchoata tantum & imperfecta dilectio, Dei donum esse. *Hoc etiam* (inquit) *salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus.*

Pro-

Probatur 3. ex Augustino. Sanctus Doctor in epistola ad Vitalem, hæc habet: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Eo in loco Sanctus Doctor non distinguit respectus varios, sub quibus homo post peccatum Deum propriis viribus diligere & non diligere possit, sed simpliciter affirmat eum diligi non posse. Præterea, si Deus sub aliquo respectu consideratus ut auctor naturæ, v. g. propriis viribus diligi posset ab homine lapso, falsa esset Augustini propositio; nempe idem de illa propositione ferri deberet judicium, ac de ista: *Intellectus hominis per peccatum lapsi non potest propriis viribus* DEUM *cognoscere*: at hæc propositio falsa est, eo quod licet intellectus hominis lapsi non possit propriis viribus DEUM ut auctorem gratiæ cognoscere, possit tamen eum cognoscere ut est auctor naturæ.

Idem Sanctus Doctor sic etiam loquitur lib. 4. contra Julianum, cap. 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo*. Ne quis vero amorem illum interpretetur de amore Dei ut auctoris gratiæ, obstant quæ sequuntur: *Per hunc amorem* CREATORIS *bene quisque utitur creaturis: sine hoc amore* CREATORIS *nemo bene utitur creaturis*.

In libro de gratia & libero arbitrio, capit. 16. inchoatam dilectionem, per quam impetremus robustiorem, qua fiat, ut mandata servemus, non libero hominis arbitrio, sed speciali Dei dono tribuit: *Et quis istam* (inquit) *quamvis parvam dare cœperit caritatem nisi qui præparat voluntatem?* Idem S. Doctor eodem in capite ad hoc totam Ecclesiæ cum Pelagianis quæstionem reducit, ut Dei dilectio a Deo sit, non a nobis: *Si non ex Deo* (ait) *sed ex hominibus est dilectio Dei & proximi, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*.

Nec valet, quod adversarii respondent, Augustinum loqui de dilectione Dei, ut auctoris supernaturalis: Non valet (inquam) eo quod Pelagiani ultro faterentur, Deum, ut auctorem supernaturalem, ab homine sibi relicto diligi non posse; cum enim essent acutissimi, facile videre poterant disproportionem, quæ reperitur inter hominis naturam, & Deum auctorem supernaturalem, hoc est, excedentem humanæ mentis, & creati cordis operationem. Addendum est, mirum esse, cur, cum, ex adversariis, sola inter Ecclesiam & Pelagianos quæstio esset de amore Dei, ut auctoris supernaturalis, Augustinus nullibi statum illum quæstionis proposuerit: sed hominis adinstar, cui persuasum esset Deum, nec ut auctorem naturæ, sine gratia diligi posse, semper in polemicis suis disputationibus absolute, simpliciter, ac sine distinctione, aut restrictione locutus fuerit.

Probatur 4. variis rationibus theologicis. 1. Dilectio Dei, saltem super omnia, est humanæ voluntatis actus perfectissimus: ergo ab homine lapso servari non potest; neque enim infirmus eadem potest, quæ sanus. 2. Actus dilectionis Dei super omnia, præparat ad justificationem, cum (ut supponitur) sit castus, hoc est, amor Dei propter ipsum Deum. 3. Amor Dei, etiam ut auctoris naturæ, super omnia, includit odium omnium vitiorum, amorem omnium virtutum; excludit enim affectum ad peccatum, & includit firmum exactæ vitæ ad rationis regulas propositum: at amor qui ea omnia includat, sine gratia haberi non potest; alioquin tota lex naturalis sine gratiæ auxilio, tum quoad substantiam, tum quoad modum, servari posset. 4. Homo ille qui Deum tamquam auctorem naturæ super omnia diligeret, mori posset, antequam fidem fuisset edoctus, ac proinde antequam initiatus fuisset baptismate: homo autem ille, vel damnaretur, vel salvaretur: si primum, dicendum esset, hominem, qui Deum ut auctorem naturæ super omnia diligeret, quique in ea voluntate per totam æternitatem permansurus esset, damnandum esse. Si secundum, dicendum foret, hominem sine gratia, sine fide, posse æternam consequi salutem: sed hæc perabsurda sunt: ergo, &c.

Objicies 1. Homo per peccatum lapsus, potest viribus propriis creaturam aliquam super omnia diligere, ita ut pro ea vitam suam profundat: ergo a fortiori potest propriis viribus Deum super omnia diligere, cum longe sit amabilior quacumque creatura, immo creaturis omnibus etiam collective sumptis.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est 1. quia humana voluntas per peccatum corrupta amore, veluti addito sibi pondere, ad infima, seu ad bonum commutabile, conversa est; ac proinde non nisi per alium amorem ad summum bonum converti potest. 2. Amor Dei super omnia multo plura includit, quam amor creaturæ super omnia; includit enim propositum servandi omnia mandata, & odium omnium vitiorum: at nec illud propositum, nec illud odium includit amor creaturæ, etiam si sit super omnia; stare nimirum potest cum consensu, quem voluntas præbeat concupiscentiis, quæ adversus proximum minime pugnant.

Objicies 2. Homo naturalem habet inclinationem ad amandum Deum; amore enim naturali fertur ad summum bonum: atqui propriis viribus potest exequi id, ad quod naturaliter propendet: ergo &c.

Resp. 1. hominis stantis, non autem lapsi, esse inclinationem illam, cujus meminit argumentum; per peccatum enim voluntas in deterius mutata, non ad aliud propendet, quam ad sui & creaturarum dominantem amo-

amorem. Resp. 2. dato ant. neg. conseq. Ratio est, quia voluntas tantam per peccatum infirmitatem contraxit, ut inclinationi ad summum bonum obtemperare non possit, nisi per gratiam tollatur pondus, quo fertur ad commutabile bonum. Præterea se habet in hoc statu voluntas respectu summi boni, sicut infirmus, respectu alicujus operis quod solum hominem sanum deceat: ergo quemadmodum infirmus, licet opus illud desideret, ipsum tamen, nisi sanetur, exequi non potest; ita nec homo lapsus potest propensionem ad Deum, si quam tamen habeat, ad actum secundum reducere, nisi prius vires per Dei gratiam receperit.

Objicies 3. Intellectus hominis lapsi cognoscit propriis viribus Deum, ut est auctor naturæ, esse super omnia diligendum, cum cognoscat, eum esse summum bonum: ergo illius voluntas potest sic eum amare; id enim omne per naturæ vires potest voluntas respectu boni, quod intellectus respectu veri.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ratio est, quia (ut ait Sanctus Thomas) humana natura magis est corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri: nec mirum; voluntas enim in primo parente magis contulit ad peccatum, quam intellectus, in quo nullus error ante lapsum esse potuit.

Instabis. Intellectus, etiam per peccatum debilitatus, potest propriis viribus ferre hoc judicium practicum: *Deus hic & nunc est super omnia diligendus:* voluntas autem semper sequitur ultimum judicium practicum intellectus, quia illud judicium voluntati proponitur, tanquam melius & utilius bonum: unde sic arguitur: Voluntas propriis viribus semper operatur ad ultimum judicium practicum intellectus: atqui ultimum judicium practicum intellectus est (ut supponitur) de Deo hic & nunc super omnia diligendo: ergo voluntas potest propriis viribus Deum super omnia diligere.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia illud est discrimen inter judicium universale, seu quo intellectus judicat in genere, Deum esse amandum; & inter ultimum judicium practicum, seu quo judicat, eum hic & nunc esse amandum, quod ad universale illud judicium sola evidentia objecti concurrat: at vero ad ultimum judicium practicum voluntas concurrit, immo intellectum ad illud ferendum determinat: illud enim judicium semper est conforme inclinationi voluntatis: unde cum inclinatio voluntatis per peccatum corruptæ feratur ad fruitionem creaturarum, non potest, nisi per gratiam sanetur, intellectum movere ac determinare ad ferendum practicum illud judicium de quo agitur.

Objicies 4. Datur aliquis Dei amor naturalis: ergo Deus amari potest sine gratia.

Resp. dist. ant. Datur aliquis Dei amor naturalis secundum objectum, conc. ant. Deus enim amari potest & debet, prout est auctor naturæ; secundum principium, & secundum modum, neg. ant. Hincque patet, quam merito Pius Papa V. hanc propositionem damnaverit: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris & pluribus veterum testimoniis excogitata.*

Objicies 5. Datur, saltem imperfectus, Dei amor, qui non sit ex gratia: siquidem datur amor Dei, qui non sit, *sicut oportet:* si enim non daretur Dei amor qui non sit *sicut oportet*, Concilia & Patres, cum loquuntur de amore, qui ex gratia proficiscitur, immerito addidissent hæc verba, *sicut oportet:* nempe omnis amor esset *sicut oportet:* ergo, &c.

Resp. verum esse, Patres cum de Dei amore, qui ex gratia proficiscitur, locuti sunt, addidisse hæc, *sicut oportet:* id nimirum constat ex canone 3. sess. 6. Concilii Tridentini, ex canone 6. & 25. Concilii secundi Arausicani, & ex variis Augustini locis: sed non ideo, aut Concilii Tridentini, aut Concilii Arausicani Patres ea loquendi formula usi sunt, ut innuerent, aliquem esse verum Dei amorem, qui sit ex viribus naturæ; sed ut verum Dei amorem ab amore spurio distinguerent, hoc est, ab amore, quo Deus non ultimo propter se, sed propter bona temporalia diligitur, quo uno amore dilectus est a Judæis omnino carnalibus.

Id vero colligi potest ex variis textibus Augustini, ex quo Patres Concilii Arausicani secundi, & Tridentini suam non modo doctrinam, sed & suum loquendi modum desumpsere. *Omnis itaque præcepti finis* (ait S. Doctor in Enchiridio ad Laurentium, cap. 121.) *est caritas, id est, ad caritatem refertur omne præceptum. Quod vero ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit* quemadmodum fieri oportet, *quamvis fieri videatur.* Eamdem limitationem S. Doctor aliis terminis exprimit; istis nimirum utitur lib. de correp. & gratia, cap. 2. *Agere sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione.* Hac alia adhibet l. 1. ad Bonifacium, c. 9. *Bonum bene facere.* Ista quoque usurpat lib. 21. de Civit. Dei, cap. 16. *Veraciter atque sinceriter.*

His præmissis, ad argumentum respondemus, ad 1. neg. ant. ad 2. neg. maj. Ideo enim & Concilia & Patres limitationem hanc: *sicut oportet*, addiderunt, ut ex amore casto, quem

quem asserebant elici ex gratiæ auxilio, excluderent amorem non castum, qui ultimo ad bona temporalia refertur, quique tantum abest, ut sit Dei fruitio, quin potius sit illius usus; hoc est, in eo amore homo Deo non fruitur, sed eo utitur, ut creaturis fruatur. Amore illo non casto & carnali, in speciem quidem, seu secundum externum corticem, præcepta servantur; sed vere & coram Deo non servantur: id enim expresse testatur Augustinus lib. 3. ad Bonifacium, cap. 4. ubi sic de veteris testamenti filiis loquitur: *Illi etiam, quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicetur, terrena promissa spectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significent, ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta servabant, immo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, proculdubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit: magis enim vult omnino non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus. Tales erant filii terrenæ Jerusalem, de qua dicit Apostolus: servit enim cum filiis suis, pertinens ad Testamentum vetus in monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Ex ipso genere fuerunt, qui Dominum crucifixerunt, & in eadem infidelitate manserunt.* Eodem spectant, quæ idem Sanctus Doctor in reliqua parte ejusdem capitis quarti fuse differit.

CAPUT V.

Utrum gratia sit homini lapso necessaria ad tentationes superandas.

Not. 1. Theologi tentationem dividunt in levem & gravem. Prior, levis est quædam titillatio ad malum, cujuscumque speciei sit malum illud. Altera est, quæ multum movet ad peccatum, ut cum magna intentatur pœna legem observanti, aut cum voluntas vehementi indeliberata delectatione ad actum legi contrarium excitatur.

Not. 2. Utraque tentatio, sive levis, sive gravis, tribus modis superari potest; nimirum superari potest ex amore Dei, & incommutabilis justitiæ; aut ex amore boni honesti; aut tandem ex amore boni alicujus commutabilis. Superatur ex amore Dei, cum lex non infringitur, ne Deus, a quo lata est, offendatur. Superatur ex motivo boni honesti, cum lex non infringitur, eo quod illius infractio repugnet rationis dictamini. Superatur tandem ex amore boni commutabilis, cum vincitur ex amore boni jucundi, aut alterius alicujus cupiditatis.

Not. 3. Cum ex iis quæ capite præcedenti dicta sunt, certum sit, Deum nullo modo, sive perfecte, sive imperfecte, sive tanquam auctorem naturæ, sive tanquam auctorem gratiæ, ab homine lapso posse sine speciali per Christum auxilio diligi, certum quoque esse debet, nullam omnino tentationem, sive gravem, sive levem, ex amoris divini motivo posse sine gratia superari. In iis qui gratia caruerint, is tentationem superandi modus locum non habet, de quo hæc habet Augustinus l. 21. de Civitate Dei cap. 16. *Tunc itaque vitia victa deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur: quem nisi Deus ipse donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum.*

Not. 4. Non minus exploratum est, tentationem aliquam posse sine gratia superari ex amore, seu cupiditate boni alicujus commutabilis, ita ut vincens non vincat, nisi alteri tentationi succumbendo. Is enim qui ejusmodi victoriam reportat, *In vulnera* (ait Prosper in Carmine de Ingratis) *vulnere surgit*, hoc est unum peccatum vincit altero peccato: at ad peccandum nulla gratia requiritur. De ea victoriæ specie Augustinus agit variis in locis; hæc de ea habet lib. 21. de Civit. Dei cap. 26. *Nonnunquam sana apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes.*

Not. 5. Tota igitur hujusce capitis quinti difficultas in eo posita est, an homo lapsus possit sine gratia per Christum aliquam sive levem, sive gravem tentationem ex amore boni honesti superare. Circa autem eam difficultatem tres sunt scholasticorum sententiæ. Prima, quæ est Toleti, Bellarmini, Vasquesii, & plurium aliorum, sive intra scholam S. Thomæ, sive extra, docet, nullam omnino tentationem, cujuscumque sit generis, quantumcumque sit aut levis, aut gravis, posse sine gratia ex amore boni honesti ab homine lapso superari. Sylvius, Estius, & alii plures asserunt, hominem in hoc corruptionis statu constitutum, levem aliquam tentationem, non autem gravem, ex solo odio peccati, & ex solo amore boni honesti, posse sine gratia per Christum superare. Quid nos de ea controversia sentiamus, conclusio subsequens aperiet.

CONCLUSIO. Nulla omnino tentatio, etiam ex solo amore boni honesti, potest sine gratia ab homine lapso superari.

Nostram conclusionem probant Scriptura, Concilia, Summi Pontifices, Patres, & Ratio.

Proferuntur Scripturæ testimonia.

Scriptura victoriam ex tentatione Deo, non hominibus, adscribit: *Inde* (ait Rex Propheta Psal. 15.) *eripit a tentatione*. Ps. 117. *Impulsus, eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me*. Sap. 8. *Nemo potest esse continens*, hoc est, superare concupiscen-

piscentiæ motum, qui ad incontinentiam pellicit, *nisi Deus det*.

Cum Apostolus ad Rom. 8. enumerasset tentationes, quæ ex variis caussis occurunt, sic loquitur: *Sed in omnibus superamus propter eum*, vel (ut legit Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 23.) *per eum qui dilexit nos*. Matth. 6. jubemur orare ad obtinendam ex tentatione victoriam: *Et ne nos inducas in tentationem*: ergo credimus victoriam ex tentationibus a Deo esse: *Ipsa igitur oratio* (inquit August. Epist. 95.) *clarissima est gratiæ testificatio*: unde in iis omnibus operibus, quæ contra Pelagianos & Semipelagianos exaravit, utitur argumento ex oratione petito, ut gratiæ necessitatem adstruat: *Cur* (inquit in libro de dono perseverantiæ cap. 20.) *perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An & illa irrisoria est petitio, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non dante, esse in hominis potestate?*

Primæ ad Corint. 14. Apostolus Deo gratias agit propter relatam ex tentationibus victoriam: *Deo gratias qui semper triumphat nos in Christo Jesu*: at ex gratiarum actione invicte concluditur necessitas gratiæ ad superandam tentationem: *Sicut* (ait ibidem Augustinus) *irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit: sed quod ibi dixi, hæc & hic dico, Nolite errare (inquit Apostolus) Deus non irridetur*.

Ex iis autem locis sic argumentum conficitur: Ad id necessaria est gratia per Christum, quod est donum: atqui victoria ex tentatione est Dei donum: illud enim est Dei donum, quod a Deo petere præcipimur, & propter quod jubemur Deo gratias agere: sed victoriam ex tentatione præcipimur a Deo petere; a Christo nimirum jussi sumus hanc orationem fundere: *Ne nos inducas in tentationem*: jussi quoque sumus propter relatam ex tentationibus victoriam Deo gratias agere: ergo, &c.

Respondent ex adversariis aliqui, hac orationis Dominicæ petitione: *Ne nos inducas in tentationem*, petere nos victoriam gravium, non autem levium tentationum.

Verum falsa est illa responsio. Nam 1. Christus inter gravem & levem tentationem non distinxit, cum a Christianis voluit recitari hanc orationis Dominicæ petitionem: *Ne nos inducas in tentationem*: 2. Ea orationis Dominicæ parte poscimus, ut a quotidianis tentationibus liberemur; quippe nimirum justi quotidie eam orationis Dominicæ partem sincere ac humiliter recitant: at quotidianæ tentationes non sunt semper, in justis præsertim, tentationes graves; ergo non gravium tantum, sed etiam levissimarum tentationum victoriam a Deo petimus. 3. Regula est apud Logicos certa, terminos indefinitos æquivalere universalibus: ergo vox hæc *Tentatio*, cum sit indefinita, hoc est, cum nullo termino particulari restricta sit, æquivalet voci cui appositus est terminus universalis, *Omnis*, ac proinde petitio hæc: *Ne nos inducas in tentationem*, de omni omnino tentatione intelligitur. 4. cum Augustinus sic loquitur, *Gratiæ Dei deputo quæcumque non feci mala*, nullam, ne minimam quidem, tentationem excipit, pro qua superata Deo gratias non egerit: nullam igitur excipit, pro cujus victoria non oraverit.

Respondent alii, inter quos Estius, his verbis orationis Dominicæ, *Ne nos inducas in tentationem*, peti quidem etiam levium tentationum victoria, sed quæ ex motivo caritatis habetur, & ad vitam æternam proficiat; non autem quæ fit ex fine honesto; hoc est, quæ a ratione imperetur, & quæ nihil omnino conferat, ut quis vitam æternam adipiscatur.

Sed stare non potest ea solutio. Nam 1. si hæc petitio, *Ne nos inducas in tentationem*, de ea tantum victoria intelligeretur, quæ habetur ex caritate, extendi non deberet ad gravium tentationum victoriam, quæ non haberetur ex motivo caritatis, quæque ad æternam salutem non prodesset. Sed hoc dici non potest: alioquin enim sequeretur, graves illas tentationes vinci posse sine gratia, quod tamen Estius negat: sequeretur quoque, totam legem naturalem, saltem quoad substantiam, posse sine gratia servari: nihil enim in lege naturali, quoad substantiam sumpta, difficilius est, quam vincere, etiam ex solo honesto fine, omnes graves tentationes, quibus identidem in hac vita premimur. 3. Eam omnem victoriam petimus, qua efficiatur, ne tentatione superemur, & ne infringamus præceptum, contra quod tentamur: atqui (saltem ex adversariis) victoria ex solo honesto fine, seu absque auxilio fidei quæ per dilectionem operatur, efficit, ne tentatione superemur, & ne infringamus præceptum, contra quod tentamur: ergo non eam tantum victoriam petimus, quæ fit ex caritate, sed & eam, per quam præceptum, saltem secundum substantiam, observemus. 4. Scripturæ asserunt, quod ubi Deus faciem suam a nobis averterit, hoc est, quod ubi desierint roborare nos gratia sua, a tentatione vincamur: *Ego dixi* (ait Rex Propheta Ps. 29.) *in abundantia mea, Non movebor in æternum: Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus*: ergo sine gratia nulla omnino victoria reportatur, cum is qui gratia destitutus sit, fiat conturbatus, hoc est, incidat in peccatum, ad quod per tentationem alliciebatur.

Pro-

Proferuntur testimonia Conciliorum.

Palæstina Synodus Pelagium damnavit, quod vellet, tentationes sine gratia per Christum posse superari. *Unde fit consequens* (ait Augustinus Epist. 106.) *ut quisquis sequitur illius Episcopalis auctoritatem judicii, fateatur, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei, nostram provenire victoriam.*

Concilium Milevitanum, quod in caussa Pelagii habitum est, & cui Augustinus interfuit, contra Pelagianos urget argumentum, quod ex oratione Dominica superius urgebamus. Concilium Carthaginiense in eadem Pelagii caussa habitum, eodem utitur argumento.

Concilium Arausicanum II. quod adversus Semipelagianos habitum est, hæc habet canone 9. *Divini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros falsitate & injustitia continemus*: continere autem pedes a falsitate & injustitia, nihil aliud est, quam superare, quæ occurrunt, tentationes.

Ex iis Conciliorum textibus sic argumentum conficitur. Ad id opus est gratia, quod non ex propria voluntate, sed ex adjutorio Dei provenit; quod non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; quod a Deo non petimus frustra; quod jussi sumus a Domino postulare; quod divini est muneris: atqui (ut patet ex allatis Conciliorum textibus) victoria tentationum ex Deo provenit; non est volentis neque currentis; a Deo oratione frustra non petitur; divini est muneris: ergo, &c.

Nec valet Sylvii responsio contendentis, victoriam tentationum ex fine morali honesto dici divini esse muneris, ex adjutorio Dei tamquam primi agentis & primi moventis in omnibus omnino liberi arbitrii actibus, aut removentis tentationum occasiones. Non valet (inquam) siquidem 1. illud Dei tamquam primi agentis & primi moventis adjutorium Pelagius admittebat ad victoriam tentationum: & tamen illius de victoria tentationum systema damnatum fuit in Synodo Diospolitana. 2. Quoties Patres asserunt, Dei ajutorium requiri, intelligi debent de adjutorio alio ab eo quod ad communia opera necessarium est; hoc est, intelligi debent de speciali adjutorio, quod non tantum ex dono Creatoris, sed etiam ex merito Salvatoris, nobis confertur: *Abjiciatur* (inquit Augustinus in Epistola ad Sixtum) *a Christianorum cordibus ista fallacia: nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus.* Non valet quoque responsum Estii contendentis, allatos Conciliorum textus intelligi de victoria, quæ ad salutem conferat. Nam 1. omnis ex tentationibus victoria, in eo saltem prodest, quod impediat, ne peccati contra legem commissi rei constituamur. 2. Absoluti & generales sunt termini, quibus utuntur laudata Concilia, nec in iis vel minimus est apex, quo Estii exceptio nitatur. 3. Eadem Concilia gratiæ necessitatem repetunt ex difficultate superandi tentationes, & ex infirmitate humanæ voluntatis per peccatum lapsæ: at ea difficultas, et infirmitas, locum habent etiam respectu victoriæ, quæ non ex supernaturali motivo, sed etiam ex motivo honesto ordinis naturalis, ex tentationibus referatur. 4. Quæstio erat inter Pelagium & Ecclesiam Catholicam, cujus nomine laudata Concilia loquebantur, de observatione mandatorum Decalogi, non tantum secundum supernaturalitatis modum, sed etiam secundum substantiam, ita ut voluerint Patres, mandata illa, etiam secundum se sumpta, hoc est, prout actus quosdam & officia præscribunt, servari non posse sine Dei gratia: ergo intelligi debent de tentationum victoria, qua non tantum secundum modum, sed etiam secundum substantiam serventur præcepta, adversus quæ homo lapsus tentatur.

Proferuntur testimonia Summorum Pontificum

Innocentius Papa I. in suo rescripto ad Concilium Carthaginiense, a quo relata ad ipsum fuerant, quæ adversus Pelagii doctrinam in Africa statuta fuerant, sic loquitur: *Quotidiana præstat ille remedia sine quibus nullatenus vincere poterimus errores.* Addit, deficientibus illis remediis, quæ non aliud sunt, quam divina gratia, hominem tentatum vinci semper ac superari: *Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Idem repetit rescribens ad Milevitanum Concilium: *Gratia privatus* (inquit) *necesse est in Diaboli laqueis irretitus occumbat.*

Eo textu Innocentius præclusit effugia omnia, quibus Estius, Sylvius, & alii recentiores utuntur. Nam 1. de omnibus tentationibus, nulla adhibita exceptione, loquitur: proindeque vult gratiam ad levium etiam tentationum victoriam requiri. 2. Aperte docet, necessario necessitate tamen cui voluntas dedit locum, quamque amat ac diligit, hominem non adjutum gratia, superari qua urgetur tentatione. Ergo rejecit eam etiam victoriam, quæ licet non ex caritate, est tamen (ut volunt Estius & Sylvius) ex motivo naturali honesto: qui enim, si gratiam non habeat, necessario, hoc est, infallibiliter, cadit, victoriam ex honesto fine, etiam naturali, non reportat.

Zosimus Papa qui Innocentio proxime successit, in Epistola, cujus meminit Cælestinus,

nus, ad Gallos scribens cap. 9. docet, præsumptionis reum esse, qui sibi quidquam in superandis tentationibus tribuerit: At, in Estii & Sylvii systemate, tempus esset aliquod, quo Dei auxilio non indigeremus, cum nempe levi pulsaremur tentatione; nonnihil de se præsumeret humana natura, tentationum nempe victoriam, non ex caritate quidem, sed ex motivo honesto, quod sit ordinis naturalis.

Cælestinus Papa in Epistola ad Galliarum Episcopos, aut saltem auctor auctoritatum, quæ ad illius Epistolæ calcem leguntur, non alia ratione, quam mox laudati Pontifices, loquitur: *Neminum* (inquit cap. 6.) *etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evitandas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit*. At id falsum esset in adversariorum suppositione: scilicet leves diaboli insidiæ, ex motivo honesto naturali, sine gratia superarentur, absque quotidiano adjutorio evitarentur leves carnis concupiscentiæ: quod tamen expresse negat auctor Capituli.

Proferuntur testimonia Patrum.

Cyprianus apud Augustinum in lib. de bono perseverantiæ cap. 6. sic loquitur: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe, arroganterque aliquid assumat*. Paullo post sic prosequitur: *Deum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur*. Quærant adversarii in illo loco distinctionem, quam fingunt, tentationis gravis & levis. Ostendant, Cyprianum excipere victoriam ex honesto naturali motivo relatam. Nonne e contra omnem victoriam vult Deo tribui? Numquid alioquin superbe & arroganter sibi aliquid humana voluntas assumet?

Joannes Chrysostomus clarius adhuc loquitur, si tamen meridiano soli lux addi possit: Homil. 24. in priorem Epist. ad Corint. c. 10. ad illud: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, hæc ait: *Sunt ergo tentationes quæ ferri non possunt. Et quæ hæ sunt? omnes, ut semel dicam. Posse enim ferri situm est in Dei nutu*. Paullo post sic prosequitur: *Nam ne illas quidem moderatas, ac mediocres propria virtute feremus*. In quæ quidem verba observandum est, S. Doctorem expresse loqui de omnibus tentationibus, *omnes*: & ne quis vocem illam, licet universalem, restringat ad omnes graves tentationes, addit, ne moderatas quidem & mediocres sine Dei auxilio ferri posse: at ferrentur tamen in adversariorum sententia, ex fine nimirum honesto & naturalis ordinis.

Augustinus totus est in eadem asserenda veritate. Ad calcem libri de perfectione justitiæ sic loquitur: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito*: at id negat qui contendit, aliquam tentationem, vel levissimam, etiam ex honesto fine naturali, sine gratia per Christum superari posse.

Idem S. Doctor hæc ait scribens in Psal. *Sine Dei adjutorio per liberum arbitrium tentationes hujus vitæ superare non possumus*: In Ps. 106. *Deo desistente ab adjutorio, laborare potes, vincere non potes*. Serm. 9. de diversis c. 9. *Quia sine dubio vinceris, si illum adjutorem non habueris*: at non vincitur, qui aliquam tentationem ex honesto motivo naturali superat.

In lib. de gratia Christi cap. 27. agens contra Pelagium dicentem, nos absolute quidem posse per vires liberi arbitrii resistere spiritui nequam, sed facilius per gratiam, sic loquitur: *Quantum detrimentum hoc additamento feceris, quis non intelligat? Volens itaque credi, tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus Sancti, etsi minus facile, tamen aliquo modo, nequam spiritui resistatur*. Igitur, ex Augustino, spiritui nequam sine auxilio Spiritus sancti nullo modo resisti potest: ergo nec levi tentationi; ergo nec ex honesto, seu naturalis ordinis motivo.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Objicies 1. Homo lapsus potest sine gratia aliquod bonum opus ex honesto fine operari: alioquin immerito a Pio Papa V. hæc Propositio proscripta fuisset: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*: ergo potest quoque sine gratia, ex honesto fine, aliquam, levem saltem, tentationem superare.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia sunt aliqua opera, quæ per se facilia sunt, eo quod inclinationi nobis inditæ conformia sint: facile est, v. g. matri curare filium, alimenta necessaria, si præsto sint, ei tribuere: e contra opera, a quibus avertit tentatio, difficilia sunt: at natura per peccatum corrupta & maxime debilitata, licet quæ facilia sunt, possit; non potest tamen quæ sunt difficilia. Tentatio delectatione movet: ergo ut superetur requiritur gratia, quæ contraria delectatione voluntatem afficiat: quod enim magis nos delectat, secundum id (Augustino teste) operemur necesse est.

Objicies 2. Ideo dicitur nullam, ne minimam quidem, tentationem posse ab homine lapso sine gratia superari, quod Scriptura & Patres homini lapso jubeant, ut a Deo poscat tentationum victoriam. Sed illa

ratio

ratio nulla est; siquidem Scriptura & Patres de ea tantum victoria loquuntur, quæ ad æternam salutem conferat, quæque fit ex fide quæ per dilectionem operatur: non loquuntur vero de victoria, quæ, cum sit ex honesto fine morali, nihil prorsus ad salutem prosit: ergo (inquit Estius) ex oratione non recte colligitur nullam tentationem, vel levissimam, posse sine gratia superari.

Resp. 1. nimis probare illud argumentum: probat enim, tentationes etiam gravissimas, quarum victoria ad salutem nihil conferat, utpote relata ex honesto fine naturali, posse sine gratia superari; quod tamen negat Estius. Resp. 2. fideles suis orationibus duo a Deo postulare: postulant enim 1. ut servent præceptum, a quo per tentationem avertuntur. 2. ut idem præceptum servent ex amore Dei: hincque recte concluditur, ipsam tentationis victoriam, etiam secundum se sumptam, esse Dei donum; esse ex auxilio, quod Deus per Christum nobis largiatur: unde cum Patres asseruerunt, victoriam sine gratia ex aliqua tentatione referri non posse, nusquam distinxerunt inter eam qua servetur præceptum, contra quod pugnat tentatio, & inter eam quæ ex amore Dei reportetur.

Quæres, utrum privatis Theologis liceat censuram inurere opinioni quæ docet, levem aliquam tentationem sine gratia superari posse.

Resp. negative: idque probatur ex eo, quod illam privatorum censuram prohibuerit Pius Papa V. cum in Constitutione edita occasione librorum Michaelis Baji, damnavit hanc propositionem: *Non solum ii sunt fures & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant: sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiæ, hoc est aliquam justitiam, conscendi posse docent: aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.*

CAPUT VI.

Utrum gratia necessaria sit ad vitandum peccatum.

Not. Quæremus hic 1. utrum impio, hoc est, homini jacenti in statu peccati mortalis, gratia sit necessaria, ut vitet peccata mortalia, quæ sunt contra legem naturæ; 2. an justo quoque necessaria sit, ut eadem peccata devitet; 3. utrum homo justus præter gratiam actualem ordinariam indigeat aliquo speciali privilegio, ut venialia omnia declinet.

CONCL. 1. Impio gratia necessaria est, ut per diuturnum aliquod tempus peccata mortalia, quæ sunt contra legem naturæ, devitet.

Probatur. Ei necessaria est gratia, ut per diuturnum aliquod tempus devitet peccata mortalia, quæ sunt contra legem naturæ, qui sine ea diu servare non potest tum affirmativa, tum negativa legis naturæ præcepta, quæ obligant sub mortali; ideo enim quis peccat, quod imposita sibi præcepta non servet: atqui impius sine gratia diu servare non potest tum affirmativa, tum negativa legis naturæ præcepta, quæ obligant sub mortali. Nam 1. non potest (ut superius dictum est) sine speciali per Christum auxilio adimplere primum Decalogi mandatum, quod quidem certis temporibus obligat sub mortali: 2. non potest quoque sine gratia (ut capite 5. dictum est) superare tentationes, quibus identidem provocatur ad committenda, quæ præceptis negativis prohibentur, aut ad omittenda, quæ affirmativis præscribuntur.

CONCL. 2. Homini justo præter gratiam habitualem, necessaria est actualis, ut vitet peccata mortalia, quæ sunt contra legem naturæ.

Probatur. Illi necessaria est gratia actualis, ut vitet peccata mortalia, quæ sunt contra legem naturæ, qui sine gratia actuali, nec positiva, nec negativa legis naturæ præcepta servare potest: atqui justus sine gratia actuali, nec affirmativa, nec negativa legis naturæ præcepta servare potest: ergo, &c.

Minor variis momentis ostenditur. 1. Gratia actualis, ut inferius dicetur, est ad singulos actus necessaria. 2. Justi gratiæ auxilium quotidianis in orationibus implorant; nec enim aliud, quam divini numinis invocationem ad pie recteque vivendum, exprimunt singulæ orationis Dominicæ petitiones, ut demonstravit Augustinus in libro de dono perseverantiæ capitibus 2. 3. 4. 5. & 6. unde iis petitionibus utitur, ut gratiæ caussam adversus Pelagianos & Semipelagianos tueatur: *Si ergo* (inquit c. 7.) *alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad caussam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Ejusdem gratiæ invocationem justis præscriptam esse, his verbis admonet Arausicana Synodus can. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint perdurare:* Atqui justi quotidianis in orationibus non petunt gratiam habitualem; neque enim petunt id quo jam fruuntur: *Quid enim stultius* (ait Augustinus in libro de natura & gratia, c. 18.) *quam orare, quod in potestate habeas?* ergo petunt gratiam actualem: ac proinde indigent actuali gratia, ut vitent peccata, quibus lex naturalis infringitur.

Præterea gratia habitualis animam perfecte non sanat, cum nec ignorantiam ab intellectu depellat, nec concupiscentiam extinguat in voluntate: ergo præter gratiam habitualem justo necessaria est actualis, qua utrumque illud malum in homine sanetur. Vide S. Thomam 1. 2. quæst. 109. art. 4. qui variis argumentis ex Scriptura petitiis eamdem veri-

veritatem confirmat, eademque utitur ratione, qua nos usi sumus.

CONCLUSIO 3. Justus cum auxilio, quod secundum legem ordinariam datur, potest per exiguum temporis spatium esse sine omni peccato veniali.

Probatur. Justus per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per ferventissimum caritatis actum, consecutus peccatorum venialium remissionem, per aliqua instantia potest cum ordinariæ gratiæ auxilio a quolibet peccato temperare; aut enim aliqua per illud brevissimum temporis spatium tentatione non premetur, aut si ea impugnetur, adjutus Dei gratia, eam superabit.

Nec obstat hæc 5. Joannis 1. sententia: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Non obstat (inquam); non enim intelligitur de reatu, qui semper sit præsens; sed qui ita frequens sit, ut quodammodo sit continuus: *Hoc enim est intelligendum* (inquit S. Thomas 1. p. q. 79. art. 4. ad 2.) *quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus*. Nec obstat illud Proverb. 24. *Septies in die cadit justus*. Nam 1. vox illa, *in die*, nec in Hebræo, nec apud Septuaginta, nec in latina Vulgata castigatione legitur: unde ab Augustino libro 11. de Civit. Dei, cap. 31. omissa est. Præterea numerus determinatus pro indeterminato ponitur, hoc est, significatur justum sæpius cadere, licet non singulis momentis.

CONCLUSIO 4. Homini justo præter ordinaria gratiæ auxilia opus est speciali privilegio, ut per diuturnum tempus omnia venialia devitet.

Probatur ex Scriptura. Lib. 3. Reg. c. 8. hæc habentur: *Non est homo qui non peccet*. Ps. 31. *Remisisti iniquitatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis*, non impius tantum, sed *sanctus*. Ps. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Jacobi 3. *In multis offendimus omnes*. Primæ Joannis 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Quæ quidem verba Milevitana Synodus vindicans a pravo Pelagianorum sensu, cap. 6. sic loquitur: *Quisque sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quod vere ita est, anathema sit*. Eadem Synodus cap. 7. & 8. rejicit quoque explicationem, qua Pelagiani hæc orationis Dominicæ verba, *Dimitte nobis debita nostra*, Catholicis eripiebant, concludentes, a Sanctis dici non pro seipsis, sed pro aliis. Cui quidem sacræ Synodo adhæsit Tridentina: *Justorum* (inquit sessione 6. cap. 11.) *illa vox est & humilis & vera: Dimitte nobis debita nostra*: ex eaque doctrina condidit canonem 13. qui sic habet: *Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita, peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit*.

Ex iis vero textibus sic argumentum conficitur: Si cum ordinariis gratiæ auxiliis homo justus posset per diuturnum tempus omnia peccata venialia vitare, aliqui iisdem gratiæ auxiliis adjuti ea vitassent: atqui revera non vitarunt, cum non sit homo, qui non peccet; cum omnis sanctus oret pro sui peccati iniquitate; cum nullus vivens in Dei conspectu justificetur; cum laudata Joannis sententia ad justos omnes pertineat; cum nullus sit qui suorum peccatorum remissionem vere in oratione Dominicia non postulet: ergo &c.

Probatur 2. ex Traditione. 1. Pelagius & Cælestius damnati sunt ab Ecclesia Catholica, quod vellent, in hac vita justos quosdam ea perfectione commendatos fuisse, ut nusquam venialiter peccaverint: *Tria sunt* (inquit Augustinus in lib. de dono persever. c. 2.) *quæ maxime adversus Pelagianos defendit Ecclesia, quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: Alterum est, in quantacumque justitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis abstrictum*.

Probatur 4. ratione theologica. Ut quis per diuturnum aliquod tempus omnia venialia collective sumpta cum ordinariis gratiæ auxiliis vitaret, necesse esset 1. ut omnes qui insurgunt, concupiscentiæ motus statim comprimeret; 2. ut collective scire posset, quæcumque sibi agenda sunt: atqui ea duo fieri non possunt cum ordinariis gratiæ auxiliis; ut enim justus omnes omnino comprimeret concupiscentiæ motus, necesse esset, ut continuo ac sine intermissione ad seipsum attenderet, ut nulla umquam negligentia torperet, ut nulli omnino concupiscentiæ motui vel leviter consentiret: atqui justus ordinariis gratiæ auxiliis adjutus, non potest continuo ad se ipsum attendere; non potest non torpere, saltem per diuturnum tempus, levi aliqua negligentia; non potest per idem diuturnum tempus non consentire aliquando, saltem leviter, concupiscentiæ motibus, quibus vix aliquo brevissimo temporis instanti liber est: Scilicet concupiscentiæ motus sibi invicem velut fluctus aliis fluctibus succedunt: *Dum* (inquit S. Thomas 1. part. qu. 109. art. 8.) *uni resistere nititur, fortasse alius insurgit, & etiam quia ratio non sem-*

semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.

Quamvis nemo justus a quibuscumque peccatis venialibus per diuturnum aliquod tempus liber fuerit, nec sit modo; reperiri tamen potuerunt homines tantæ virtutis ac perfectionis, ut rarissime & fere nunquam in peccata ex objecto venialia ex plena deliberatione lapsi sint, sed in ea tantum, quæ per ignorantiam, aut per subreptionem contingunt: scilicet animæ purissimæ (ut fuerunt Apostoli, S. Joannes Baptista, S. Josephus, & alii passim, qui in Scripturis commendantur) summa diligentia, summa cautione declinant ea omnia, quibus Deum offensum iri certo noverint.

CONCLUSIO 5. Inter creaturas Virgo Deipara, & quidem sola, donata est illo singulari privilegio, quod requiritur, ut quis per totam vitam immunis sit a quolibet veniali peccato.

Probatur prior pars, 1. ex Augustino, qui libro de natura & gratia cap. 36. disputans de actualibus peccatis, sic loquitur: *Excepta sola Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* 2. Idem ostenditur ex Bernardo, cujus hæc sunt verba, Ep. 114. *Ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem.* 3. Eamdem doctrinam Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. hisce verbis tradidit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Probatur altera conclusionis pars, quæ est contra Catharinum lib. de prædestinatione contendentem, privilegium, de quo agitur, quibusdam Sanctis, quos vocat insigniter prædestinatos, concessum fuisse, hoc est, eos a quolibet peccato tum mortali, tum veniali, per totam vitam liberos fuisse; hos inter reponit Jeremiam, Joannem Baptistam, qui in matrum utero gratia sanctificante donati sunt. Nullum Concilium, nullus ex Patribus Jeremiam, aut Joannem Baptistam, aut aliquem alium excepit ab hac generali Scripturæ sententia: *Non est homo, qui non peccet.* 2. Exceptio firmat regulam: unde cum S. Augustinus & Concilium Tridentinum solam Virginem Deiparam ab ea regula generali exceperint, omnes alios ea concludi voluerunt. 3. Privilegium illud concessum non est Apostolis, etiam postquam Spiritus plenitudinem die Pentecostes receperunt: Apostolus enim erat Joannes, qui seipsum cum aliis comprehendens, dicebat: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Apostolus erat Petrus, cum (ut dicitur ad Galatas 2.) vere reprehensibilis esset: at si Apostolis concessum non est privilegium illud, nulli homini præterquam Virgini Deiparæ concessum est, cum (ut ait S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2.) Apostoli aliis sanctiores fuerint.

Solvuntur adversæ partis argumenta.

Objicies 1. Scriptura quosdam commendat tamquam perfectos: *Quicumque ergo* (ait Apostolus ad Philip. 3.) *perfecti sumus, hoc sentiamus.* Laudat alios tamquam omnino immaculatos: *Beati* (ait Rex Propheta Ps. 118.) *immaculati in via.* Lucæ 1. hæc de Zacharia & Elisabeth dicuntur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* De sancto viro Job hæc habentur, Job cap. 1. *Non est illi homo similis super terram, sine querela, justus, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo.* Unde sic arguitur: Qui fuerunt perfecti & immaculati; qui ambularunt in omnibus Dei mandatis sine querela; qui temperarunt ab omni opere malo, caruerunt omni peccato veniali: atqui præter Virginem Deiparam, fuerunt homines perfecti & immaculati, ambulantes in omnibus Dei mandatis, temperantes ab omni opere malo: ergo præter Virginem Deiparam reperti sunt, qui sine quolibet veniali peccato vixerint.

Resp. dist. primam partem minoris. Fuerunt homines perfecti, hoc est, qui ad perfectionem toto conatu tenderint, conc. min. quam in hac vita consecuti fuerint, neg. min. Unde Apostolus qui inter perfectos ad Philipp. 3. seipsum recensuerat, hæc ibidem de seipso ait: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim*; quæ quidem verba Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. ideo ab Apostolo dicta esse contendit, *ut ostenderet secundum istius vitæ modum esse quamdam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque noverit imperfectum.*

Resp. dist. pariter alteram minoris partem. Nonnulli in hac vita fuerunt immaculati, hoc est, immunes a peccatis mortalibus, conc. min. immunes ab omnibus venialibus, neg. min. *Ingredi sine macula* (inquit Augustinus in libro de perfectione justitiæ) *non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad illam ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.*

Resp. dist. etiam tertiam ejusdem min. partem: Fue-

Fuerunt qui ambularint imperfecte in omnibus mandatis ejus, conc. min. perfecte, neg. min. *Non autem* (ait Augustinus in libro de gratia Christi, c.48.) *dictum est hoc*: Incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela, *secundum illam perfectionem justitiæ, in qua vere & omnimode immaculati, perfectique vivemus in patria.*

Resp. dist. quoque eamdem minoris partem. Fuerunt qui abstinuerint ab omni opere malo ex deliberata voluntate, transeat minor; ex ignorantia, aut subreptione, neg. min. Job quantumcumque justus fuerit, donec vitam in humanis ægit, liber non fuit a lege, quæ repugnat legi mentis, ac proinde per ordinaria gratiæ auxilia fieri non potuit, quin sordes aliquas ex ea lege contraxerit: unde ipse Job in libro, qui illius nomine inscribitur, peccata sua confitetur, aperteque ait, quod in conspectu Dei non justificabitur omnis vivens. *Non igitur* (ait Augustinus libro 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 12.) *præclarum illud testimonium Dei, quo laudatus est Job, contrarium est ei testimonio, quo dictum est*: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: *quia non id persuadet prorsus in illo nihil fuisse, quod vel ab ipso veraciter, vel a Domino Deo recte reprehenderetur: quamvis jam justus, & verax Dei cultor, & ab omni opere malo se abstinens non mendaciter diceretur.*

Objicies 2. Prima Joannis 3. hæc habentur, *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Joannes eo loci de justo perfecto loquitur, asseritque, eum nec facere peccatum, nec posse, moraliter loquendo, peccare: nec distinguit inter peccatum mortale & veniale; sed indefinite asserit, *Peccatum non facit*: ergo revera quidam justi immunes sunt ab omni peccato, etiam veniali.

Resp. dici posse, laudatam Joannis sententiam intelligi de solo peccato mortali: scilicet capite 1. asseruerat, neminem esse justum qui vere dicere possit, se peccatum non habere: unde sensus est, eum, qui natus est ex Deo, quamdiu suam divinam nativitatem conservat, non peccare mortaliter in sensu composito, hoc est, conjungi in ipso non posse dignitatem filii cum peccato mortali, licet conjungi possit cum persona regenerata. Quemadmodum ex istis propositionibus: *Optimus civis nusquam patriam prodit, Mulier pudica non committit adulterium*; inferri non potest id, nec civem illum, nec mulierem illam, absolute præstare posse: sed hoc unum tantum colligitur, proditionem cum fide civis, & adulterium cum fide conjugali simul & semel stare non posse.

Resp. 2. dici posse, nomine peccati intelligi etiam peccatum veniale: in ea autem suppositione is est sententiæ Joannis sensus, *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, quatenus operatur ut natus ex Deo; tunc enim agit ex caritate, quæ cum sit arbor bona, malos fructus facere non potest; non autem quatenus operatur ut natus ex homine lapso: nempe tunc agit ex cupiditate, quam a parente per originem traxit; cupiditas autem, cum sit arbor mala, non potest bonos fructus facere. Augustini est illa responsio libro 2. de peccatorum meritis & remissione, c. 7. 8. 9. & 10. quæ lector consulere poterit.

Objicies 3. Nullus peccat in eo quod vitare non potest, ut ait Augustinus libro 3. de libero arbitrio, cap. 18. Atqui si homo in statu naturæ lapsæ indigeret speciali auxilio, seu privilegio, ad vitanda omnia peccata venialia, ea non posset vitare, cum Deus non sit paratus ejusmodi privilegium omnibus concedere: ergo non posset ei ad culpam imputari, quod omnia venialia non vitaret.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia ut peccata imputentur, satis est, ut Deus paratus sit dare justo auxilium, quo valeat singula divisive venialia vitare: nec mirum: peccata enim non collective, sed divisive tantum, vitanda occurrunt. Desumpta est ea responsio ex Sancto Thoma, qui 1. 2. q. 109. art. 8. in corpore sic loquitur: *Non potest homo in statu naturæ corruptæ abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest (& ex hoc habent rationem voluntarii & peccati) sed non omnes.* Idem S. Doctor hæc etiam habet lib. 3. contra Gentes c. 160. *Licet ille qui est in peccato, non habeat hoc in propria potestate, quod omnino vitet peccatum; habet tamen nunc vitare hoc vel illud peccatum, unde quodcumque committit, voluntarie committit, & ita non immerito ei imputatur ad culpam.*

Instabis. Ut præceptum de vitandis peccatis venialibus servari possit, satis non est, ut singula in specie & numero divisive vitari possint, sed præterea requiritur, ut omnia, etiam collective, vitari possint: datur enim præceptum de omnibus collective vitandis: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. dari præceptum de omnibus peccatis venialibus collective vitandis. Ratio est, quia inutile esset hujusmodi præceptum; cum in praxi peccata non occurrant collective simul vitanda, sed (ut jam observatum est) divisive tantum.

CAPUT VII.

Utrum gratia in statu naturæ lapsæ justo necessaria sit ad perseverandum.

Not. 1. PErseverantia duobus modis sumi potest. Sumitur enim 1. pro conservatione justitiæ per diuturnum aliquod tempus: 2. pro ejusdem justitiæ conservatione

ne

ne ad finem usque. Utriusque illius perseverantiæ meminit Augustinus in libro de dono perseverantiæ, cap. 1. sed monet, ultimam esse eam quæ perseverantiæ nomine passim intelligitur.

Not. 2. Circa propositam quæstionem quatuor sunt sententiæ. Prima fuit Pelagianorum, qui docuerunt, ad nullum pietatis actum, ac proinde nec ad perseverantiam in finem usque, gratiam per Christum esse absolute necessariam. Altera (si fides adhibenda sit Joanni Baptistæ Goneto & Vincentio Contensonio) fuit aliquorum Semipelagianorum; scilicet asseruerunt, requiri quidem gratiam ad perseverandum, sed non specialem, hoc est, quæ distincta sit a gratia, per quam quilibet justus potest perseverare. Tertia, est quorumdam Catholicorum, inter quos Duvallius, qui licet fateantur, perseverantiam esse speciale donum in iis qui post justificationem diu vivunt in gratia, antequam moriantur; negant tamen donum esse speciale in iis qui paullo post justificationem in gratia moriuntur; hincque patet, ab iis auctoribus non requiri auxilium speciale ad perseverantiam, præcise ex eo quod sit finalis, sed tantum ex tempore, per quod justitia conservata fuit. Quarta sententia est Thomistarum omnium, qui contendunt, gratiam ad actu perseverandum requisitam, esse in omnibus, qui in gratia moriuntur, donum speciale distinctum ab auxiliis, quæ gratiæ habituali passim annexa sunt.

CONCLUSIO 1. Gratia per Christum est ad perseverantiam finalem necessaria. Est contra Pelagianos.

Probatur 1. Gratia est necessaria ad singulos pietatis actus, ut definiit Palæstina Synodus contra Pelagium: ergo & ad perseverantiam finalem, quæ inter pietatis actus non ultimum tenet locum, cum sine ea actus reliqui ad vitam æternam non perducant. 2. Perseverantia finalis est meritoria vitæ æternæ, juxta illud Scripturæ: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: ergo est ex gratia, cum per actus mere naturales nullum quoad æternam vitam, meritum comparetur. 3. Perseverantia poscitur a Deo: ergo est illius donum; neque enim a Deo poscitur, quod Deus non donat.

CONCLUSIO 2. Gratia, quæ ad perseverantiam finalem requiritur, est speciale donum distinctum a gratia habituali, & auxiliis, quæ ei passim annexa sunt.

Probatur. Justi, licet habeant gratiam habitualem, & auxilia ei annexa, a Deo petunt perseverantiam usque in finem ergo est donum a gratia habituali & auxiliis ei annexa distinctum; neque enim qui sapiens fuerit, id a Deo poscit, quod jam habet actu. Augustini est illud argumentum in libro de dono perseverantiæ cap. 2. ubi asserit 1. id quod a Deo petitur, esse Dei donum; asserit 2. non tantum ipsum posse perseverare, sed ipsummet perseverare a fidelibus a Deo peti: id vero confirmat ex singulis ejusdem orationis Dominicæ petitionibus, ostenditque in qualibet earum, quinta dumtaxat excepta, perseverantiam a Deo postulari: *Quinta* (inquit cap. 3.) *orationis loco dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; in qua sola petitione non invenitur posci perseverantia.*

Probatur 2. Donum perseverantiæ, ejusmodi est, ut qui illud habuerit, revera & actu in finem usque perseveret. Augustinus in libro de dono persever. cap. 6. utitur eo principio, ut hanc Massiliensium querelam compellat: *Sed nolunt*, *ut scribitis* (alloquitur Prosperum & Hilarium) *isti fratres ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit*: nempe in libro de dono perseverantiæ, cap. 6. sic loquitur: *Ubi qui dicant, parum diligenter attendunt. De illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem; quæ si data est, perseveratur usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data.* Atqui donum, quod ejusmodi est, ut qui illud habuerit, revera in finem usque perseveret, est donum distinctum a gratia habituali, & auxiliis de lege ordinaria ei annexis; siquidem non omnes justi ad finem usque perseverant, quamvis omnes habeant gratiam habitualem, & auxilia actualia, quæ ei de lege ordinaria annexa sunt.

Probatur 3. ex Conciliis. Arausicanum II. habet canone 9. *Divini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia tenemus.* Temperare autem ab injustitia & falsitate ad finem usque, in justis nihil aliud est, quam perseverare; ergo cum Synodus temperare ab injustitia & falsitate muneri tribuat, tribuit quoque perseverantiam. Ne quis autem muneri voluntatis pedissequo, hoc est, gratiæ versatili, effectum illum tribuat, obstat ratio, quæ post allata verba ab ipsomet Concilio Arausicano adhibetur; *Quoties enim* (ait) *bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur*, id est, efficit in nobis, ut voluntas nostra bonum operetur; ac proinde ut actu ad finem usque perseveret.

Eadem Synodus can. 10. evidenter supponit, perseverantiam usque in finem, esse donum a gratia habituali, & ab auxiliis ei passim annexis distinctam; docet enim, justis debitum incumbere, ut perseverantiam indesinenter a Deo postulent: *Adjutorium Dei* (inquit) *etiam renatis & sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.*

Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 13. docet, per-

perseverantiæ munus effectum esse omnipotentissimæ Dei voluntatis, nec aliunde haberi posse; *Quod quidem* (inquit) *aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit, restituere*. Canone 16. idem Concilium perseverantiam vocat, magnum Dei donum: *Si quis* (inquit) *magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, & infallibili certitudine dixerit, anathema sit*: At donum quod per antonomasiam vocatur *Magnum donum*, distinctum esse debet a gratia habituali, & auxiliis ei de lege ordinaria annexis: cum enim illa dona sint justis omnibus communia, non possunt esse magnum illud donum, quod sacra Synodus docet, ad perseverantiam requiri. Canone 22. idem perseverantiæ donum vocatur auxilium speciale, ediciturque, illud ad perseverantiam absolute necessarium esse: *Si quis* (ait) *dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*.

Probatur 4. rationibus. Si perseverantia non esset donum speciale a gratia habituali & donis illi ex lege ordinaria annexis, multa sequerentur absurda.

Sequeretur nimirum 1. perseverantiæ gratiam esse donum omnibus justis commune; ac proinde eum qui perseverat, hoc est, qui per suam cooperationem gratia illa utitur, seipsum a non perseverante discernere; nullum enim inter utrumque ex parte Dei, sed tantum ex parte liberi arbitrii, discrimen reperiretur: at negat Apostolus discrimen illud peti a libero hominis arbitrio: *Quis* (inquit 1. ad Corinth. 4.) *te discernit?*

Sequeretur 2. perseverantem posse præ alio non perseverante gloriari: is enim præ alio gloriari potest, qui per liberum arbitrium id egit quod non egit alter, id est, qui per liberum arbitrium cooperatus est gratiæ, cui alter per suum liberum arbitrium cooperari noluerit: at illud gloriandi argumentum rejecit Apostolus: *Quid habes* (inquit *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperit?*

Sequeretur 3. rationem, cur justus præ alio justo perseveret, peti non debere ex omnipotentissima Dei voluntate, sed ex infirmo hominis arbitrio: at id adversatur Concilio Tridentino, quod justi perseverantiam non infirmæ creatæ voluntatis arbitrio, sed divinæ omnipotentiæ tribuit; sic enim loquitur, sess. 6. cap. 13. *Quod quidem* (perseverantiæ munus) *aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit, restituere*. Cetera argumenta, quæ in ejusdem rei confirmatiooem afferri possunt, vide inferius iis locis, ubi de gratiæ efficacia disputabimus.

CONCLUSIO 3. Perseverantia non in adultis tantum, qui diu post justificationem moriuntur; sed & in iis omnibus, sive adultis, sive parvulis, qui statim post receptam aut in baptismi, aut in pœnitentiæ sacramento justificationem moriuntur, est donum speciale. Est contra Duvallium, & aliquos alios scholasticos.

Probatur 1. auctoritate Augustini, qui conceptis terminis asserit, perseverantiam, quam toto libro de dono perseverantiæ probavit esse speciale Dei donum, in iis omnibus esse, qui in statu gratiæ sanctificantis moriuntur, etsi brevi post receptam justificationem moriantur: *Hanc* (inquit in libro de dono perseverantiæ c. 1.) *certe de qua nunc agimus, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem, potiusque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit*.

Probatur 2. ratione. Perseverantia est speciale Dei donum, sive in parvulo qui statim post baptismum moritur, sive in adulto qui post acceptam in sacramento Pœnitentiæ justificationem statim inopinato casu e vivis excedit, si utriusque mors sit ex speciali providentia Dei tum circa illum parvulum, tum circa illum adultum: quod enim ex speciali providentia sequitur, ejusdem providentiæ donum est speciale: atqui utriusque, sive parvuli, sive adulti, de quo agitur, mors in ea temporis circumstantia in qua sunt in statu gratiæ sanctificantis, sequitur ex speciali in eos providentia: id nimirum perte Scriptura docet Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Vide quæ de gratia sufficiente ad salutem parvulis ante baptisma morientibus negata inferius dicentur.

Quæres, in quo præcise positum sit illud speciale auxilium, justis ad perseverantiam finalem necessarium.

Resp. donum, de quo agitur, in parvulis baptizatis, qui ante rationis usum moriuntur, dicere conjunctionem status gratiæ cum morte, & specialem Dei providentiam, quæ ex intentione efficaci conferendi gloriam æternam illis parvulis, ita caussas secundas disposuit, ut illis, antequam possunt peccare, mortem inferrent. Perseverantiæ donum dicit idem in adultis, qui in statu gratiæ derepente propter externam aliquam caussam intereunt; in aliis vero dicit vel præservationem ab occasionibus peccandi mortaliter, vel gratiam victricem quæ in illis occasionibus ex vi electionis ad gloriam illis concedatur.

Jam vero quod hæc ita sint, probatur ex Augustino, qui in libro de dono persever. cap.

cap. 9. caussam cur nonnulli pueri baptizati ex hac vita rapiantur, antequam peccare potuerint, & cur aliqui adulti in statu gratiæ moriantur, refundit ad gratuitam prædestinationem.

Objicies 1. Quod datur omnibus, non est donum speciale; siquidem commune & speciale sibi invicem opponuntur: atqui perseverantia, quantum est ex parte Dei, datur justis omnibus; sola enim ratio, cur nonnulli non perseverent, ex libero illorum arbitrio petitur, scilicet si vellent, hoc est, si auxiliis gratiæ habituali annexis cooperari vellent, actu & revera perseverarent, juxta celebrem hanc Augustini sententiam in libro de corrept. & gratia c. 7. *Justior enim videtur excusatio dicentium: Non accepimus audientiam, quam dicentium: Non accepimus perseverantiam, quoniam potest dici: Homo in eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares* SI VELLES: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. fatemur quidem solam rationem, cur nonnulli non perseverent, peti ex solo illorum arbitrio, ex cupiditate nimirum quam plena ac efficaci voluntate superare nolunt: inde tamen non sequitur, iis hominibus dari, quantum est ex parte Dei, perseverantiam; siquidem perseverantia, si daretur, cupiditatem illam superaret, cum gratiam cum morte sic conjungat, ut qui illam acceperit a Deo, infallibiliter perseveret: *Hanc certe* (inquit Augustinus in libro de dono perseverantiæ cap. 1.) *de qua nunc agimus, perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem.* Ad 3. dist. ant. Omnes justi actu perseverarent, si vellent, voluntate a Domino per auxilium speciale præparata, conc. ant. voluntate a Domino per auxilium speciale non præparata, neg. ant. Duo complectitur illa responsio, 1. voluntatem non velle perseverare, nisi a Domino præparata fuerit; 2. præparationem illam esse positam in auxilio speciali, quod semper efficiat, ut voluntas perseverare velit: utrumque igitur probandum est.

Primum, hoc est, voluntatem non velle bonum, ac proinde nec perseverantiam, nisi a Deo præparata fuerit, variis in locis asseritur ab Augustino; sic enim loquitur in libro de gratia & libero arbitrio c. 16. *Certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paullo ante posui: Præparatur voluntas a Domino, de quo dictum est: A domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet; de quo dictum est: Deus est qui operatur in nobis velle. Certum est, nos facere cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Idem S. Doctor suppleri vult conditionem illam: *Præparatur voluntas a Domino*, quoties omittitur iis locis, in quibus asserit voluntatem operari bonum, si velit; *Quod vero dixi;* Illud autem lumen pascit pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium & temporalium se ad ejus præcepta implenda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint: *non existiment* (ait ipse lib. 1. Retract. cap. 10.) *novi hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum: Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint: sed præparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere caritatis, ut possint. Quod hic ideo dictum non est, quoniam præsenti non erat necessarium quæstioni.*

Alterum, id est, verba hæc: *Præparatur voluntas a Domino*, ab Augustino intelligi de auxilio speciali distincto a gratia habituali, & donis illi ex lege ordinaria annexis, ostenditur ex eo, quod ea verba explicuerit de gratia, quæ dat fortissimam, invictissimam, & perseverantissimam voluntatem, hoc est, de gratia per se efficaci. *An audebis dicere* (inquit libro de corrept. & gratia cap. 8.) *etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si in eam usque in finem perseverare noluisset, quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illa Christus rogasset, ut vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo pro illo Christi non possit esse inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?*

Efficaciam specialis gratiæ ad perseverandum requisitæ, & ab Augustino per hæc verba: *Præparatur voluntas a Domino*, explicatæ, idem S. Doctor in libro de corrept. & gratia cap. 12. exponit per hæc Apostoli verba: *Operatur velle & perficere*, quæ haud dubie de gratia efficaci intelliguntur.

Objicies 2. In Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 11. hæc leguntur, *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*: unde sic argumentum conficitur. Si perseverantia in finem usque, esset donum speciale a gratia habituali & auxiliis ordinariis ei annexis distinctum, Deus sua gratia semel justificatos desereret, antequam ab eis desertus fuisset; nempe is alium deserit, qui negat ei auxilium speciale, alioquin tamen absolute requisitum ad operandum: atqui justis, qui ad finem usque non perseverant, Deus, antequam ab eis desertus

fuis-

fuisset, negaret auxilium speciale, alioqain tamen absolute requisitum ad actu perseverandum: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Si perseverantia in finem usque esset donum speciale, Deus sua gratia semel justificatos desereret desertione inadæquata, antequam ab eis desertus fuisset, conc. maj. desertione adæquata, neg. maj. Hæc desertionis species includit subtractionem cujuscumque gratiæ actualis, sive sufficientis, sive efficacis: illa vero, subtractionem solius gratiæ efficacis. Absurdum vero dictu non est, Deum deserere justum, antequam quidquam actu peccaverit, per subtractionem gratiæ per se efficacis, modo eum per gratiæ sufficientis subtractionem non deserat; justus enim hac adjutus gratia potest præceptum, quod urget, adimplere, quamvis aliud auxilium, quod sit efficax, requiratur, ut idem justus actu & reipsa præceptum adimpleat. Favent isti explicationi hæc ejusdem Concilii verba cap. 13. *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes*, justi, *debent*. *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere*. Quæ haud dubie intelliguntur de gratia actuali, innuuntque eam saltem quæ facit imperfecte velle, non deesse, cum urget alicujus præcepti observatio.

Quæres, utrum donum perseverantiæ sit idem quod donum confirmationis in gratia.

Resp. non est idem. Ratio est, quia confirmatio in gratia vel est tota ab intrinseco, vel partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco. Si primum, soli Christo convenit: scilicet solus ab intrinseco, ratione nimirum unionis hypostaticæ, fuit in gratia confirmatus, & omnino impeccabilis. Si secundum, convenit soli Virgini Deiparæ quoad peccata mortalia & quoad venialia; Apostolis quoad mortalia tantum. Nempe tanta fuit in Maria suavitatis & amoris inspiratio, tamque singularis providentia, qua peccati occasiones removit, ut licet absolute peccare potuerit, nusquam tamen actu, vel leviter, unquam peccaverit; sicut nec Apostoli, post receptum die Pentecostes Spiritum Sanctum, unquam mortaliter peccarunt. At in prædestinatis omnibus tanta non est suavitatis & amoris inspiratio, nec tam singularis in eos providentia, ut, etiam in extrema vitæ periodo, licet actu non peccent, facile tamen peccare non possint: cum e contra per donum confirmationis fiat, ut difficile admodum peccari possit.

CAPUT VIII.

Utrum homini lapso gratia sit necessaria ad singulos actus.

Not. 1. FIDE Catholica certum est, gratiam esse necessariam ad singulos actus. Nam 1. Pelagius (Augustino teste in libro de gestis Pelagii cap. 4.) in Concilio Diospolitano, ut catholicus audiret, coactus est a Patribus, oppositam illi articulo doctrinam damnare, tamquam apertam hæresim: 2. Idem Augustinus in Epist. ad Vitalem inter fidei articulos ad gratiam spectantes hunc recenset: *Scimus*, gratiam *majoribus ad singulos actus dari*. 3. Idipsum Christus aperte nos docuit Joannis 15. *Sine me* (inquit) *nihil potestis facere*: in quam sententiam Augustinus tract. 81. in Joannem observat, Christum non dixisse, aut *multum* aut *parum*, *sed nihil*.

Not. 2. Licet omnes Catholici fateantur, verum esse axioma, quo asseritur, *Gratiam ad singulos actus dari*; inter eos tamen quæstio est, de quibus actibus, & de qua gratia intelligi debeat. Nonnulli illud extendunt ad omnes omnino actus deliberatos, sive sint ordinis naturalis, sive supernaturalis: alii vero ad eos tantum, qui sunt ordinis supernaturalis. Plures docent, effatum illud de gratia habituali intelligi debere, eo quod (inquiunt) Augustinus & Patres loquantur de iis tantum actibus, quibus homo vitam æternam promereri potest: at gratia, per quam vitam æternam meremur, est gratia habitualis, cum Trid. Synodus definierit, nihil eorum quæ justificationem præcedunt, vitam æternam promereri. Alii contendunt, idem effatum de sola gratia actuali intelligi debere.

CONCLUSIO 1. Actus, ad quos datur gratia, non sunt actus ordinis naturalis.

Probatur. Actus ordinis naturalis sunt duplicis generis: alii enim sunt necessarii, alii liberi: sed nec ad illos, nec ad istos omnes gratia datur. Non ad necessarios, hoc est, qui rationis usum præcedunt; nempe Augustinus in Epistola ad Vitalem agens de necessitate gratiæ, majorem tantum meminit, non obscure innuens parvulos nondum exercere actus illos, ad quos gratia datur: *Scimus* (inquit) *gratiam majoribus ad singulos actus dari*. Non datur quoque ad liberos, qui mali sunt; cum (ut idem Augustinus serm. 13. de verbis Domini, cap. 11. admonuit) ad male agendum habeamus sine adjutorio Dei liberam voluntatem. Non etiam ad eos omnes, qui licet boni sint, sunt tamen ordinis naturalis; scilicet homo lapsus, per naturæ vires potest quædam agere, quæ moraliter bona sint, tum ex parte operis quod agi-

agitur, tum ex parte finis quem sibi operans proposuit; ut patet in eleemosyna quam quis elargitur, ut proximi miseriam sublevet: atque enim eleemosyna, et intentio sublevandi miseriam alienam, bona sunt. Ita censuit Pius V. a quo proscripta fuit hæc propositio: *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Hinc patet, axioma de quo agitur, intelligi tantum de actibus qui propter concupiscentiam difficiles sint, ut victoria ex tentationibus; aut qui ordinis sunt supernaturalis, & ad salutem conferant.

CONCL. 2. In hoc axiomate, *Gratia datur ad singulos actus*: nomine gratiæ non intelligitur habitualis, sed actualis tantum.

Probatur 1. In axiomate de quo agitur, intelligitur gratia, quam Pelagiani negabant in hominibus justis ad singulos pietatis actus requiri; scilicet sub initium Pelagianismi, non de alia gratia, quam de ea quæ justis ad operandum bonum est necessaria, Catholici cum hæreticis disputarunt: nempe de ea solum gratia agit Augustinus in libris, qui ante hæreseos Pelagianæ in Concilio Carthaginiensi condemnationem conscripti fuerant; neque etiam de alia disputat in libris de natura, & gratia; in secundo de peccatorum meritis; de perfectione justitiæ; de spiritu, & littera; Epistola 89. de gestis Pelagii, qui omnes libri editi sunt, antequam Pelagiani Carthagine damnarentur: Atqui Pelagiani non negabant, gratiam habitualem requiri in justis ad singulos pietatis actus, cum faterentur eos sine gratia habituali, sine remissione peccatorum non posse justos esse: ergo, &c.

Probatur 2. Laudatum axioma debet intelligi de gratia, per quam bonum faciendum, dulce ac suave fit: *Quis enim* (ait Augustinus in lib. 2. ad Simplicianum c. 27.) *animo amplectitur, quod eum non delectat?* Atqui bonum non fit dulce ac suave per gratiam habitualem, sed per gratiam formaliter, ut loquuntur, delectantem: neque enim omnes justi, licet gratiam habitualem habeant, suavitatem illam ac dulcedinem in se ipsis sentiunt ac experiuntur: Ergo, &c.

Item S. Doctor gratiam adjutoriam ad singulos actus requisitam vocat inspirationem caritatis, seu inspirationem dilectionis boni, quod agendum est. *Invito* (ait S. Doctor l. 1. ad Bonifacium c. 8.) *& reluctanti Deus inspirat boni cupiditatem, ut jam non sit reluctans, sed consentiens bono, & volens bonum*: sed ea caritatis inspiratio, non est habitualis; nempe ipsa inspirationis vox actum, non autem habitum, sonat.

Idem evincitur ex precibus Ecclesiæ, ex quibus sic eruitur argumentum. Ea gratia est ad singulos actus necessaria, quam Ecclesia a Deo petit; oratio enim, ex Augustino, est certissima est gratiæ testificatio: unde idem Sanctus Doctor sic loquitur in libro de dono perseverantiæ cap. 7. *Si ergo alia documenta essent, hæc Dominica oratio nobis ad caussam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret*: Atqui gratia quam Ecclesia a Deo petit, non est gratia habitualis: Nam 1. eam pro justis non petit, cum ea jam fruantur, idque a nemine petatur, quod jam in sua habeat potestate: *Impetrando quidem oratio* (inquit Augustinus Epist 105.) *quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostenditur, ne homo existimet, a se ipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur.* 2. Eam quoque, saltem immediate, non petit pro incredulis; sed petit gratiam actualem, per quam ex non credentibus credentes fiant: *Scimus* (ait idem S. Doctor Epist. 107.) *pro eis qui nolunt credere, nos qui jam credimus, recte fieri agere, cum Deum oramus, ut velint. Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt tanquam de beneficiis, recte atque veraciter & debere nos Deo gratias agere, & solere.* 3. Eam gratiam petit Ecclesia, per quam non tantum possimus, sed etiam actu Dei mandata servemus: *Cum ergo* (ait S. Doctor lib. 2. de peccatorum meritis, c. 5.) *nobis jubet, dicens: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: nosque illi dicimus: Converte nos Deus salutarium nostrarum, & Deus virtutum converte nos, quid aliud dicimus, quam: Da quod jubes?* Atqui, dato quod per gratiam habitualem servare possimus Dei mandata, illa tamen per eam actu non servamus: ergo Ecclesia in suis orationibus gratiam habitualem non petit.

Probatur 3. ratione. Quod in nobis habitualiter permanet, non dicitur ad singulos actus dari; ob eam enim rationem nemo unquam dixit quod liberum arbitrium ad singulos actus homini detur; quod potentia ambulandi detur ad singulos deambulationis actus: atqui gratia habitualis in nobis habitualiter permanet: ergo recte non dicitur, quod detur ad singulos actus.

CONCLUSIO 3. Gratia, quam Ecclesia definiit dari ad singulos actus, est gratia efficax.

Probatur 1. ex orationibus Ecclesiæ. Gratia efficax est quæ dat non solum posse, sed etiam ipsummet agere; sic enim orat Sabbato [illegible] post Pentecosten: *Da nobis & posse & velle quæ præcipis.* Dominica 4. post Pascha: *Da populis tuis id amare quod præcipis; id desiderare quod promittis.* Dominica 5. *Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.* Infra octavam Ascensionis: *Fac nos tibi semper & devotam gerere voluntatem, & majestati tuæ sincero corde servire.* Dominica 8. post Pentecost. *Largire quæsumus Domine semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi.* Multis aliis similibus

formulis utitur, quas iis locis referemus, ubi de gratia efficaci differemus.

Probatur. 2. auctoritate Augustini. Ex gratia ex Augustino in libro de gratia Christi c. 3. datur ad singulos actus, quæ *dilectionem inspirat, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat*; quæ (ut ait c. 8.) *ineffabili cum suavitate doctrinam infundit*; [illegible] (ut ait c. 14.) *interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operatur in cordibus hominum bonas voluntates*; quæ (ut ibidem ait) *velle & operari operatur in nobis*; quæ (ut ait c. 35.) *inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis impetret*. Ejusdem libri c. 10. contendit contra Pelagium, debere eam gratiam ad singulos actus dari, qua voluntas justitiam amet, qua ad Deum eat, qua futuræ gloriæ magnitudo credatur & speretur: *Sed nos eam gratiam volumus, iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur. . . . Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus*. Atqui gratia cui ea omnia conveniunt, est gratia efficax: ergo gratia quam Ecclesia definiit dari ad singulos actus, est gratia efficax, seu quæ non dat solum posse, sed etiam ipsummet agere.

Objicies 1. Gratia efficax est tantum necessaria ad initium fidei, & ad perseverantiam usque in finem: ergo non est necessaria ad singulos pietatis actus. Probatur ant. Augustinus agens de necessitate gratiæ, libro de prædestinatione sanctorum, de solo initio fidei loquitur; & in libro de dono perseverantiæ, de sola usque in finem perseverantia: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Augustinus in libris quos contra Pelagianos exaravit, probat gratiæ necessitatem ad omnes pietatis actus, eo quod Pelagiani contenderent, ad nullum eam requiri. Econtra in libris de prædestinatione sanctorum, & de dono perseverantiæ solum agit de necessitate gratiæ efficacis ad initium fidei, & ad perseverantiam usque in finem: eo quod Semipelagiani, quos iis in libris impugnat, faterentur, ad alios actus ab initio fidei & a perseverantia usque in finem, requiri eam gratiam, hoc est efficacem, quam Augustinus in suis operibus adversus Pelagianos asseruerat. *Sed quid plura?* (ait Sanctus Doctor in libro de dono perseverantiæ, c. 24.) *satis docuisse me existimo, vel potius plusquam satis, dona Dei esse, & incipere in Domino credere, & usque in finem in Domino permanere. Cetera vero bona ad vitam piam, qua Deus recte colitur, pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, Dei [illegible] esse concedunt.*

Objicies 2. Gratia habitualis, cæterique virtutum habitus, ad hoc [illegible], ut homo possit bonum [illegible] & [illegible] malum: ergo satis [illegible] actus [illegible]; alioquin enim aut imperfecti essent, aut frustra hominibus justis a Deo darentur.

Respondet hisce verbis Estius in l. 4. Sent. disp. 26. §. 22. *Ad primum cum S. Thoma respondemus, habitualem gratiam, & virtutes non ad hoc dari, ut iis acceptis, ulteriori auxilio non egeamus, sed ut possimus & [illegible] simus ad operandum. Quod cum præstent, nec frustra datæ sunt, nec in suo genere imperfectæ; licet actualis operatio non sequatur [illegible] peculiari motione, id est, auxilio Dei [illegible] etiam res se habet in omni alio habitu [illegible] cipio activo creato.*

Quæres, cum gratia ad singulos pietatis actus detur, quid in bono opere gratiæ adscribi debeat, quid libero hominis arbitrio?

Resp. bonum opus, totum gratiæ adscribi debere, totum quoque libero arbitrio, sed diversa ratione: nempe libero arbitrio tribui debet tamquam caussæ cooperanti; gratiæ vero tamquam caussæ moventi, & determinanti ad cooperationem, ipsamque cooperationem adjuvanti & sustinenti.

Quod totum bonum opus debeat Dei gratiæ, evincitur 1. ex Scriptura, quæ asserit, sine Dei gratia, nec parum, nec multum nos posse: *Sine me nihil potestis facere*. Asserit quoque omne quod in nobis bonum est, a Deo esse: *Omne datum optimum* (Jacobi 1.) *& omne donum perfectum, desursum est*. Asserit iterum, Deum operari in nobis initium, progressum, & consummationem operis nostri: *Operatur velle & perficere pro bona voluntate*: Deum aptare nos ad omne bonum, ac proinde & ad ipsam cooperationem: *Aptet vos* (ait Apostolus ad Hebr. 13.) *in omni bono*.

Evincitur 2. ex orationis præcepto, quo jubemur, omnia quæ ad salutem pertinent, a Deo petere; eo nimirum (ut docet Augustinus in libro de dono perseverantiæ) spectant omnes orationis Dominicæ partes.

Evincitur 3. ex Patribus. Augustinus Enchiridii cap. 32. docet, ideo dictum esse: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*. In libro de prædest. Sanct. c. 7. docet, Deo tribuendum esse, quidquid Cornelius, & antequam in Christo explicite crederet, & postquam credidit, operatus est boni. In libro de dono perseverantiæ c. 13. hæc ait: *Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium & verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo*. Prosper in libro contra Colla-

torem c. ultimo, Augustino subscribens, ait: *Nobis devotionis dedisse prope totum, sed fraudi attribuisse vel minimum.*

Jam vero quod totum bonum opus libero arbitrio tribui debeat, hisce verbis docet & explicat Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio, c. 14. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt, totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic autem ex illa.* Unum tamen excipit Bernardus, primam nimirum boni cogitationem quæ mentem subit, cui cogitationi adjungi debet cælestis illa suavitas, qua voluntas demulcetur: *Sic ergo* (inquit) *tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle & perficere, operatur in nobis: Primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit; ministrando eam consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.*

CAPUT IX.

Utrum homo innocens indiguerit gratia.

Not. QUæremus hic 1. utrum Adamus innocens aliqua gratia indiguerit; 2. an illi ad omnes actus fuerit necessaria; 3. quæ gratiæ species Adamo necessaria fuerit.

CONCLUSIO 1. Adamus innocens indiguit aliqua gratia.

Probatur auctoritate Augustini. Ubi Sanctus Doctor in Enchiridio ad Laurentium, c. 106. asseruit, Adamum in statu innocentiæ per liberi arbitrii usum augmentum gratiæ meruisse, hæc addit: *Quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* In libro de correptione & gratia, ubi capite 10. docuit, Adamum potuisse per liberum suum arbitrium in justitia, quam a Deo acceperat, perseverare, capite 11. hanc sibi objectionem proponit: *Quid ergo, Adam non habuit Dei gratiam?*

Idem Sanctus Doctor Sermone de verbis Apostoli cap. 2. docet, Deum opitulatione suæ gratiæ Adamum operantem rexisse: *Creatus est* (inquit) *rectus, non se fecit rectum. Quid se autem ipse fecerit, notum est: cadens a manu Dei, fractus est: regebat enim eum ipse fecerat. Voluit deserere, a quo factus erat: permisit Deus, tamquam dicens: Deserat me, & inveniat se, & miseria sua probet, quia nihil potest sine me.* Unde sic arguitur: Duobus tantum modis Deus creaturam ratione præditam regit: vel exterius, per præcepta nimirum; vel interius, per suæ gratiæ auxilium: atqui regimen, de quo Augustinus hoc in loco loquitur, non est regimen exterius per præcepta: siquidem est regimen, quod Deus homini post peccatum subtrahit: at homini post peccatum non subtrahit regimen exterius, neque enim desinit homini post peccatum imponere præcepta: ergo est regimen interius, per gratiæ scilicet adjutorium.

Idem Augustinus in lib. 1. de Genesi ad litteram, cap. 10. asserit, Deum operari hominem jam creatum, ut pius sit & sapiens: *Ea locutione* (explicat hæc Geneseos verba: Ut operaretur & custodiret illum) *dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius, sapiensque sit;* Deum vero operari hominem, ut pius, sapiensque sit, non aliud est, quam Deum sua gratia hominem adjuvare, ut pietatis ac sapientiæ actus operetur.

In Enchiridio c. 107. expresse asserit, Adamo opus fuisse gratia, ut in accepta rectitudine permaneret: *Sic* (inquit) *factus est homo rectus, ut manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino.* Cap. 6. idem, licet aliis terminis, jam expresserat: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* Iis consonat hæc alia ejusdem Sancti Doctoris sententia: *Ut ab ea teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret.* Eodem tendit hæc alia quæ habetur in libro de corrept. & gratia c. 11. *Dederat & adjutorium, sine quo in ea bona voluntate non posset permanere si vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio.*

Ex iis Augustini textibus sic conficitur argumentum. Ille indiguit gratia, qui sine ea mereri non potuit: qui indiguit Dei regimine; quem Deus operatus est, ut pius esset: qui in rectitudine sine Dei adjutorio manere non poterat; qui sine eo in bona voluntate stare non poterat: atqui (ut patet ex laudatis textibus) ea omnia locum habuerunt in Adamo innocente: ergo Adamus innocens indiguit aliqua gratia.

CONCL. 2. Gratia Adamo necessaria fuit, non solum ad perseverandum in finem usque, sed etiam ad singulos actus.

Probatur 1. Bona voluntas est idem cum actu bono; unde Augustinus eam non semel per actum exprimit: eam enim l. 14. de Civit. Dei vocat Dei amorem; lib. 11. de Genesi ad litteram, scribit positam eam esse in velle & non dissentire suadenti: atqui ad quamlibet bonam voluntatem Adamus innocens indiguit gratia actuali: *Quoniam* (inquit Augustinus in l. de corrept. & gratia, c. 11.) *liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti bono:* ergo &c.

2. Adamus innocens per quodlibet bonum opus meritum sibi comparasset: sed ad meritum sibi comparandum indiguisset auxilio gratiæ: *Meritum bonum* (inquit Augustinus L. 14.

l. 14. de Civit. Dei cap. 27.) *habens in adjuta divinitus voluntate.*

3. Omnis actus Adami innocentis fuit actus quo voluit in gratia sibi in creatione concessa manere: atqui ut posset velle in gratia manere, indiguit gratiæ auxilio; *Si autem* (ait August. in l. de corrept. & grat. c. 12.) *hoc adjutorium vel Angelis, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis naturæ facti erant, ut sine divino adjutorio possent manere si vellent, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Adamus innocens quoad singulos actus se habuit, sicut oculus quoad visionem: ergo quemadmodum oculus, quantumcumque sit sanus, videre non potest nisi candore lucis adjuvetur: ita nec Adamus innocens potuit actum aliquem pium elicere sine divinæ gratiæ adjutorio: *Sicut enim oculus corporis* (ait Aug. lib. de natura & gratia, c. 26.) *plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi a luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

CONCLUSIO 3. Gratia Adamo in statu innocentiæ ad singulos actus necessaria, fuit gratia actualis.

Probatur 1. Gratia quæ Adamo in statu innocentiæ ad singulos actus necessaria fuit, non est gratia habitualis, aut simplex Dei concursus, etiam supernaturalis: ergo est gratia actualis. Minor propositio variis argumentis ostenditur.

I. Inter Augustinum & Pelagianos nulla unquam fuit quæstio de gratia habituali; eam enim in Adamo, tum innocente, tum lapso, Pelagiani admittebant: ergo de gratia habituali intelligi non debent loca, quæ ad præcedentis conclusionis probationem allata sunt ex Augustino.

II. Idem Sanctus Doctor loquitur de gratia quæ requiritur ad conservandam gratiam habitualem; loquitur enim de gratia, quæ justis est ad perseverandum necessaria, ut ex textibus supra laudatis patet: at gratia quæ requiritur ad conservandam gratiam habitualem, non est gratia habitualis; neque enim medium potest esse idem cum fine.

III. Gratia, quæ ad singulos actus necessaria fuit Adamo innocenti, est gratia, per quam (ut jam observatum est) Deus Adamum innocentem regebat: atqui gratia, per quam Deus Adamum innocentem regebat, non est habitus, aut concursus simultaneus, sed actus quidam, illustratio nimirum & motio, quibus creaturæ suæ facultates duas, intellectum & voluntatem, afficit, priusquam, saltem in instanti naturæ, illæ facultates operentur: *Si voluntas* (inquit Augustinus lib. 14. de Civ. Dei, c. 13.) *in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amore stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret.*

IV. Gratia quæ ad quemlibet pietatis actum fuit necessaria Adamo innocenti, se habet respectu gratiæ habitualis, sicut alimenta respectu vitæ; sicut lux qua opus est oculo, ut videre possit: ita enim docet Augustinus in Enchirid. cap. 106. atqui alimenta distinguuntur a vita ad cujus conservationem requiruntur; lux distinguitur ab oculo, cui ea opus est ad videndum: ergo gratia, de qua agitur, in Adamo innocente distincta erat a gratia habituali.

V. Idem Sanctus Doctor in libro de correptione & gratia, aperte gratiam Adamo ad agendum necessariam distinguit a bona voluntate habituali: sic enim loquitur, c. 11. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet*, hoc est, *etiamsi vellet*. Particula illa, *&*, importat rei conjunctæ distinctionem a re, cui conjungitur; neque enim idem potest sibi ipsi conjunctum esse: ergo in illo Augustini textu importat quoque adjutorii distinctionem a bona voluntate, a rectitudine, in qua Adamus conditus fuerat, ac proinde a gratia habituali, quæ (ut jam observatum est) ab illa bona bona voluntate, ab illa rectitudine, in qua Adamus conditus fuerat, non distinguitur.

CONCL. 4. Gratia qua Adamus innocens ad singulos actus indiguit, distincta fuit a concursu concomitante etiam supernaturali.

Probatur 1. Concursus concomitans non afficit caussam, sed effectum tantum, hoc est, nullas vires addit caussæ; unde si caussæ vires non suppetant, ad actum non progreditur, etiamsi præsto sit concursus ille concomitans: E contra vero adjutorium, quod rectitudini, in qua Adamus fuerat creatus, superadditum fuerat, in Adamo ipso agendi facultati vires addebat; scilicet Augustinus non semel asserit, Adamum sine eo adjutorio non potuisse permanere, cum eo vero potuisse.

Probatur 2. Cum Augustinus scripsit, Adamum sine illo adjutorio non potuisse in statu gratiæ permanere; majus aliquid dixit, quam si dixisset Adamum sine adjutorio potuisse cadere: id tamen in adversariorum suppositione falsum esset; non minus enim ad cadendum (quod fit quando creatura Deo anteponitur) requiritur concursus concomitans, quam ad perseverandum in justitia per virtutis praxim.

Probatur 3. Concursus concomitans non subtrahitur in pœnam præcedentis alicujus peccati, sed subtrahitur tantum ex eo, quod quis eo uti nolit, seu ex eo quod non velit operari: E contra adjutorium, quod Adamo innocenti concessum fuit, eidem Adamo, non jam stanti, sed lapso subtrahitur

in

in poenam peccati: *Si autem hoc adjutorium* ([illegible] Augustinus in libro de corrept. & [illegible] *vel homini, cum* [illegible] .... *non utique,* [illegible]. *Nunc autem quibus deest* [illegible] *adjutorium, jam poena peccati est.*

Probatur [illegible] Adjutorium Adamo concessum fuit adjutorium *sine quo non*, non autem adjutorium *quo*: hoc est, fuit tale adjutorium, ut licet sine illo liberum arbitrium in justitia stare non posset, non tamen ut illo dato, liberum arbitrium staret in justitia; e contra concursus concomitans, sive sit ordinis naturalis, sive supernaturalis, hujusmodi est, ut eo [illegible] detur id, ad quod datur: si enim Deus [illegible] credenti v. g. aut diligenti cooperetur, jam hoc ipso quod cooperetur, homo credit vel diligit.

Tandem Sanctus Augustinus epistola 106. ad Paulinum sic loquitur: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare, quam perdidit?* Ex iis verbis evidenter sequitur, gratiam, quæ Adamo ad conservandam justitiam fuit necessaria, fuisse & ab habituali gratia, & a concursu simultaneo omnino distinctam: siquidem (ut jam superius observatum est) medium ad finem comparandum est omnino distinctum ab ipso fine comparando. Concursus simultaneus, cum actu ponitur, supponit in homine voluntatem realem & efficacem conservandi justitiam: ideo enim Deus cum voluntate concurrit, quod voluntas prius, saltem in instanti naturæ, velit bonum operari.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, patet 1. Adamum innocentem indiguisse gratia ad bonum agendum: *Non sic enim* (ut ait Augustinus) *constitutus est rectus, ut ad permanendum in ea rectitudine non indigeret auxilio divino.* Patet 2. illud adjutorium non tantum ad actum illum, qui ultimam vitæ periodum claudit, fuisse Adamo innocenti necessarium, sed etiam ad singulos pietatis actus: nempe perseverantia in rectitudine, in qua conditus fuerat, non unum tantum actum dicit, sed omnes actus virtutum, quarum præcepta urgebant. Patet 3. illud adjutorium omnino distinctum fuisse a gratia habituali; erat enim, ex Augustino, medium ad gratiæ habitualis, in qua Adamus creatus fuerat, conservationem necessarium. Patet 4. illud adjutorium non fuisse concursum simultaneum; scilicet adjutorium illud, ex Augustino, influebat in causam seu potentiam operandi bonum; cum e contra concursus simultaneus non in causam, a qua determinatur, sed in effectum tantum influat.

Si quis vero roget, cur Ludovicus Molina & Lessius tanto studio laboraverint, ut ostenderent Adami gratiam non fuisse, aut a gratia habituali ceterisque virtutibus infusis, aut concursu concomitante distinctam, dicendum erit, ideo in id eos laborasse, ut declinarent argumentum, quod pro intrinseca gratiæ efficacia petitur ex oppositione, quam Augustinus statuit inter gratiam, qua Adamus innocens ad operandum indiguit, & eam qua eidem Adamo post lapsum opus fuit.

Objicies 1. Tota ratio, cur homo post peccatum ad conservandam justitiam, præter gratiam habitualem, indigeat actuali; petitur ex difficultate quam propter concupiscentiam, quæ ad peccatum inclinat, humana voluntas ad bonum operandum patitur: Atqui ratio illa locum non habuit in Adamo innocente; neque enim in eo statu, aut ignorantia, aut concupiscentia laboravit: ergo Adamus innocens non indigebat gratia ad operandum bonum.

Resp. neg. maj. ignorantia enim & concupiscentia, quibus homo lapsus laborat, sunt quidem caussa, cur ad bonum operandum indigeat efficaci auxilio, sed non sunt caussa, cur gratia (abstrahendo ab efficaci & non efficaci) necessaria sit: scilicet necessitas gratiæ ut sic petitur ex substantia creata, quæ quantumcumque in donis naturalibus perfecta sit, proportionem non habet cum operationibus supernaturalis ordinis, quibus gratiam sanctificantem, in qua fuerat condita, conservare possit: *Est quippe in nobis*, (inquit Aug. in l. de corrept. & grat. c. 11.) *per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset; & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseverasset. Posset enim perseverare, etiam si vellet: quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & male.*

Objicies 2. Sententia, qua asseritur, Adamum, præter gratiam sanctificantem, aut concursum simultaneum, indiguisse gratia actuali ut bonum operaretur, repugnat variis Augustini principiis.

Nam Sanctus Doctor docuit 1. in Adamo innocente fuisse potestatem bene vivendi, si vellet: *Quis nescit*, (ait in libro de natura & gratia, c. 37.) *eum sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad juste vivendum potestate libera constitutum.*

Docuit 2. in Adamo innocente fuisse facultatem credendi in Deum, & eum diligendi; Nempe contendit, per peccatum facultatem illam amissam fuisse: *Liberum arbi-*

bitrium (inquit epist. 107.) *ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

Docuit 3. sententiam pelagii contendentis, hominem non indigere gratia, futuram fuisse veram, si eam de homine sano intellexisset: *Si iste* (inquit in libro de natura & gratia, c. 51.) *qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata & salva condita est, utcumque acciperetur hoc dictum.*

Docuit 4. sic Deum res ordinasse, ut in Angelis, ac proinde & in homine sano, ostenderet, quid posset liberum creaturæ innocentis arbitrium: *Quapropter* (ait in lib. de corrept. & gratia, c. 10.) *saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum, Dominum rerum omnium, sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in eis prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.*

Docuit 5. potestatem perseverandi fuisse in hominis innocentis arbitrio: *Qui non infertur in tentationem,* (ait in libro de dono perseverantiæ cap. 7.) *non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt. fuerat in homine, antequam caderet.*

Tandem docuit 6. Angelos sanctos per liberum arbitrium in justitia a Deo in creatione accepta perseverasse: *Cadentibus* (inquit cap. 11.) *aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.*

Ex iis autem textibus sic argumentum conficitur. Ille ab bonum operandum non indiguit gratia actuali: in cujus natura fuit potestas recte videndi; facultas credendi in Deum, & eum diligendi; in quo Deus ostendere voluit, quid posset liberum arbitrium; qui in se ipso vires habuit, ut tentationi non succumberet; qui, sicut in Angelis sanctis actu contigit, per liberum arbitrium in sanctitate per creationem accepta perseverare potuit: Atqui (ut ex textibus allatis patet) ea omnia locum habuerunt in Adamo innocente: ergo Adamus innocens, præter gratiam habitualem, non indiguit actuali, ut bonum operaretur.

Resp. conc. mai. dist. min. Atqui ea omnia in Adamo innocente adjuto gratia versatili locum habuerunt, conc. min. non adjuto gratia versatili, neg. min. Quæ in argumento nobis objecta sunt, recte de eo dici possunt, qui gratiam tantum versatilem habet, hoc est, quæ liberum arbitrium non determinet ad operandum, sed potius ab ipso determinetur: quando enim duæ causæ ad aliquem effectum concurrunt, effectus præcipue illi tribuitur, qui primas in eo partes habet, per quam alia ad ipsum determinatur; ac proinde cum liberum hominis innocentis arbitrium primas partes habuerit in bono, cum ab ipso gratia actualis determinata fuerit ad actum, mirum non est, cur in eodem Adami innocentis arbitrio tantam, quantam objiciunt adversarii, facultatem Augustinus agnoverit.

Objicies 3. S. Thomas 1. part. q. 109. multa scribit, quæ conciliari non possunt cum conclusione, in qua asserit, Adamum innocentem indiguisse gratia actuali ad bonum agendum. Siquidem articulo 2. hæc scribit: *Sed in statu naturæ integræ, quantum ad sufficientiam operativæ virtutis poterat homo per sua naturalia velle & operari bonum suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis adquisitæ.* Articulo 3. hæc habet de Dei amore: *Homo in statu naturæ integræ poterat absque superadditione gratuiti doni diligere Deum super omnia.* Articulo 4. hæc etiam de mandatis Decalogi: *Hoc modo* (scilicet quantum ad substantiam) *homo in statu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere.* Unde sic arguitur: Ille non indigebat gratia actuali ad operandum bonum, qui per sua naturalia poterat, & velle & operari bonum; servare omnia Decalogi mandata, & amare Deum super omnia: Atqui Adamus innocens, ex S. Thoma, per sua naturalia, hoc est, per vires naturales, ea omnia poterat: ergo &c.

Resp. ad 1. S. Thom. loqui de bono, quod est ordinis naturalis: *Quale est* (inquit) *bonum virtutis adquisitæ; non autem bonum superexcedens, quale est bonum virtutis infusæ.*

Resp. ad 2. eumdem S. Doctorem sumere amorem pro necessaria propensione, qua quælibet creatura fertur ad ultimum finem: *Homo* (inquit) *in statu naturæ integræ poterat operari virtute suæ naturæ bonum, quod est sibi conveniens absque superadditione gratuiti doni, licet non absque auxilio Dei moventis: diligere autem Deum super omnia, est quoddam connaturale homini, & etiam cuilibet creaturæ, non solum rationali, sed irrationali, & inanimatæ, secundum modum amoris, qui unicuique creaturæ competere potest.*

QUÆSTIO IV.

De gratuitate Gratiæ.

Not. 1. Dogma est fidei Catholicæ, Gratiam esse omnino gratuitam.

Nempe 1. id definitum est in Concilio Diospolitano, ex quo Pelagius non exiisset impune nisi hanc propositionem, *Gratia secundum merita nostra datur*, coram laudati Concilii Patribus damnasset, ut asserit Augustinus in Epistola ad Sixtum.

2. Idem Dogma, *Gratiam esse omnino gratuitam*, inter catholicæ fidei regulas ab eodem Augustino recensetur in Epistola ad

Vitalem: *Quoniam vero*, (inquit) *propitio Christo C[illegible] Catholicique sumus ...... scimus G[illegible] Dei nos [illegible] neq; majoribus secundum merita nostra dari*.

Not. 2. Ut illud fidei dogma, *Gratia non datur secundum nostra merita*, probe intelligatur, singuli, ex quibus constat, termini exponendi sunt: nempe quaerendum est 1. quae gratia non datur secundum merita; 2. quid meritorum nomine intelligatur; 3. quid vox ista, *Nostra*, significet; 4. utrum dogmate illo excludatur quælibet ad gratiam præparatio.

CAPUT PRIMUM.

Quæ gratia non datur secundum nostrà merita.

CONCL. 1. In hoc fidei Articulo, *Gratia secundum merita non datur*, vox hæc *Gratia*, non tantum intelligi debet de gratia habituali, sed etiam de gratia actuali,

Probatur. Vox hæc, *Gratia*, de ea omni gratia intelligi debet, quam Pelagiani contendebant secundum merita nostra dari: scilicet articulus ille, *Gratia secundum merita non datur*, contra Pelagianos in Synodo Diospolitana definitus est: contra eos quoque propugnatus est ab Augustino, tum in Epistola ad Sixtum, tum in multis aliis operibus; Atqui Pelagiani non solum gratiam habitualem, quæ hominem (ut loquuntur) formaliter sanctificet; sed etiam actualem, quæ ad justificationem disponat, contendebant secundum merita nostra dari. Nempe quæsiti, quam gratiam in Palæstina Synodo confessi fuissent secundum merita non dari, non confugerunt ad gratiam actualem, hoc est, non responderunt, gratiam actualem non dari secundum merita; sed tantum ad creationis gratiam, quam homines, utpote nondum existentes, suis meritis prævenire non potuerint, id enim testatur Augustinus Epistola ad Sixtum.

Probatur iterum nostra conclusio. Rationes quibus Patres usi sunt, ut contra Pelagianos ostenderent, gratiam secundum merita non dari, præcipue vim habent in gratia actuali:

Usi sunt 1. argumento petito ex fide, probaruntque, fidei gratiam secundum merita non dari, ut videre est apud Augustinum in Epistola ad Sixtum: atqui gratia fidei, seu qua infidelis ad fidem movetur, est gratia actualis.

Usi sunt 2. argumento petito ex auxilio, quod in justo ad bonum agendum requiritur: *Deinde* (ait Augustinus in Epist. ad Sixtum) *post remissionem peccatorum, nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem redit spiritibus immundis?* Sed auxilium illud quod in justo ad operandum bonum requiritur, est gratia actualis, nempe auxilium illud spirationis & caritatis nominibus ibidem ab Augustino exprimitur: at spiratio & caritas actionem significant: *Caritatem vero* (ait S. Doctor alio in loco) *motum animi ad fruendum se & proximo propter Deum*.

Usi sunt 3. argumento petito ex oratione, per quam & remissio peccatorum, & virtutes impetrantur: Asseruerunt nempe, orationem impii, qui jam credit, effectum esse, quem nulla omnino merita præcedant: ita Augustinus in Epistola ad Sixtum.

Usi sunt 4. argumento quod petitur ex eo, quod gratia, quam dixerunt secundum merita non dari, quibus datur, ex misericordia detur: quibus non datur, justo Dei judicio negetur; *Scimus* (ait Aug. in Ep. ad Vitalem) *eis quibus datur, misericordia gratuita dari. Scimus eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari.* at dici non potest, quod gratia habitualis iis quibus datur, ex Dei misericordia detur; nam quamvis gratia habitualis de condigno (ut loquuntur Theologi) impio adulto non debeatur, cum (ut ait Tridentina Synodus sessione 6. cap. 8.) nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promereatur; debetur tamen de congruo impiis, qui per actus fidei, spei, & caritatis se se ad eam præparaverint, ut videre est in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. Eo autem sensu opera, quæ per Dei gratiam ab impio facta fuerint, justificationem *de congruo* merentur, quod a Deo justificationem impetrent: *Sed* (inquit Augustinus in Epistola ad Sixtum) *nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim ullum est meritum fidei: qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori: & descendit justificatus merito fidelis humilitatis: quoniam qui se humiliat, exaltabitur.*

Objicies 1. In hoc fidei articulo: *Gratia secundum merita non datur*, nomen *Gratiæ* sumitur pro gratia qua justificamur: *Abjiciatur* (inquit Augustinus in Epistola ad Sixtum) *a Christianorum cordibus ista fallacia*, Pelagii, qui nomine gratiæ, cujus gratuitatem in Palæstina Synodo confessus fuerat, intellexerat gratiam creationis; *nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus; sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus: Ista est enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum*: Atqui sola gratia habitualis impium justificat: ergo in articulo, de quo agitur, nomine gratiæ sola gratia habitualis, non autem actualis intelligitur.

Resp. dist. maj. In hoc fidei articulo, &c. nomen *Gratia* sumitur pro gratia, qua justificamur aut dispositive, aut formaliter, conc. maj. formaliter tantum, neg. maj. Ratio est, quia Augustinus loquitur de justificationis gratia, quæ est via ad justificationem;

nem; *sed qua* (inquit) *justificati sumus, ut homines justi essemus*: at justificationis gratia, quæ via est ad justificationem, ad formam nimirum per quam justi sumus, est gratia actualis; neque enim gratia habitualis est via ad gratiam habitualem.

Objicies 2. In articulo fidei de quo agitur, est quæstio de gratia per quam aliquid meremur: atqui gratia per quam aliquid meremur, est gratia habitualis: ergo in eo articulo nomen gratiæ sumi debet pro gratia habituali.

Resp. dist. maj. Est quæstio de gratia, per quam aliquid meremur merito de condigno, aut de congruo, hoc est, merito vel stricto, vel late sumpto, conc. maj. merito de condigno tantum & stricte sumpto, neg. maj. Ratio est, quia Augustinus (ut jam observatum est) expresse asserit, nec fidem, nec orationem impii suo merito carere, cum justificationem impetrent, ad eamque disponant: at fides & oratio impii non supponunt in impio gratiam habitualem; alioquin enim impius, dum elicit actum fidei, dum orat, non esset impius, sed justus, cum gratia habitualis sit forma, per quam aliquis justus est, hoc est, in statu gratiæ sanctificantis constituitur.

CONCL. 2. In hoc catholicæ fidei articulo, *Gratia secundum merita non datur*, nomine *meritorum*, ea omnia intelliguntur, quæ Deum aliquo modo movere possunt ad conferendam gratiam actualem.

Probatur 1. Certum est, nomine *meritorum* excludi merita proprie dicta, seu opera quæ ex condigno, ut loquuntur, gratiam actualem mereantur: siquidem hæc sententia, *Gratia secundum merita non datur*, definita fuit contra Pelagianos: Pelagiani vero docebant, gratiam actualem dari secundum merita proprie dicta, ita ut injustus foret si impiis legem naturalem per naturæ tantum vires servantibus gratiam actualem ad bonum (ut ajebant) facilius operandum requisitam, non largiretur.

2. Non minus certum est, vocibus istis, *secundum merita*, excludi merita, quæ Theologi merita *de congruo* vocant. Nempe merita de congruo præparant ad gratiam actualem; ac proinde, saltem remote, præparant quoque ad initium justificationis: at fide catholica certum est, opus ex solis naturæ viribus peractum, nulla ratione, hoc est, nec remote, nec proxime, impium ad initium justificationis disponere: id enim aperte docet Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 5.

3. Per has voces *secundum merita*, non excludi tantum merita, sive de condigno, sive de congruo, sed etiam quemlibet actum naturæ viribus elicitum, sive actus ille sit meritorius, sive non meritorius, sive ad illius intuitum Deus gratiam actualem ex justitia, sive ex mera liberalitate largiatur, variis argumentis demonstrari potest. Semipelagiani ab Ecclesia damnati sunt, quod Deum in conferenda gratia actuali, operum quæ impius naturæ viribus egisset, rationem habere contenderent. *Itaque* (verba sunt Prosperi ad Augustinum errores Semipelagianorum referentis) *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam esse vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.*

Hilarius de iisdem Semipelagianis ad Augustinum scribens, asserit, errasse eos, quod vellent aliquem hominis motum, tenuem licet desiderium sanitatis, & imperfectam medici invocationem, præcedere Dei gratiam.

Ipsi Semipelagiani nec alia ratione, nec aliis terminis suum errorem expresserunt. Cassianus apud Prosperum in libro contra Collatorem cap. 2. sic loquitur: *Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Apud eumdem Prosperum cap. 3. docet, hominem habere ex seipso virtutis appetitum, ad cujus præsentiam Deus ei gratiam suam largiatur: *Suis* (inquit) *interdum motibus ad virtutem appetitus potest extendi, semper autem a Domino indiget adjuvari.* Addit hominem non posse quidem per se apprehendere sanitatem, sed habere eum a semetipso desiderium sanitatis, & sua sponte venire ad medicum, non etiam hoc ipsum medici esse, quod veniat: Id autem hisce verbis probat: *Ut evidentius clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi a Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possint, Apostolus testis est dicens: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

Ex iis tum Prosperi, tum Hilarii, tum Cassiani textibus patet, errasse Semipelagianos, quod vellent, aliquid in homine (saltem in instanti naturæ) præcedere Dei gratiam, aliquid quod via sit ad eam recipiendam: ac proinde in hac sententia: *Gratia secundum merita non datur*, vox hæc *merita*, sumitur pro eo quod gratiam præcedit, ita ut sit via ad illam recipiendam.

Respondent nonnulli, Semipelagianos duo docuisse, primo, motum naturalem, seu ex liberi arbitrii viribus elicitum, in aliquibus hominibus præcedere gratiam actualem, & esse viam & conditionem ad illam recipiendam. Docuerunt 2. eum motum naturalem habere rationem meriti respectu gratiæ, sal-

saltem de congruo. Circa primum (inquiunt auctores, quorum sententiam referimus) non errarunt Semipelagiani, sed circa secundum tantum: neque enim catholice propugnari potest, motum aliquem ex solis arbitrii viribus elicitum, mereri etiam de congruo gratiam actualem, cum motus ille diversi prorsus ordinis sit a gratia actuali, quæ supernaturalis est.

Verum nullius momenti est responsum illud. Nam Semipelagiani nusquam asseruerunt, motum naturalem, quem contendebant in aliquibus in instanti naturæ præcedere gratiam, de congruo ipsam gratiam mereri. Nec obstat, quod ajunt apud Prosperum, aliquos homines, *merito credulitatis accipere auxilium gratiæ*: Evidens enim est, meriti nomen eo in loco non sumi stricte, sed late tantum, hoc est, pro eo omni quod est medium ad aliud habendum, sive se habeat per modum meriti, sive per modum conditionis, sive per modum viæ tantum, sive per modum dispositionis: unde Semipelagiani fere numquam meriti nomen usurparunt, cum locuti sunt de motu naturali, ad cujus intuitum, ad cujus præsentiam, Deum gratiam suam largiri contendebant.

Præterea scopus quem Semipelagiani in requirendo illo motu naturali sibi proposuerant, non cogebat eos, ut motui illi merendi virtutem adscriberent: scilicet in eam sententiam abierant, ut gratiam cum libertate conciliarent, ut assererent mandatorum possibilitatem, ut rationem redderent, cur gratia aliquibus, non autem aliis, daretur, ut discretionem unius ab alio repeterent a vigore post peccatum superstite, ut vitarent vocationem illam absolutam, quam Augustinus in libro de correptione & gratia, in Epistola ad Sixtum, in Epistola ad Paulinum, aliisque in operibus propugnaverat: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati* (verba sunt Prosperi ad Augustinum de Massiliensibus scribentis) *& lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem corporis adferre*. Tandem in eam sententiam abierant, ut conciliarent Scripturas, quæ ex una parte asserunt, Deum quærentibus occurrere, & ex altera eum a non quærentibus inveniri: *Unde* (inquit Cassianus apud Prosperum in libro contra Collatorem, c. 2.) *non facile humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, a quærentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus: & rursus inveniatur a non quærentibus se, palam appareat inter illos, qui illum non interrogabant*, &c.

Atqui scopum illum assequebantur Semipelagiani, etiam si motui naturali, hoc est ex liberi arbitrii viribus elicito, quem contendebant in hominibus passim Dei gratiæ præsupponi, meriti virtutem non tribuerent. Scilicet si in hominibus sit aliquis motus qui gratiam præcedat, cujuscumque sit generis, sive se habeat per modum conditionis, sive per modum puri medii, sive per modum meræ occasionis, sequitur, gratiam cum libertate conciliari; ideo enim gratia operabitur, quod humana voluntas operationem illius desideraverit: Sequitur quoque mandatorum possibilitas, cum per naturale desiderium penes sit unumquemque gratiam habere, per quam observentur: Sequitur, discretionem credentis a non credente, pœnitentis a non pœnitente, peti ex naturali desiderio fidei, ex naturali petitione auxilii, quod animum flectit ad pœnitentiam: Sequitur, locum non habere absolutam vocationem secundum propositum; si enim vocatio ad fidem, ad pœnitentiam, præsupponat fidei, pœnitentiæ, aliarumque virtutum tenue saltem desiderium, haud dubie non erit absoluta, sed conditionata. Sequitur tandem facile intelligi Scripturas, quæ asserunt, Deum quærentibus occurrere, & aperire pulsantibus.

Tandem, tantum abest, ut Semipelagiani alicujus meriti rationem tribuerint motui naturali quem gratiæ præsupponi asserebant, quin e contra expresse professi sint, ipsum non esse meritorium, quamvis contenderent, Deum illius occasione gratiam suam largiri: *Quomodo autem* (inquit Prosper Cassianum alloquens in libro contra Collatorem c. 3.) *non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, convinceris dicere, Gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas*. Id quoque evidens est ex Epistola Hilarii ad Augustinum, ubi referens Massiliensium doctrinam sic loquitur: *Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem ipsa quidquam jam valeat*. Idem evincitur ex Concilii Arausicani II. Canonibus 3. 5. 6. 7. 8. 9.

Et sane Concilium Arausicanum II. noverat, quam vim Semipelagiani motui, naturæ viribus elicito, tribuerent: nempe contra illos coactum est: Atqui (ut patet ex canonibus mox laudatis) ne meriti quidem meminit, cum motum illum naturæ viribus elicitum excludit a consecutione gratiæ; ergo fallum est, quod Semipelagiani in eo tantum errarent, quod vellent aliquid naturale, quod haberet rationem meriti sive de condigno, sive de congruo præcedere gratiæ actualis concessionem.

Præterea laudati ex Concilio Arausicano canones absolute definiunt, motum naturæ viribus elicitum nihil omnino conferre ad obti-

obtinendam a Deo gratiam actualem; Deum in dispensatione gratiæ suæ nullam habere rationem motuum, qui ex humano arbitrio proficiscuntur. Ergo Semipelagianorum error, qui iis canonibus damnatur, in eo præcise positus erat, quod vellent, motum naturalem præcedere gratiæ collationem, sive per modum meriti, sive per modum dispositionis, sive per modum puri medii, sive per modum meræ occasionis, sive per modum conditionis: Scilicet si Arausicana Synodus credidisset eum motum aliquo ex iis modis quidquam ad gratiam assequendam conferre, simpliciter, absolute, ac sine distinctione, sine exceptione non definiisset, Deum ad illius motus intuitum aut præsentiam gratiam non largiri.

CONCLUSIO 3. Catholici in hoc fidei articulo, *Gratiam secundum merita nostra non datur*, vocibus istis, *Merita nostra*, semper intellexerunt merita, quæ sint in nobis ex nobis, seu quæ gratia in nobis non operetur.

Probatur. Articulus de quo agitur, definitus fuit contra Pelagianos: ergo eodem modo voces istas, *Merita nostra*, Patres intellexerunt, quo intelligebant Pelagiani: Atqui per eas voces Pelagiani intelligebant merita quæ sint in nobis ex nobis, hoc est, quæ gratia in nobis non operetur: *Merita humana sic*, Pelagiani, *prædicant*, (ait Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio cap. 6.) *ut ex semetipso habere hominem dicant:* ergo, &c.

CONCL. 4. Sumendo voces istas, *Merita nostra*, pro meritis quæ gratia in nobis effecerit, aliqua est gratia, quæ secundum merita nostra datur.

Probatur 1. Vita æterna non solum est merces, sed etiam gratia: Atqui vita æterna datur secundum merita, quæ gratia in nobis effecerit, Augustino teste in epistola ad Sixtum. 2. Gratia habitualis est vera gratia: Atqui datur ex meritis de congruo quæ gratia actualis in nobis effecerit; ad eam nimirum (ut Concilium Tridentinum docet sessione 6. cap. 6.) præparant ac disponunt fidei, spei, & inchoatæ saltem caritatis actus. 3. Fides quæ omnibus donis (ut suo loco dictum est) præsupponitur, gratias actuales, quæ ad alias virtutes requiruntur, a Deo impetrat, si per dilectionem, saltem imperfectam, operetur: Id enim docet Augustinus in epistola ad Paulinum.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, colligitur, celebris Sententiæ contra Pelagianos definitæ, *Gratiam secundum merita nostra non dari*, hunc esse sensum: Gratia, sive habitualis, sive actualis, sive fidei, sive orationis, sive cujuscumque alterius boni ad salutem animæ pertinentis, non datur ex merito alicujus motus eliciti ex liberi arbitrii viribus, sive illud meritum proprie sumatur, sive late, pro mero nimirum medio, aut pro mera conditione, aut pro simplici occasione; ita ut Deus in dispensatione gratiæ, ejusmodi medii, conditionis, occasionis, rationem habeat. Illi explicationi lux affulgebit ex iis quæ proxime sequenti capite dicentur.

CAPUT II.

Utrum hoc fidei dogmate, Gratia secundum merita nostra non datur, *excludatur qualibet ad gratiam præparatio, quæ fit ex solis naturæ viribus.*

Not. QUidam, etiam ex Catholicis, non satis attendentes, quousque se extendat hocce fidei dogma; *Gratia secundum merita nostra non datur*, censuerunt, eo non excludi quamlibet ex viribus naturæ præparationem ad gratiam actualem; sed eam tantum quæ importet meritum stricte sumptum, quod a Theologis meritum de condigno passim appellatur. Scotus (referente Estio in lib. 1. Sent. dist. 26. §. 34.) docuit, hominem lapsum posse per opera moraliter bona se ad gratiam actualem disponere. Alphonsus a Castro eam opinionem non modo tanquam probabilem propugnat, sed tanquam omnino certam: ita ut libro 2. de lege pœnali cap. 24. contrariæ notam impietatis & hæreseos inurat.

Ludovicus Molina in libro quem inscripsit *Concordia*; dist. 10. docuit, opera moraliter bona per se quidem non disponere ac præparare ad primam gratiam actualem, sed per accidens tantum, ex pacto nimirum quod Deus Pater iniit cum Christo, conferendi eam ex mera liberalitate homini facienti, quod in se est, ex viribus naturæ.

Not. 2. Ex iis quæ tribus superioribus capitibus dicta sunt, evidenter sequitur, falsas esse eas, tum Scoti, tum Molinæ, sententias: sed ad majorem doctrinæ copiam, & ut accuratius intelligatur fidei dogma, *Gratia secundum merita nostra non datur*, operæ pretium est, ut traditum a Molina, & propugnatum ab illius discipulis pactum impugnemus.

CONCL. Deus Pater ex pacto inito cum Christo non confert gratiam actualem iis, qui per vires naturæ bene se moraliter gesserint.

Probatur 1. Pactum illud est omnino fictitium, cum illius, nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in auctore aliquo qui ante Molinam vixerit, vestigium aliquod reperiri possit; unde de eo dici fere potest, quod olim Tertullianus de quibusdam opinionibus, quæ illius ætate cœperant, asseruit: *Ejus*, Pacti, *homines*, hoc est, auctores, *adhuc ambulant*. Nec Apostolus Molinæ ingenii fœtum, nec Augustinus pactum illud, aliquando probarunt, cum eo usi non sint iis locis, ubi

ubi de[illegible] & vocatione [illegible].

2. Tantum [illegible], ut Apostolus, Augustinus, aut alii Patres, qui gratiæ caussam adversus fidei hostes egerunt, illud pactum probaverint, quin e contra tacite rejecerint iis locis, ubi [illegible]erunt inscrutabilia esse Dei judicia [illegible] uni detur gratia, alteri vero negetur. *Q[illegible] trahat* (inquit Augustinus tract. [illegible]) & *quem non trahat, quare [illegible], & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare* : Nempe, si vere initum sit pactum illud, evidens erit ratio, cur uni gratia detur, alteri vero negetur : repetenda enim erit ex eo, quod ille per liberi arbitrii vires bene moraliter se gesserit; iste e contra male usus sit concessa sibi libertate.

3. Pactum illud contrarium est experientiæ: neque enim Deus eos ethnicos, qui innocentissime secundum moralem & naturalem justitiam vixerunt, a gentilitate ad fidem vocavit, immo iis relictis, perditæ vitæ viros sibi & Ecclesiæ conjunxit : ut jam olim observavit Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 28.

4. Cum opera moralia solis naturæ viribus peracta nullam omnino proportionem habeant cum prima gratia, pactum conferendi gratiam iis, qui ea præstiterint, est omnino impertinens : perinde nimirum est, ac si quis assereret, Deum gratiam suam esse collaturum ei, qui aut solem aspiceret, aut deambularet, aut aliquid ageret simile; unde caveant illius defensores, ne ex eorum sint numero, *qui cum* (ut ait Augustinus loco proxime laudato) *humanis*, hoc est, ex arbitrio confictis, *conjecturis justitiam Dei defendere vellent, & ignorarent altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt*. Auctores illi temperent a fabulis hujusmodi, agnoscantve potius infirmitatem omnibus communem, quemadmodum lib. 1. ad Simplicianum q. 2. humilis Augustinus hisce verbis eam confessus est : *Certe ita occulta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit; aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor.*

5. Pactum illud præcipua argumenta enervat, quibus olim Augustinus, & alii Patres, Pelagianos & Semipelagianos vicerunt. Nam 1. operans opera moraliter bona, seipsum discerneret, etiam in negotio suæ salutis, ab homine qui ea non operaretur : nempe Deus, sive ex merito, sive ex pacto, gratiam suam bene moraliter agenti conferat, ad ea attendit, saltem tanquam ad terminum, aut ad conditionem, aut occasionem, ut homini ethnico gratiam fidei, & fideli post peccatum lapso pœnitentiæ donum largiatur. 2. Initium justificationis impii non esset a gratia præveniente; siquidem ipsa gratia ab operibus moralibus ordinarie præ[illegible]. [illegible] alia argumenta, quibus Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum utitur, ut contra Semipelagianos probet, initium fidei non ex nobis, sed ex Deo esse.

6. Doctrina de illo Molinæ pacto, eadem est, mutato nomine, cum sententia Semipelagianorum; nempe cum iis aliquid in homine ponit, ratione cujus, aut saltem ad cujus intuitum, tanquam ad conditionem, aut occasionem, Deus primam gratiam largiatur. Præterea non cohæret cum Arausicani Concilii II. Canonibus, quos hujusce quæstionis capite secundo laudavimus; immo in iis expresse damnata videtur, ac præsertim canone 6. qui sic habet : *Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus .... resistit Apostolo dicenti, quid habes, quod non accepisti? &, Gratia Dei sum id, quod sum.*

Confirmantur quæ hucusque dicta sunt, ex judicio Cleri Gallicani ad Comitia generalia anno 1700. congregati. Delatæ sunt ad illum Gallicanorum Patrum consessum hæ duæ propositiones.

Prima, *Axioma illud Theologicum*, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, *non solum verissimum est, atque doctrinæ Scripturæ, Conciliorum & Patrum maxime consentaneum : verum etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est, non solum facienti quod ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui cum non habeat gratiam, facit quod in se est viribus naturæ.*

Altera, *Quia tamen opera viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona intrinsece & Theologice supernaturalia, ideo dicimus obligationem, quam Deus Pater habet conferendi gratiam facienti quod in se est viribus naturæ, seu viribus gratiæ pure naturalis, sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito, sive condigno, sive congruo, quod insit in illius operibus, in ordine ad gratiam; sed ex pacto inter Christum sinejus orem nostrum, & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigorosam conditionem.*

Iis vero ambabus propositionibus Gallicani Patres hanc censuram inusserunt : *Hæ duæ propositiones, qua parte caussam discernendi inter justos & non justos in opera mere naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant, mutatis tantum vocibus. Pactum autem quod inter Deum Patrem & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura & sanctorum Patrum traditione prolatum.*

Sol-

Solvuntur argumenta ex Scripturis petita.

Objicies 1. Zachariæ 1. dicit Dominus : *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; hoc est, convertimini ad me per naturam, & ego convertar ad vos per gratiam ; neque enim Deus aliam quam per naturæ vires conversionem potest exigere : ergo Deus bene moraliter ex viribus naturæ se gerenti suam gratiam elargitur.

Resp. dist. ant. Convertimini ad me per naturam præventam gratia, & ego convertar ad vos per gratiam remissionis peccatorum, conc. ant. per naturam gratia minime præventam, neg. ant. Itaque Deus ea Prophetæ sententia Judæis præcipit, ut gratiæ cooperentur, si velint ab eo gratiam remissionis peccatorum obtinere : quod enim conversio, quam Deus tanquam conditionem gratiæ remissionis peccatorum exposcit, non fit conversio sine auxilio gratiæ prævenientis, probat Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 5.

Objicies 2. Proverb. 16. hæc habentur : *Hominis est præparare animam, & Domini gubernare linguam* : ergo prius est, hominem per naturæ vires præparare animam, quam Deum per gratiam gubernare linguam : si enim sine gratiæ auxilio homo præpararet animam, non valebit antithesis quam ille statuit inter animæ præparationem, & gubernationem linguæ.

Resp. ad 1. neg. conseq. si enim homo, ad recte & pie loquendum, per se ipsum animam suam præpararet, non esset (ait Aug. in lib. de grat. & lib. arb. c. 16.) cur Rex Propheta peteret a Deo oris sui custodiam : *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis : ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*. Ad 2. neg. ant. scilicet in eo valet antithesis, quod quantumvis homo etiam adjutus gratia, animam suam ad loquendum coram Principe præparaverit, penes Deum sit sermonis eventus, hoc est, efficere, ut ad sermonem sapienter paratum Principis animus moveatur ad concedendum postulata. Unde Esther cap. 14. ad Assuerum accessura, sic Deum precatur : *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri*.

Objicies 3. Matthæi 10. præcipitur Apostolis, ut ingressi in civitatem interrogent, quis in ea dignus sit Evangelium audire, c. 7. præcipitur quoque, ne indignis illud annuncient : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* : ergo Deus antequam gratiam largiatur, aliquam in subjecto dignitatem, aliquam præparationem, aliquem ex viribus naturæ conatum bonum expectat.

Resp. [illegible] sit dignitate [illegible] dignitate occulta morum, neg. ant. Eo loci Christus non jubet Apostolis, ut dignis dignitate morum Evangelium prædicent; sed tantum apud dignos dignitate famæ hospitentur, ne si apud infames divertant, Evangelium male audiat.

Instabis. Post hæc verba [illegible] *quis in ea dignus sit*, hæc alia [illegible] quæ probant, hospitibus dignitate [illegible] commendatis Evangelium prædicari debere : *Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes, Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam* : ergo, &c.

Resp. 1. agi hic de domo Judæorum : aperte nimirum Christus eo loci loquitur de Evangelio Judæis tantum prædicando ; præmiserat enim : *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis* : at in aliquibus Judæorum domibus reperiri poterant homines digni dignitate morum, utpote explicite jam in Deum, & implicite in Christum, credentes : unde mirum non est, quod pax, quam Apostoli erant apprecaturi, super eos ventura esset.

Resp. 2. dist. ant. Si quidem fuerit domus illa digna merito gratuitæ prædestinationis, pax vestra veniet super eam, conc. ant. si fuerit digna merito proprio & humano, neg. ant. Unde sensus laudatæ sententiæ is est, Pax vestra veniet super domum illam, si Deus domum ad eam gratiam prædestinaverit, quemadmodum Actor. 13. dicitur : *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*.

Objicies 4. Deus Actorum 10. attendit ad eleemosynas & orationes Cornelii Centurionis, ut ipsi per Petrum auditum Evangelii procuraret : atqui illæ eleemosynæ, illæ orationes, factæ fuerant sine gratia ; neque enim tunc Cornelio inerat fides in Christum, quæ tamen, ex Augustino, prima est gratia quæ homini conferatur. Idem dici debet de Zachæo, ad cujus studium de videndo Christo, sicut habetur Lucæ 19. Deus attendit, ut eum ad fidem & salutem vocaret : unde Ambrosius libro 1. de Abel & Cain cap. 8. scribit, eum illo studio impetrasse, ut a Christo vocaretur. Idem dici debet de pio Latrone, qui antequam aliquid de fide Mediatoris audisset, Lucæ 23. socii Latronis maledicta in Christum increpavit, [illegible] isti innocentiam ita prædicavit, ut ab ipso Christo audire meruerit : *Hodie mecum eris in Paradiso*. Cassianus illo duplici exemplo prolato, Collatione 13. sic loquitur : *Si gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce Latronis pietate, dicemus ? qui desiderio suo vim quamdam* [illegible]

bus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt.

Resp. ad 1. nec eleemosynas, nec orationes Cornelii, sine imperfecta saltem in Christum fide, quæ per dilectionem operatur, factas fuisse. Vide quæ superius de ea Cornelii fide ex Augustini principiis dicta sunt.

Resp. ad 2. studium videndi Christum, quo Zachæus ardebat, fuisse ex interno motu, & occulta inspiratione Spiritus Sancti, a quo jam implicite in Mediatorem credens, cum Judæus esset, præventus fuerat: ita respondet S. Prosper in libro contra Collatorem cap. 6.

Eadem est pariter Concilii Arausicani II. doctrina; sic enim loquitur canone 25. *Unde manifestissime credendum est, quod & illius latronis quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.*

Nec obstat objecta nobis auctoritas Ambrosii; ibidem enim paullo inferius ait, hæc Christi verba: *Facta est salus*, non promittentis fuisse, sed prævenientis. Quibus addit cap. 7. nihil nos habere quod non acceperimus; laudatque illud Apostoli effatum: *Quid habes, quod non accepisti?*

Solvuntur argumenta petita ex Origene, Chrysostomo & Ambrosio.

Objicies 1. Origenes hom. 1. in Genesim asserit, nos a Christo illuminari, si nostræ mentis cæcitas non impediat: sicut sol & luna mortales, nisi cæci sunt, illuminant. Quod, inquit, etiamsi accidat, oportet eos, qui cæci sunt, sequi Christum, & clamare post eum, ut visum ab ipso recipientes, possint etiam ab illo illuminari. Hæc etiam habet Hom. 24. super Numeros: *Si offeramus Deo justitiam nostram; accipiemus ab ipso justitiam Dei. Et si offeramus ei nostram, id est, corporis castitatem, accipiemus ab eo ipsius castitatem*: ergo ex Origene, Deus aliquid ex parte nostri exigit, & expectat, antequam sua nobis dona conferat.

Resp. Origenem equidem ita sensisse, ut fert argumentum; sed illius hac in parte auctoritas nullius est ponderis: nimirum in iis quæ ad gratiam spectant, non Semipelagianus modo, verum etiam omnino Pelagianus fuit, ut fuse a nobis probatum est hujusce Tomi initio. Unde merito de eo hæc ait Hieronymus in epist. a Ctesiphontem: *Doctrina tua* (Pelagio loquitur) *Origenis ramusculus est.*

Objicies 2. Multa sunt in Chrysostomo, quæ probant, Deum expectare, & præexigere nostræ voluntatis conatus, antequam ei suam gratiam largiatur. Siquidem hom. 45. in Genesim asserit, Abraham suis operibus promeruisse, ut Deus tanta ei gratiæ dona conferret. Hom. 17. in Joannem expresse negat, Deum sua gratia hominem prævenire. Similia docet hom. 42. ad populum Antiochenum; hom. 12. in cap. 7. Epistolæ ad Hebræos, permultisque aliis locis.

Respondet Estius, Chrysostomum hom. 45. in Genesim loqui de argumento caritatis, & de perfectione fidei, quam Abrahamus promeruit quidem operibus, sed quæ non sine gratiæ auxilio facta fuissent; unde quod per ea opera, utpote in caritate, & ex motu gratiæ facta promeruerit ampliorem caritatem, & perfectiorem fidem, non immerito dicitur, utramque in mercedem operum datam fuisse, juxta factam illi promissionem Genesis 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et cap. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus, ponamque hoc fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Addit idem Auctor, loca in quibus Chrysostomus negare videtur, Deum nostras prævenire voluntates, intelligi de præventione, quæ voluntatibus necessitatem imponat: *Non prævenit nostras voluntates* (ait ipse Chrysostomus hom. 12. in epist. ad Hebræos) *ne perdat nostrum liberum arbitrium.* Cui consonant hæc alia, quæ paullo ante scripserat: *In Dei quidem potestate sunt omnia, sed non ita, ut nostrum liberum lædatur arbitrium.* Ea autem loquendi ratione frequenter usus est in suis Homiliis, quod Manichæos, negantes liberum arbitrium, præ oculis haberet.

Addendum est, quod licet Patres qui ante exortam hæresim Pelagianam scripserunt, catholice de gratia senserint, non tamen ita accurate de ea locuti sint, ac ii qui postea; unde benigne exponenda sunt eorum loca, quæ in speciem Pelagianismo, aut Semipelagianismo favere videntur. Regulam illam tradidit Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum.

Verum quod in suis fusioribus operibus Patres illi prætermiserunt, evidentius apparebat in orationibus Ecclesiæ, quæ bona omnia a Deo petens, non obscure innuebat, ea omnia speciale Dei donum esse; unde Augustinus ad Ecclesiæ preces, quas & illi Patres, qui ante exortam Pelagianorum hæresim scripserunt, recurrendum censet, ut sciatur, quid illi de Dei gratia sentirent: *Frequentationibus autem* (inquit in lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 14.) *orationum simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret: non enim posceretur a Deo, quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur ut fierent.*

Objicies 3. S. Ambrosius lib. 4. in Lucam sic loquitur: *Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur.* Lib. 5. He-

5. Hexam. c. 24. hæc habet de Petro: *Idem tamen post galli cantum fit fortior, & jam dignus quem Christus aspiciat, quia oculi Domini super justos*. In 2. Apologia David cap. 11. scribit, quod Ecclesia meruit gratiam a Christo, quia verbum Dei quæsivit, ac desideravit. Ex iis autem textibus sic argumentum conficitur: Ille docuit, Deum ad voluntatis motum ex naturæ viribus elicitum attendere, ut gratiam conferat, qui asseruit, divina beneficia dari observantibus, hoc est, vigilantibus: Petrum, antequam aspiceretur a Christo, hoc est, gratiam pœnitentiæ ab eo reciperet, jam aspectus Christi, id est, gratiæ dignum fuisse; Ecclesiam meruisse Dei gratiam, quod verbum illius quæsierit, ac desideraverit: atqui Ambrosius ea omnia asseruit: ergo, &c.

Resp. ad 1. Ambrosium loqui de beneficio justificationis, seu de gratia sanctificante, adumbrata in leproso, cujus eo in loco S. Doctor mundationem exponit: mirum igitur non est, quod asseruerit dormientibus eam non dari; neque enim datur, nisi iis qui ex auxilio gratiæ actualis per actus fidei, spei, caritatis, & pœnitentiæ sese ad eam præparaverint.

Resp. ad 2. ista Ambrosii verba: *Jam dignus quem Christus aspiciat*, intelligi de dignitate quam Petrus per gratiam sanctificantem consecutus fuerat; seu, sensus est, quod Petrus per gratiam sanctificantem factus justus, dignus fuerit, ut ei Christus uberiorem gratiam contulerit; interioribus enim dumtaxat oculis a Christo conspectum fuisse, docet Augustinus in libro de gratia Christi, cap. 45.

Quantum autem Ambrosius alienus fuerit a doctrina qua asseritur, Deum, ut suam det gratiam, humanæ voluntatis conatum expectare, pluribus ex eo laudatis textibus probat idem Augustinus in libro de gratia Christi capitibus 45. 46. &

Solvitur argumentum ex Augustino petitum.

Objicies. Augustinus in opere quod ipse in libro de prædestinatione Sanctorum vocat *Opusculum contra Porphirium sub titulo*, *De tempore Christianæ religionis*, scribit, fidei gratiam iis tantum defuisse, qui ea digni non erant: *Ita* (inquit cap. 9.) *salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciter promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*: ergo Deus ad aliquam in natura dispositionem, hoc est, naturalem morum probitatem attendit, ut gratiam fidei nonnullis hominibus largiretur.

Idem S. Doctor, Tract. 10. in Joannem monet catechumenos, ut sese ad gratiam præparent. Tract. 26. sic loquitur: *Si non traheris, ora ut traharis*. Sic etiam homil. 16. inter 50. *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo, an diabolo?* Unde sic arguitur: Augustinus iis in locis supponit catechumenos gratia destitutos; neque enim, si eam jam haberent, hortaretur eos, ut ad eam se præparent; si jam ea traherentur, non moneret, ut orent, quo ab ea trahantur: ergo supponit, Deum, ut suam gratiam det, expectare humanæ voluntatis conatum, qui locum gratiæ præparet.

In libro 19. de civit. Dei c. 13. scribit, Deum *ex pacto* dedisse mercedem iis qui bonis temporalibus bene usi fuissent: ergo pactum conferendi gratiam iis qui ex viribus naturæ bene moraliter se gesserint, non est commentum nuper inventum. Probatur ant. ipsissimis illius verbis, quæ sic habent: *Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor, & justissimus ordinator, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id est, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipsa salute & incolumitate sui generis, & quæque huic paci vel tuendæ, vel recuperandæ necessaria sunt*. Eo pacto æquissimo, *ut qui mortalibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam* Scilicet *immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam & honorem in dita æterna ad fruendum Deo, & proximo in Deo: qui autem perperam, nec illa accipiat, & hæc amittat*.

Resp. ad 1. textum illum intelligi de dignitate, seu idoneitate quæ per auxilium gratiæ comparata fuerit; hoc est, Augustinus eo loci asserit, salutem religionis iis non defuisse, quos Deus per suam gratiam illius capaces effecisset. Ita ipse mentem aperit suam l. 2. Retractationum c. 31. ubi sic loquitur: *in quarum secunda*, ex quæstionibus a Porphirio philosopho propositis, *quod dixi*, Salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit, *non ita dixi tamquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit: sed quemadmodum ait Apostolus*, Non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori, *quam vocationem ad Dei propositum asserit pertinere. Unde dicit*, Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.

Resp. ad 2. S. Doctorem non loqui de gratia actuali, sed de sanctificante per baptismum recipienda; ad quam quædam dispositiones requiruntur, sed quas gratia actualis, in nobis operetur.

Resp. ad 3. orationem, qua quis orat, ut uberius trahatur, esse gratiæ effectum: *Verumtamen* (ait ipse in Epistola ad Sixtum) *ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia; sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur; etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur*.

Resp.

Resp. ad 4. eo textu non negari gratiam, sed tantum libertatem ad malum & bonum ostendit; quando enim dicitur, quod penes nos sit servare præcepta, cum volumus, ea loquendi ratio non excludit, immo supponit præparationem voluntatis a Domino: *Certum est* (inquit Augustinus in l. de Gratia & libero arbitrio c. 16.) *nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle cum volumus; sed ille facit ut velimus, de quo dictum est: Præparatur voluntas a Domino; de quo dictum est: a Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, judicia mea observetis, & faciatis.*

Resp. ad 5. textum Augustini exceptum ex cap. 13. l. 19. de Civ. Dei, in Congregationibus *de auxiliis* coram Clemente Papa VIII. celebratis propositum fuisse a quodam Theologo ut in eo tueretur pactum, quod Ludovicus Molina contendit inter Deum Patrem & Christum, initum fuisse de gratia facienti quod in se est ex viribus naturæ conferenda. Thomas De-Lemos, qui iis in Congregationibus caussam agebat Prædicatorum, variis modis solvit illud argumentum.

Respondit 1. enim, in Augustini textu non legi, prout Theologus ille inter argumentandum legerat, conjunctionem ET quæ ista verba, *ipsam immortalitatis pacem*, cum his præcedentibus, *accipiat ampliora atque meliora* conjungeret, sed legi adverbium Scilicet, hoc modo: *Eo pacto æquissimo ut qui mortalibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipsam* Scilicet *immortalitatis pacem, &c.*

Respondit 2. Augustini textum, posito adverbio, scilicet, sensum habere catholicum, istum nempe: quod Deus pacto æquissimo, & ex justitia, ampliora bona largiatur, ipsam scilicet immortalitatis pacem, iis, qui bene, ex Dei gratia, bonis temporalibus utuntur, idque ad Apostoli mentem, cujus hæc sunt verba: *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ita vero Augustinum sensisse, demonstravit ex capite 14. in quo S. Doctor exponit, quæ scripserat capite 13. Nempe capite 14. expresse asserit, hominem in hoc lapsæ naturæ statu non posse sine Dei gratia bene uti temporalibus sibi concessis.

Respondit 3. sensum quem Theologus ille laudatæ ex Augustino sententiæ affinxerat, Pelagianum esse; quippe quod ex eo sequeretur gratiam secundum merita dari: quod tam studiose falsum esse, Augustinus contra Pelagianos ostendit.

Eo itaque tendunt, quæ hucusque diximus 1. ut in textus Augustini non legatur conjunctio, ET, sed adverbium *scilicet*, sicut revera legitur in omnibus editionibus operum sancti Doctoris: 2. Ut pactum illud æquissimum non sit de danda gratia facienti, quod in se est ex viribus naturæ; alioquin enim sequeretur, gratiam secundum merita nostra dari; quod quidem Ecclesia damnavit in Pelagianis: 3. Ut verba, *eo pacto æquissimo* sumantur pro debito justitiæ: & ista, *ut qui mortalibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit*, intelligantur de usu ex auxilio gratiæ; ac proinde totius sententiæ Augustinianæ sit sensus, Deum in altera vita ampliora bona, ipsam scilicet immortalitatis pacem iis daturum esse, qui bonis temporalibus recte ex auxilio gratiæ in hac vita usi fuerint, hoc est, (ut explicat Augustinus c. 14.) ea retulerit ad eam pacem, quæ homini mortali est cum Deo immortali; seu (ut alias sæpe idem sanctus Doctor loquitur) qui iis temporalibus bonis usus, non autem fruitus fuerit; cum omnis perversio, ex eodem Augustino, in eo posita sit, quod quis fruendis utatur, & fruatur utendis.

Solvitur argumentum ex trita hac sententia, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, petitum.

Objicies. Tritum est axioma, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Illud enim variis in locis Sanctus Thomas tradidit: 1. in disputatis de veritate q. 24. art. 1. ad 2. expresse docet, quod quamvis gratiam, per quam opera fiunt meritoria, non possit homo ex libero arbitrio adquirere; possit tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei a Deo non denegabitur, *si fecerit, quod in se est.*

Ejusdem operis q. 14. art. 11. ad 1. asserit, ad divinam providentiam pertinere, ut cuilibet de necessariis ad salutem provideat, dummodo ex parte ejus non impediatur: *Si enim* (inquit) *aliquis in sylvis, vel inter bruta animalia nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Ibidem ad 2. non alia ratione loquitur: *Si nos* (inquit) *fecerimus quod in nobis est, ut scilicet ductum rationis sequamur, Deus non nobis deficiet ab eo quod est nobis necessarium.*

Idem S. Doctor in 3. Sent. dist. 25. q. 2. contra conclusionem, in qua docuerat, fidem explicitam quorumdam mysteriorum esse necef-

necessariam ad salutem necessitate medii, hoc sibi argumentum objicit: *Nullus damnatur ex hoc quod vitare non potest: Sed aliquis natus in sylvis, vel inter infideles, non potest distincte de fidei articulis cognitionem habere, quia doctor fidei non adest, nec unquam de fide audivit mentionem: ergo iste non damnatur; & tamen non habet fidem explicitam: Ergo explicatio fidei non est de necessitate salutis.* Ad illud autem argumentum sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod si talis faceret, quod in se est de quærendo salutem, Deus illi aliquo dictorum modorum provideret de salute sua.* Quinam vero sint ii modi, in responsione ad primum jam hisce verbis explicuerat: *Ad primum ergo dicendum, quod in his quæ sunt necessaria ad salutem, nunquam Deus homini quærenti suam salutem deest, vel defuit, nisi ex culpa sua remaneat. Unde explicatio eorum quæ sunt de necessitate salutis, vel divinitus homini provideretur per prædicatorem fidei, sicut patet de Cornelio Actorum 10. vel per revelationem, qua supposita, in potestate liberi arbitrii est, ut in actum fidei exeat.*

Ex iis S. Thomæ textibus sic argumentum conficitur. Deus facienti quod in se est non denegat gratiam: atqui is qui facit, quod in se est, agit ex solis naturæ viribus. Nam 1. S. Thomas supponit, hominem non habere fidem, cum expresse asserat, quod de ea, utpote in sylvis enutritus, nihil unquam audierit: fides autem est prima gratia quam Deus homini in ordine ad salutem largiatur. 2. Idem S. Doctor de homine loquitur qui sequitur ductum rationis: ergo de homine qui gratia destitutus sit. 3. In disputatis de veritate art. 10. ad 5. docet, homini datam esse rationem, per quam & hujus vitæ necessaria sibi parare possit, & sese ad recipienda auxilia divinitus futuræ vitæ disponat: ergo loquitur de homine qui ex solis naturalibus agit; ac proinde S. Thomas censuit, primam gratiam dari ad intuitum bonorum operum moralium; non quidem de condigno, cum is fuerit Pelagianorum error; neque de congruo, cum ita Semipelagiani senserint: ergo aut ex conditione, aut ex occasione, aut ex pacto quod cum Christo Deus Pater inierit.

Resp. omissis explicationibus, quas nonnulli ad eos S. Thomæ textus adhibent, S. Doctoris mentem de hoc axiomate: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, non esse petendam ex ejus commentariis in libros Sentent. ubi perobscure de eo locutus est; sed ex Summa Theologica, quæ est postremum illius opus, & ubi ex professo de illo axiomate disputat. In Summa autem asserit, hunc esse illius sensum, Facienti quod in se est, cooperando gratiæ a qua movetur, Deus non denegat uberiorem gratiam aut ad justificationem consequendam, aut saltem ad habendam fidem perfectam & explicitam, si jam imperfecta & implicita sit imbutus.

Et sane S. Doctor 1. 2. quæst. 109. art. 6. quærit: *Utrum homo possit seipsum ad gratiam præparare absque exteriori auxilio gratiæ*, ubi respondet hominem ad divinæ gratiæ lumen suscipiendum gratuito Dei interius moventis bonumque propositum inspirantis auxilio indigere; hoc sibi argumentum objicit: *Si homo facit, quod in se est, Deus ei non denegat gratiam*; ad quod quidem sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Joannis 15. Sine me nihil potestis facere; & ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo.*

Idem S. Doctor 1. 2. q. 112. art. 3. quærit: *Utrum necessario detur gratia se præparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est.* Eam autem quæstionem in corpore articuli hisce verbis solvit: *Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, præparatio hominis ad gratiam est a Deo sicut a movente, a libero autem arbitrio sicut a moto. Potest igitur præparatio dupliciter considerari. Uno quidem modo, secundum quod est a libero arbitrio: & secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo potest considerari secundum quod est a Deo movente: & tunc habet necessitatem ad id quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis.* Adversus eam quæstionis propositæ resolutionem objicit sibi axioma, de quo agitur: *Facienti quod in se est, &c.* nec non illud Glossæ in hæc Rom. 5. Justificati ex fide pacem habeamus; *Deus recipit eum, qui ad se confugit, aliter in eo esset iniquitas.* Ad eam autem objectionem sic respondet: *Ad primum ergo dicendum, quod glossa illa loquitur de illo, qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrii jam per gratiam* (sanctificantem) *informati, quem si non reciperet, esset contra justitiam, quam ipse statuit: Vel si referatur ad motum liberi arbitrii ante gratiam*, sanctificantem, *loquitur secundum quod ipsum confugium hominis ad Deum est per motionem divinam, quam justum est non deficere.*

Eodem modo idem S. Doctor axioma, de quo est quæstio, exponit in Commentario Epistolæ ad Romanos; sic enim Lect. 3. in caput decimum loquitur: *Si qui fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, & Paulum Macedonibus. Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciant quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum.* Ita etiam aliis in locis loquitur.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De divisione Gratiæ actualis.

Not. CONveniunt omnes, gratiam actualem dividi in gratiam gratis datam & in gratiam gratum facientem. Conveniunt iterum, gratiam gratum facientem dividi in Operantem & Cooperantem, in Prævenientem & Subsequentem, in Excitantem & Adjuvantem, & tandem in Sufficientem & Efficacem. De singulis earum divisionum membris sigillatim est in hac quæstione a nobis agendum.

CAPUT PRIMUM.

De Gratia gratis data.

Not. DE gratia gratis data agit S. Thomas 1. 2. q. cxi. de eaque quærit 1. quid sit; 2. an detur; 3. quotuplex sit. Sancti Doctoris methodum secuti, tria illa in hocce capite expendemus.

CONCL. 1. Natura gratiæ gratis datæ hac illius definitione continetur: Gratia gratis data est donum, quod per se in proximi bonum & salutem a Deo conceditur.

Probatur. Per eam definitionem gratia gratis data recte distinguitur a gratia gratum faciente; hæc enim per se confertur ad salutem illius cui a Deo conceditur, cum illa e contra per se ad aliorum salutem ordinetur. Additæ sunt hæ voces, *per se*, eo quod gratia gratis data per accidens ad propriam subjecti, cui collata fuit, salutem conferre possit, si nimirum ea non ad ostentationem, sed ad Dei gloriam utatur, juxta illud Scripturæ Danielis 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Idem quoque dicendum est de gratia gratum faciente, hoc est, constat eam, si foras per opera se prodat, ad aliorum salutem per accidens plurimum conferre, juxta illud Christi in Evangelio: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem qui in cælis est.*

CONCL. 2. Datur gratia gratis data.

Probatur auctoritate & argumento S. Thomæ. Gratia gratis data (ut præcedenti conclusione dictum est) est ea, per quam aliquis proximo cooperatur, ut salutem consequi possit: Atqui datur hujusmodi gratia; sunt enim in Ecclesia pastores, doctores, & alii, qui, sive donis, sive potestate a Deo accepta, promovent proximorum salutem, suamque dant operam, ut Ecclesiæ membra cum Deo per gratiam gratum facientem conjungantur, juxta illud ad Ephesios 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

CONCL. 3. Gratia gratis data multipliciter dividitur.

Probatur auctoritate Apostoli, qui 1. ad Corinth. 12. sic loquitur: *Alii per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eum spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum.*

Eam autem gratiæ gratis datæ divisionem ab Apostolo traditam, rectam & adæquatam esse hocce argumento probat S. Thomas 1. 2. quæst. cxi. art. 4. Gratia gratis data ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum: Homo autem ad hoc operari non potest interius movendo, (hoc enim solius Dei est) sed solum exterius, docendo, vel persuadendo. Et ideo gratia gratis data, illa sub se continet, quibus homo indiget, ad hoc quod alterum instruat in rebus divinis, quæ sunt supra rationem. Quænam autem ea sint, quæ ad promovendam aliorum salutem necessaria sint, ibidem fuse tradit S. Doctor.

Objicies. Fides per se datur in ordine ad salutem propriam subjecti a quo habetur; est enim in eo radix & fundamentum justificationis: ergo ab Apostolo recenseri non debuit inter gratias gratis datas, cum istæ non ad subjecti in quo recipiuntur, sed ad aliorum salutem per se ordinentur.

Resp. dist. ant. Fides, prout communis quædam revelatorum persuasio, per se datur in ordine ad salutem subjecti in quo recipitur, conc. ant. prout eminens quædam revelatorum persuasio, neg. ant. Ad secundum, dicendum (ait S. Thomas 1. 2. quæst. cxi. art. 4.) quod fides non numeratur hic inter gratias gratis datas, secundum quod est quædam virtus justificans hominem in seipso; sed secundum hoc quod importat quamdam supereminentem certitudinem fidei, ex qua homo fit idoneus ad instruendum alios de his quæ ad fidem pertinent.

CAPUT II.

Utrum gratia gratum faciens dividatur in Operantem & Cooperantem.

CONCL. GRatia gratum faciens recte dividitur in Operantem, & Cooperantem.

Probatur auctoritate Augustini, qui in libro de gratia & libero arbitrio divisionem illam & tradit & probat: sic enim loquitur

cap. 17. *Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur.*

Probatur 2. ratione. Gratia recte dividitur in eam, per quam Deus in nobis operatur velle, seu primam bonam voluntatem, hoc est, boni desiderium; & in eam, per quam operatur perfectionem, seu executionem boni operis, cujus initium jam in nobis operatus fuerat. Scilicet, Apostolo teste ad Philipp. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*: & cap. 2. *Operatur velle & perficere pro bona voluntate*: Atqui gratia operans nihil aliud est, quam ea, per quam Deus in nobis operatur primam bonam voluntatem; cum e contra gratia cooperans, ea sit, per quam Deus operatur perfectionem, seu executionem boni, cujus desiderium jam operatus fuerat: ergo gratia recte dividitur in Operantem & Cooperantem.

Quæres, quo sensu Augustinus asserat, gratiam Operantem *sine nobis* operari, ut velimus; Cooperantem vero, cum jam volumus.

Resp. gratiam Operantem *sine nobis* operari quod nihil ad eam habendam contulerimus, sive petendo, sive desiderando, sive aliqua ratione impetrando. Scilicet impossibile est, ut quidquam ad illam habendam voluntas contulerit, cum (ut supponitur) sit gratia quæ primam boni voluntatem in nobis operatur; primam autem boni voluntatem nullus omnino humanæ voluntatis motus antecedit. Itaque operatur sine nobis prius volentibus, conantibus, pulsantibus, desiderantibus, studentibus, meditantibus. E contra gratia Cooperans dicitur nobiscum operari, quia jam per gratiam operantem conantibus, pulsantibus, desiderantibus, petentibus, boni executionem ac perfectionem operatur.

Eum autem esse sensum Augustini, ostenditur 1. ex c. 7. libri de gratia & libero arbitrio, ubi de Pauli vocatione, quæ per operantem gratiam effecta est, sic loquitur: *Ut autem de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala*. De gratia vero Cooperante hæc ibidem habet: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*

Quæres 2. utrum gratia Cooperans iis omnibus detur, quibus datur Operans.

Resp. negative. Nempe Deus homines qui nec de eo cogitant, nec ipsum orant, immo & ei contradicunt, nonnunquam movet ad boni desiderium, ad conversionem, ad imperfectam caritatem: in quibus tamen per gratiam Cooperantem non operatur boni executionem, integram conversionem, robustam & perfectam caritatem; ut ex his Augustini verbis l. de gratia & libero arb. c. 17. evidenter patet: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem* (potentia quæ includat omnia ad actu operandam requisita) *cum magnam habuerit & robustam.*

Ex dictis hactenus duo colligenda sunt: 1 Gratiam Operantem male a quibusdam definiri, gratiam ad cujus effectum humana voluntas per consensum non concurrit; Cooperantem vero, ad cujus effectum per liberum consensum concurrit. 2. E contra gratiam Operantem recte definiri, gratiam quæ omnem voluntatis motum, sive naturalem, sive supernaturalem, antecedit: Cooperantem vero, quæ voluntatis motum supernaturalem præsupponit. 3. Operantem dari, nec volentibus, nec desiderantibus, nec petentibus, immo nec antea cogitantibus: Cooperantem e contra dari jam ex operantis gratiæ motu volentibus, conantibus, pulsantibus, petentibus: 3. Utramque illam gratiam nonnisi penes effectum distingui; nam Operans producit effectum, ad quem voluntas nulla ratione sese præparavit: Cooperans vero, effectum, ad quem voluntas ex motu gratiæ operantis per conatum, desiderium, orationem sese præparavit. Eo incidit hæc Bernardi sententia in libro de gratia & libero arbitrio: *Conatus liberi arbitrii* (etiam ex gratia Operante) *cassi sunt ad bonum, si non adjuventur; nulli, si non excitentur.*

CAPUT III.

Utrum gratia gratum faciens dividatur in Prævenientem & Subsequentem.

CONCL. GRatia gratum faciens, recte dividitur in Prævenientem & Subsequentem.

Probatur 1. ex Scriptura. Ps. 20. fit mentio gratiæ Prævenientis, sic enim habet: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Quæ quidem dulcedo non alia est, quam gratiæ suavitas, ut docet Augustinus lib. 2. ad Bonifacium, cap. 9.

Illius quoque meminit Ps. 58. *Misericordia ejus præveniet me*. Psal. 22. hisce verbis Subsequens exprimitur: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.*

Probatur 2. ex Augustino qui in libro de natura & gratia, c. 13. utriusque illius gratiæ meminit; sic enim loquitur: *Prævenit autem ut sanemur, quia & subsequetur ut etiam sanati vegetemur; prævenit ut vocemur;*

sub-

subsequetur ut glorificemur: prævenit ut pie vivamus; subsequetur ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere.

Eadem divisio ex Ecclesiæ orationibus evincitur: precatur enim, ut actiones nostras aspirando præveniat, & adjuvando prosequatur, & ut vota nostra quæ præveniendo aspirat, etiam adjuvando prosequatur. Quibus quidem Ecclesiæ orationibus consonant hæc verba Gregorii Magni, homil. 9. in Ezechielem; *Ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvans subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus*, potentia quæ in actum reducatur, *implere quod valeamus*.

Objicies 1. Oratio nostra Deum prævenit, juxta illa Psal. 87. *Mane oratio mea præveniet te*; & istud Psal. 118. *Preveni in maturitate, & clamavi: Prævenerunt oculi mei ad te diluculo*: Ergo nulla datur gratia, quæ sit absolute præveniens.

Resp. dist. ant. Oratio quæ fit ex gratia præveniente, Deum prævenit, conc. ant. quæ ex nobis fit, neg. ant. Illa, aut peccatorum remissionem, aut ex tentationibus victoriam prævenit, sed est in nobis ex motu gratiæ quæ nos prævenerit: ita docet Augustinus in epistola ad Sixtum.

Objicies 2. Dilectio Dei in nos & gratia, idem sunt: Atqui dilectio Dei in nos, semper est præveniens, nusquam vero subsequens, juxta illud Scripturæ: *Ipse prior dilexit nos*: ergo nulla datur gratia subsequens.

Resp. neg. maj. scilicet æterna Dei in nos dilectio, est caussa gratiæ, quæ nobis in tempore conceditur: ideo enim Deus nobis gratiam in tempore largitur, quod nos ab æterno dilexerit. Addendum est, esse etiam Dei in nos dilectionem subsequentem, eam nimirum qua ipse movetur, ut jam ex illius gratia bonum cupientes, suo auxilio subsequatur & adjuvet, ut plene ac perfecte velimus bonum, cujus desiderium in nobis jam operatus fuerat.

Quæres 1. quo sensu gratia dicatur Præveniens & Subsequens.

Respondet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. cxi. art. iii. hisce verbis: Dicendum, quod sicut gratia dividitur in operantem & cooperantem secundum diversos effectus; ita etiam in prævenientem & subsequentem. Sunt autem quinque gratiæ effectus in nobis, quorum primus est, ut anima sanetur: *secundus*, ut bonum velit: *tertius*, ut bonum quod vult, efficaciter operetur: *quartus*, ut in bono perseveret: *quintus*, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia secundum quod caussat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus: & prout caussat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus; & sicut effectus est posterior uno effectu, & prior alio; ita gratia potest dici præveniens & subsequens secundum eumdem effectum respectum diversorum: & hoc est, quod Augustinus dicit in libro de natura & gratia: *Prævenit ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur.*

Respondent alii, gratiam non dici prævenientem & subsequentem per respectum ad alias gratias, sed per respectum ad actus voluntatis; ita ut ea dicatur Præveniens, quæ omnem omnino, etiam primum bonum voluntatis humanæ motum, antecedit; Subsequens vero quæ bonum humanæ voluntatis motum sequitur. Motus autem nomine intelligunt liberum voluntatis consensum, quo aliquid præmii homo a Deo, sive de condigno, sive de congruo, promeretur: primum vocant, quem nullus omnino præcesserit, sed quo incipit homo mutari ex malo in bonum. Sic accepta illa divisio, ab Augustino traditur in epist. ad Vitalem, in lib. 4. ad Bonifacium c. 6. in Concione 2. in Psal. 58.

Ex iis, duo colligere est: 1. gratiam prævenientem, secundum modum explicandi a S. Thoma traditum, definiri, Auxilium quod aliud præcedit, sive sit primum, sive sit secundum; subsequentem vero, auxilium quod aliud subsequitur, sive sit primum, sive sit secundum. At vero juxta modum loquendi usurpatum a Sancto Augustino, Prospero, & aliis Patribus qui Pelagianos impugnarunt, gratia præveniens definitur, Auxilium quod omnem bonum voluntatis motum, qui fit ex liberi arbitrii viribus, præcedit: Subsequens e contra, Auxilium quod subsequitur bonæ voluntatis motum, quem gratia præveniens jam operata sit.

Colligere est 2. juxta eumdem Augustini loquendi modum, gratiam prævenientem solo nomine differre a gratia operante, sicut & subsequens solo nomine discrepat a cooperante: Eumdem enim omnino effectum operantur.

Colligere est 3. gratiam subsequentem, eo sensu dici posse prævenientem, quod (ut ait Sylvius) in omni opere bono Deus ita gratuito operetur, ut secundum ordinem caussalitatis semper operetur, prius quam nostra voluntas: *Ideo enim hæc* (ait Augustinus in libro de prædestinat. SS. cap. 11.) *& nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligamus, quod & nos ea faciamus, & Deus facit, ut illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissime dicit; quid enim apertius quam ubi dicis, Ego faciam, ut facias?*

Colligere est 4. gratiam numquam eo sensu vocari subsequentem, quod ad opera naturæ subsequatur, vel quod in aliquibus hominibus quosdam naturales voluntatis conatus supponat, vel quod in aliquo bono opere, aut aliqua operis boni parte, gratia sit libero arbitrio posterior; sed vel quod (ut docet S. Tho-

S. Thomas) post aliam gratiam, aut gratiæ effectum sequatur, vel quod detur (ut loquitur Augustinus) ad exequendum, quod per gratiam prævenientem jam incœptum est; alioquin enim secundum merita nostra daretur; voluntas nostra non comitaretur, sed duceret gratiam; non esset gratiæ pedissequa, sed prævia; ac proinde immerito Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. sic exclamasset: *Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum.*

CAPUT IV.

Utrum gratia gratum faciens, dividatur in Excitantem & Adjuvantem.

CONCL. Gratia gratum faciens recte dividitur in Excitantem & Adjuvantem.

Probatur 1. ex Scriptura. Gratiam Excitantem innuit & indicat Scriptura iis locis, ubi excitationis ad bonum meminit: *Surge* (ad Eph. 5.) & *exurge a mortuis, & illuminabit te Christus:* in quæ quidem verba, hæc habet Augustinus in Psal. 6. *Apostolus* Excitabat *animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur a Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste, Deus, Deus meus, ad te luce vigilo. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua, quæ de somno* Excitaret: *Illuminat enim animam Christus, & facit eam vigilare.* Apoc. 3. Christus ait, *Sto ad ostium & pulso.* Stare autem & pulsare ad ostium, nihil aliud est, quam interna inspiratione, animam quoad cælestia dormientem excitare. 2. Eadem Scriptura non obscure innuit gratiam Adjuvantem iis locis, ubi meminit adjutorii divini, *Adjuva nos* (Ps. 78.) *Deus salutaris noster.* Ps. 118. *Adjuva me, & salvus ero.* Ad Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, in quæ Apostoli verba sic Augustinus loquitur in epist. ad Sextum: *Non esse intelligendum spiritum nostrum, de quo dictum est:* Interpellat gemitibus inenarrabilibus, *sed Spiritum sanctum quo nostra infirmitas adjuvatur, satis ipse demonstrat Apostolus; inde enim capit:* Spiritus (*inquit*) adjuvat infirmitatem nostram: *Deinde ita subjunxit:* Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus.

Probatur 2. ex Traditione, Augustinus in suis contra Pelagianos operibus non semel excitantis gratiæ meminit. Concione 1. in Ps. 58. sic loquitur: *Non ego prior ad te exsurrexi voluntate, sed tu ad* Excitandum *venisti.* Sic etiam in Ps. 8. *Ipse me attraxit, quia in occulto a morte cordis, non quilibet medicus, sed ipse* Excitavit. Non raro quoque ipsum Adjuvantis gratiæ nomen usurpat. Ubi enim Pelagianis ostendit, Deum nostras bonas voluntates prævenire, operari, excitare, concedit eis quod ad bonum exequendum (ut ipsi fatebantur) adjuventur: *Dixisti tu, Juliane* (inquit S. Doctor libro 1. ad Bonifacium, cap. 19.) *hominem in bono opere a Deo semper adjuvari, tamquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus* Adjuvetur.

Hæc etiam Bernardus in lib. de gratia & libero arbitrio: *Conatus liberi arbitrii cassi sunt, si non* Adjuventur; *nulli, si non* Excitentur.

Ecclesia in suis orationibus gratiam Excitantem a Deo petit. Nempe Dominica II. Adventus sic orat: *Excita, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias.* Sic etiam Dominica 24. post Pentecosten: *Excita, Domine, tuorum fidelium voluntates.* Petit quoque & Adjuvantem, dum in Officia ad Primam, sic Christum alloquitur: *Exurge Christe, adjuva nos:* In die Paschæ eamdem adjuvantem gratiam poscit: *Vota nostra quæ præveniendo aspiras, etiam* Adjuvando *prosequere.*

Adjuvantis quoque gratiæ meminit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6.

Objicies 1. Membra totum aliquod dividentia, debent esse inter se opposita: atqui gratia Excitans & Adjuvans, non sunt inter se oppositæ; nempe gratia Excitans non minus est adjuvans quam quæ proprio nomine Adjuvans appellatur. 2. Divisio de qua agitur, non traditur a S. Thoma, quamvis expresse tractet quæstionem de divisione gratiæ.

Resp. ad 1. dist. min. Gratia Excitans non minus est adjuvans quoad diversa, conc. min. quoad idem, neg. min. Gratia Excitans est adjuvans quoad primam bonam voluntatem, hoc est, primum boni desiderium. Adjuvans e contra (ut mox dicetur) est adjuvans quoad perfectiorem bonam voluntatem, hoc est quoad executionem boni, cujus debile & imperfectum desiderium gratia Excitans operata fuerit. Ad 2. dicendum est, ideo S. Thomam expresse non meminisse gratiæ Excitantis & Adjuvantis, quod sub Operante & Cooperante comprehendantur. Idem dicendum est de gratia Inspirante, seu, Incipiente, Prosequente, Perficiente, Ducente, Comitante. Scilicet Excitans, Inspirans, Incipiens, Ducens, sunt etiam quoad effectum unum & idem cum gratia Operante, sicut Prosequens, Perficiens, Comitans, cum gratia Cooperante convertuntur.

Ex hactenus dictis patet 1. gratiam Excitantem sic recte definiri: *Actualis motio, qua Deus ante omnem nostræ voluntatis actum nos movet, ut vel ab infidelitate ad fidem, vel a peccato ad pœnitentiam, vel ab otio ad actum convertamur.* E contra Adjuvans definitur *actualis motio qua Deus efficit, ut homo, aut ad fidem, aut ad pœnitentiam, aut ad alium pium actum excitatus, plenius perfectiusque velit &* perf-

perficiat, quod jam velle incapit. Patet 2. effectum gratiæ Excitantis non alium esse, quam primam & imperfectam voluntatem boni; effectum vero Adjuvantis esse executionem boni operis, quod voluntas per excitantem gratiam jam velle & desiderare cœperat. Patet 3. duplicem illam gratiam a se invicem non differre, nisi ratione majoris, aut minoris effectus. Excitans enim, liberum arbitrium movet ad boni desiderium; Adjuvans vero, ad integram ac perfectam desiderii executionem perducit. Patet 4. gratiam Excitantem non esse positam in sola suasione, & illustratione; siquidem illa suasio, illa illustratio solum mentem afficiunt, cum e contra gratia Excitans ipsam etiam voluntatem afficiat.

CAPUT V.

Utrum gratia gratum faciens dividatur in Sufficientem & Efficacem.

Not. NOmen gratiæ Sufficientis est æquivocum: Sumi nimirum potest, aut in sensu Ludovici Molinæ, aut in sensu Thomistarum. Priore modo sumptum, definitur, Auxilium, præter quod ex parte Dei, non alio opus est homini, ut actu operetur. *Sufficiens dicitur* (inquit Lessius in disputatione Apologetica, c. 9.) *quod continet omnia necessaria ad opus, ita ut per illud in potestate hominis sit, sine alio auxilio opus facere. Nihil enim potest dici sufficiens ad aliquam operationem & finem, nisi cui nihil deest, quod sit necessarium ad illum, ut patet ex terminis*. Altero modo sumpta, definitur, Auxilium quod ita tribuit posse, ut tamen homini alio ex parte Dei opus sit ad actu operandum. Unde si sit sola, homo nusquam actu operatur bonum, ad quod per gratiam sufficientem excitatur. *Auxilium gratiæ Dei, quod appellatur sufficiens* (inquit Cabrel. in 1. 2. dist. 4. lect. 2. conclus. 1) *non vocatur sufficiens ex eo quasi ipsum solum sit satis ad actu habendam illam operationem, ad quam ultimo ordinatur, quasi non sit aliquid aliud necessarium, nisi quod non opponatur impedimentum*.

Not. 2. Gratia Efficax definitur, Auxilium quod semper est conjunctum cum actu, ad quem movet & excitat hominis voluntatem: hincque concluditur, eum qui non operatur, non habere gratiam efficacem. *A nullo duro corde respuitur*, (inquit Augustinus in l. de præd. SS. cap. 8.) *ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur*.

CONCL. 1. Si gratia sufficiens sumatur pro auxilio, præter quod ex parte Dei non requiritur aliud ad actu operandum, gratia gratum faciens non dividitur in Sufficientem & efficacem.

Probatur 1. ex dicendis inferius. Omnis gratia, præter quam, ad actu operandum, alia ex parte Dei non requiritur, est efficax; nempe non dat tantum posse, sed etiam ipsum agere; non tantum complet voluntatem, ut possit operari, sed etiam complet eam actu ad operandum, hoc est, eam ad operationem physice determinat: ergo, si gratia sufficiens sumatur pro auxilio, quod ita satis sit, ut ex parte Dei aliud ad actu operandum non requiratur, gratia gratum faciens non dividitur in Sufficientem & Efficacem: siquidem membra quæ totum aliquod dividunt, ita sibi invicem debent esse opposita, ut unum aliud excludat. 2. Si præter gratiam efficacem daretur gratia ita sufficiens, ut ex parte Dei alia ad actu operandum non requireretur, sequeretur 1. gratiam per se efficacem esse omnino inutilem ad actu operandum; 2. humanam voluntatem per suum consensum effecturam, ut illa gratia sufficiens, fieret efficax, seu ab actu primo ad actum secundum educeretur. Sed hæc asseri non possunt, cum (ut fuse dicetur inferius) gratia per se efficax, seu quæ liberum arbitrium prædeterminet, sit ad singulos pietatis actus necessaria.

CONCL. 2. Si gratiæ Sufficientis nomen sumatur pro auxilio, quod dat posse operari, præter quod tamen aliud ex parte Dei necessarium sit ad actu operandum, gratia gratum faciens recte dividitur in Sufficientem & Efficacem.

Probatur. Gratia gratum faciens, sub se revera continet duplicem illam Gratiæ, Sufficientis, & Efficacis, speciem; ambæque illæ gratiæ se se invicem excludunt: ergo Gratia gratum faciens dividitur in Sufficientem, & Efficacem.

Primo, dari Gratiam Efficacem, sic ostenditur. Gratia Efficax est ea, cujus beneficio non solum possumus bonum operari, sed etiam actu illud operamur: atqui datur gratia cujus beneficio non solum possumus bonum operari, sed etiam actu illud operamur.

Hujusmodi nimirum Gratiæ existentiam ostendunt ea Scripturæ loca, in quibus pietatis opera Deo tribuuntur: *Operatur velle & perficere*; in quibus asseritur Deum facere, ut in præceptis illius ambulemus: *Dabo vobis cor carneum* (Ezechielis 36.) *& faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis*; in quibus dicitur non ab alio quam a Dei gratia expectandam esse victoriam ex tentationibus: *Infelix homo* (ait Apostolus ad Romanos 7.) *quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Christum Jesum*.

Secundo, dari Gratiam Sufficientem, sic ostenditur. Gratia Sufficiens, prout opponitur Efficaci, est ea quæ licet non det ipsummet *agere*, dat tamen *posse*: atqui datur Gratia, quæ licet non det ipsummet *agere*, dat tamen *posse*.

Et sane dari gratiam, quæ non det ipsummet agere, ac proinde præter quam alia opus sit ad agendum, demonstrant Scripturæ textus, quibus asseritur, hominem nonnumquam Dei gratiæ resistere: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus* (ait Stephanus in prolixa concione quam habet Actor. 7.) *vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos*; in quibus dicitur, quod homines Deum vocantem sequi renuant: *Vocavi* (ait Deus ipse Proverb. 8.) *& renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*; in quibus nonnulli dicuntur gratiam Dei in vacuum recipere: *Exhortamur vos* (verba sunt Apostoli secundæ ad Corinthios sexto) *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Eodem tendit proscripta hæc ab Innocentio X. propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur*.

Demonstrant & Augustini textus, quibus asserit, imperfectam tantum & parvam ad bonum voluntatem aliquibus dari, licet alia perfectiore & majore ad illud agendum indigeant: *Ipsam caritatem*, magnam & robustam, *Apostolus Petrus nondum habuit* (inquit Sanctus Doctor in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 17. *quando timore Dominum ternegavit. Timor enim non est in caritate, sicut ait Joannes in epistola sua; sed perfecta caritas mittit foras timorem. Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam*.

Demonstrant & alii omnes textus, in quibus idem S. Doctor asserit, aliquos esse, quibus licet detur gratia, quam modo operantem, modo prævenientem, modo excitantem, appellat; non conceditur tamen gratia, quam vocat cooperantem, subsequentem, adjuvantem. Nempe (ut præcedentibus hujusce quæstionis capitibus ostensum est) Gratia operans, præveniens, excitans, imperfectam tantum, & primam boni voluntatem efficiunt, cum e contra cooperans, subsequens, adjuvans, ipsum bonum opus perficiant.

Jam vero gratiam, quæ non dat ipsummet *agere*, dare tamen *posse*, variis momentis ostenditur.

Fides quæ per imperfectam & inchoatam dilectionem operatur, non dat integram mundationem, perfectam libertatem; & tamen ex Augustino dat *posse* integre mundari, *posse* perfecte sanari: *Per quam* (ait in epistola ad Vitalem, loquens de fide) *scit*, diabolus, *eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissime liberos (quod eis vehementer invidet) in æternum regnare*. Idem Sanctus Doctor in libro de Gratia Christi, observat, hæc tria a Pelagio accurate distincta fuisse, *possibilitatem, Voluntatem, Actionem*; *Possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus. Voluntatem qua vult esse justus, Actionem qua justus est*. Ista autem tria ejusdem libri capite 4. hisce tribus nominibus, *Posse, Velle, Esse*, seu *Agere*, brevius expressit: docet, admittendam esse constitutam a Pelagio possibilitatem, si fateatur eam gratia adjuvari, ac præterea ad *Velle*, ad *Agere*, uberiorem aliam gratiam requiri. Ergo Augustinus admisit gratiam, quæ licet non det ipsummet *Velle*, ipsummet *Agere* (cum ad actu volendum, & agendum, uberiorem aliam gratiam, *Actionis* nimirum, requirat) dat tamen posse *Velle*, posse *Agere*.

S. Thomas, non minus quam Augustinus, agnovit auxilium illud, quod licet non det *Agere*, dat tamen *Posse*. Lectione 2. in caput 3. Epistolæ ad Ephesios, docet duplex adjutorium a Paulo hisce verbis: *Cujus factus sum ego minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus*, distinctum fuisse: unum quidem quo datum fuerit *Posse*, seu facultas exequendi, & aliud quo datum fuerit ipsummet *Agere*, seu ipsius acceptæ facultatis executio: *Hujusmodi autem* (inquit) *auxilium duplex fuit: unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio actualis. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem, & gratiam, per quas efficitur homo potens & aptus ad operandum: sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis, interius movendo, & instigando ad bonum; & ideo hoc accipiens Apostolus a Deo, dicit quantum ad primum: Dico, quod factus sum minister, sed certe non meis meritis, nec virtute propria, sed secundum donum gratiæ, quæ data est mihi, qua scilicet idoneus efficior ad executionem divinorum ministeriorum, &c. Quantum autem ad secundum, dicit: Secundum operationem, quam Deus efficit, in quantum virtus ejus operatur in nobis velle, & perficere*. Igitur, ex S. Thoma, facultas operandi, seu *Posse* agere, quod est a gratia, cum sit virtus, per quam homo efficitur potens & aptus ad operandum, distinguitur ab ipsomet *Agere*, quod est per motum, & instigationem, in quantum (ut ipse ait) Dei virtus operatur in nobis velle & perficere.

Idem Angelicus Doctor fuse exponit & probat rationem fundamentalem, cur in rebus quæ ad salutem spectant, gratia Sufficiens ab Efficaci distingui debeat. Nempe docet quod de agentibus modo supernaturali idem ferendum sit judicium, ac de agentibus modo naturali: in agentibus autem modo naturali, duo requiruntur, forma quæ sit principium motus, & ipsa motio primi agentis: *Videmus in corporalibus* (inquit 1. 2. quæst. 109.) *quod ad motum non solum requiritur ipsa forma, quæ est principium motus vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis*: ergo pariter in agentibus modo supernaturali requiruntur forma quæ sit principium actionis, & motio

tio primi agentis: illa vero forma non aliud est, quam Gratia Sufficiens: Per gratiam nimirum Sufficientem agens fit potens ad operandum modo supernaturali, eo quod fiat proportionatum cum effectu, qui vires illius excedit; & per Gratiam efficacem potentia, per Gratiam Sufficientem recepta, ad actum reducitur.

Objicies 1. Omnis gratia actualis est efficax: ergo gratia gratum faciens non dividitur in Sufficientem & Efficacem, cum membra quæ totum dividunt, sese invicem excludere debeant. Probatur ant. Omnis Dei motio est efficax: sed omnis actualis gratia est Dei motio: ergo omnis gratia est efficax. Probatur maj. Quod est a Dei voluntate, est semper efficax; alioquin enim Dei voluntas non semper impleretur, quod quidem negant Theologi post S. Thomam. qui 1. part. quæst. 19. art. 6. sic loquitur: *Necesse est, voluntatem Dei semper impleri:* ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ad 3. dist. maj. Quod est a Dei voluntate est semper efficax respectu effectus, ad quem ex absoluta, & consequente Dei voluntate datur, conc. maj. respectu effectus, ad quem datur non consequente, sed antecedente tantum Dei voluntate, neg. maj. Gratia Sufficiens habet semper effectum ad quem ex absoluta, & consequente Dei voluntate datur; scilicet absoluta ea voluntate datur, ut elevet liberum arbitrium ad esse supernaturale, illudque potens efficiat ad operandum, ac præterea initium bonæ voluntatis operetur: quem quidem effectum semper habet. Verum non habet effectum, ad quem liberum arbitrium movet & excitat, & ad quem datur antecedente Dei voluntate; movet enim, & excitat ad integram executionem bonæ voluntatis, cujus initium operata est: illam autem bonæ voluntatis executionem non habet, nisi uberiori & efficaci auxilio dato, ex absoluta Dei voluntate roboretur. Thomistarum omnium est ea responsio. Traditur a Sylvio 1. 2. q. 109. art. 3.

Objicies 2. gratia quæ dicitur Sufficiens ad operandum, nomine tantum, non autem reipsa, est sufficiens: ergo gratia actualis gratum faciens revera non dividitur in Sufficientem & Efficacem. Probatur ant. illud ad aliquem finem comparandum non est vere sufficiens, præter quod ad eum finem comparandum aliquid aliud necessario requiritur: sic oculus sine adjutorio lucis non dicitur sufficiens ad videndum, eo quod præter oculum, adjutorium lucis ad actu videndum necessario requiratur; sic etiam dici non potest, frustulum panis esse sufficiens ad vescendum, eo quod præter illud frustulum major alia panis quantitas requiratur: Atqui præter gratiam quæ Sufficiens dicitur, alia, Efficax nimirum, ex Thomistis omnibus, ad actu operandum necessario requiritur: Ergo nomine tantum, non autem reipsa, est sufficiens.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Illud ad finem aliquem comparandum non est vere sufficiens in omni genere, præter quod ad eum finem comparandum aliud requiritur, conc. maj. Non est vere sufficiens in aliquo genere, neg. maj. Gratia quæ dicitur sufficiens, & quæ ab efficaci distinguitur, non est sufficiens in omni genere, quia sufficiens in omni genere includit omnia quæ in diversis generibus ad actum aliquem requiruntur: sic ad ædificandam domum architectus non est sufficiens in omni genere, cum præter architectum, instrumenta, materia, & alia diversi generis requirantur. At vero eadem gratia est sufficiens in aliquo genere, nimirum in genere potentiæ, quia præter illam non requiritur alia gratia, ut voluntas *possit* operari, quamvis in alio genere, actualis scilicet operationis, non sit sufficiens, eo quod ut actu operetur, alia, sed diversi generis, gratia requiratur. Quemadmodum ergo architectus, licet per se ad ædificandam domum non sit sufficiens in omni genere, est tamen sufficiens in genere causæ efficientis: ita gratia quæ primam bonam voluntatem operatur, licet propter obsistentem subjecti cupiditatem non sit sufficiens in genere ulterioris actualis operationis, est tamen sufficiens in genere potentiæ, hoc est, satis est, ut voluntas potens sit ad actu & ulterius operandum & revera gratia illa actu & ulterius operaretur, nisi majore subjecti cupiditate vinceretur.

Instabis. Vel potentia, quam gratia sufficiens tribuit, est remota tantum, vel etiam proxima: Atqui neutrum dici potest. Non primum; siquidem, si illa potentia sit tantum remota, liberum arbitrium gratia destitutum, dicetur potens remote tantum ad operandum bonum supernaturale: nempe ut agens dici possit remote potens ad operandum, satis est, ut mediante alio, quod tamen non habet, operari possit: ob eam enim rationem oculus adjutorio lucis destitutus dicitur remote potens ad videndum. Non etiam secundum; nempe usus quidam rationi conformis invaluit, ut ea tantum potentia ad aliquid agendum dicatur proxima, cui nihil ex iis deest quæ requiruntur, ut actu operetur: sic miles dicitur habere potentiam proximam ad pugnandum, cum iis omnibus instructus est, quæ ad actu pugnandum requiruntur.

Resp. potentiam illam simpliciter & absolute debere dici proximam. Ratio est, quia illa potentia debet dici simpliciter & absolute proxima, præter quam alia non requiritur,

tur, ut voluntas *possit* bonum operari: sic pictor simpliciter & absolute dicitur habere proximam potentiam ad pingendum, cum habet omnia, quæ necessaria sunt, ut *possit* pingere, quamvis *actu & de facto* non pingat, defectu alicujus, quod ex parte potentiæ non se teneat. Atqui præter gratiam sufficientem alia non requiritur, ut voluntas *possit* operari, quamvis *actu* cum ea non operetur.

Nec obstat argumentum quo probatum est, eam potentiam non debere dici proximam, cui auxilio opus est, ut *actu* bonum operetur.

Nam 1. quoties Thomistæ dicunt, *potentiam proximam* dari per gratiam sufficientem, expresse testantur, se *potentiæ proximæ* nomen non sumere in sensu, quo ejusmodi *potentia* complectatur omnia ad actu operandum necessaria. *Cum res ipsa intelligitur* (inquit Augustinus libro 1. cont. Crescon. capite 14.) *minus laborandum est, quid eam hominibus vocare placuerit*.

2. Variis principiis quæ tum ex S. Augustino, tum ex S. Thoma retulimus, constat, agens vere dici potens ad operandum, cui nonnulla desint ex iis, quæ ad actu operandum requiruntur. Verum non tantum in schola sapientissimorum illorum doctorum loquendi modus, de quo agitur, invaluit, sed etiam apud eos Theologos, quos Congruistas vocant, & de quibus in quæstione de gratia efficaci occurret sermo. Nempe Congruistæ docent, voluntatem, ut *actu* operetur, indigere auxilio, quod Deus in iis circumstantiis largiatur, in quibus per scientiam mediam prævidet creatam voluntatem ei præbituram suum consensum. Addunt, illud auxilium, etiam instante præcepto, & urgente tentatione, non dari omnibus justis, quos tamen contendunt posse, etiam proxime, servare divinum mandatum.

3. Ille, de quo agitur, loquendi modus Conciliis nititur. Scilicet Tridentina Synodus docet nemini justo impossibilia esse Dei mandata: *Nemo* (inquit sess. 6. cap. 11.) *debet temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*. Ergo nec præceptum perseverandi est homini justificato ad observandum impossibile: At eadem Synodus docet, justis omnibus non dari singulare donum perseverantiæ quod ad actu perseverandum necessarium est, quodque non est in hominis, sed Dei solius potestate; ac proinde eadem sacra Synodus supponit, esse in aliquibus potentiam ad actu perseverandum; quamvis eis negetur auxilium, quod ad actu perseverandum ex parte Dei requiritur. *Si quis* (ait sess. 4. can. 16.) *magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit*.

Objicies 3. Nulla datur gratia Sufficiens: Ergo gratia gratum faciens non dividitur in Sufficientem & Efficacem. Probatur ant. Ea gratia non datur, cujus nullus est omnino effectus: atqui gratiæ Sufficientis nullus est omnino effectus: Siquidem si aliquis esset illius effectus, esset maxime potentia operandi: sed potentia operandi non est effectus gratiæ Sufficientis: Ille enim effectus non est gratiæ Sufficientis, quem Patres soli gratiæ Efficaci tribuerunt: Atqui Patres soli gratiæ Efficaci tribuerunt potentiam operandi, seu docuerunt solam gratiam Efficacem dare *Posse* operari; idque variis momentis ostenditur.

Augustinus libro 1. ad Bonifacium cap. 19. hæc Christi verba apud Joannem: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, explicat de gratia efficaci: *Trahitur* (inquit) *homo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari: non ut homines* (*quod fieri non potest*) *nolentes credant, sed ut credentes ex nolentibus fiant*. Supponit igitur Augustinus, neminem, qui gratia Efficaci destitutus sit, *posse* ad Christum venire.

Idem S. Doctor in Epistola 208. veteris editionis, negat, infirmam ac inchoatam boni voluntatem, quæ datur per gratiam operantem, prævenientem, excitantem, sufficientem, satis esse, ut quis bonum *possit* operari; sic enim loquitur: *Oras ut non intres in tentationem: & utique si homo sibi præparare posset volendo, non posceretur orando: Quapropter ut non intremus in tentationem, si voluntas sufficeret, non oraremus; quæ tamen si deesset, nec orare possemus*. Unde sic arguitur: Qui orat, habet gratiam sufficientem, cum habet inchoatum desiderium superandi tentationem; nec enim victoriam a Deo peteret, si eam minime desideraret: Atqui Augustinus asserit, eum, qui orat, nondum *posse* vincere tentationem: Ergo supponit, non dari per gratiam Sufficientem *posse* operari.

Apud eumdem Augustinum in libro de gratia & libero arbitrio cap. 17. semiplena & imperfecta voluntas, quæ quidem, ex Thomistis, datur per gratiam quam Sufficientem vocant, non efficit, ut quis *possit* operari bonum: *Qui ergo* (inquit) *vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam*: Addit, eum tantum *posse* servare mandatum, qui magnam & robustam voluntatem, quæ per solam Gratiam Efficacem datur, habuerit. *Poterit autem* (ait) *cum magnam habuerit, & robustam*. Id confirmat Petri exemplo, quem dicit errasse, cum per parvam illam & invalidam voluntatem existimabat, se *posse* pro Christo mori: *Et tamen* (inquit) quam-

quamvis parva, & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam: Putabat enim se posse quod se velle sentiebat.

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. ad 3. neg. pariter min. ad 4. dist. min. Patres, soli gratiæ Efficaci tribuerunt perfectam potentiam operandi, conc. min. potentiam imperfectam, neg. min. Prima est ea, quæ complectitur omnia necessaria ad *actu* operandum; posterior vero, quæ complectitur omnia necessaria ad *posse* operari, licet desint ipsi, quæ necessaria sunt ad *actu* operandum. Multa tum ex S. Augustino, tum ex S. Thoma, tum ex Concilio Tridentino exempla protulimus, quibus evincitur, eosdem Augustinum & Thomam admisisse imperfectam illam potentiam, quæ habetur sine gratia Efficaci; ac proinde cum aliis in locis affirmant, hominem lapsum nihil omnino *posse* sine gratia Efficaci, loquuntur de potentia quæ diversi sit generis, hoc est, de perfecta illa potentia quæ complectitur ea omnia, quæ ex parte Dei ad actu operandum requiruntur. Igitur laudati in argumento Patres uno sensu asserunt, parvam & invalidam voluntatem, quæ per gratiam mere Sufficientem habetur, dare *posse* operari, in alio vero, non dare *posse*. Utriusque illius speciei *posse* continetur in una hac Tridentini Concilii sententia, *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. Primum *possis* continet imperfectum *posse*, quod habetur per gratiam mere sufficientem; alterum vero *possis* continet perfectum *posse*, quod per gratiam efficacem habetur.

Objicies 4. Admitti non debet ea gratiæ species, quæ prorsus est inutilis; Atqui gratia mere Sufficiens est prorsus inutilis: Scilicet ea gratia est omnino inutilis, quæ nusquam ab Adami lapsu ad hæc usque tempora effectum habuit; ad quem movet, quæque ipsum nusquam etiam per totam æternitatem habitura est: Sed gratia mere Sufficiens nusquam habuit effectum, ad quem movet, nec unquam, etiam per totam æternitatem, illum habitura est; alioquin enim fieret Efficax, quod est absurdum.

Resp. Falsam esse majorem ejusdem argumenti propositionem, seu falsum est, eam gratiam esse prorsus inutilem, quæ nusquam habuit aut habitura est aliquando effectum, ad quem ordinatur, & ad quem voluntatem impellit. Ratio est, quia licet non habet effectum; ad quem ex natura sua ordinatur, & ad quem voluntatem impellit, habet tamen duplicem alium: siquidem 1. elevat subjectum ad statum supernaturalem, efficitque, ut voluntas, cui confertur, proportionem habeat cum effectu supernaturali, ad quem movet & impellit: 2. Gratia mere Sufficiens, seu prout distinguitur ab efficaci, se habet semper in quocumque subjecto per modum dispositionis ad gratiam Efficacem: Sicut ergo dispositio per se non est inutilis, licet semper conjuncta non sit cum fine, ad quem ex natura sua ordinatur: ita nec gratia mere Sufficiens, est prorsus inutilis, quamvis formam, ad quam tendit, seu gratiam Efficacem, in subjectum non introducat.

Objicies 5. Gratia mere Sufficiens non modo est inutilis, sed etiam noxia saltem in statu naturæ lapsæ: ergo non est admittenda. Probatur ant. Ea gratia est noxia, quæ hominem peccantem efficit magis reum, quam si non adesset: Atqui gratia mere Sufficiens hominem peccantem magis reum efficit, quam si non adesset; gravius enim peccat is, qui peccat adjutus gratia, quam qui peccat ea destitutus, cum & Dei donum conculcet, & magis se ingratum præbeat: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dist. ant. Gravius peccat is qui peccat adjutus gratia, quam qui peccat ea destitutus, si majori seu intensiori cupiditate peccet, conc. ant. si e contra peccet minori & minus intensa cupiditate, neg. ant. Major vel minor gravitas peccati in eadem specie sumuntur ex majori vel minori cupiditate peccantis: At in eo qui peccat adjutus gratia Sufficiente, ceteris paribus, minor est cupiditas, quam in eo qui eadem Sufficiente gratia destitutus peccat: Iste nimirum nullo justitiæ desiderio tenetur, ille e contra eam, imperfecte saltem, desiderat: ac proinde minus ab ea distat, quam alius.

Confirmatur responsio 1. ex eo quod alioquin peccatores illi quos vocant obcæcatos & induratos, minus graviter, dum legem infringunt, peccarent, quam qui non sunt omnino obcæcati & indurati: isti enim, ut supponimus gratia sufficienter præveniuntur; cum illi e contra ea (ut dicetur inferius) *ordinarie*, etiam dum peccant, destituti sint. At absurdum est dicere: obcæcatos & induratos minus graviter peccare, quam ii qui nec indurati sunt, nec obcæcati; alioquin enim obcæcatis & induratis, ad id saltem obcæcatio & induratio, in quas per innumera peccata voluntarie lapsi sunt, prodessent, ut minus graviter peccarent, cum in illa obcæcatione, & in illa induratione legem infringunt.

Confirmatur 2. ex Inquisitionis Romanæ judicio, quo die 7. Decembris, anno 1690. proscripta fuit hæc propositio: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut merito possimus petere: A gratia sufficiente libera nos, Domine*: At si, qui legem infringunt, gratia sufficiente destituti, minus graviter peccarent, quam ii qui, licet ea adjuti, legem infringunt, revera istis, quoad hoc, noxia esset gratia sufficiens, pete-

petereque possent (quod tamen merito damnarunt Inquisitores Romani) *A gratia sufficiente libera nos, Domine.*

Quæres, cur voluntas adjuta auxilio sufficiente non exequatur bonum opus, ad quod per illud auxilium movetur, & per quod accepit potentiam illud exequendi.

Resp. id oriri ab ipsamet voluntate, quæ licet bonum opus, ad quod movetur, exequi possit, ipsum tamen plena & integra voluntate non vult executioni mandare. Si autem rursus quæratur, quare non velit, non est respondendum, id contigere, quod efficaci gratia careat: sicut si quæratur, cum infirmus non ambulet, non est dicendum, id fieri, quod a medico curatus non sit: sed plane respondendum est, voluntatem adjutam sola gratia sufficiente, ideo nolle bonum opus exequi, quod iniqua sit; iniqua autem est, quod res temporales magis quam Deum amet & amare velit.

Ex hactenus dictis patet, quo sensu S. Augustinus solam gratiam efficacem *gratiam Christi* aliquibus in locis vocare videatur; id enim non ita intelligitur, ut gratia sufficiens non sit quoque vera per Christum gratia, sed quod gratia efficax principem inter actuales gratias locum teneat: quæ autem intra eamdem speciem præcipua sunt, speciei nomine absolute, & (ut loquuntur) per antonomasiam appellari solent. Addi potest & alia ratio, nimirum quod gratia efficax ea sit, de qua inter eumdem Augustinum & Pelagianos, Semipelagianosque, præcipua fuit quæstio: *Sed nos* (ait S. Doctor in libro de gratia Christi cap. x.) *eam gratiam volumus, iste*, Pelagius, *aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur.*

CAPUT VI.

De Gratia sufficiente in specie.

Not. CUm proxime superiori capite jam fuse de existentia, natura, & proprietatibus gratiæ sufficientis actum sit, unum hocce in capite expendendum superest; nempe, quod sit gratiæ sufficientis subjectum, hoc est, quibus hominibus in statu naturæ lapsæ conferatur; an parvulis qui sine baptismo moriuntur, an infidelibus qui nihil unquam audierunt de Evangelio; an iis fidelibus quos passim peccatores obcæcatos, & induratos appellant; an justis omnibus, aut aliquibus tantum.

ARTICULUS I.

Utrum Gratia sufficiens detur omnibus parvulis.

Not. I. NON est hic quæstio de Gratia Sufficiente proprie dicta, quæ nimirum posita sit in pia mentis cogitatione, & in bono voluntatis motu. Evidens est enim, ejusmodi cogitationis & motus incapaces esse eos, qui sua ratione nondum fruuntur. Sed difficultas est de Gratia sufficiente improprie dicta, quæ scilicet posita sit in medio aliquo sufficienti ad justitiam parvulis conferendam: unde status quæstionis est, utrum parvulis qui sine Baptismo moriuntur, Deus providerit, & conferat medium per quod salutem consequi possint.

Not. 2. Circa hanc quæstionem duplex est in Scholis sententia. Prima, quæ est omnium fere discipulorum Ludovici Molinæ, docet, parvulos omnes recipere, saltem remote, in parentibus nimirum, medium sufficiens ad justificationem, ac proinde ad salutem. Altera, quæ est Thomistarum omnium, contendit, multos parvulos illud medium, nec proxime, nec remote, recipere. His Gabriel Vasquez, non ultimus e Societate Jesu Scholasticus, subscripsit in 1. p. S. Thomæ, disp. 46. cap. 2. & 3.

CONCLUSIO. Gratia Sufficiens, licet vi voluntatis antecedentis omnibus præparata ad salutem, pluribus parvulis non datur.

Probatur. Grratia Sufficiens ad salutem iis parvulis non datur, qui non possunt baptizari; nempe nihil prorsus præter Baptismum in nova Lege sufficiens est ad salutem parvulorum: Baptismus enim omnibus & singulis necessarius est ad salutem necessitate medii, juxta illud Christi in Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: atqui multi parvuli *non possunt* baptizari.

Nam 1. plerique ex iis qui apud infideles nati, moriuntur antequam ad rationis usum pervenerint, baptizari non possunt, cum (ut supponitur) nihil unquam apud eorum parentes auditum sit de Baptismo, illiusque necessitatem invincibiliter ignorent. Idem dici debet de iis qui in loco nascuntur, ubi deest aqua, & statim post nativitatem moriuntur: Ego autem dico (inquit Augustinus in libro de natura & gratia, c. 8.) parvulum natum in eo loco, ubi ei *non potuit* per per Christi Baptismum subveniri, morte præventum idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exstitisse, quia esse aliud *non potuit*; inde vero S. Doctor concludit, parvulum illum *non potuisse* esse Christianum: *Recte ergo ea damnatione quæ per universam massam currit, non admittitur in regnum cælorum, quamvis Christianus non solum non fuerit*, nec esse potuerit.

2. Ba-

2. Baptizari quoque non possunt, qui antequam nascantur in utero matrum moriuntur; tum quod renasci non possit, qui semel non est natus; tum etiam quod iis infantibus, actio ministrorum, ablutio nimirum, quæcumque humana diligentia adhibeatur, applicari non possit: *Quid dicam* (ait Augustinus in libro de dono perseverantiæ cap. 12.) *quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat?*

3. Baptizari quoque non possunt, qui licet nati, tamdiu non vivunt, quamdiu opus est, ut parentum, aut ministrorum diligentia eis succurri possit: *Plerumque etiam*, ait eidem Augustinus, *festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.*

4. Non raro etiam contingit, ut non tantum ii qui ex iniquis parentibus nati sunt, baptizari non possint, sed ii etiam qui ex patris justi & casti semine in sinu matris justæ & castæ concepti sunt: *Deus* (inquit l. 6. contra Julianum, c. 14.) *aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ feminæ; & aliquando non vult esse filium, quem formavit in utero filiæ suæ. Ille quippe ad Baptismum nescio qua prævisione pervenit: iste repentina morte non pervenit .... Nec enim quod soletis de majoribus dicere* (Pelagianos alloquitur) *Deus vult, parvulus non vult.*

5. Ideo quidem ex parvulis moriuntur, antequam baptismum recipere potuerint, quod caussæ secundæ, quarum Deus (cum sit provisor generalis) actionem impedire non debet, illis in utero matrum adhuc degentibus, aut jam natis, mortem inferant, antequam per ministros eis per baptismum succurri possit: scilicet multoties mors infantibus illis accidit, aut ex feminis sterilitate, aut ex infirmitate matris; aut ex debili ipsiusmet infantis complexione, aut ex aliqua caussa extrinseca, cujusmodi est subversio domus, in qua idem infans reperitur, & quam nulla humana diligentia potuisset avertere.

Neque inde inferas, non esse in Deo voluntatem antecedentem salvandi illos infantes; est enim in ipso, ex D. Thoma, ut supra statuimus, formaliter & proprie voluntas antecedens illos salvandi, ut & alios omnes ac singulos homines; & quidem, non signi tantum, sed & *beneplaciti*, vi cujus vult illis *simpliciter* & *absolute* auxilia *sufficientia*, & *quæ*, inquit Gonetus Tom. 1. Tract. 4. disp. 4. art. 5. §. 2. *ad salutem efficaciter non conducant*. Et vero, ut ait ibi auctor ille, cujus verba exscribimus: *Cum D. Thomas docet, quod operatio non correspondet voluntati antecedenti, sed consequenti, loquitur de operatione & effectu principali, non autem de operatione & effectu minus principali, qualis est præparatio auxiliorum sufficientium: quare voluntas illa antecedens, in statu naturæ lapsæ, non est omnino otiosa & sterilis, nec simplex complacentia de salute hominum, (qualem Scotus & alii fingunt circa mera possibilia) per illam enim Deus omnibus proposuit salutis præcepta, consilia, & remedia; & omnes homines in finem supernaturalem ordinavit, ut docet S. Thom.* qui ad hanc Dei voluntatem antecedentem explicandam utitur exemplo mercatoris omnem diligentiam sufficientem adhibentis, ut merces servet, quas tamen metu naufragii in mare projicit.

Verum hæc antecedens Dei voluntas non prohibet, quominus ille decreto absoluto, quod est divinæ voluntatis consequentis, & a nulla creatura pendet, eam efficiat in caussis secundis dispositionem, quæ mortem inferat infantibus, qui nondum ex utero matris prodierunt. *An hoc* (ait Augustinus in Epistola ad Sixtum) *fato vel fortunæ daturi sunt? Non opinor, eos in tantam dementiam prodituros, quantulumcumque nomen christianum tenere cupientes.*

Objicies 1. Deus iis largitur auxilia ad salutem sufficientia, quos vult salvos fieri; qui enim vult alicui finem, vult & ipsi media, quibus finem illum assequatur: Atqui Deus vult, parvulos omnes salvos fieri. Nempe parvuli vere sunt homines; ac proinde comprehenduntur hac Apostoli sententia 1. ad Timot. 2. *Qui*, Deus, *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* ergo, &c.

Resp. textus, qui nobis objicitur ex Apostolo, varios esse sensus, quos harum Institutionum Tom. 1. pag. 307. & seqq. retulimus. Inter eos autem sensus principem locum tenent ii, quos Sanctus Thomas 1. p. q. 19. art. 6. hisce verbis recenset: *Dicendum, quod illud verbum Apostoli, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, &c. potest tripliciter intelligi. Uno modo ut sit accommoda distributio, secundum hunc sensum: Deus vult salvos fieri omnes homines qui salvantur, non quia nullus homo sit quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus fit, quem salvum fieri non velit; ut dicit Augustinus. Secundo potest intelligi ut fiat distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum, secundum hunc sensum: Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri, mares & feminas, Judæos & Gentiles, parvos & magnos; non tamen omnes de singulis statibus. Tertio, secundum Damascenum, intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente: Quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius; sed ex parte volitorum.*

Utra

Utra ex tribus illis explicationibus a S. Thoma traditis eligatur, nihil [illegible] rit, quo probetur, gratiam quæ satis sit ad salutem, dari, vel remote, parvulis omnibus, qui sine baptismo moriuntur.

Et vero, si admittatur prior, hoc unum ex ea colligeretur, dari generibus singulorum, hoc est, hominibus cujuscumque ætatis, cujuscumque sexus, cujuscumque conditionis, gratias quæ ad salutem sufficiant; non autem singulis individuis quæ sub illis generibus continentur. Si admittatur altera, inde quidem consequens erit eos, quos Deus salvari vult, recipere auxilia, quibus salutem consequi possunt; non autem eos, saltem omnes, quos (ut ait S. Thomas) salvos fieri non vult. Si tandem tertia duabus aliis anteponatur, nullum pro gratia sufficiente data parvulis, qui sine baptismo moriuntur, argumentum elici poterit: Scilicet, si (ut vult Estius) illa voluntas antecedens, cujus S. Thomas meminit, sit tantum voluntas signi, non autem beneplaciti, evidens erit, non sequi ex ea, quod Deus omnibus in individuo hominibus, ac proinde nec parvulis, de quibus agitur, largiatur auxilia ad salutem sufficientia: nimirum voluntas signi in Deo non aliud est, quam præceptum, quo hominibus opera pietatis injunguntur: At ex eo quod Deus injungat opera, non sequitur (ut inferius agentes de induratis, dicemus) quod gratias largiatur, quibus homines possint exequi ejusmodi pietatis opera. Si e contra Dei voluntas antecedens, sit voluntas beneplaciti, (quod nos censemus) inde quoque concludi non poterit, auxilia sufficientia iis dari, quos ea tantum voluntate Deus vult salvos fieri; Siquidem ea voluntas Deum non movet, ut aliquid circa creaturam suam ita operetur, ut illi conferat actu dona, quibus illius saluti consulat; sed efficit tantum, ut ex se paratus sit ea dare, reveraque collaturus esset, nisi obstaret iniquitas creaturæ. Voluntas antecedens per quam Deus vult omnium hominum salutem, se habet in Deo, sicut voluntas antecedens servandi merces se habet in mercatore, cui sæviente in navim tempestate, imminet vitæ periculum: quemadmodum ergo illa mercatoris antecedens voluntas efficit, ut præparet media quibus mercium conservationi consulat, quantum in se est; ita & voluntas antecedens, per quam Deus vult omnium hominum salutem, efficit, ut ex se, & quantum in se est, paratus sit auxilia conferre, quibus homines salvari possint. Verum sicut voluntas antecedens non movet mercatorem, ut *actu* mediis omnibus ad mercium conservationem præparatis utatur, eo quod per voluntatem consequentem efficaciter velit vitæ suæ consulere, cui ut providear, agnoscit projiciendas esse merces in mare: ita hæc voluntas antecedens salvandi omnes [illegible] auxilia quibus omnes homines [illegible] actu & de facto conferat, licet ea paraverit, eo quod per voluntatem consequentem non velit omnium hominum salutem. Ita S. Thom. in 1. Sent. dist. 46. q. 1. art. 1.

Objicies 1. Christus pro omnibus parvulis mortuus est: nempe 1. ad [illegible] 2. mortuus est pro omnibus hominibus [illegible] omnibus parvulis confert actu [illegible] ad salutem sufficientes.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Quamvis enim ex morte Christi & ex voluntate illius antecedente, quæ eadem est cum voluntate antecedente Patris, colligi possit, omnibus præparata fuisse media quæ ad salutem sufficiant, & virtutem sanguinis Christi fuisse pro omnibus sufficientem; colligi tamen non potest, ea media omnibus actu conferri: *Si vero* (inquit Catech. Rom.) *ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Salvatore effusum esse fatendum erit: Si fructum quam ex eo homines perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire, facile intelligemus.*

Eodem spectant hæc verba Concilii Tridentini sess. 6. c. 3. *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ex quo textu sic arguitur: Iis tantum conferuntur media ad salutem sufficientia, qui recipiunt beneficium mortis Christi, quibus meritum passionis illius communicatur; nempe quodlibet donum, quod ad salutem ordinatur, est fructus aliquis, seu beneficium aliquod mortis Christi, est aliqua communicatio meriti passionis illius: Atqui omnes homines non recipiunt beneficium mortis Christi, omnibus non communicatur meritum passionis illius: Ergo nec omnibus conferuntur media ad salutem sufficientia.

Nec audiendi sunt, qui nomine *beneficii*, quo Concilium utitur, nomine *meriti passionis Christi* quod adhibet, intelligi volunt solum medium ad salutem efficax, non autem sufficiens tantum: Nam 1. sacra Synodus simpliciter & absolute declarat, beneficium, seu fructum mortis Christi non omnibus communicari: ergo nec auxilium, etiam mere sufficiens; scilicet ea quæ de aliquo genere simpliciter & absolute negantur, censentur quoque negari de speciebus sub eo genere contentis. 2. Cum Synodus loco laudato ex professo explicet sensum, quo Christus pro omnibus mortuus est, cur gratiæ sufficientis, quæ ex morte Christi in omnes homines fluit, nulla ratione meminit; cur tacuit de auxilio, cujus dumtaxat comparatione (ut adversariis placet) Christus pro omnibus, etiam parvulis, mortuus est?

Non

Non audiendi sunt quoque qui contendunt, eadem verba *Beneficii*, *meriti passionis Christi*, non intelligi de gratia actuali, sed tantum de habituali quæ formaliter (ut loquuntur) justificet. Si quid enim eam adversariorum explicationem adstrueret, esset maxime titulus ille, *Qui per Christum justificentur*, quem sacra Synodus præfigit sessionis sextæ capiti tertio, ex quo desumptus est locus, *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est*, &c. Sed titulus ille non adstruit adversariorum explicationem: Siquidem Concilium loqui intendit de justificatione in genere, prout nempe complectitur & formam, qua quis ex impio fit justus, & præparationes, quæ, cum ad justificationem disponant, suo quoque modo, dispositive nimirum, justificant: Ergo loquitur de inchoata justificatione quæ fit per auxilia actualia, quæ mere sufficientia sint. Præterea hoc esse videtur sacræ Synodi argumentum: *Non omnes recipiunt beneficium mortis Christi, non omnibus communicatur meritum passionis illius: ergo non omnes justitiam consequuntur*. Ut nostra de sufficientia, & efficacia mortis Chisti sententia intelligatur, videnda sunt quæ harum Institutionum Tomo 2. paginis 336. & multis aliis sequentibus fuse a nobis pertractata sunt.

ARTICULUS II.

Utrum gratia Sufficiens ad salutem, infidelibus conferatur.

Not. 1. Infideles duplicis sunt generis. Nonnullis prædicatum fuit Evangelium; ad alios vero non pervenit illius notitia. De prioribus non est hic quæstio: Nonnunquam enim Evangelii prædicationem comitantur gratiæ interiores, quæ satis sunt, ut infideles credere possint. Præcipua igitur difficultas est de infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audire potuerunt.

Not. 2. Non una est de infidelibus, de quibus agitur, scholasticorum opinio. Nonnulli ex iis qui sæculo proxime elapso scripsere, contendunt omnes infideles recipere, saltem remote, auxilium, quod satis sit ad salutem. Thomistæ vero tum antiqui, tum recentiores, quos laudat & sequitur Gonetus, negant, hujusmodi auxilium recipi ab infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audierunt.

CONCLUSIO. Infideles qui nihil unquam audierunt de Evangelio, non receperunt olim, nec modo recipiunt, gratias, quæ ad salutem sufficiant.

Probatur 1. ex Scriptura. Apostolus hæc scribit ad Ephesios 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Ejusdem epistolæ c. 2. fideles, quos Deus ab impietate vocavit ad fidem, sic alloquitur: *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo*. Unde sic arguitur: Idem ferri debet judicium de omnibus infidelibus, qui nihil unquam audierunt de Evangelio, ac de Ephesiis, antequam aliquid de ipso audissent: Atqui tunc Ephesiis datæ non fuerunt gratiæ sufficientes ad salutem, iis enim datæ non fuerunt gratiæ ad salutem sufficientes, qui in tenebris jacuerunt: qui fuerunt sine Christo, sine Deo, sine ulla promissionum spe: Nempe gratiæ sufficientes ad salutem, mentem illuminant; aliqua ratione subjectum, in quo recipiuntur, cum Christo & cum Deo conjungunt; spemque promissionum subministrant: ergo, &c.

Probatur 2. auctoritate & argumento Patrum. Illis non datur gratia sufficiens ad salutem, quibus non datur posse in Christum credere; siquidem fides in Christum, implicita quidem ante Incarnationem Verbi, & explicita post promulgationem Evangelii, fuit semper, & est modo necessitate medii ad salutem necessaria, juxta illud Evangelii: *Qui non crediderit, condemnabitur*; & juxta doctrinam Patrum, quos ad calcem Tomi secundi harum Institutionum laudavimus: atqui pluribus infidelibus non datum fuit olim, nec datur modo *posse* in Christum credere: Iis enim non datum fuit olim nec datur modo *posse* in Christum credere, qui nihil de Christo audire potuerunt; nam ex Apostolo, fides est ex auditu: Sed multi sunt infideles qui nihil olim, nec modo potuerunt audire de Christo: Ii enim nihil potuerunt olim, nec modo possunt audire de Christo, ad quos nec olim, nec modo missi sunt Concionatores, qui de Christo aliquid prædicarent: *Quomodo autem* (ait idem Apostolus in epistola ad Romanos) *audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Atqui plures fuerunt olim, & sunt modo, ad quos nulli concionatores missi sunt: ergo, &c.

Præsulum in Sardinia exsulantium est argumentum illud in epistola Synodali. Est quoque Prosperi, qui ad quartam hanc Gallorum calumniantium objectionem, *quod non omnes homines vocentur ad gratiam*, respondet 1. non vocari eos ad gratiam, quibus annuntiatum non est Evangelium, respondet 2. multos esse, quibus revera nunquam prædicatum est Evangelium; respondet 3. plures ex hoc mundo exiisse, qui nihil de Evangelio audierint, idque probat ex c. 16. Actorum, ubi Apostoli vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia.

Patribus mox laudatis præiverat Augustinus, nempe epistola 80. sic loquitur: *Sunt apud nos, hoc est in Africa, barbaræ innumera-*

merabiles gentes, *in quibus nondum esse prædicatum Evangelium ..... addiscere in promptu est*. Sic etiam in libro de natura & gratia, c. 9. *Juvenis vel senex in ea regione defunctus est*, *ubi* NON POTUIT *Christi nomen audire*.

Ut adversarii illo, insuperabili alioquin, argumento se liberare conentur, respondent, Evangelii auditum non esse quidem *immediate & proxime* in potestate omnium infidelium: penes autem eos esse *mediate & remote*, in quantum scilicet (ajunt) possunt ex creaturis Deum cognoscere, ac postea per gratiam prævenientem excitari ad credendum de eo, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit; eos moveri deinceps ad orationem & pia opera, quibus obtinebunt majus fidei lumen, quod Deus, vel per se, vel per Angelos, vel per homines, conferet; ut videre est in Cornelio, qui ea ratione Christi fidem consecutus est.

Verum invictissimis rationibus impugnari potest ea responsio. Et sane supponit, Deum, saltem ut actorem naturæ, amari ac coli posse sine auxilio fidei in Christum, quæ per dilectionem operetur: quod tamen falsum esse, suo loco demonstravimus. Supponit iterum, legem Decalogi absque eadem fide servari posse: quod etiam (ut ibidem probavimus) falsum est omnino. Supponit tandem, sine eadem in Christum fide Deum orari posse: quod tamen falsum esse, probant hæc Apostoli verba: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Nec non hæc alia Joannis 14. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*: Unde Joannis 16. dicitur, quod ii tantum exaudiri possint, qui in Christi nomine petierint: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: Patres non tantum non probant, sed etiam plane rejiciunt orationem, quæ non fit Christi nomine: *Oratio quæ non fit per Christum* (inquit Augustinus in Ps. 108.) *non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum*. Eas omnes suppositiones proponit sibi ac rejicit Augustinus in libro de natura & gratia contra Pelagium.

Præterea, si (ut asserit responsio quam hic impugnamus) gentes illæ quæ nihil unquam audire potuerunt de Evangelio, ex fide in Deum creatorem per prævenientem gratiam excitari possunt ad orationem, & pia opera, quibus obtineant fidem in Christum, sequetur, fidem in Christum non esse totius justificationis exordium: sicque falsa erit hæc Concilii Tridentini definitio sess. 6. cap. 5. *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium, in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*: cadet & hoc aliud ejusdem sacræ Synodi axioma ejusdem sess. 6. cap. 8. *Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem* (utique Christi, de qua sola in epistola ad Romanos loquitur) *ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quam perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem* (in Christum) *ideo justificari dicamur, quia fides* (in Christum) *est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo*; ac proinde & aliquid sine ea impetrare per orationem, quæ etiam per præveniens aliquod auxilium, cujuscumque sit naturæ, fusa fuerit.

Addendum est, nullum reperiri Patrem, nullam Synodum, quæ meminerit modi illius quo adversarii supponunt, fidem in Christum, ac proinde justificationem, obtineri. Quare, si ita res sit, modum illum ad justificationem dispositivum ac præparatorium non recenset Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. ubi ex professo modum ad justificationem præparatorium exponit? Cur quatuor consequendæ justificationis conditionibus, quas refert, non adjungit fidem, quæ sine concionatore habeatur; quæ tamen ex adversariis cuique fideli obvia est?

Placet sacræ Synodi doctrinam hic paullo uberius pertractare. Ubi sessionis sextæ caput 6. sic inscripsit, *Modus præparationis*, ut infidelis ad justificationem se se præparet; requirit 1. Ut fidem ex auditu concipiat: 2. Ut iis firmiter adhæreat quæ a Deo promissa & revelata sunt: 3. Ut credat, impium justificari per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: 4. Ut speret, Deum sibi per Christum propitium fore: 5. Ut Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. *Disponuntur autem* (inquit) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt: Atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Ubinam in iis Concilii verbis alius est præparationis modus, fidei nimirum in Deum absque auditu conceptæ? Ubi oratio quæ sine fide in Christum impetret ipsam in Christum fidem; cui tamen orationi innititur totum, quod confutamus, adversariorum systema?

Tandem, dato quod aliquis ea, quam adversarii supponunt, via fidem in Christum aliquando habere possit, certum est tamen, eam non esse viam ordinariam: ac proinde sequitur, infideles, qui nihil unquam de Evangelio audire potuerunt, *ordinarie* carere auxilio ad salutem sufficiente, etiam remo-

remote. *Paucissimis* (inquit Augustinus in libro de dono perseverantiæ capite decimo nono) *donatum est, ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum, vel per Angelos cælorum, doctrinam salutis accipiant.* Iis autem paucissimis, quibus sine homine prædicante donatum est, ut doctrinam salutis acciperent, donatum non est intuitu operum quæ ex viribus naturæ fecissent; alioquin enim donatum fuisset ex meritis præcedentibus, quod tamen Ecclesia in Pelagianis damnavit: neque etiam intuitu operum sine fide in Christum, per aliquod auxilium præveniens factorum; cum (ut superius ostendimus) prima omnium gratia sit gratia fidei in Christum, sine qua nihil Deo, saltem in ordine ad salutem æternam, placere potest.

Probatur 3. nostra conclusio ratione Theologica. Iis non datur gratia sufficiens ad salutem, quibus non datur gratia sufficiens ad habendam fidem: sine fide enim impossibile est placere Deo: Atqui gratia sufficiens ad habendam fidem non datur infidelibus qui nihil unquam audire potuerunt de Evangelio: Scilicet si infidelibus illis daretur gratia sufficiens ad habendam fidem, infideles illi rei essent, quod non crederent; qui enim non servant præceptum, quod possunt servare, rei sunt: Sed infideles, de quibus agitur, rei non sunt quod non credant; Quippe quod ignorantia invincibilis alicujus præcepti positivi, ut est præceptum credendi mysteria Trinitatis & Incarnationis, non obtemperantem excuset a peccato; Scilicet a Pio Papa V. proscripta fuit hæc propositio, quæ in Constitutione occasione Michaelis Baji edita, legitur numero 65. *Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*: cui propositioni contraria est doctrina S. Thomæ, qui 2. 2. q. 10. art. 1. sic loquitur: *Si autem; infidelitas, accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinarum ex peccato primi parentis consecuta est*: Atqui infideles, de quibus agitur, laborant invincibili ignorantia mysteriorum fidei: ergo rei non sunt, quod non credant.

Respondent adversarii, infidelibus, de quibus est quæstio, non adesse quidem *proxime* gratiam sufficientem, qua credere possint; sed adesse *remote* gratiam sufficientem, in quantum nimirum temperare possunt a peccatis, in quorum pœnam illis subtrahitur divinorum mysteriorum revelatio.

Sed nullius est roboris illa solutio. Nam 1. falsum est, negativam ignorantiam mysteriorum fidei ita esse pœnam peccatorum actualium, ut si non extarent, adesset mysteriorum revelatio; consecuta est nimirum (ait S. Thomas) ex peccato primi parentis; unde licet infideles ad rationis normam (quod tamen sine gratia fidei fieri non posse, suo loco probavimus) mores suos exigerent, iis moribus Deus nequaquam moveretur ad largiendam ipsis fidei gratiam: alioquin enim gratia secundum merita daretur. 2. Si temperantia a peccatis esset medium ad habendam gratiam Sufficientem ad fidem, & ea temperantia esset in potestate infidelium, ut supponit responsio, infideles haberent quoque in sua potestate gratiam sufficientem ad credendum: qui enim habet in sua potestate medium remotum, quod ad proximum conducit, censetur & habere proximum; ac proinde ignorantia mysteriorum non esset invincibilis in infidelibus, qui nihil unquam audire potuerunt de Evangelio.

Objicies 1. Injustitia quædam esset in Deo, si infidelibus Deum ratione cognoscentibus, moresque suos ad ejusdem rationis normam componentibus gratia sufficiens ad credendum non tribueretur. 2. Sequeretur, infideles damnari propter defectum rei, fidei nimirum, quam nec proxime, nec remote habere potuissent.

Resp. ad 1. injustitiam habere tantum locum in eis, qui digni sunt, non autem in indignis: At infideles omnes tum propter peccatum originale, tum propter actualia, indigni sunt gratia qua ad fidem venire possint. *Parum attendunt* (inquit Augustinus in Epistola ad Sixtum, de Pelagianis loquens) *quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ibi potius nullam fieri acceptionem personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret.*

Resp. ad 2. infideles, de quibus agitur, non damnandos esse, quod fidem non habuerint, sed propter peccatum originale, & plura actualia, quorum tum per omissionem, tum per commissionem in legem naturalem, voluntarie rei facti sunt: S. Thomæ est illa responsio 2. 2. quæst. 10. art. 1.

Objicies 2. Inquisitores Romani die 7. Decembris anno 1690. coram Alexandro Papa VIII. damnarunt hanc propositionem: *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficiente.* Atqui ea propositio damnata, videtur eamdem doctrinam continere, quam continet conclusio qua asseritur, non dari gratiam sufficientem ad salutem infidelibus qui nihil unquam de Evangelio audire potuerunt: Ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam 1. cum propositio de qua agitur, copulative, de paganis nimirum, Judæis, Hæreticis, aliisque hominibus qui non sunt in Ecclesiæ sinu, intelligatur, potuit absolute damnari ratione Judæorum, hæreticorum, & plurium aliorum, qui non sunt in Ecclesia, quamvis Paganorum respectu vera sit: 2. In illa propositione subjectum *Pagani*, est subjectum indefinitum, proindeque juxta Logicæ regulas de paganis omnibus intelligitur, sive aliquid de Evangelio audierint, sive non audierint; sive Deus aliquod credulitatis initium eis largitus sit, sive non fuerit largitus. E contra idem subjectum, *Pagani*, seu, *Infideles*, in nostra conclusione est subjectum definitum, restrictum scilicet ad eos paganos qui nihil unquam, defectu Missionariorum, de Evangelio audire potuerunt. 3. Propositio de qua est quæstio, duabus partibus constat; ista nim[illegible] *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique huj*[illegible] *ris, nullum omnino accipiunt a* [illegible] *influxum*; altera, *Adeoque hinc re*[illegible] *in illis esse voluntatem nudam & in*[illegible], *sine omni gratia sufficiente*. Ut igitur damnaretur, satis fuit, ut sit falsa quoad unam partem, quamvis vera sit quoad aliam: At revera res ita se habet: falsa est enim quoad primam partem, absolute loquendo. Cum enim homo per peccatum omni Dei beneficio indignus factus sit, nihil vetat, quin multa, ex iis etiam quæ ad salutem non pertinent, ex Christi meritis accipiat.

ARTICULUS III.

Utrum gratia Sufficiens detur fidelibus Obcæcatis & Induratis.

Not. 1. FIDE certum est, multos ex obcæcatis & induratis nonnunquam recipere gratiam Sufficientem; quippe quod aperte constet ex Scripturis, eos aliquando Spiritui sancto moventi resistere, & de Judæis Stephanus in Actis asserit: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*. Certum est etiam, nonnullos obcæcatos & induratos peccatores aliquando ad Deum converti; proindeque ratum est, eos non modo gratiam Sufficientem, sed etiam Efficacem recipere. Tota igitur quæstio est, utrum omnes omnino obdurati & obcæcati, alioquin fideles, hoc est, per fidem habitualem existentes in Ecclesiæ sinu, recipiant gratiam Sufficientem quoties urget tentatio quæ ad malum provocet, & instat præceptum quod observari debeat.

Not. 2. Circa eam quæstionem duplex est Theologorum sententia. Qui jurant in verba Ludovici Molinæ, contendunt, nullum, quantumvis obduratum & excæcatum, gratia sufficiente destitui, cum urget tentatio, aut instat præceptum aliquod, sive sit juris naturalis, sive positivi. Eam doctrinam tradiderat Lessius & Hamelius, ut videre est in Assertione 14. quam facultas Theologiæ Lovaniensis anno 1587. censura notavit; sic enim habet Assertio illa: *Indurati & excæcati habent Sufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur*. E contra Thomistæ fere omnes asserunt, inter obcæcatos & induratos peccatores, multos esse, qui omni sufficiente gratia careant, etiam cum urget tentatio, & instat præceptum sive conversionis, sive aliquod aliud. Ita nimirum sentiunt apud Joannem Baptistam Gonetum 1. p. disp. 5. de reprobatione. §. 6. Bannes, Zumel, Gonzalez, Alvarez de Auxiliis disp. 112. Estius in 2. Sent. dist. 26. §. 41. & tandem tota Schola Lovaniensis, quæ nec sanam quidem judicavit mox relatam Lessii & Hamelii assertionem.

Not. 3. Sententia quæ asserit, pluribus obcæcatis, & induratis deesse gratiam sufficientem, qua possint, aut converti ad pœnitentiam, aut superare tentationem aliquam, aut observare præceptum aliquod quod urgeat, tuta & sana judicata est ab aliquibus etiam ex iis qui contrariam defendunt: nempe Theophilus Raynaudus e Societate Jesu, in editione Lugdunensi Operum S. Leonis Magni, hanc de ea censuram profert. Docet 1. Augustinum censuisse, nonnullis obcæcatis, & induratis deesse auxilium sufficiens, quo resipiscere possint. Addit, S. Doctorem eam doctrinam nusquam postea aut retractasse, aut emolliisse. Docet 2. S. Fulgentium eam Augustini doctrinam amplexum fuisse: nec mirum (inquit); familiare enim est Fulgentio Augustini placitis mordicus adhærere. Docet 3. S. Gregorium Magnum, multosque alios Patres in Augustini sententiam abiisse. Docet denique 4. S. Thomam ab ea doctrina minime esse alienum. Eam, quam Raynaudus tot tantisque Patribus tribuerat sententiam, quidam recentior in publicis thesibus notare visus fuerat; verum delatus ad Eminentissimum Cardinalem DE NOAILLES, Archiepiscopum Parisiensem, publico scripto declaravit, verba quibus usus fuerat, eum quidem sensum innuere, sed tamen præter illius mentem: *Profiteor insuper* (inquit in authentica Declaratione, quam & suo & præpositorum qui aderant, nomine, Eminentissimo Cardinali exhibuit, quæque typis excusa est, ut offensioni ex thesi publica obortæ satisfieret) *quamvis mihi persuasum sit, obduratos nequaquam omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta sufficiat, haud propterea voluisse me ulla censura notare illos, qui nec pauci sunt, nec infimi nominis, Theologos e Catholicis, quos contraria in opinione æque in Ecclesia permissa versari certum est.*

CON-

CONCLUSIO. Omnes obcæcati & indurati non semper a Deo recipiunt gratiam sufficientem, aut ad conversionem, aut ad observationem mandatorum, aut ad superandam tentationem. Ita sentiunt auctores superius laudati, quibus plures alii postea accesserunt.

Probatur 1. ex Scriptura. De Judæis hæc leguntur Joannis 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Paulus præcipiens, ut qui peccat, mansuete corripiatur, hac utitur ratione: *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis.* Ad Romanos c. 1. hæc habet: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Hæc quoque leguntur Ecclesiast. 7. *Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille despexit.*

Ex iis autem locis sic argumentum conficitur: Illi non recipiunt gratiam sufficentem, qui audito Evangelio credere non possunt; qui ita excæcati sunt, ut bonum agendum mentis oculis non videant, & ita obdurati, ut non intelligant corde; qui ideo mansuete corripiendi sunt, quod gratiam recipere possint; qui traditi sunt in desideria cordis eorum; quos ideo nemo potest corrigere, quod Deus eos despexerit. Nempe gratia, etiam mere sufficiens, dat *posse credere*; lux enim quædam est, quæ menti demonstrat bonum agendum, & pius motus quo cor, saltem ad inefficacem boni voluntatem, emollitur; beneficium est per quod impius Deo, imperfecte saltem, conjungitur; quo efficitur, ut quis a Deo omnino despectus non sit: Atqui (ut ex laudatis textibus patet) quidam impii audito Evangelio credere non possunt; ita excæcati sunt, ut bonum agendum mentis oculis non videant; traditi sunt in desideria cordis eorum; ideo mansuete corripi debent, quod gratiam recipere possint: ideo corrigi, hoc est mutari in melius, non possunt, quod Deus eos despexerit: Ergo quidam impii a Deo non recipiunt gratiam sufficientem, sive ad tentationes superandas, sive ad conversionem, sive ad mandatorum observationem.

Respondent adversarii, voces, *non posse*, in iis locis sumi pro *difficili*; ita ut sensus sit, impios, de quibus laudatæ Scripturæ loquuntur, difficile admodum posse credere, converti, resipiscere, servare mandata: at difficultas illa (inquiunt) quantumcumque magna supponatur, stat in subjecto cum gratia sufficiente.

Sed inanis est ea responsio; siquidem 1. verba *Non posse*, cum de agendis agitur, sumuntur in Scripturis proprie, hoc est pro re impossibili, respiciendo ad solas naturæ vires: *Si potest Æthiops* (Jeremiæ 13.) *mutare pellem suam, sic vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* 2. Si, *non posse*, in Scripturis sumatur pro *difficili*, immerito Augustinus, & alii Patres eo Scripturarum loquendi modo usi sunt, ut absolutam gratiæ necessitatem ad singulos actus contra Pelagianos dicere potuissent, & (ut videre est apud Augustinum epist. 106.) revera dixerunt, *non posse*, sumi pro difficili tantum. 3. Tantum abest, ut, *non posse*, sumi debeat in Scripturis pro *difficili*, quin e contra *difficile* significet impossibile, habita ratione solarum naturæ virium: *Quo fit* (inquiunt Duacenses Theologi in sua censura adversus Lessii & Hamelii Assertionem 15.) *ut perperam asseratur, omnia Scripturæ loca quæ significant esse impossibile quosdam converti, sic esse intelligenda* (quod volebant Lessius & Hamelius) *ut impossibile accipiatur pro eo, quod est valde difficile; cum præsertim Salvator in Evangelio potius contra, difficile pro impossibili videatur interpretatus, ubi quod difficile dixerat, quærentibus & admirantibus discipulis, ita exponit, ut impossibile esse pronuntiet: Dives* (inquiebat) *difficile intrabit in regnum cœlorum, & quam difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Deinde vero ait, facilius esse camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Et mox, apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt: *Quo loco quin impossibile proprie accipiatur, non est dubium.*

Probatur 2. auctoritate Augustini. S. Doctor docet 1. Deum quorumdam impiorum nolle misereri: nolle eis gratiam infundere; deserere eos; non adjuvare: *Sic excæcat* (inquit tractatu 53. in Joannem) *sic obdurat Deus, deserendo & non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Docet 2. excæcatos & induratos nonnunquam ita deseri, ut bonum nec cernere, nec operari possint: *Quasi* (inquit in libro de perfectione justitiæ cap. 19.) *non debeat Deo agere gratias, qui præcepta voluit: qui desertus OMNI lumine veritatis, hæc velle POTEST.* Docet 3. gratiam possibilitatis, quam vocat auxilium *Sine quo*, quæque Adamo innocenti collata fuit, nunc ex Dei justitia homini impio nonnunquam negari: *Nunc autem* (inquit in libro de corrept. & gratia c. 11.) *quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* Augustino subscribit Gregorius Magnus lib. 11. Moralium, ubi docet, Deum interdum ita deserere hominem in culpæ, cujus reus est, vindictam, ut licet vox sonet exterius, per concionatores nimirum & alia exteriora signa, interius tamen nullo modo tangatur: *Hinc est enim* (inquit) *quod Cain ex divina voce admoneri potuit, & mu-*

tari non potuit; quia exigente culpa malitiæ, jam intus Deus cor reliquerit, cui foris ad testimonium verba faciebat.

Probatur 3. ratione. Gratia Sufficiens actualis posita est in cælesti luce, qua mens perfunditur, & in pia motione, qua voluntas ad bonum excitatur: atqui nec ea lux, nec illa motio adsunt excæcatis & induratis, quoties peccant: alioquin enim dicendum esset, perditos omnes viros nullum crimen perpetrare; publicas meretrices nusquam sui copiam facere, quin lux aliqua supernaturalis de actus turpitudine, quin pium virtutis illi actui contrariæ desiderium ipsis a Deo infundatur: quod quidem falsum esse ipsa docet experientia; compertum est nimirum, eam lucem, ea desideria in quolibet opere flagitioso non percipi ab impiis, illis præsertim, qui scelus ut aquam ebibunt: & quibus iniquitas & tecta & laudanda videtur, juxta illud Augustini: *Sunt qui legem Dei omnino nescientes, malas concupiscentias nec in bestibus deputant*: ergo, &c.

Respondent ex adversariis aliqui, Deum perpetuo quidem & indesinenter ad cordis ostium pulsare, qui peccatorem vocet ad pœnitentiam: sed impium concupiscentiæ strepitu obrutum, nec Dei lumen, nec motionem percipere. Sed inanis est illa responsio. Nam 1. cum (ut Bellarminus advertit) vocatio, pulsus, tractus, excitatio, ex parte creaturæ sint ejusdem creaturæ cogitationes ac desideria, non possunt, quin ab ea percipiantur, cum sit de essentia cogitationis ac desiderii, ut sui ipsius conscientiam involvant: *Quomodo* (inquit) *potest fieri ut non sentiatur a nobis* bona cogitatio, bonumque desiderium, *si sit non solum in nobis, sed etiam a nobis?* 2. Admonitio interior, quæ a monito non percipitur, similis est voci externæ, quæ non auditur: quemadmodum ergo vox externa, quæ non auditur, dormientem excitare non potest, ac eum de præcepto, quod instat, admonere; ita nec motio interna, quæ non sentitur, est sufficiens ad excitandum ad bonum hominem induratum, nec lux, quæ non percipitur, potest excæcati oculos aperire. 3. Si Spiritus sancti præveniens inspiratio omnibus ubique sit communis (argumentum est Theologorum Duacensium in Censura qua notarunt Lessii, & Hamelii Assertionem 14.) jam non ubi, & cum vult, sed semper & ubique spirat Spiritus sanctus. 4. Si semper adsint lux illa & ea motio quam adversarii cuique peccanti præsentem fingunt, nullum erit tempus, quo impius medicum invocare non possit. Sed id repugnat sanctis Patribus, inter quos sic Prosper loquitur ad sextum caput Gallorum: *Priusquam a dominatione diaboli per gratiam Dei impius liberetur; in illo profundo jacet, in quod se sua libertate demersit, amans interim languores suos, & pro sanitate habent, quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse quod langueat, & possit opem medici desiderare, qua surgat.*

Probatur 4. altera ratione Theologica. Excæcati & indurati nullum omnino jus habent ad gratiam, etiam in sensu Thomistarum, mere sufficientem: ergo ex nullo capite probari potest, eos semper ejusmodi gratia præveniri, aut ad conversionem, aut ad tentationem superandam, aut ad servandum præceptum. Probatur antecedens. Si excæcati & indurati jus aliquod haberent ad gratiam Sufficientem, jus illud oriretur vel ex statu in quo versantur, vel ex eorum ordinatione ad finem ultimum, vel ex præcepto um onere quod eis imponitur: atqui ex nullo ex iis capitibus jus illud oritur. Et quidem 1. non oritur ex statu in quo versantur: cum enim sint Dei inimici, Deus non aliud eis debet, quam pœnam: *Non sumus ingrati* (inquit Augustinus in libro de dono perseverantiæ cap. 8.) *quod tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret non esset injustus.*

Non oritur 2. ex ordinatione excæcatorum ad finem ultimum: cum enim a Deo per creaturarum amorem dominantem, & in eis obfirmatum pluribus peccatis animi sint aversi, jus non habent ad media, quibus finem illum consequi possint. Se habent illi peccatores respectu finis ultimi, sicut homines corpore mortui respectu vitæ: quemadmodum ergo principium vitalium operationum non debetur hominibus corpore mortuis; ita nec gratia Sufficiens quæ se habet per modum principii in ordine ad actus supernaturales, debetur mortuis corde hominibus: quod si Deus eam illi tribuat, agit præter ordinem, quem exigit ipsa hominum illorum conditio. S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 161. ratiocinatur.

Non oritur 3. ex præceptorum onere, quod Deus excæcatis & induratis imponit: si enim posita illa hypothesi, excæcatis, & induratis gratia sufficiens deberetur, inde confici posset, gratiam illam eis *absolute ac simpliciter* deberi: nempe simpliciter & absolute repugnat excæcatum & induratum existere sine debito diligendi Deum super omnia, & servandi alia præcepta Decalogi: neque enim Deus potest creare hominem, hoc est, creaturam ratione præditam, sine illo debito, cum illa præcepta sint juris naturalis, & quidem, quacumque facti suppositione, omnino indispensabilis. Usurpanda sunt ergo hæc S. Th. verba 1. 2. quæst. 106. art. 3. *Dicendum, quod humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ; & ideo, quibuscumque*

non datur, hoc est ex justitia; quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia. Hoc idem variis in locis ab Augustino docetur.

Solvuntur argumenta quæ petuntur ex Scriptura.

Objicies 1. Joannis habentur: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: atqui illuminatio illa debet intelligi de illuminatione per gratiam, saltem sufficientem: ergo omnibus, licet obcæcatis & induratis, datur gratia Sufficiens.

Resp. 1. Joannis sententiam a S. Thoma lect. 5. in primum Joannis caput, intelligi de illuminatione per rationem, juxta illud Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*: ita ut sensus sit, omnes qui in hunc mundum veniunt, recipere lumen rationis derivatum a Verbo, quod est suprema Patris ratio, & fons rationis quæ in creaturis reperitur.

Resp. 2. dato, quod laudata ex Joanne sententia intelligatur (ut vult Chrysostomus in hunc locum) de illuminatione per gratiam, vocem hanc, *Mundum*, intelligi *de mundo Christiano*, ita ut sensus sit, eum hominem qui per baptismum sincere, & non ficte fit christianus, illuminari per doctrinam & gratiam actualem, si sit adultus, & per solam gratiam sanctificantem, si nondum ratione sua fruatur.

Resp. 3. dici posse, quod fideles obdurati & excæcati, illuminati aliquando fuerint per gratiam actualem, antequam nimirum in voluntariæ obdurationis & excæcationis pœnam sibi ipsis relicti fuerint; non autem postquam per repetitos iniquos actus in miserrum illum statum inciderunt, & quoties postea urget tentatio, aut instat præceptum; tunc enim æquum est, ut subtractione gratiæ puniantur, juxta illud Augustini lib. 5. contra Julianum, cap. 4. *Cæcitas, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & caussa peccati, cum aliquid mali, cæci cordis errore, committitur.* Cui sententiæ consonant hæc Proverbiorum 8. vers. 3. *Impius cum in profundum venerit, contemnit; sed sequitur cum ignominia & opprobrium.*

Resp. 4. eamdem Joannis sententiam intelligi & ab Augustino & a S, Thoma per distributionem accomodam, ita ut sensus sit, nullum hominem per gratiam illuminari, qui a Deo Verbo non illuminetur; non autem quod omnes, nullo excepto, illuminentur: *Sic enim* (ait Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 103.) *intelligimus & quod in Evangelio scriptum est*: Qui illuminat omnem hominem: *non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia ab ipso nullus illuminatur.*

Objicies 3. Isaiæ c. 4. hæc habentur: *Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Unde sic arguitur: Excæcati & obdurati, si cum conversionis, aut alterius rei agendæ, aut omittendæ præceptum, omni gratia etiam Sufficiente destituti sunt, respondere poterunt, *Debuisti gratiam nobis largiri, qua possemus converti, & alia præcepta implere*: ergo &c.

Resp. excæcatos & induratos non posse id Deo objurganti respondere; neque enim Deus gratiam cuiquam debet: alioquin gratia (ut ait Apostolus) non esset gratia: si autem Deus nulli debeat gratiam, a fortiori eam non debet iis qui per innumera scelera ac flagitia ea se indignos reddiderunt. Præterea suam conversionis præcepto inobedientiam non Deo, sed iniquitati per peccatum primi parentis contractæ, & per plures iniquos actus maxime liberos adauctæ adscribere debent. Petitur ea responsio ex Augustino, qui inimicis gratiæ idem argumentum objicientibus, sic respondet in l. de corrept. & gratia, c. 6. *Itaque hæc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est.*

Objicies 4. Proverb. cap. 1. v. 4. hæc habentur: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, &c. Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Hæc quoque Isaiæ 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, & contradicentem mihi.* Hæc etiam Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non magis ut convertatur?* Hæc tandem Apocalypseos c. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi januam, intrabo, & cœnabo cum eo.* Unde sic conficitur argumentum. Qui foris prædicat & in plateis; qui tota die expandit manus ad induratos & excæcatos; qui non vult excæcatorum & induratorum mortem; qui ad eorumdem excæcatorum & induratorum ostium stat & pulsat, iisdem excæcatis & induratis gratiam ad conversionem, & ad alia præcepta observanda sufficientem largitur: atqui Deus, &c. Consonant his verba illa Concilii Coloniensis quod quidem in Enchiridio de Sacramento Pœnitentiæ sic loquitur: *Nullus est peccator tam scelestus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat.*

Resp. 1. loca ex Scripturis laudata intelligi de vocatione ad conversionem per auxilia extrinseca, nimirum respectu Judæorum, ad quos præsertim spectant Prophetarum verba, per Legis manifestationem, per Prophetarum exhortationes, & alia hujusmodi; non intelliguntur autem de vocatione per auxilium interius, per bonæ voluntatis, nec inchoatæ quidem, subministrationem.

Resp. 2. quod licet detur (quod tamen falsum est) loca intelligi de vocatione, etiam per gratiam interiorem, non probant, eam vocationis speciem Judæis præsentem fuisse, quoties urgebat tentatio, aut adimplendum erat aliquod præceptum. Nec obstant hæ voces, *Tota die*, scilicet (ut Lyranus advertit) significant, homines ad conversionem vocatos fuisse, & tempore legis Mosaicæ, & tempore Evangelii: *Tota die* (inquit) *hoc est, ab Antiquo ad præsens, per Prophetas, & postea per Deum ipsum Incarnatum*. Jam vero quod frequens non fuerit Judæorum per gratiam interiorem vocatio, in variis locis docet Augustinus, iis præsertim, quibus asserit, legem tempore veteris Testamenti reos potius effecisse Judæos, quam justos: supposuit igitur, in plerisque vocationem per solam legem, non autem per gratiam, locum habuisse: *Lex* (inquit Serm. 6. de verbis Apostoli, cap. 7. *jubebat & non implebat, quia caro*, UBI NON ERAT GRATIA, *invictissime resistebat*. Idem asserit tractatu 17. in Joannem, *Illi libri prodebant languidos, non sanabant. Ideo Littera* SINE GRATIA *reos faciebat*.

Ad confirmationem desumptam ex Concilio Coloniensi, dicendum est, intelligi ipsum, non de gratia data quoties, aut urget tentatio, aut instat præceptum, sed de toto vitæ tempore: ita ut sensus sit, nullum inter Christianos esse tam scelestum peccatorem, ut aliquando in vita (antequam nimirum in excæcationem & indurationem inciderit) aliquos divinæ gratiæ motus expertus non sit: unde laudata Synodus non dicit absolute, quod Deus scelesto peccatori gratiam suam non subtrahat, sed cum addito, PENITUS, aut, ut habetur in margine, FUNDITUS: quod quidem additum, ut observat Joannes Baptista Gonetus, P. Deschamps memoria, ut opinamur, lapsus, omisit in libro de hæresi Janseniana pagina 180. ubi laudat Coloniensem illam Synodum, ut omnibus omnino peccatoribus gratiam sufficientem asserat.

Solvuntur argumenta ex Patribus petita.

Objicies 1. S. Prosper libro 2. de vocatione Gentium, c. 10. aperte docet, gratiam omnibus hominibus, dari, ac proinde & hominibus excæcatis & induratis: *Elaboratum est* (inquit) *quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis gratia Dei omnibus hominibus adfuisset*: Id vero probat ex eo, quod ex Apostolo Christus sit Salvator omnium hominum: *Dicendo* (ait) *quod est salvator omnium hominum, confirmavit benitatem Dei super universos homines esse generalem*: ergo, &c.

Resp. 1. libros de Vocatione Gentium falso adscribi Prospero, qui ad Augustinum de Massiliensium erroribus scripsit, multaque alia opera tum contra Pelagianos, tum contra Semipelagianos exaravit. Argumenta, quibus illa responsio nititur, alibi tradidimus.

Resp. 2. dist. ant. Auctor librorum de vocatione Gentium, docet, gratiam exteriorem omnibus hominibus dari, conc. ant. Gratiam interiorem, neg. ant. Nempe c. 3. gratiam communem suadet, quia Deus quosdam, Gentes nimirum, *ad se cognoscendum, cæli & terræ testimoniis convenit; alios*, Judæos scilicet, *doctrina Legis, Prophetarum oraculis, miraculorum signis adjuvit*. Cap. 5. gentes, quæ Decalogi legem non observarunt, ideo esse inexcusabiles probat, non quidem quod gratiam internam, quæ (ut ait Augustinus) in subministratione caritatis posita est, habuerint; sed quod doctrinæ mensuram sibi in creaturis oblatam neglexerint: *Adhibita enim* (inquit) *semper est universis hominibus quædam superna mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuerit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*.

Resp. 3. dist. iterum idem antecedens. Auctor librorum de vocatione gentium docet, gratiam, etiam internam, communem esse omnibus hominibus, sumendo vocem, *Omnibus*, per distributionem accomodam, conc. ant. sumendo simpliciter & absolute, neg. ant. Hoc est, auctor ille docet, gratiam internam semper, seu temporibus & legis naturæ, & legis Mosaicæ, & legis Evangelicæ, datam esse omnibus hominum generibus; non docet vero, datam fuisse singulis generum: *Nulla pars mundi* (inquit cap. 10. quod nobis objectum est) *ab Evangelio vacat Christi, & licet illa generalis vocatio non quiescat, tamen ista specialis jam universis est facta communis. Ex omni gente, ex omni conditione, adoptantur quotidie millia senum, millia juvenum, millia parvulorum*, &c.

Quæ huc usque dicta sunt, confirmari possunt ex his quæ idem auctor habet lib. 2. cap. 4. *Totius mundi inenarrabilis pulcritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis & publica divinæ institutionis doctrina legeretur; cælum ergo, cunctaque cælestia, mare & terra, & omnia quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur auctoris*.

Objicies 2. Augustinus docet, peccata etiam gravissima imputari non debere, si non adsit gratia, per quam vitari possint; sic enim de Pharaone loquitur in Expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Roma-

manos, num. 62. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur præcedenti infidelitate*: Ergo, cum Pharaoni, licet obdurato, peccata imputata fuerint, dicendum est, adfuisse illi gratiam, per quam ea peccata vitare potuerat.

Resp. 1. illum locum probare, Pharaonem quolibet gratiæ auxilio destitutum fuisse; neque enim de eo qui gratia sufficiente adjuvatur, dici potest quod Augustinus asserit de Pharone: *Quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.*

Resp. 2. dist. ant. Hoc illi non imputatur, hoc est, tunc primum non meruit non obtemperare, conc. ant. tunc primum meruit non obtemperare, neg. ant. Augustinus, cum scripsit Expositionem quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos, arbitrabatur, initium fidei esse a nobis determinantibus gratiam versatilem. *Non tollit* (inquit initio capitis, de hac Apostoli sententia, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, loquens) *liberum voluntatis arbitrium, sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adjuvet Deus, misericordes nos efficiendo ad bene operandum per donum Spiritus sancti.* Unde lib. 1. Retractationum cap. 23. eam, in qua tunc ante suum Episcopatum erat opinione, retractans, sic loquitur: *Fidei meritum etiam ipsum, esse donum Dei*, (per gratiam scilicet efficacem) *nec putavi quærendum esse, nec dixi.* Illic fidei initio tamquam merito & ipsam actualem fidem, & cetera pietatis officia tribuebat.

Eodem modo de iniquis induratorum operibus & ratiocinatus & locutus est. Scilicet ea non libero arbitrio, cum actu fient, tamquam primæ demeriti causæ, adscripsit, sed malæ voluntatis initio, hoc est, primo iniquo actui quem operati sunt, cujus quidem primi actus, quæ postea subsequuntur opera, fuerint supplicium a Deo juste inflictum. *Sicut enim* (inquit S. Doctor) *in iis quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: sic in his quos damnat, infidelitas, & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur: sicut & superius idem dicit Apostolus: Et quoniam non probaverunt Deum in notitia habere, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Quapropter concludit Apostolus: Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Cujus autem miseretur, facit eum bene operari: & quem obdurat, relinquit eum ut male operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & illa obduratio præcedenti impietati, ut & bona per Dei donum operentur, & mala per supplicium.*

Eo principio, ea loquendi ratione, utitur in eo ipso loco, quem adversarii nobis objiciunt: *Quod ergo* (inquit) *tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere, obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Ex iis patet, quod illud, *Non ergo hoc illi imputatur*, sic intelligi debeat, Pharaonem non tunc primum meruisse non obtemperare, sed cum priori infidelitate meruit obdurationem.

Solvuntur argumenta ex Sancto Thoma petita.

Objicies 1. Sanctus Thomas in cap. 11. ad Hebræos expresse asserit, Gratiam, saltem Sufficientem, omnibus omnino hominibus dari: Exponens enim hac Apostoli verba: *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei*, sic loquitur: *Gratia etsi non habeatur ex meritis, tamen oportet, quod homo faciat quod in se est; Deus autem voluntate sua liberalissima dat eam omni præparanti se.* Ubi autem id probavit hac Apost. sententia, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, hæc habet: *Et ideo gratia nulli deest, sed omnibus quantum in se est, se communicat, sicut nec sol deest oculis cæcis*: ergo Sanctus Thomas credidit, gratiam sufficientem dari obcæcatis & induratis.

Resp. dist. ant. Gratia habitualis, immo & actualis efficax, nulli deest sese ad eam, ut par est, præparanti, conc. ant. sese ad eam, ut par est, non præparanti, neg. ant. Sanctus Thomas de gratia habituali, aut de actuali efficaci loquitur: utramque vult iis dari, qui ad eam recipiendam se ie, ut par est, præparant: Nempe verbis istis, *Gratia nulli deest*, hac alia præmittit: *Tamen oportet quod homo faciat quod in se est.* 2. Asserit, præparationem illam esse ex gratia: siquidem, hoc ibi objicit argumentum: *Sed contra, quia si gratia non detur ex operibus, sed tantum ex hoc quod aliquis non ponit obstaculum*; hoc est, facit quod in se est: *habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod est error Pelagii.* Ad quod sic respondet: *Dicendum est, quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit.* Ut igitur inde inferatur, gratiam de qua loquitur, nulli deesse, oportet, ut S. Thomas dixerit, gratiam quæ ad illam præparationem, ad non ponendum illud obstaculum requiritur, omnibus dari: At id S. Thomas non asserit, sed contrarium; sic enim loquitur: *Quod ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei: quod autem non removetur, hoc est ex justitia ejus*: Ergo cum aperte supponat, Deum ab omnibus illud obsta-

culum non removere, non minus aperte asserit, gratiam omnibus non dari.

Obiicies 2. Sanctus Thomas lib. 3. contrà Gentes, c. 159. sic loquitur: *Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare*. Addit, penes esse liberum arbitrium impedire, aut non impedire ejusmodi gratiæ receptionem: *Cum hoc*, (ait) *sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, merito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni*. Confirmat exemplo petito ab homine, qui claudens oculos, malum aliquod defectu luminis operatur: *Sicut* (ait) *sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur*. Unde sic arguitur: Sanctus Thomas asserit, gratiam habitualem dari iis omnibus qui non impediunt illius receptionem; docet, omnes posse eam non impedire: ergo, ex illo, datur omnibus gratia sufficiens, per quam possit non impedire receptionem gratiæ habitualis.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Siquidem ut quilibet dicatur posse non impedire receptionem gratiæ habitualis, non est necesse, ut actu habeat gratiam quæ præstet illud posse non impedire; sed satis est (ut fuse dicetur inferius) quod possit eam non impedire per gratiam, sive illa gratia adsit, sive non adsit: *Ad primum ergo dicendum* (ait Sanctus Doctor 2. 2. quæst. 2. art. 5.) *quod si in potestate hominis dicatur esse aliquid excluso auxilio gratiæ; sic ad multa tenetur homo; ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum & proximum; & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati; ut Augustinus dicit in libro de correptione & gratia*.

Eo in loco loqui S. Doctorem de gratia sufficiente, ostenditur 1. ex eo quod loquatur de gratia, per quam homo *possit* Deum & proximum diligere, mysteriis revelatis credere, & per quam in objectione quam solvit, *sit in ejus potestate* aliquid explicite credere. Ostenditur 2. ex eo, quod laudet Augustinum in libro de correptione & gratia. At Augustinus ibi agit de gratia sufficiente; scilicet docet, adjutorium, *Sine quo*, nunc negari in pœnam præcedentis peccati saltem originalis: ergo Sanctus Thomas censuit, recte & absolute dici, hominem posse non impedire gratiæ habitualis receptionem, quamvis actu non habeat gratiam sufficientem ad illud *posse* necessariam.

Obiicies 3. S. Thomas 1. p. q. 49. art. 2. probat, Deum [illegible] esse caussam mali: contra autem eam conclusionem hocce sibi argumentum objicit: *Idem est caussa salutis navis, & periculi: Sed Deus est caussa salutis omnium rerum: ergo ipse est caussa omnis perditionis & mali*. Sic vero illud argumentum solvit: *Ad tertium dicendum, quod submersio navis attribuitur naturæ ut caussæ, ex eo quod non agit, ut requiritur ad salutem navis; sed Deus non deficit ab agendo, quod necessarium est ad salutem, unde non est simile*. Ex eo loco sic eruitur argumentum. Ille dat gratiam, saltem Sufficientem, omnibus hominibus, ac proinde excæcatis & induratis, qui non deficit ab agendo, quod est necessarium ad salutem; si enim eam gratiam alicui negaret, revera deficeret ab agendo, quod est necessarium ad salutem: atqui ex S. Thoma Deus, &c. ergo, &c.

Resp. dist. maj. qui non deficit ab agendo quod est necessarium ad salutem, si id debeat, conc. maj. si id non debeat, neg. maj. Naturæ, cujus exemplo S. Thomas utitur, adscribitur naufragium navis, cum ea non agit, quæ necessaria sunt ad navis salutem; non adscribitur tamen Deo peccatum impii, quamvis non agat, quod necessarium est ad illius salutem, hoc est, quamvis non conferat gratiam, per quam salutem consequi possit. Ratio disparitatis est, quia natura potest, ut supponitur, & *debet* ea agere, quæ ad navis salutem conferunt: at vero Deus, licet potens sit agere quæ ad impii salutem necessaria sunt, non *debet* tamen, hoc est, non tenetur ea agere: alioquin enim impio gratiam deberet, quod Pelagianum est. Desumpta est illa responsio ex ipso S. Thoma, nempe 1. 2. q. 79. ar. 1. aperte eam tradit.

Objicies 4. S. Thomas 1. 2. q. 106. art. 2. ad 1. hæc scribit: *Lex nova, quantum est de se, Sufficiens, auxilium dat ad non peccandum*. Unde sic arguitur: Lex nova, ex S. Doctore, auxilium sufficiens ad non peccandum dat iis qui eam profitentur: atqui fideles excæcati, & indurati profitentur legem novam: ergo lex nova dat eis gratiam sufficientem ad non peccandum.

Resp. 1. dist. maj. Ex S. Thoma lex nova dat auxilium sufficiens ad non peccandum, & nomine auxilii sufficientis Sanctus Doctor intelligit gratiam habitualem, conc. maj. & intelligit gratiam actualem, neg. maj. Idque patet ex scopo quem in eo articulo sibi proponit: quærit enim (ut patet ex articuli titulo) *utrum lex nova justificet*: at justificare proprius est effectus gratiæ habitualis, quamquam & actuali improprie conveniat, quatenus nimirum disponit ad justificationem. 2. Sanctus Thomas in eo articulo gratiam, quam dicit sufficientem, vocat gratiam Spiritus Sancti interius datam, & legem in corde scriptam. At familiare est S. Thomæ, nomine, *gratiæ Spiritus Sancti interius datæ*, *& le-*

& legis in corde scriptæ, intelligere donum habituale, quod justificet. 3. Gratia actuali, proprie loquendo, non utimur, uti enim est applicare: at gratiam actualem non applicamus, sed potius nos ipsa ad agendum applicat; & ideo in Schola S. Thomæ vulgo dicitur, quod gratia actualis non subjacet voluntati quoad usum, hoc est, a voluntate non determinatur: asserit vero Sanctus Thomas, uti nos, aut non uti gratia illa novi testamenti de qua loquitur: *Majori pœna* (inquit) *est dignus auxilio sibi dato non utens*: quod quidem habitui proprie convenit: definitur enim ab eodem S. Thoma 1. 2. quæst. 79. art. 2. *Id quo quis utitur cum voluerit*.

Jam autem si vera sit expositio quam huc usque tradidimus, evidenter patet, non posse ex S. Thomæ textu qui nobis objectus est, colligi gratiam sufficientem actualem dari omnibus hominibus, etiam legem novam profitentibus: neque enim induratis & excæcatis datur gratia habitualis; alioquin justi & sancti essent, cum is gratiæ sanctificantis effectus, ut subjectum in quo recipitur, formaliter justificet & sanctificet, hoc est, cum sit forma qua quis justus est, & sanctus.

Resp. 2. ad idem argumentum, quod licet detur S. Thomam in loco, cujus objectio meminit, loqui de gratia actuali; non inde tamen colligi possit, eam dari obcæcatis & induratis. Nempe licet lex nova, *quantum in se est*, det auxilium sufficiens, non sequitur, quod illud auxilium omnibus applicetur: idque contingit propter peccati obstaculum, quod ab hominibus apponitur: *Humanum genus* (ait S. Doctor 1. 2. q. 106. art. 3. ad 2.) *propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideo quibuscumque non datur, hoc est ex justitia: quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia*.

Solvuntur argumenta ex ratione petita.

Objicies. Deus excæcatis & induratis præcipit conversionem; eis quoque præcipit, ut superent tentationes, quibus urgentur; injungit Decalogi observationem: ergo Deus excæcatis & induratis confert gratiam, saltem sufficientem, ut possint converti, tentationes superare, & observare decalogum. Nempe si gratiam illam eis non conferret, conversio, victoria tentationum, observatio decalogi forent eis impossibiles; neque enim homo sine gratia potest aut converti, aut tentationes superare, aut observare decalogum: Atqui nec conversio, nec victoria tentationum, nec observatio Decalogi, sunt excæcatis & induratis impossibiles: Nam (ut ait Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11.) *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis*: ergo, &c.

Respondeo, non alia ratione solvi debere illud argumentum, quam qua solvit ipsum unanimi consensu Thomistarum schola. Respondet vero ad 1. conc. ant. neg. 2. cons. Ad 2. neg. maj. seu Thomistæ negant, impiis præcepta debere dici, & esse simpliciter & absolute impossibilia, qui gratiam non habent. Ratio est, quia illud tantum dicitur absolute & simpliciter impossibile, quod nec per proprias vires, nec per auxilium divinum facere possumus: ac proinde, cum quilibet excæcatus & induratus, per auxilium gratiæ & converti, & tentationes superare, & decalogum observare possit, dici non potest, quod Dei mandatum sit ei simpliciter & absolute impossibile; quamvis dici possit, quod sit ei impossibile secundum quid, habita nimirum ratione solarum virium naturalium.

Desumpta est illa responsio ex S. Thoma. Scilicet 1. 2. q. 109. art. 4. contra conclusionem in qua asseruerat, hominem lapsum non posse sine gratiæ auxilio servare præcepta decalogi, hanc sibi objectionem secundo loco proponit: *Hieronymus dicit in expositione catholicæ fidei illos esse maledicendos, qui Deum præcepisse homini aliquid impossibile dicunt: sed impossibile est homini quod per se ipsum impleri non potest: ergo homo potest implere omnia præcepta per se ipsum*: hisce autem verbis eam solvit: *Ad 2. dicendum, quod illud quod possumus cum auxilio divino, non est omnino nobis impossibile, secundum illud Philosophi in 3. Ethicorum. Quæ per amicos possumus, æqualiter nos possumus*. Iisdem fere verbis utitur 1. 2. quæst. 156. art. 2. exponens, quo modo continentiæ virtus, quæ Dei donum est, sit nobis possibilis.

Instabis 1. Ut per gratiam mandatum sit possibile excæcato & indurato, necesse est, ut Deus excæcato illi & indurato gratiam conferat, sicut ut quid sit possibile alicui per amicum, oportet ut amicus suum illi auxilium præbeat: Sed (ut supponitur in conclusione) Deus excæcato & indurato gratiam, qua mandatum servari possit, non confert: ergo mandatum est excæcato illi & indurato simpliciter impossibile.

Resp. neg. ant. Satis nimirum est, ut illud auxilium sit in potentia extrinseca excæcati & indurati; non requiritur vero, ut sit in potentia illius intrinseca, hoc est, satis est, ut divinum auxilium recipere possit, nec est necesse, ut illud actu intrinsece recipiat. Responsionem illam tradit S. Thomas loco jam superius a nobis laudato: *Quod si* (inquit 2. 2. quæst. 2. art. 5.) *in potestate hominis dicatur esse aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum & proximum: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; quod quidem auxi-*

auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati.

Jam vero quod spectat ad comparationem ex amico petitam, qua S. Doctor utitur, Sylvius observat, quod non in omnibus præsenti negotio accommodari possit. Nempe (ait) *distincte designari possunt quædam quæ sunt tantum in nostra potestate, & non amici, possuntque a nobis sine ipso præstari, antequam ipse nos adjuvet, ut ad amicum ire, vel ab eo velle adjuvari, ab eo petere auxilium, & interdum incipere opus nostrum, & uti auxilio quod ipse dedit: cum tamen quantum ad ea quæ per Deum agimus, vel possumus, nihil omnino sit nostrum, & non Dei, dicente Apostolo, Quis te discernit?*

Instabis 1. Ex mox data responsione sequitur 1. dæmones & homines jam in inferis damnatos posse servare divina mandata, scilicet ea cum auxilio gratiæ servare possunt, sicut & homines qui adhuc sunt in vita. Sequitur 2. dici posse quod cæcus absolute & simpliciter videre possit, quod mortuus possit vivere; ille enim potest ex Dei auxilio videre, & iste vivere: sed hæc absurda sunt, ergo, &c.

Resp. 1. neg. majorem, quoad priorem partem. Ratio est, quia excæcati & indurati de potentia Dei ordinaria possunt (cum adhuc sint in via) recipere auxilium gratiæ, per quam divina mandata servare possint: at dæmones & damnati possunt tantum illud recipere de potentia absoluta & extraordinaria, cum jam sint in termino, ubi Deus nullum unquam divinæ suæ lucis radium diffundere decrevit: *Multorum hominum malitia talis est* (inquit S. Prosper ad objectionem sextam Vincentianam) *qualis est dæmonum: sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.*

Resp. 2. neg. quoque maj. quoad alteram partem, tum quia non de potentia ordinaria, sed extraordinaria tantum, & absoluta cæcus potest a Deo visum recipere; tum quia cæcus concurrere non potest ad recipiendum visum, nec mortuus ad recipiendam vitam; cum e contra obduratus & obcæcatus cooperando divinæ gratiæ possit servare divinum mandatum, ac proinde mandatum potiori ratione sit ei possibile, quam cæco sit possibilis visio, aut mortuo vita.

Desumpta est illa responsio ex S. Thoma, nempe in quæstionibus disputatis, quæst. 24. de veritate (quæ est de libero arbitrio) art. 11. hocce sibi argumentum proponit: *Sed dices, quod quamvis talis sit impœnitibilis ex viribus propriis, potest reduci ad pœ*[illegible] *ex munere divinæ gratiæ. Sed con*[illegible] *do: aliquid est impossibile secundum* [illegible] *eriores, licet divina operatione fieri possit,* [illegible] *dicimus, simpliciter loquendo, illud esse impossibile, sicut cæcum videre, vel mortuum resurgere. Si ergo ex viribus propriis aliquis non sit capax pœnitentiæ, simpliciter debet dici, quod est obstinatus in malo, quamvis divina virtute possit reduci ad pœnitentiam.* Illi autem argumento sic respondet: *Dicendum, quod quando natura inferior potest aliquid disponere, vel qualiacumque operari, non dicitur impossibile simpliciter, quamvis non possit perfici, nisi divina operatione; sicut non dicimus esse impossibile simpliciter, prolem in utero materno anima rationali animari: & similiter quamvis liberatio a peccato fiat operatione divina; quia tamen ad hoc liberum arbitrium operatur, non dicitur esse impossibile simpliciter.*

Ex his patet (inquit non ultimus ex Thomistarum schola theologus Joannes Baptista Gonetus in sui clypei Thomistici Tom. 2. p. 103. Edit. Parisiens.) possibilitatem mandatorum, ex Sancto Thoma fundari in potentia Dei ordinaria, & in cooperatione humanæ voluntatis: quæ quidem cooperatio cum in cæco ad recipiendum visum, & in mortuo ad recipiendam vitam non reperiatur; ideo simpliciter dicitur, visionem esse impossibilem cæco, & vitam mortuo, quamvis Deus absolute, & de potentia extraordinaria & cæco visum, & mortuo vitam restituere possit.

Objicies 2. Induratus qui gratia sufficiente destitutus peccaret, libere non peccaret: e contra peccaret necessario; ille enim peccat necessario, qui non potest bonum operari: atqui induratus gratia destitutus non posset bonum operari; cum ad illud posse operari requiratur gratia saltem sufficiens, quam non habet; ergo necessario peccaret: sed falsum est consequens; scilicet (ut Augustinus asserit) peccatum actuale adeo debet esse voluntarium, ut si voluntarium non sit, desinat esse peccatum: Ergo, &c.

Respondent Thomistæ omnes (ut videre est apud Gonetum, Tom. 2. pag. 10.) ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. neque enim, ajunt, ut quis non necessario peccet, requiritur, ut possit (per gratiam quæ sit præsens) bonum operari, quia ad libertatem non requiritur indifferentia contrarietatis, seu specificationis, hoc est, ad bonum & malum; alioquin Christus non fuisset liber, cum malum operari non potuerit: sed satis est ad libere peccandum indifferentia contradictionis, hoc est, ut ita intra idem genus boni aut mali, hæc vel illa species boni aut mali eligi possit. Hæc autem indifferentia contradictionis reperitur in indurato gratia sufficiente destituto: ita enim hanc vel illam peccati speciem eligit, ut possit aliam eligere: sic tentatio-

tationem, quæ ad luxuriam provocatur, potest superare motivo vanæ gloriæ; potest ab actu ebrietatis temperare, ut potens sit avaritiæ suæ consulere.

Desumpta est ea responsio ex S. Thoma, qui in lib. 3. contra gentes cap. 160. sic loquitur. *Licet illi qui est in peccato, non habeat hoc in potestate, quod omnino vitet peccatum; habet tamen potestatem vitare hoc vel illud peccatum, ut dictum est; unde quodcumque committit, voluntarie committit; & ita non immerito ei imputatur ad culpam.*

Instabis. Indignum videtur Dei bonitate & justitia, quod ad culpam imputet actus, quos etiam quoad specificationem, hoc est, eligendo speciem contrariam, induratus vitare non potuit: ergo, &c.

Resp. dist. ant. si necessitas illa indurato non fuerit voluntaria, nec in se, nec in caussa, conc. ant. si voluntaria fuerit, saltem in caussa, neg. ant. Peccata autem quæ ab indurato committuntur, fuerunt voluntaria in caussa, scilicet per innumera flagitia, quæ libere & non necessario commisit, in illam, in qua versatur, peccandi necessitatem incidit; ac præterea illam actu amat, vultque, quamdiu induratus est, in ea permanere: sicque necessitas illa non est necessitas antecedens & absoluta, sed hypothetica tantum, & consequens ex iniquis actibus libere repetitis.

Solutionem illam tradit S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 160. hæc enim habet: *Quamvis autem illi qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant (ut ostensum est) nisi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam; quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur; sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sine caussa incurrit.* Idem ostenditur exemplo dæmonis & damnatorum, qui tenentur se se ad Deum convertere, & non peccare, licet id non possint sine auxilio gratiæ, quod tamen eis minime conceditur. Nimirum dæmones & damnati (ut docet S. Thomas quæst. 16. de malo art. 5.) in omnibus suis actibus peccant, eo quod ex voluntaria culpa in eum miserum statum inciderint. Confirmatur ex Augustino, qui libro primo operis imperfecti contra Julianum, p. 155. in veteri editione asserit: *peccandi necessitatem illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.*

Objicies 3. Excæcati & indurati admoneri debent, ut a peccatis resipiscant, & corripiendi quod illa perpetrent: ergo Deus eis gratiam largitur, quæ admonitiones illas & correptiones comitetur: alioquin enim frustra a pastoribus adhiberentur, nempe non magis illis prodesse possent, quam surdis & cæcis eædem admonitiones & correptiones prosunt.

Resp. quod cum pastores nesciant, an Deus suam gratiam induratis daturus sit, an non daturus, ex officio tenentur quemcumque peccantem admonere & corripere, divinæque providentiæ admonitionum & correptionum suarum eventum committere.

Desumpta est illa responsio ex S. Augustino, qui in lib. de corrept. & gratia c. 5. sic loquitur: *Hæc est correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor, pro peccatorum diversitate adhibetur*, & tunc salubris, quando supernus medicus respicit. *Non enim aliquid proficit, nisi cum facit, ut peccati sui quemque pœniteat. Et quis hoc dicat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem, & fecit flentem?* Id vero sic probat ex Apostolo, *Unde & Apostolus Paulus postquam dixit, cum modestia corripiendos esse diversa facientes, protinus adjidit: Ne quando det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscantia Diaboli laqueis.* Vetat deinde idem Augustinus, ne quis audeat quærere, cur aliquando tantum, & non semper, supernus medicus interius correptum respiciat; ac proinde supponit, eum medicum non semper respicere correptum: *Sed quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter diversis & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere, sed figuli.*

Instabis. Cum admonitio & correptio prosint tantum, quando Deus correptum gratia sua respicit, adhiberi non deberent circa induratos; videtur e contra, quod sine correptione dimitti debeant divinæ gratiæ, a qua pendet correpti conversio: Deus enim potest solus, quod aliquando adhibita per pastores correptione præstat.

Resp. neg. ant. Quamvis enim Deus sine adhibitis admonitione & correptione, impium convertere possit, passim tamen non convertit; nisi admonitiones, & correptiones præcesserint; quemadmodum licet absque prædicatione Evangelii fidem largiri possit, nisi tamen ea præcesserit, non solet infidelem ad fidem convertere. *Porro* (ait Augustinus libro de corrept. & grat. c. 5.) *si hoc*, prædicandum non esse Evangelium, quod Deus sine illius prædicatione possit infideles convertere, *non audent dicere, sed patiuntur sibi Evangelium ab homine prædicari; quamvis etiam possit non per hominem homini dari, concedant etiam corripi se debere a præpositis suis, a quibus christiana gratia prædicatur; quamvis non negetur, Deum posse quem velit, etiam nullo homine corripiente, corrigi, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ, occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere.* Totus liber de gratia & correptione similibus principiis & sententiis refertus est; adeat lector

opus

Resp. neg. min. Nam 1. cum propositio de qua agitur, copulative, de paganis nimirum, Judæis, Hæreticis, aliisque hominibus qui non sunt in Ecclesiæ sinu, intelligatur, potuit absolute damnari ratione Judæorum, hæreticorum, & plurium aliorum, qui non sunt in Ecclesia, quamvis Paganorum respectu vera sit: 2. In illa propositione subjectum *Pagani*, est subjectum indefinitum, proindeque juxta Logicæ regulas de paganis omnibus intelligitur, sive aliquid de Evangelio audierint, sive non audierint; sive Deus aliquod credulitatis initium eis largitus sit, sive non fuerit largitus. E contra idem subjectum, *Pagani*, seu, *Infideles*, in nostra conclusione est subjectum definitum, restrictum scilicet ad eos paganos qui nihil unquam, defectu Missionariorum, de Evangelio audire potuerunt. 3. Propositio de qua est quæstio, duabus partibus constat; ista nim[illegible] *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique huju[illegible] ris, nullum omnino accipiunt a Je[illegible] influxum;* altera, *Adeoque hinc recte [illegible] in illis esse voluntatem nudam & inerm[illegible], sine omni gratia sufficiente*. Ut igitur damnaretur, satis fuit, ut sit falsa quoad unam partem, quamvis vera sit quoad aliam: At revera res ita se habet: falsa est enim quoad primam partem, absolute loquendo. Cum enim homo per peccatum omni Dei beneficio indignus factus sit, nihil vetat, quin multa, ex iis etiam quæ ad salutem non pertinent, ex Christi meritis accipiat.

ARTICULUS III.

Utrum gratia Sufficiens detur fidelibus Obcæcatis & Induratis.

Not. 1. FIDE certum est, multos ex obcæcatis & induratis nonnunquam recipere gratiam Sufficientem; quippe quod aperte constet ex Scripturis, eos aliquando Spiritui sancto moventi resistere, & de Judæis Stephanus in Actis asserit: *Vos semper Spiritui sancto restitistis*. Certum est etiam, nonnullos obcæcatos & induratos peccatores aliquando ad Deum converti; proindeque ratum est, eos non modo gratiam Sufficientem, sed etiam Efficacem recipere. Tota igitur quæstio est, utrum omnes omnino obdurati & obcæcati, alioquin fideles, hoc est, per fidem habitualem existentes in Ecclesiæ sinu, recipiant gratiam Sufficientem quoties urget tentatio quæ ad malum provocet, & instat præceptum quod observari debeat.

Not. 2. Circa eam quæstionem duplex est Theologorum sententia. Qui jurant in verba Ludovici Molinæ, contendunt, nullum, quantumvis obduratum & excæcatum, gratia sufficiente destitui, cum urget tentatio, aut instat præceptum aliquod, sive sit juris naturalis, sive positivi. Eam doctrinam tradiderat Lessius & Hamelius, ut videre est in Assertione 14. quam facultas Theologiæ Lovaniensis anno 1587. censura notavit; sic enim habet Assertio illa: *Indurati & excæcati habent Sufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur*. E contra Thomistæ fere omnes asserunt, inter obcæcatos & induratos peccatores, multos esse, qui omni sufficiente gratia careant, etiam cum urget tentatio, & instat præceptum sive conversionis, sive aliquod aliud. Ita nimirum sentiunt apud Joannem Baptistam Gonetum 1. p. disp. 5. de reprobatione. §. 6. Bannes, Zumel, Gonzalez, Alvarez de Auxiliis disp. 112. Estius in 2. Sent. dist. 26. §. 41. & tandem tota Schola Lovaniensis, quæ nec sanam quidem judicavit mox relatam Lessii & Hamelii assertionem.

Not. 3. Sententia quæ asserit, pluribus obcæcatis, & induratis deesse gratiam sufficientem, qua possint, aut converti ad pœnitentiam, aut superare tentationem aliquam, aut observare præceptum aliquod quod urgeat, tuta & sana judicata est ab aliquibus etiam ex iis qui contrariam defendunt: nempe Theophilus Raynaudus e Societate Jesu, in editione Lugdunensi Operum S. Leonis Magni, hanc de ea censuram profert. Docet 1. Augustinum censuisse, nonnullis obcæcatis, & induratis deesse auxilium sufficiens, quo resipiscere possint. Addit, S. Doctorem eam doctrinam nusquam postea aut retractasse, aut emolliisse. Docet 2. S. Fulgentium eam Augustini doctrinam amplexum fuisse: nec mirum (inquit); familiare enim est Fulgentio Augustini placitis mordicus adhærere. Docet 3. S. Gregorium Magnum, multosque alios Patres in Augustini sententiam abiisse. Docet denique 4. S. Thomam ab ea doctrina minime esse alienum. Eam, quam Raynaudus tot tantisque Patribus tribuerat sententiam, quidam recentior in publicis thesibus notare visus fuerat; verum delatus ad Eminentissimum Cardinalem DE NOAILLES, Archiepiscopum Parisiensem, publico scripto declaravit, verba quibus usus fuerat, eum quidem sensum innuere, sed tamen præter illius mentem: *Profiteor insuper* (inquit in authentica Declaratione, quam & suo & præpositorum qui aderant, nomine, Eminentissimo Cardinali exhibuit, quæque typis excusa est, ut offensioni ex thesi publica obortæ satisfieret) *quamvis mihi persuasum sit, obduratos nequaquam omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta sufficiat, haud propterea voluisse me ulla censura notare illos, qui nec pauci sunt, nec infirmi nominis, Theologos e Catholicis, quos contraria in opinione æque in Ecclesia permissa versari certum est.*

CONCLUSIO. Omnes obcæcati & indurati non semper a Deo recipiunt gratiam sufficientem, aut ad conversionem, aut ad observationem mandatorum, aut ad superandam tentationem. Ità sentiunt auctores superius laudati, quibus plures alii postea accesserunt.

Probatur 1. ex Scriptura. De Judæis hæc leguntur Joannis 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Paulus præcipiens, ut qui peccat, mansuete corripiatur, hac utitur ratione: *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis.* Ad Romanos c. 1. hæc habet: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Hæc quoque leguntur Ecclesiast. 7. *Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille despexit.*

Ex iis autem locis sic argumentum conficitur: Illi non recipiunt gratiam sufficentem, qui audito Evangelio credere non possunt; qui ita excæcati sunt, ut bonum agendum mentis oculis non videant, & ita obdurati, ut non intelligant corde; qui ideo mansuete corripiendi sunt, quod gratiam recipere possint; qui traditi sunt in desideria cordis eorum; quos ideo nemo potest corrigere, quod Deus eos despexerit. Nempe gratia, etiam mere sufficiens, dat *posse credere*; lux enim quædam est, quæ menti demonstrat bonum agendum, & pius motus quo cor, saltem ad inefficacem boni voluntatem, emollitur; beneficium est per quod impius Deo, imperfecte saltem, conjungitur; quo efficitur, ut quis a Deo omnino despectus non sit: Atqui (ut ex laudatis textibus patet) quidam impii audito Evangelio credere non possunt; ita excæcati sunt, ut bonum agendum mentis oculis non videant; traditi sunt in desideria cordis eorum; ideo mansuete corripi debent, quod gratiam recipere possint: ideo corrigi, hoc est mutari in melius, non possunt, quod Deus eos despexerit: Ergo quidam impii a Deo non recipiunt gratiam sufficientem, sive ad tentationes superandas, sive ad conversionem, sive ad mandatorum observationem.

Respondent adversarii, voces, *non posse*, in iis locis sumi pro *difficili*; ita ut sensus sit, impios, de quibus laudatæ Scripturæ loquuntur, difficile admodum posse credere, converti, resipiscere, servare mandata: at difficultas illa (inquiunt) quantumcumque magna supponatur, stat in subjecto cum gratia sufficiente.

Sed inanis est ea responsio; siquidem 1. verba *Non posse*, cum de agendis agitur, sumuntur in Scripturis proprie, hoc est pro re impossibili, respiciendo ad solas naturæ vires: *Si potest Æthiops* (Jeremiæ 13.) *mutare pellem suam, sic vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* 2. Si, *non posse*, in Scripturis sumatur pro *difficili*, immerito Augustinus, & alii Patres eo Scripturarum loquendi modo usi sunt, ut absolutam gratiæ necessitatem ad singulos actus contra Pelagianos dicere potuissent, & (ut videre est apud Augustinum epist. 106.) revera dixerunt, *non posse*, sumi pro difficili tantum. 3. Tantum abest, ut, *non posse*, sumi debeat in Scripturis pro *difficili*, quin e contra *difficile* significet impossibile, habita ratione solarum naturæ virium: *Quo fit* (inquiunt Duacenses Theologi in sua censura adversus Lessii & Hamelii Assertionem 15.) *ut perperam asseratur, omnia Scripturæ loca quæ significant esse impossibile quosdam converti, sic esse intelligenda* (quod volebant Lessius & Hamelius) *ut impossibile accipiatur pro eo, quod est valde difficile; cum præsertim Salvator in Evangelio potius contra, difficile pro impossibili videatur interpretatus, ubi quod difficile dixerat, quærentibus & admirantibus discipulis, ita exponit, ut impossibile esse pronuntiet; Dives* (inquiebat) *difficile intrabit in regnum cælorum, & quam difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum. Deinde vero ait, facilius esse camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Et mox, apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt: *Quo loco quin impossibile proprie accipiatur, non est dubium.*

Probatur 2. auctoritate Augustini. S. Doctor docet 1. Deum quorumdam impiorum nolle misereri: nolle eis gratiam infundere; deserere eos; non adjuvare: *Sic excæcat* (inquit tractatu 53. in Joannem) *sic obdurat Deus, deserendo & non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Docet 2. excæcatos & induratos nonnunquam ita deseri, ut bonum nec cernere, nec operari possint: *Quasi* (inquit in libro de perfectione justitiæ cap. 19.) *non debeat Deo agere gratias, qui præcepta voluit: qui desertus* OMNI *lumine veritatis, hæc velle* POTEST. Docet 3. gratiam possibilitatis, quam vocat auxilium *Sine quo*, quæque Adamo innocenti collata fuit, nunc ex Dei justitia homini impio nonnunquam negari: *Nunc autem* (inquit in libro de corrept. & gratia c. 11.) *quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* Augustino subscribit Gregorius Magnus lib. 11. Moralium, ubi docet, Deum interdum ita deserere hominem in culpæ, cujus reus est, vindictam, ut licet vox sonet exterius, per concionatores nimirum & alia exteriora signa, interius tamen nullo modo tangatur: *Hinc est enim* (inquit) *quod Cain ex divina voce admoneri potuit, & mutari*

tari non potuit; quia exigente culpa malitia, jam intus Deus cor reliquerit, cui foris ad testimonium verba faciebat.

Probatur 3. ratione. Gratia Sufficiens actualis posita est in cælesti luce, qua mens perfunditur, & in pia motione, qua voluntas ad bonum excitatur: atqui nec ea lux, nec illa motio adsunt excæcatis & induratis, quoties peccant: alioquin enim dicendum esset, perditos omnes viros nullum crimen perpetrare; publicas meretrices nusquam sui copiam facere, quin lux aliqua supernaturalis de actus turpitudine, quin pium virtutis illi actui contrariæ desiderium ipsis a Deo infundatur: quod quidem falsum esse ipsa docet experientia; compertum est nimirum, eam lucem, ea desideria in quolibet opere flagitioso non percipi ab impiis, illis præsertim, qui scelus ut aquam ebibunt: & quibus iniquitas & tecta & laudanda videtur, juxta illud Augustini: *Sunt qui legem Dei omnino nescientes, malas concupiscentias nec in bestibus deputant*: ergo, &c.

Respondent ex adversariis aliqui, Deum perpetuo quidem & indesinenter ad cordis ostium pulsare, qui peccatorem vocet ad pœnitentiam: sed impium concupiscentiæ strepitu obrutum, nec Dei lumen, nec motionem percipere. Sed inanis est illa responsio. Nam 1. cum (ut Bellarminus advertit) vocatio, pulsus, tractus, excitatio, ex parte creaturæ sint ejusdem creaturæ cogitationes ac desideria, non possunt, quin ab ea percipiantur, cum sit de essentia cogitationis ac desiderii, ut sui ipsius conscientiam involvant: *Quomodo* (inquit) *potest fieri ut non sentiatur a nobis* bona cogitatio, bonumque desiderium, *si sit non solum in nobis, sed etiam a nobis?* 2. Admonitio interior, quæ a monito non percipitur, similis est voci externæ, quæ non auditur: quemadmodum ergo vox externa, quæ non auditur, dormientem excitare non potest, ac cum de præcepto, quod instat, admonere; ita nec motio interna, quæ non sentitur, est sufficiens ad excitandum ad bonum hominem induratum, nec lux, quæ non percipitur, potest excæcati oculos aperire. 3. Si Spiritus sancti præveniens inspiratio omnibus ubique sit communis (argumentum est Theologorum Duacensium in censura qua notarunt Lessii, & Hamelii Assertionem 14.) jam non ubi, & cum vult, sed semper & ubique spirat Spiritus sanctus. 4. Si semper adsint lux illa & ea motio quam adversarii cuique peccanti præsentem fingunt, nullum erit tempus, quo impius medicum invocare non possit. Sed id repugnat sanctis Patribus, inter quos sic Prosper loquitur ad sextum caput Gallorum: *Priusquam a dominatione diaboli per gratiam Dei impius liberetur, in illo profundo jacet, in quod se sua libertate demersit, amans interim languores suos, & pro sanitate habens, quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse quod langueat, & possit opem medici desiderare, qua surgat.*

Probatur 4. altera ratione Theologica. Excæcati & indurati nullum omnino jus habent ad gratiam, etiam in sensu Thomistarum, mere sufficientem: ergo ex nullo capite probari potest, eos semper ejusmodi gratia præveniri, aut ad conversionem, aut ad tentationem superandam, aut ad servandum præceptum. Probatur antecedens. Si excæcati & indurati jus aliquod haberent ad gratiam Sufficientem, jus illud oriretur vel ex statu in quo versantur, vel ex eorum ordinatione ad finem ultimum, vel ex præcepto um onere quod eis imponitur: atqui ex nullo ex iis capitibus jus illud oritur. Et quidem 1. non oritur ex statu in quo versantur: cum enim sint Dei inimici, Deus non aliud eis debet, quam pœnam: *Non simus ingrati* (inquit Augustinus in libro de dono perseverantiæ cap. 8.) *quod tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret non esset injustus.*

Non oritur 2. ex ordinatione excæcatorum ad finem ultimum: cum enim a Deo per creaturarum amorem dominantem, & in eis obfirmatum pluribus peccatis animi sint aversi, jus non habent ad media, quibus finem illum consequi possint. Se habent illi peccatores respectu finis ultimi, sicut homines corpore mortui respectu vitæ: quemadmodum ergo principium vitalium operationum non debetur hominibus corpore mortuis; ita nec gratia Sufficiens quæ se habet per modum principii in ordine ad actus supernaturales, debetur mortuis corde hominibus: quod si Deus eam illi tribuit, agit præter ordinem, quem exigit ipsa hominum illorum conditio. S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 161. ratiocinatur.

Non oritur 3. ex præceptorum onere, quod Deus excæcatis & induratis imponit: si enim posita illa hypothesi, excæcatis, & induratis gratia sufficiens deberetur, inde confici posset, gratiam illam eis *absolute ac simpliciter* deberi: nempe simpliciter & absolute repugnat excæcatum & induratum existere sine debito diligendi Deum super omnia, & servandi alia præcepta Decalogi: neque enim Deus potest creare hominem, hoc est, creaturam ratione præditam, sine illo debito, cum illa præcepta sint juris naturalis, & quidem, quacumque facta supposititione, omnino indispensabilis. Usurpanda sunt ergo hæc S. Th. verba 1. 2. quæst. 106. art. 3. *Dicendum, quod humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ; & ideo, quibuscumque non*

non datur, hoc est ex justitia; quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia. Hoc idem variis in locis ab Augustino docetur.

Solvuntur argumenta quæ petuntur ex Scriptura.

Objicies 1. Joannis habentur: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: atqui illuminatio illa debet intelligi de illuminatione per gratiam, saltem sufficientem: ergo omnibus, licet obcæcatis & induratis, datur gratia sufficiens.

Resp. 1. Joannis sententiam a S. Thoma lect. 5. in primum Joannis caput, intelligi de illuminatione per rationem, juxta illud Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*: ita ut sensus sit, omnes qui in hunc mundum veniunt, recipere lumen rationis derivatum a Verbo, quod est suprema Patris ratio, & fons rationis quæ in creaturis reperitur.

Resp. 2. dato, quod laudata ex Joanne sententia intelligatur (ut vult Chrysostomus in hunc locum) de illuminatione per gratiam, vocem hanc, *Mundum*, intelligi *de mundo Christiano*, ita ut sensus sit, eum hominem qui per baptismum sincere, & non ficte fit christianus, illuminari per doctrinam & gratiam actualem, si sit adultus, & per solam gratiam sanctificantem, si nondum ratione sua fruatur.

Resp. 3. dici posse, quod fideles obdurati & excæcati, illuminati aliquando fuerint per gratiam actualem, antequam nimirum in voluntariæ obdurationis & excæcationis pœnam sibi ipsis relicti fuerint; non autem postquam per repetitos iniquos actus in miserrum illum statum inciderunt, & quoties postea urget tentatio, aut instat præceptum; tunc enim æquum est, ut subtractione gratiæ puniantur, juxta illud Augustini lib. 5. contra Julianum, cap. 4. *Cæcitas, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & caussa peccati, cum aliquid mali, cæci cordis errore, committitur*. Cui sententiæ consonant hæc Proverbiorum 8. vers. 3. *Impius cum in profundum venerit, contemnit; sed sequitur eum ignominia & opprobrium*.

Resp. 4. eamdem Joannis sententiam intelligi & ab Augustino & a S. Thoma per distributionem accomodam, ita ut sensus sit, nullum hominem per gratiam illuminari, qui a Deo Verbo non illuminetur; non autem quod omnes, nullo excepto, illuminentur: *Sic enim* (ait Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 103.) *intelligimus & quod in Evangelio scriptum est*: Qui illuminat omnem hominem: *non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia ab ipso nullus illuminatur*.

Objicies 3. Isaiæ c. 4. hæc habentur: *Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Unde sic arguitur: Excæcati & obdurati, si cum conversionis, aut alterius rei agendæ, aut omittendæ præceptum, omni gratia etiam Sufficiente destituti sunt, respondere poterunt, *Debuisti gratiam nobis largiri, qua possemus converti, & alia præcepta implere*: ergo &c.

Resp. excæcatos & induratos non posse id Deo objurganti respondere; neque enim Deus gratiam cuiquam debet: alioquin gratia (ut ait Apostolus) non esset gratia: si autem Deus nulli debeat gratiam, a fortiori eam non debet iis qui per innumera scelera ac flagitia ea se indignos reddiderunt. Præterea suam conversionis præcepto inobedientiam non Deo, sed iniquitati per peccatum primi parentis contractæ, & per plures iniquos actus maxime liberos adauctæ adscribere debent. Petitur ea responsio ex Augustino, qui inimicis gratiæ idem argumentum objicientibus, sic respondet in l. de corrept. & gratia, c. 6. *At per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est*.

Objicies 4. Proverb. cap. 1. v. 4. hæc habentur: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, &c. Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*. Hæc quoque Isaiæ 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, & contradicentem mihi*. Hæc etiam Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non magis ut convertatur?* Hæc tandem Apocalypseos c. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi januam, introibo, & cœnabo cum eo*. Unde sic conficitur argumentum. Qui foris prædicat & in plateis; qui tota die expandit manus ad induratos & excæcatos; qui non vult excæcatorum & induratorum mortem; qui ad eorumdem excæcatorum & induratorum ostium stat & pulsat, iisdem excæcatis & induratis gratiam ad conversionem, & ad alia præcepta observanda sufficientem largitur: atqui Deus, &c. Consonant his verba illa Concilii Coloniensis quod quidem in Enchiridio de Sacramento Pœnitentiæ sic loquitur: *Nullus est peccator tam scelestus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat*.

Resp. 1. loca ex Scripturis laudata intelligi de vocatione ad conversionem per auxilia extrinseca, nimirum respectu Judæorum, ad quos præsertim spectant Prophetarum verba, per Legis manifestationem, per Prophetarum exhortationes, & alia hujusmodi; non intelliguntur autem de vocatione per auxilium interius, per bonæ voluntatis, nec inchoatæ quidem, subministrationem.

Resp. 2. quod licet detur (quod tamen falsum est) loca intelligi de vocatione, etiam per gratiam interiorem, non probant, eam vocationis speciem Judæis præsentem fuisse, quoties urgebat tentatio, aut adimplendum erat aliquod præceptum. Nec obstant hæ voces, *Tota die*, scilicet (ut Lyranus advertit) significant, homines ad conversionem vocatos fuisse, & tempore legis Mosaicæ, & tempore Evangelii: *Tota die* (inquit) *hoc est, ab antiquo ad præsens, per Prophetas, & postea per Deum ipsum Incarnatum*. Jam vero quod frequens non fuerit Judæorum per gratiam interiorem vocatio, in variis locis docet Augustinus, iis præsertim, quibus asserit, legem tempore veteris Testamenti reos potius effecisse Judæos, quam justos: supposuit igitur, in plerisque vocationem per solam legem, non autem per gratiam, locum habuisse: *Lex* (inquit Serm. 6. de verbis Apostoli, cap. 7. *jubebat & non implebat, quia caro*, UBI NON ERAT GRATIA, [illegible]*sime resistebat*. Idem asserit tractatu 17. in Joannem, *Illi libri prodebant languidos, non sanabant. Ideo Littera* SINE GRATIA [illegible] *faciebat*.

Ad confirmationem desumptam ex Concilio Coloniensi, dicendum est, intelligi ipsum, non de gratia data quoties, aut urget tentatio, aut instat præceptum, sed de toto vitæ tempore: ita ut sensus sit, nullum inter Christianos esse tam scelestum peccatorem, ut aliquando in vita (antequam nimirum in excæcationem & indurationem inciderit) aliquos divinæ gratiæ motus expertus non sit: unde laudata Synodus non dicit absolute, quod Deus scelesto peccatori gratiam suam non subtrahat, sed cum addito, PENITUS, aut, ut habetur in margine, FUNDITUS: quod quidem additum, ut observat Joannes Baptista Gonetus, P. Deschamps memoria, ut opinamur, lapsus, omisit in libro de hæresi Janseniana pagina 180. ubi laudat Coloniensem illam Synodum, ut omnibus omnino peccatoribus gratiam sufficientem asserat.

Solvuntur argumenta ex Patribus petita.

Objicies 1. S. Prosper libro 2. de vocatione Gentium, c. 10. aperte docet, gratiam omnibus hominibus dari, ac proinde & hominibus excæcatis & induratis: *Elaboratum est* (inquit) *quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis gratia Dei omnibus hominibus adfuisset*: Id vero probat ex eo, quod ex Apostolo Christus sit Salvator omnium hominum: *Dicendo* (ait) *quod est salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem*: ergo, &c.

Resp. 1. libros de Vocatione Gentium falso adscribi Prospero, qui ad Augustinum de Massiliensium erroribus scripsit, multaque alia opera tum contra Pelagianos, tum contra Semipelagianos exaravit. Argumenta, quibus illa responsio nititur, alibi tradidimus.

Resp. 2. dist. ant. Auctor librorum de vocatione Gentium, docet, gratiam exteriorem omnibus hominibus dari, conc. ant. Gratiam interiorem, neg. ant. Nempe c. 3. gratiam communem suadet, quia Deus quosdam, Gentes nimirum, *ad se cognoscendum, cæli & terræ testimoniis convenit; alios*, Judæos scilicet, *doctrina Legis, Prophetarum oraculis, miraculorum signis adjuvit*. Cap. 5. gentes, quæ Decalogi legem non observarunt, ideo esse inexcusabiles probat, non quidem quod gratiam internam, quæ (ut ait Augustinus) in subministratione caritatis posita est, habuerint; sed quod doctrinæ mensuram sibi in creaturis oblatam neglexerint: *Adhibita enim* (inquit) *semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuerit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*.

Resp. 3. dist. iterum idem antecedens. Auctor librorum de vocatione gentium docet, gratiam, etiam internam, communem esse omnibus hominibus, sumendo vocem, *Omnibus*, per distributionem accomodam, conc. ant. sumendo simpliciter & absolute, neg. ant. Hoc est, auctor ille docet, gratiam internam semper, seu temporibus & legis naturæ, & legis Mosaicæ, & legis Evangelicæ, datam esse omnibus hominum generibus; non docet vero, datam fuisse singulis generum: *Nulla pars mundi* (inquit cap. 10. quod nobis objectum est) *ab Evangelio vacat Christi, & licet illa generalis vocatio non quiescat, tamen ista specialis jam universis est facta communis. Ex omni gente, ex omni conditione, adoptantur quotidie millia senum, millia juvenum, millia parvulorum*, &c.

Quæ huc usque dicta sunt, confirmari possunt ex his quæ idem auctor habet lib. 2. cap. 4. *Totius mundi inenarrabilis pulcritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis & publica divinæ institutionis doctrina legeretur; cælum ergo, cunctaque cælestia, mare & terra, & omnia quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur auctoris*.

Objicies 2. Augustinus docet, peccata etiam gravissima imputari non debere, si non adsit gratia, per quam vitari possint; sic enim de Pharaone loquitur in Expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Ro-

ma-

manos, num. 62. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur præcedenti infidelitate*: Ergo, cum Pharaoni, licet obdurato, peccata imputata fuerint, dicendum est, adfuisse illi gratiam, per quam ea peccata vitare potuerat.

Resp. 1. illum locum probare, Pharaonem quolibet gratiæ auxilio destitutum fuisse; neque enim de eo qui gratia sufficiente adjuvatur, dici potest quod Augustinus asserit de Pharone: *Quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.*

Resp. 2. dist. ant. Hoc illi non imputatur, hoc est, tunc primum non meruit non obtemperare, conc. ant. tunc primum meruit non obtemperare, neg. ant. Augustinus, cum scripsit Expositionem quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos, arbitrabatur, initium fidei esse a nobis determinantibus gratiam versatilem. *Non tollit* (inquit initio capitis, de hac Apostoli sententia, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, loquens) *liberum voluntatis arbitrium, sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adjuvet Deus, misericordes nos efficiendo ad bene operandum per donum Spiritus sancti*. Unde lib. 1. Retractationum cap. 23. eam, in qua tunc ante suum Episcopatum erat opinione, retractans, sic loquitur: *Fidei meritum etiam ipsum, esse donum Dei*, (per gratiam scilicet efficacem) *nec putavi quærendum esse, nec dixi*. Illic fidei initio tamquam merito & ipsam actualem fidem, & cetera pietatis officia tribuebat.

Eodem modo de iniquis induratorum operibus & ratiocinatus & locutus est. Scilicet ea non libero arbitrio, cum actu fiunt, tamquam primæ demeriti causæ, adscripsit, sed malæ voluntatis initio, hoc est, primo iniquo actui quem operati sunt, cujus quidem primi actus, quæ postea subsequuntur opera, fuerint supplicium a Deo juste inflictum. *Sicut enim* (inquit S. Doctor) *in iis quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: sic in his quos damnat, infidelitas, & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur: sicut & superius idem dicit Apostolus: Et quoniam non probaverunt Deum in notitia habere, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Quapropter concludit Apostolus: Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat: Cujus autem miseretur, facit eum bene operari: & quem obdurat, relinquit eum ut male operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & illa obduratio præcedenti impietati, ut & bona per Dei donum operentur, & mala per supplicium.*

Eo principio, ea loquendi ratione, utitur in eo ipso loco, quem adversarii nobis objiciunt: *Quod ergo* (inquit) *tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere, obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*. Ex iis patet, quod illud, *Non ergo hoc illi imputatur*, sic intelligi debeat, Pharaonem non tunc primum meruisse non obtemperare, sed cum priori infidelitate meruit obdurationem.

Solvuntur argumenta ex Sancto Thoma petita.

Objicies 1. Sanctus Thomas in cap. 11. ad Hebræos expresse asserit, Gratiam, saltem Sufficientem, omnibus omnino hominibus dari: Exponens enim hæc Apostoli verba: *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei*, sic loquitur: *Gratia etsi non habeatur ex meritis, tamen oportet, quod homo faciat quod in se est; Deus autem voluntate sua liberalissima dat eam omni præparanti se*. Ubi autem id probavit hac Apost. sententia, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, hæc habet: *Et ideo gratia nulli deest, sed omnibus quantum in se est, se communicat, sicut nec sol deest oculis cæcis*: ergo Sanctus Thomas credidit, gratiam sufficientem dari obcæcatis & induratis.

Resp. dist. ant. Gratia habitualis, immo & actualis efficax, nulli deest sese ad eam, ut par est, præparanti, conc. ant. sese ad eam, ut par est, non præparanti, neg. ant. Sanctus Thomas de gratia habituali, aut de actuali efficaci loquitur: utramque vult iis dari, qui ad eam recipiendam se se, ut par est, præparant: Nempe verbis istis, *Gratia nulli deest*, hæc alia præmittit: *Tamen oportet quod homo faciat quod in se est*. 2. Asserit, præparationem illam esse ex gratia: siquidem, hoc sibi objicit argumentum: *Sed contra, quia si gratia non detur ex operibus, sed tantum ex hoc quod aliquis non ponit obstaculum*; hoc est, facit quod in se est: *habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod est error Pelagii*. Ad quod sic respondet: *Dicendum est, quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit*. Ut igitur inde inferatur, gratiam de qua loquitur, nulli deesse, oportet, ut S. Thomas dixerit, gratiam quæ ad illam præparationem, ad non ponendum illud obstaculum requiritur, omnibus dari: At id S. Thomas non asserit, sed contrarium; sic enim loquitur: *Quod ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei: quod autem non removetur, hoc est ex justitia ejus*: Ergo cum aperte supponat, Deum ab omnibus illud obsta-

culum non removere, non minus aperte aſſerit, gratiam omnibus non dari.

Objicies 2. Sanctus Thomas lib. 3. contrà Gentes, c. 159. ſic loquitur: *Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare.* Addit, penes eſſe liberum arbitrium impedire, aut non impedire ejuſmodi gratiæ receptionem: *Cum hoc*, (ait) *ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, merito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni.* Confirmat exemplo petito ab homine, qui claudens oculos, malum aliquod defectu luminis operatur: *Sicut* (ait) *ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur.* Unde ſic arguitur: Sanctus Thomas aſſerit, gratiam habitualem dari iis omnibus qui non impediunt illius receptionem; docet, omnes poſſe eam non impedire: ergo, ex illo, datur omnibus gratia ſufficiens, per quam poſſit non impedire receptionem gratiæ habitualis.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Siquidem ut quilibet dicatur poſſe non impedire receptionem gratiæ habitualis, non eſt neceſſe, ut actu habeat gratiam quæ præſtet illud poſſe non impedire; ſed ſatis eſt (ut fuſe dicetur inferius) quod poſſit eam non impedire per gratiam, ſive illa gratia adſit, ſive non adſit: *Ad primum ergo dicendum* (ait Sanctus Doctor 2. 2. quæſt. 2. art. 5.) *quod ſi in poteſtate hominis dicatur eſſe aliquid excluſo auxilio gratiæ; ſic ad multa tenetur homo; ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum; & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc* poteſt *cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis, aut ſaltem originalis peccati; ut Auguſtinus dicit in libro de correptione & gratia.*

Eo in loco loqui S. Doctorem de gratia ſufficiente, oſtenditur 1. ex eo quod loquatur de gratia, per quam homo *poſſit* Deum & proximum diligere, myſteriis revelatis credere, & per quam in objectione quam ſolvit, *ſit in ejus poteſtate* aliquid explicite credere. Oſtenditur 2. ex eo, quod laudet Auguſtinum in libro de correptione & gratia. At Auguſtinus ibi agit de gratia ſufficiente; ſcilicet docet, adjutorium, *Sine quo*, nunc negari in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis: ergo Sanctus Thomas cenſuit, recte & abſolutè dici, hominem poſſe non impedire gratiæ habitualis receptionem, quamvis actu non habeat gratiam ſufficientem ad illud *poſſe* neceſſariam.

Objicies 3. S. Thomas 1. p. q. 49. art. 2. probat, Deum [illegible] eſſe cauſam mali: contra autem eam concluſionem hocce ſibi argumentum objicit: *Idem eſt cauſſa ſalutis navis, & periculi: Sed Deus eſt cauſſa ſalutis omnium rerum: ergo ipſe eſt cauſſa omnis perditionis & mali.* Sic vero illud argumentum ſolvit: *Ad tertium dicendum, quod ſubmerſio navis attribuitur naturæ ut cauſſa, ex eo quod non agit, ut requiritur ad ſalutem navis; ſed Deus non deficit ab agendo; quod neceſſarium eſt ad ſalutem, unde non eſt ſimile.* Ex eo loco ſic eruitur argumentum. Ille dat gratiam, ſaltem Sufficientem, omnibus hominibus, ac proinde excæcatis & induratis, qui non deficit ab agendo, quod eſt neceſſarium ad ſalutem; ſi enim eam gratiam alicui negaret, revera deficeret ab agendo, quod eſt neceſſarium ad ſalutem: atqui ex S. Thoma Deus, &c. ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. qui non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem, ſi id debeat, conc. maj. ſi id non debeat, neg. maj. Naturæ, cujus exemplo S. Thomas utitur, adſcribitur naufragium navis, cum ea non agit, quæ neceſſaria ſunt ad navis ſalutem; non adſcribitur tamen Deo peccatum impii, quamvis non agat, quod neceſſarium eſt ad illius ſalutem, hoc eſt, quamvis non conferat gratiam, per quam ſalutem conſequi poſſit. Ratio diſparitatis eſt, quia natura poteſt, ut ſupponitur, & *debet* ea agere, quæ ad navis ſalutem conferunt: at vero Deus, licet potens ſit agere quæ ad impii ſalutem neceſſaria ſunt, non *debet* tamen, hoc eſt, non tenetur ea agere: alioquin enim impio gratiam deberet, quod Pelagianum eſt. Deſumpta eſt illa reſponſio ex ipſo S. Thoma, nempe 1. 2. q. 79. ar. 1. aperte eam tradit.

Objicies 4. S. Thomas 1. 2. q. 106. art. 2. ad 1. hæc ſcribit: *Lex nova, quantum eſt de ſe, Sufficiens, auxilium dat ad non peccandum.* Unde ſic arguitur: Lex nova, ex S. Doctore, auxilium ſufficiens ad non peccandum dat iis qui eam profitentur: atqui fideles excæcati, & indurati profitentur legem novam: ergo lex nova dat eis gratiam ſufficientem ad non peccandum.

Reſp. 1. diſt. maj. Ex S. Thoma lex nova dat auxilium ſufficiens ad non peccandum, & nomine auxilii ſufficientis Sanctus Doctor intelligit gratiam habitualem, conc. maj. & intelligit gratiam actualem, neg. maj. Idque patet ex ſcopo quem in eo articulo ſibi proponit: quærit enim (ut patet ex articuli titulo) *utrum lex nova juſtificet*: at juſtificare proprius eſt effectus gratiæ habitualis, quamquam & actuali improprie conveniat, quatenus nimirum diſponit ad juſtificationem. 2. Sanctus Thomas in eo articulo gratiam, quam dicit ſufficientem, vocat gratiam Spiritus Sancti interius datam, & legem in corde ſcriptam. At familiare eſt S. Thomæ, nomine *gratiæ Spiritus Sancti interius datæ*, *& le-*

& legis in corde scriptæ, intelligere donum habituale, quod justificet. 3. Gratia actuali, proprie loquendo, non utimur, uti enim est applicare: at gratiam actualem non applicamus, sed potius nos ipsa ad agendum applicat; & ideo in Schola S. Thomæ vulgo dicitur, quod gratia actualis non subjacet voluntati quoad usum, hoc est, a voluntate non determinatur: asserit vero Sanctus Thomas, uti nos, aut non uti gratia illa novi testamenti de qua loquitur: *Majori pœna* (inquit) *est dignus auxilio sibi dato non utens*: quod quidem habitui proprie convenit: definitur enim ab eodem S. Thoma 1. 2. quæst. 79. art. 2. *Id quo quis utitur cum voluerit*.

Jam autem si vera sit expositio quam huc usque tradidimus, evidenter patet, non posse ex S. Thomæ textu qui nobis objectus est, colligi gratiam sufficientem actualem dari omnibus hominibus, etiam legem novam profitentibus: neque enim induratis & excæcatis datur gratia habitualis; alioquin justi & sancti essent, cum is gratiæ sanctificantis effectus, ut subjectum in quo recipitur, formaliter justificet & sanctificet, hoc est, cum sit forma qua quis justus est, & sanctus.

Resp. 2. ad idem argumentum, quod licet dederur S. Thomam in loco, cujus objectio meminit, loqui de gratia actuali; non inde tamen colligi possit, eam dari obcæcatis & induratis. Nempe licet lex nova, *quantum in se est*, det auxilium sufficiens, non sequitur, quod illud auxilium omnibus applicetur; idque contingit propter peccati obstaculum, quod ab hominibus apponitur: *Humanum genus* (ait S. Doctor 1. 2. q. 106. art. 3. ad 2.) *propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideo quibuscumque non datur, hoc est ex justitia: quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia*.

Solvuntur argumenta ex ratione petita.

Objicies. Deus excæcatis & induratis præcipit conversionem; eis quoque præcipit, ut superent tentationes, quibus urgentur; injungit Decalogi observationem: ergo Deus excæcatis & induratis confert gratiam, saltem sufficientem, ut possint converti, tentationes superare, & observare decalogum. Nempe si gratiam illam eis non conferret, conversio, victoria tentationum, observatio decalogi forent eis impossibiles; neque enim homo sine gratia potest aut converti, aut tentationes superare, aut observare decalogum: Atqui nec conversio, nec victoria tentationum, nec observatio Decalogi, sunt excæcatis & induratis impossibiles: Nam (ut ait Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11.) *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis*: ergo, &c.

Respondeo, non alia ratione solvi debere illud argumentum, quam qua solvit ipsum unanimi consensu Thomistarum schola. Respondet vero ad 1. conc. ant. neg. 2. cons. Ad 2. neg. mai. seu Thomistæ negant, impiis præcepta debere dici, & esse simpliciter & absolute impossibilia, qui gratiam non habent. Ratio est, quia illud tantum dicitur absolute & simpliciter impossibile, quod nec per proprias vires, nec per auxilium divinum facere possumus: ac proinde, cum quilibet excæcatus & induratus, per auxilium gratiæ & converti, & tentationes superare, & decalogum observare possit, dici non potest, quod Dei mandatum sit ei simpliciter & absolute impossibile; quamvis dici possit, quod sit ei impossibile secundum quid, habita nimirum ratione solarum virium naturalium.

Desumpta est illa responsio ex S. Thoma. Scilicet 1. 2. q. 109. art. 4. contra conclusionem in qua asseruerat, hominem lapsum non posse sine gratiæ auxilio servare præcepta decalogi, hanc sibi objectionem secundo loco proponit: *Hieronymus dicit in expositione catholicæ fidei illos esse maledicendos, qui Deum præcepisse homini aliquid impossibile dicunt: sed impossibile est homini quod per se ipsum impleri non potest: ergo homo potest implere omnia præcepta per se ipsum*: hisce autem verbis eam solvit: *Ad 2. dicendum, quod illud quod possumus cum auxilio divino, non est omnino nobis impossibile, secundum illud Philosophi in 3. Ethicorum, Quæ per amicos possumus, æqualiter nos possumus*. Iisdem fere verbis utitur 1. 2. quæst. 156. art. 2. exponens, quo modo continentiæ virtus, quæ Dei donum est, sit nobis possibilis.

Instabis 1. Ut per gratiam mandatum sit possibile excæcato & indurato, necesse est, ut Deus excæcato illi & indurato gratiam conferat, sicut ut quid sit possibile alicui per amicum, oportet ut amicus suam illi auxilium præbeat: Sed (ut supponitur in conclusione) Deus excæcato & indurato gratiam, qua mandatum servari possit, non confert: ergo mandatum est excæcato illi & indurato simpliciter impossibile.

Resp. neg. ant. Satis nimirum est, ut illud auxilium sit in potentia extrinseca excæcati & indurati; non requiritur vero, ut sit in potentia illius intrinseca, hoc est, satis est, ut divinum auxilium recipere possit, nec est necesse, ut illud actu intrinsece recipiat. Responsionem illam tradit S. Thomas loco jam superius a nobis laudato: *Quod si* (inquit 2. 2. quæst. 2. art. 5.) *in potestate hominis dicatur esse aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum & proximum: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; quod quidem*

auxi-

auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati.

Jam vero quod spectat ad comparationem ex amico petitam, qua S. Doctor utitur, Sylvius observat, quod non in omnibus præsenti negotio accommodari possit. Nempe (ait) *distincte designari possunt quædam quæ sunt tantum in nostra potestate, & non amici, possuntque a nobis sine ipsa præstari, antequam ipse nos adjuvet, ut ad amicum ire, vel ab eo velle adjuvari, ab eo petere auxilium, & interdum incipere opus nostrum, & uti auxilio quod ipse dedit: cum tamen quantum ad ea quæ per Deum agimus, vel possumus, nihil omnino sit nostrum, & non Dei, dicente Apostolo, Quis te discernit?*

Instabis 2. Ex mox data responsione sequitur 1. dæmones & homines jam in inferis damnatos posse servare divina mandata, scilicet ea cum auxilio gratiæ servare possunt, sicut & homines qui adhuc sunt in vita. Sequitur 2. dici posse quod cæcus absolute & simpliciter videre possit, quod mortuus possit vivere; ille enim potest ex Dei auxilio videre, & iste vivere: sed hæc absurda sunt, ergo, &c.

Resp. 1. neg. majorem, quoad priorem partem. Ratio est, quia excæcati & indurati de potentia Dei ordinaria possunt (cum adhuc sint in via) recipere auxilium gratiæ, per quam divina mandata servare possint: at dæmones & damnati possunt tantum illud recipere de potentia absoluta & extraordinaria, cum jam sint in termino, ubi Deus nullum unquam divinæ suæ lucis radium diffundere decrevit: *Multorum hominum malitia talis est* (inquit S. Prosper ad objectionem sextam Vincentianam) *qualis est dæmonum: sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.*

Resp. 2. neg. quoque maj. quoad alteram partem, tum quia non de potentia ordinaria, sed extraordinaria tantum, & absoluta cæcus potest a Deo visum recipere; tum quia cæcus concurrere non potest ad recipiendum visum, nec mortuus ad recipiendam vitam; cum e contra obduratus & obcæcatus cooperando divinæ gratiæ possit servare divinum mandatum, ac proinde mandatum potiori ratione sit ei possibile, quam cæco sit possibilis visio, aut mortuo vita.

Desumpta est illa responsio ex S. Thoma, nempe in quæstionibus disputatis, quæst. 24. de veritate (quæ est de libero arbitrio) art. 11. hocce sibi argumentum proponit: *Sed dices, quod quamvis talis sit impœnitibilis ex viribus propriis, potest reduci ad pœ*[illegible] *munere divinæ gratiæ. Sed contra.* [illegible]*do: aliquid est impossibile secundum* [illegible]*riores, licet divina operatione fieri pos*[illegible]*cimus, simpliciter loquendo, illud esse impossibile, sicut cæcum videre, vel mortuum resurgere. Si ergo ex viribus propriis aliquis non sit capax pœnitentiæ, simpliciter debet dici, quod est obstinatus in malo, quamvis divina virtute possit reduci ad pœnitentiam.* Illi autem argumento sic respondet: *Dicendum, quod quando natura inferior potest aliquid disponere, vel qualiacumque operari, non dicitur impossibile simpliciter, quamvis non possit perfici, nisi divina operatione; sicut non dicimus esse impossibile simpliciter, prolem in utero materno anima rationali animari: & similiter quamvis liberatio a peccato fiat operatione divina; quia tamen ad hoc liberum arbitrium operatur, non dicitur esse impossibile simpliciter.*

Ex his patet (inquit non ultimus ex Thomistarum schola theologus Joannes Baptista Gonetus in sui clypei Thomistici Tom. 2. p. 103. Edit. Parisiens.) possibilitatem mandatorum, ex Sancto Thoma fundari in potentia Dei ordinaria, & in cooperatione humanæ voluntatis: quæ quidem cooperatio cum in cæco ad recipiendum visum, & in mortuo ad recipiendam vitam non reperiatur; ideo simpliciter dicitur, visionem esse impossibilem cæco, & vitam mortuo, quamvis Deus absolute, & de potentia extraordinaria & cæco visum, & mortuo vitam restituere possit.

Objicies 2. Induratus qui gratia sufficiente destitutus peccaret, libere non peccaret: e contra peccaret necessario; ille enim peccat necessario, qui non potest bonum operari: atqui induratus gratia destitutus non posset bonum operari; cum ad illud posse operari requiratur gratia saltem sufficiens, quam non habet; ergo necessario peccaret: sed falsum est consequens; scilicet (ut Augustinus asserit) peccatum actuale adeo debet esse voluntarium, ut si voluntarium non sit, desinat esse peccatum: Ergo, &c.

Respondent Thomistæ omnes (ut videre est apud Gonetum, Tom. 2. pag. 10.) ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. neque enim, ajunt, ut quis non necessario peccet, requiritur, ut possit (per gratiam quæ sit præsens) bonum operari, quia ad libertatem non requiritur indifferentia contrarietatis, seu specificationis, hoc est, ad bonum & malum; alioquin Christus non fuisset liber, cum malum operari non potuerit: sed satis est ad libere peccandum indifferentia contradictionis, hoc est, ut ita intra idem genus boni aut mali, hæc vel illa species boni aut mali eligi possit. Hæc autem indifferentia contradictionis reperitur in indurato gratia sufficiente destituto: ita enim hanc vel illam peccati speciem eligit, ut possit aliam eligere: sic tentatio-

tationem, quæ ad luxuriam provocatur, potest superare motivo vanæ gloriæ; potest ab actu ebrietatis temperare, ut potens sit avaritiæ suæ consulere.

Desumpta est ea responsio ex S. Thoma, qui in lib. 3. contra gentes cap. 160. sic loquitur: *Licet ille qui est in peccato, non habeat hoc in potestate, quod omnino vitet peccatum; habet tamen potestatem vitare hoc vel illud peccatum, ut dictum est; unde quodcumque committit, voluntarie committit; & ita non immerito ei imputatur ad culpam.*

Instabis. Indignum videtur Dei bonitate & justitia, quod ad culpam imputet actus, quos etiam quoad specificationem, hoc est, eligendo speciem contrariam, induratus vitare non potuit: ergo, &c.

Resp. dist. ant. si necessitas illa indurato non fuerit voluntaria, nec in se, nec in caussa, conc. ant. si voluntaria fuerit, saltem in caussa, neg. ant. Peccata autem quæ ab indurato committuntur, fuerunt voluntaria in caussa, scilicet per innumera flagitia, quæ libere & non necessario commisit, in illam, in qua versatur, peccandi necessitatem incidit; ac præterea illam actu amat, vultque, quamdiu induratus est, in ea permanere: sicque necessitas illa non est necessitas antecedens & absoluta, sed hypothetica tantum, & consequens ex iniquis actibus libere repetitis.

Solutionem illam tradit S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 160. hæc enim habet: *Quamvis autem illi qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant (ut ostensum est) nisi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam; quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur; sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sine caussa incurrit.* Idem ostenditur exemplo dæmonis & damnatorum, qui tenentur se se ad Deum convertere, & non peccare, licet id non possint sine auxilio gratiæ, quod tamen eis minime conceditur. Nimirum dæmones & damnati (ut docet S. Thomas quæst. 16. de malo art. 5.) in omnibus suis actibus peccant, eo quod ex voluntaria culpa in eum miserum statum inciderint. Confirmatur ex Augustino, qui libro primo operis imperfecti contra Julianum, p. 155. in veteri editione asserit: *peccandi necessitatem illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.*

Objicies 3. Excæcati & indurati admoneri debent, ut a peccatis resipiscant, & corripiendi quod illa perpetrent: ergo Deus eis gratiam largitur, quæ admonitiones illas & correptiones comitetur: alioquin enim frustra a pastoribus adhiberentur, nempe non magis illis prodesse possent, quam surdis & cæcis eædem admonitiones & correptiones prosunt.

Resp. quod cum pastores nesciant, an Deus suam gratiam induratis daturus sit, an non daturus, ex officio tenentur quemcumque peccantem admonere & corripere, divinæque providentiæ admonitionum & correptionum suarum eventum committere.

Desumpta est illa responsio ex S. Augustino, qui in lib. de corrept. & gratia c. 5. sic loquitur: *Hæc est correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor, pro peccatorum diversitate adhibetur*, & tunc salubris, quando supernus medicus respicit. *Non enim aliquid proficit, nisi cum facit, ut peccati sui quemque pœniteat. Et quis hoc dicat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem, & fecit flentem?* Id vero sic probat ex Apostolo, *Unde & Apostolus Paulus postquam dixit, cum modestia corripiendos esse diversa facientes, protinus addidit: Ne quando det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscantia Diaboli laqueis.* Vetat deinde idem Augustinus, ne quis audeat quærere, cur aliquando tantum, & non semper, supernus medicus interius correptum respiciat; ac proinde supponit, eum medicum non semper respicere correptum: *Sed quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter diversis & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere, sed figuli.*

Instabis. Cum admonitio & correptio prosint tantum, quando Deus correptum gratia sua respicit, adhiberi non deberent circa induratos; videtur e contra, quod sine correptione dimitti debeant divinæ gratiæ, a qua pendet correpti conversio: Deus enim potest solus, quod aliquando adhibita per pastores correptione præstat.

Resp. neg. ant. Quamvis enim Deus sine adhibitis admonitione & correptione, impium convertere possit, passim tamen non convertit, nisi admonitiones, & correptiones præcesserint; quemadmodum licet absque prædicatione Evangelii fidem largiri possit, nisi tamen ea præcesserit, non solet infidelem ad fidem convertere. *Porro* (ait Augustinus libro de corrept. & grat. c. 5.) *si hoc*, prædicandum non esse Evangelium, quod Deus sine illius prædicatione possit infideles convertere, *non audent dicere, sed patiuntur sibi Evangelium ab homine prædicari; quamvis etiam possit non per hominem homini dari, concedant etiam corripi se debere a præpositis suis, a quibus christiana gratia prædicatur; quamvis non negetur, Deum posse quem velit, etiam nullo homine corripiente, corrigi, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ, occultissima & potentissima medicina suæ potestate perducere.* Totus liber de gratia & correptione similibus principiis & sententiis refertus est; adeat lector opus

opus illud, in quo Augustinus adversus Adrumeti monachos probat, & exponit correptionum, & admonitionum utilitatem.

Quædam ex tribus præcedentibus articulis inferenda.

Ex iis quæ tribus præcedentibus articulis fuse diximus, colligendum est, veram esse hanc propositionem, etiam absolute & indefinite sumptam: *Gratia non omnibus datur*. Nam 1. de ea sic loquitur Augustinus in Epistola ad Vitalem: *Quoniam propitio Christo, Christiani, Catholicique sumus, scimus, gratiam Dei non omnibus hominibus dari*. Rationem reddit S. Doctor in sermone de verbis Apostoli, c. 4. *Communis est* (inquit) *natura, non gratia*. Ex ejusdem S. Doctoris principio S. Thomas de verit. q. 24. art. 5. hanc sententiam hausit: *In nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali*.

Eamdem propositionem docuit Fulgentius lib. 1. de veritate prædestinationis & gratiæ cap. 15. ubi hæc ait: *Hi enim Apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissime cognoverunt, cognoscendumque libris & Epistolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus generaliter dari*. Cujus quidem effati eamdem rationem reddit, quam antea Augustinus: nempe docet, gratiam alioquin fore naturam, non autem Dei donum: *Gratuitum quippe* (inquit) *donum Dei est gratia*. S. Prosper carmine de ingratis eamdem quoque propositionem expresse defendit. Eam ab omnibus admittendam non minus aperte tradunt Præsules Africani in Sardinia exsules: *De gratia Dei* (inquiunt in Epistola Synodali) *non digne sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari*.

Colligendum est præterea, neminem impium jus habere ad recipiendam Dei gratiam, alioquin gratia jam non esset gratia; unde Augustinus merito sæpius asserit, quod quibuscumque datur, ex misericordia datur. Colligendum est iterum, rationem cur parvulis, qui sine Baptismo moriuntur, gratia non detur, esse solum peccatum originale; rationem vero cur non detur pluribus adultis aut infidelibus, aut fidelibus quidem, sed excæcatis & induratis, præter peccatum originale, esse etiam actualia ab eis libere commissa: *Nunc autem* (ait Augustinus in libro de corrept. & gratia c. 11.) *quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est*.

Colligendum est tandem, quam immerito nonnulli ex recentioribus propositioni de qua agitur, *Gratia non omnibus hominibus datur*, inurere censuram ausi sint, & quam merito Eminentissimus Cardinalis DE NOAILLES, Archiepiscopus Parisiensis, cuidam Theologo nuper præscripserit, ut publica declaratione illam propositionem absolveret a censura, quam illi suis thesibus inurere visus fuerat. Vide quæ dicta sunt superius, pag. 162.

ARTICULUS IV.

Utrum Gratia sufficiens detur hominibus justis.

Not. UT quæstionem illam, quam elapsi proxime sæculi contentiones celebrem reddidere, cum aliqua methodo pertractemus, quærendum est hic 1. utrum justis omnibus detur gratia sufficiens in aliquo sensu; 2. an gratia actualis Sufficiens detur omnibus justis.

CONCLUSIO 1. Datur omnibus justis gratia Sufficiens in aliquo sensu.

Probatur. Gratia habitualis datur omnibus justis; est enim forma, per quam homines formaliter (ut loquuntur) constituuntur justi: atqui gratia habitualis est in aliquo sensu Sufficiens. Nam 1. sic expresse vocatur a S. Thoma 1. 2. quæst. 106. art. 2. ubi sic loquitur: *Nec tamen propter hoc dicitur, quod lex nova iram operatur; quia quantum est de se*, Sufficiens *auxilium dat ad non peccandum*. 2. Ex S. Thoma 1. 2. q. 109. art. 1. in homine justo se habet gratia habitualis, sicut se habet forma in caussis naturalibus: atqui forma dat subjecto, cui inest, posse operari, *quantum*) ait S. Doctor) *ad sufficientiam operativæ virtutis*: ergo habitualis, ex eodem S. Doctore, est in aliquo sensu Sufficiens.

Præterea Gratiæ habituali conveniunt dotes quæ requiruntur, ut Sufficiens in suo genere dici possit. Nam 1. naturam per peccatum corruptam sanat, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. 11. Elevat naturam (inquit eadem q. art. 5. ad producenda opera, quæ vitam æternam mereantur.

CONCLUSIO 2. Nemini justo, pro loco & tempore, hoc est, cum instat præceptum, aut urget tentatio, deest gratia actualis sufficiens.

Probatur 1. ex Augustino qui in libro de natura & gratia c. 26. exponens discrimen, quod reperitur inter hominem medicum corporis, & Deum medicum animæ, asserit, hunc in illo differre, quod iste animam sanitati restitutam non deserat, nisi ab ea deseratur; ille e contra ab homine, quem curavit, discedat, eumque propriis viribus dimittat: *Cum* (inquit) *sanavit hominem, abscedit ab eo, ac Deo dimittit: cum vero Deus spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, non deserit, si non deseratur, ut pie justeque semper vivatur*.

Loqui vero S. Doctorem non tantum de desertione per subtractionem gratiæ habitualis, sed etiam de desertione per subtractionem gratiæ actualis, saltem sufficientis, colligitur ex eo, quod loquatur de desertione per subtractionem gratiæ, quæ necessaria est, ut justus pie justeque vivere possit: *Ut pie* (inquit) *justeque semper vivatur*: at desertio per subtractionem gratia quæ necessaria est, ut

ut justus pie, justeque vivere possit, intelligitur de desertione per subtractionem gratiæ actualis: siquidem (ut suo loco diximus) præter gratiam habitualem requiritur actualis, ut quis juste pieque vivere possit; scilicet de gratia actuali intelligi debet Catholicum Ecclesiæ axioma, quod Augustinus olim adversus Pelagianos defendit, *Gratia ad singulos actus datur*.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino, quod quidem sess. 11. c. xi. sic loquitur: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. In quæ verba observandum est 1. quod jam observatum est, nomine desertionis ex parte creaturæ, intelligi desertionem per peccatum mortale. Observandum est 2. sacram Synodum laudata verba protulisse, ut rationem redderet, cur justi in via justitiæ proficere possint; sic enim loquitur: *Quo fit, ut justi ipsi eò magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Dei, sobrie, juste, & pie viventes proficere possint per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam; Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Observandum est 3. eamdem Synodum ex laudatis verbis concludere, cuique justo debitum incumbere, ut Christo compatiatur, sic curiat in stadio, ut aliquando comprehendat, ut satagat, per bona opera suam vocationem certam facere: *Nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide solà se heredem esse constitutum, hereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur ... Propterea Apostolus ipse monet justificatos, dicens ... Sic currite, ut comprehendatis ... Item Princeps Apostolorum Petrus: Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*.

His præmissis, sic arguitur. Concilium declarat, Deum justos non deserere per subtractionem gratiæ, per quam possint proficere, currere, & suam vocationem certam facere; illudque proficiendi, ac currendi debitum ex eo colligit, quod Deus eos non deserat, nisi ab eis prius deseratur: Atqui ea gratia est actualis: ergo, &c.

CAPUT VII.

De Gratia Efficaci in specie.

Not. De gratia Efficaci quæremus hic 1. unde suam efficaciam habeat. 2. An gratia ad orandum necessaria non minus sit efficax, quam quæ ad alios pietatis actus requiritur. 3. In quo posita sit physica gratiæ efficacis natura. 4. Tandem, an Adamus innocens ea ad bonum agendum indiguerit.

ARTICULUS I.

Unde gratia suam habeat efficaciam.

Not. Quæstio de caussa efficacitatis gratiæ labente sæculo decimo sexto, & ineunte decimo septimo, summa animorum contentione agitata est Prædicatores inter & Religiosos Societatis Jesu. Moveri primum cœpit in Belgio, auctoribus Lessio & Hamelio ejusdem Societatis Theologis. Hispanos non multo post inter se commisit occasione operis, quod a Ludovico Molina, *Concordia*, inscriptum est. Deinceps Romæ coram Clemente Papa VIII. in Congregationibus, quas *De Auxiliis* vocant, per plures annos examini subjecta est. De ea quoque actum est occasione quinque famosarum propositionum quæ ab Innocentio X. damnatæ sunt. Tandem eadem gratiæ efficacia fuse & explicata & asserta fuit in Instructione pastorali, quæ anno 1696. ab Eminentissimo Cardinale DE NOIALLES, Archiepiscopo Parisiensi, promulgata est.

Not. 2. Circa quæstionem, Unde gratiæ efficacia repetenda sit, quadruplex est theologorum opinio. Prima, quæ est Ludovici Molinæ, gratiæ efficaciam desumit ex libero creatæ voluntatis consensu. Altera quæ est Suaresii, & passim in Societate defendebatur, asserit, peti eam debere ex quadam circumstantiarum congruitate quæ subest illi divinæ scientiæ, quæ *Media* dicitur. Tertia quæ est nonnullorum aliorum, contendit, repeti eam debere ex congerie & coacervatione auxiliorum, quæ licet seorsim sumpta cor impii non convertant, convertunt tamen juncta simul, ipsumque post justificationem efficiunt perseverantem in finem usque. Quarta tandem quæ est Thomistarum omnium, docet, efficaciam gratiæ, nec a voluntatis consensu, nec ab extrinseca congruitate, nec ex auxiliorum congerie, sed ex intrinseco illius operandi modo sumi debere, ita ut per se voluntatem creatam flectat, moveat, ac physice ab bonum agendum, & vitandum peccatum prædeterminet. Methodi caussa ea theologorum opiniones seorsim expendendæ sunt.

§. I. Utrum gratia sit efficax ex voluntatis consensu.

Not. Sententia quæ asserit, efficacitatem gratiæ sumendam esse ex consensu voluntatis creatæ, est (ut jam observatum fuit) Ludovici Molinæ. Ut autem auctor ille eam explicet, varia documenta tradit, quæ hic inferamus oportet.

Docet igitur I. gratiam efficacem, nihil ex parte Dei, aut ex parte sui, includere, quod pariter alia gratia, quæ inefficax ac

mere

mere sufficiens dicitur, non includat; gratiam in eodem homine, licet eadem ratione affecto, modo esse efficacem, modo inefficacem, quod scilicet modo voluntas humana ei consentiat, modo vero pro arbitrio dissentiat; usum gratiæ esse a libero hominis arbitrio, quod tamen adjutum sit concursu simultaneo, qui ordinis sit supernaturalis.

Docet 2. Deum per gratiam prævenientem non movere physice voluntatem creatam ad bonum operandum, sed moraliter tantum, hoc est, suadentis & adhortantis adinstar: hincque concludit, Deum per gratiam prævenientem non agere physice in voluntate quæ est caussa boni operis, licet per gratiam cooperantem physice agat in illius effectu; ita tamen ut substantia effectus homini per concursum ordinis naturalis adjuto tribui debeat, etiam quoad speciem virtutis, cujus est actus, fidei v. g. spei, prudentiæ; modus vero, nempe supernaturalitas, Deo per gratiam cooperantem; ea fere ratione qua is, qui navim cum alio trahit, physice non agit in socium, sed tantum in effectum socii, navis scilicet tractionem.

Docet 3. Deum non magis ad bonum usum gratiæ prævenientis determinare voluntatem, quam ad malum usum urgente tentatione; ac proinde Deum voluntatem creatam, urgente tentatione, non determinet ad malum usum gratiæ prævenientis; ita nec determinat ad bonum illius usum. Vide ejusdem auctoris Concordiam q. 24. disp. 36.

CONCLUSIO. Gratia non est efficax ab eventu, hoc est, dependenter a consensu voluntatis.

Nostram hanc conclusionem ostendemus 1. ex Scripturis; 2. ex variis absurdis, quæ ex contraria sequuntur.

Profertur argumentum ex his verbis,
Quis te discernit? *petitum.*

Ab Apostolo docemur, hominem in rebus ad salutem spectantibus non posse se ipsum ab alio discernere; non debere gloriari, nisi in Domino; nihil habere, quod a Deo per Christi gratiam non acceperit: sic enim loquitur 1. ad Corinthios 4. *Ne supra quod scriptum est, unus contra alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid habes quod non acceperis?* Hæc etiam ad Ephes. 2. *Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Iis, similibusve testimoniis nixa Tridentina Synodus, sic loquitur sess. 14. c. 8. *Non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est.*

Atqui, si gratia redderetur efficax ab eventu, per concursum scilicet humanæ voluntatis, homo in rebus ad salutem spectantibus, se ipsum ab alio discerneret: ex se haberet aliquid (consensum nempe datum gratiæ) quod a Deo per gratiam non accepisset: posset præ alio, qui gratiæ non consensit, gloriari. Nam 1. discretio consentientis a non consentiente, sumi non posset a gratia præveniente: æqualis enim (ut supponitur) esset & in eo qui consentit, & in eo qui non consentit. 2. Sumi quoque non posset a gratia coeffectrice, seu a concursu simultaneo ordinis supernaturalis: siquidem concursus ille, ex adversariis, agit modo indifferenti, hoc est, ad actus tum speciem, tum exercitium, determinabili per voluntatem: At quod ex se est indifferens, tum ad actus speciem, tum ad exercitium, non discernit unum ab alio: neque enim dat aut speciem actus, aut illius exercitium. 3. Concursus ille non habet actum, aut exercitium, nisi dependenter a consensu voluntatis tanquam a caussa efficiente & determinante: ergo supponit consensum esse priorem se ipso, saltem prioritate naturæ, hoc est, prioritate quam effectus in sua caussa supponit. 4. Concursus ille simultaneus ordinis supernaturalis se habet respectu hominis qui eo utitur, sicut aqua respectu hominis, qui ea ad natandum utitur: quemadmodum ergo aqua illa non discernit natantem ab eo, qui licet sit in fluvio, natare non vult; ita nec concursus ille simultaneus utentem discernit ab homine, qui illo non utitur.

Jam vero si homo lapsus se ipsum in negotio suæ salutis discernit ab alio; in se, non autem in Domino, de sua discretione gloriari poterit: habebit aliquid, ratione cujus se ipsum alteri præponat; erit aliquid in eo quod a Dei gratia non receperit: ac proinde corruet argumentum, quo Apost. 1. ad Corinth. 4. utitur, ut humanam deprimat superbiam.

Totum illud argumentum desumptum est ex Augustino, tum in libro 2. ad Bonifacium c. 7. tum in lib. de prædest. Sanct. c. 5.

Addendum est, Augustinum, cum ante Episcopatum Semipelagianus esset, admisisse (ut suo loco probatum est) gratiam illam generalem, quæ suasionis & adhortationis adinstar, excitet voluntatem; eum admisisse concursum simultaneum ordinis supernaturalis: At factus postea Episcopus, judicavit, cum eo systemate stare non posse Apostoli verba: *Quis te discernit?* iisque præcipue motus est, ut priorem suam sententiam deponeret, admitteretque necessitatem alicujus gratiæ specialis, quæ omnibus communis non esset, cui discretionem unius ab alio tribueret: *Quo præsertim testimonio* (inquit lib. de corrept. & grat. cap. 3. de illo Cypriani ad Quirinum, *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est*, & de laudata Apostolica sententia, *Quid autem habes quod non accepisti*, loquens) *etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse Dei donum, sed a nobis esse in nobis.*

Præterea, certum est (ut suo loco demonstra-

straviмus) Augustinum admisisse in Adamo innocente & prævenientem gratiam, quæ eum excitaret ad bonum, & concursum simultaneum ordinis supernaturalis, quo juvaretur ad agendum: Atqui idem Augustinus asseruit, Apostolicam sententiam, *Quis te discernit?* locum non habuisse in Adamo innocente, eo quod gratia præveniens & concursus simultaneus, quibus Adamus innocens indiguit ad bonum agendum, quoad efficaciam penderent ab eventu, a libero nimirum consensu voluntatis Adami, quem si præberet, redderet gratiam efficacem; si autem non præberet, gratia careret effectu, & remaneret inefficax. Hinc Sanctus Doctor in libro de correptione & gratia, cap. 12. concludit, hominem innocentem potuisse sibi per liberum arbitrium merita comparare, ipsum vero non posse, nisi per gratiam.

Profertur argumentum ex his verbis, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *petitum*.

Apostolus sic loquitur ad Romanos 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Sed si gratia sit efficax dependenter ab humanæ voluntatis consensu, potiori jure dici poterit, bonum opus esse volentis hominis & currentis, quam Dei miserentis; quando enim duæ caussæ in aliquem effectum influunt, effectus potiori ratione tribuitur caussæ determinanti ad effectum, quam caussæ ab alia determinatæ: sic tabellæ confectio potiori jure tribuitur pictori, quam penicillo quo ad pingendum utitur: sic etiam visio potiori jure tribuitur oculo, quam luci qua oculus ad videndum utitur: Atqui dici non potest, bonum opus potiori jure, immo nec æque esse hominis volentis & currentis, ac Dei miserentis: ergo, &c. Tradit illud argumentum Augustinus in Enchiridio, cap. 32.

Proferuntur argumenta ex absurdis petita.

Ea sententia non debet admitti, ex qua gravissima sequuntur absurda: Atqui revera sequuntur ex sententia quæ docet, gratiam quæ ad bonum agendum est necessaria, non esse efficacem nisi ab eventu, hoc est, ex consensu voluntatis humanæ: Ergo non debet admitti. Probatur minor. Ex ea sententia sequitur 1. Inutiles esse orationes Ecclesiæ: 2. Tolli debere gratiarum actiones quæ Deo propter bonum opus referuntur: 3. Reddit aperta judicia Dei, quæ alioquin in distributione gratiæ sunt inscrutabilia. 4. Evertit veritatem æternæ prædestinationis. 5. Deo tribuit quod minus est in opere bono; quod vero majus & præcipuum, homini. 6. Gratiam Christi reddit communem. 7. Facile libertatem cum gratiæ operatione conciliat; licet alioquin difficile cum ea conciliari valeat: Ergo ex illa sententia sequuntur absurda gravissima. Antecedens subsequentibus momentis per partes ostenditur.

Primo, si gratia ex adveniente voluntatis consensu tantum sit efficax, nihil erit quod a Deo per orationem petamus. Si enim aliquid foret quod peteremus, esset vel gratia præveniens, vel concursus simultaneus ordinis supernaturalis, vel noster consensus gratiæ prævenienti: Atqui in sententia quæ docet, gratiam esse efficacem ab eventu, neutrum ex iis tribus petendum esset. Non primum; nempe petere non debemus, quod certo scimus adesse, quoties instat præceptum, & urget tentatio: Sed, in systemate quod impugnamus, certo scimus, gratiam prævenientem adesse nobis, quoties instat præceptum & urget tentatio. Non etiam secundum, propter eamdem rationem: volenti enim servare mandatum, & superare tentationem, certo adest semper concursus simultaneus ordinis supernaturalis: ut docent adversarii: eo nimirum pro libito utimur, aut non utimur, sicut pro arbitrio luce ad videndum aut utimur, aut non utimur. Non denique tertium, quia id a Deo petere non debemus, quod est in nostra potestate, hoc est, quod possumus facere, si velimus, *Nam quid stultius*, (ait Augustinus in libro de natura & gratia, cap. 18.) *quam orare, ut facias, quod in potestate habeas?* Atqui ut consentiamus gratiæ, qua prævenimur, est, ex adversariis, in nostra potestate, nec aliquid aliud, ut actu consentiamus, ex parte Dei requiritur, quam concursus simultaneus, qui omnibus est præsens, quoque pro libito uti possunt, vel non uti: Ergo a Deo per orationem non debemus (si vera sit adversariorum sententia) petere consensum. Vide Augustinum in epistola ad Vitalem.

II. Sententia quæ docet, gratiam esse efficacem tantum ab eventu, ab eo qui præceptum servavit, qui superavit tentationem, tollit debitum agendi gratis Deo propter actualem observationem præcepti, propter relatam ex tentatione victoriam. Est quidem caussa agendi gratias Deo, quod auxilio suo voluntatem prævenerit, quod concursum ordinis supernaturalis obtulerit; sed ratio non erit agendi gratias propter usum gratiæ prævenientis, propter usum concursus simultanei; Nempe licet ad illum usum gratia præveniens, & concursus simultaneus necessaria fuerint tamquam conditiones, sine quibus non: non dederunt tamen usum illum, sed ortus est ab ipsa voluntate, quæ cum non uti posset gratia illa præveniente, illo concursu simultaneo, ea tamen gratia, eo concursu uti voluit.

Augustini est illa argumentatio: sic enim in epistola ad Vitalem loquitur: *Inaniter etiam & perfunctorie potius quam veraciter, magnas cum exultatione agimus Deo gratias*, quan-

quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit ... Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.

Addendum est, eum qui præceptum servat, qui non superatur a tentatione, non plus, in illo systemate, debere Deo, quam is qui præceptum non servavit, ac superatus est a tentatione. Ambo nimirum pares sunt in acceptis a Deo donis: utrique enim (ut supponitur) data est gratia præveniens, utrique oblatus concursus simultaneus ordinis supernaturalis: at id perabsurdum est, & a praxi fidelium alienum; iis enim persuasum est, plus a Deo recipere, qui bonum agit, quam qui illud non operatur. *Cum igitur* (inquit Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, loquens de donorum inæqualitate) *Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, intus a Patre audiunt atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur, ut credant, illis non datur: quia nemo*, inquit, *venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: quod apertius postea dicitur . . . . Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo . . . Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est; & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.*

III. In Ludovici Molinæ systemate facile comprehendi potest, cur cum prædicatur Evangelium, unus credat, alter vero non credat, cur e duobus justis unus perseveret, alter vero non perseveret: scilicet aperta est ratio, credere illum quod gratiam excitantem ad credendum, concursum simultaneum, ad usum determinaverit, istum vero utraque illa gratia sibi oblata uti noluerit: At toti Ecclesiæ cujus lingua olim fuit Augustinus, aliud visum est: *Cur autem* (inquit S. Doctor lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 8.) *illum adjuvet, illum non adjuvat; illum tantum, illum autem non tantum; istum illo, illum alio modo; penes ipsum est, & æquitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.* Idem S. Doctor quoties similibus quæstionibus a Semipelagianis urgebatur, recurrit semper ad incomprehensibilia Dei judicia: *Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis* (inquit lib. de dono persever. c. 9.) *cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia ejus: Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei.*

IV. Idem systema de gratia quæ sit tantum efficax ab eventu, destruit veritatem divinæ prædestinationis, de qua hæc habet Augustinus lib. de dono perseverantiæ, cap. 13. *Hoc scio, contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas defendimus, neminem nisi errando disputare potuisse.* Nempe prædestinatio quam S. Augustinus defendit (sive illa sit tantum prædestinatio ad gratiam, sive ad gratiam & gloriam simul; de hoc enim non est necesse, ut hic disputemus) in eo posita est, eodem Augustino teste ejusdem libri c. 14. quod sit *præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur?* Atqui systema quod efficacitatem gratiæ petit ab eventu, destruit illam beneficiorum præparationem, illam in massa perditionis derelictionem: siquidem 1. certissime non liberantur per beneficia, quibus pro arbitrio unus consentit, alter vero dissentit. 2. Unus non magis ex parte Dei liberatur a massa perditionis, quam alius; unus non magis quam alius in ea relinquitur: omnes enim ex parte Dei æquale auxilium recipiunt, æqualiter omnibus præsto est, si velint, concursus simultaneus: ex duobus enim hominibus qui æqualiter adjuvantur, unus nec magis liberatur, nec magis in abysso relinquitur, quam alius: ergo, &c.

V. Sententia, quam hic impugnamus, Deo tribuit, quod minus est; homini vero, quod majus. Id enim quod in bono opere principem locum tenet, est velle bonum; quod vero minus præcipuum, est posse velle bonum: atqui sententia de qua est hic quæstio, in bono opere dat Deo solum posse; homini vero, dat ipsum velle operari bonum. Noc dici potest, quod voluntas boni, quæ in nobis est, Deo quoque tribui debeat, qui dedit vires, ut possemus velle bonum: Siquidem si facultas quam Deus dedit ad posse velle, satis sit, ut ipsum velle Deo tribuatur, tribui quoque debebit ei velle malum, eo quod per creationem dederit voluntatem quæ malum operari potest, illamque adjuvet in opere malo per concursum simultaneum; sed absurdum est consequens: ergo &c.

Desumptum est illud argumentum ex Augustino, qui libro de gratia Christi, cap. 5. sic loquitur: *Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit*, Pelagius, *auxilio; sed solum possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos affirmat habere ex Deo, tamquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura; cetera vero duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio: & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut aga-*

agamus , sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus .

VI. Gratia per quam boni a malis discernuntur , communis non est bonis & malis . Nam (inquit Augustinus in lib. de gratia & libero arbitrio, c. 13.) *& hoc Pelagiani ausi sunt dicere , gratiam esse naturam , in qua sic creati sumus , ut habeamus mentem rationalem , qua intelligere valeamus .... Sed non hæc est gratia , quam commendat Apostolus per fidem Jesu Christi . Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est nobis esse communem ; gratia vero , per fidem Jesu Christi , eorum tantummodo est , quorum est ipsa fides : Non enim omnium est fides* . Idem asserit Serm. 11. de verbis Apostoli cap. 4. *Communis est omnibus natura , non gratia*. Atqui sententia , de qua hic agitur , gratiam qua boni a malis discernuntur, bonis & malis communem reddit : ideo enim, in illa sententia, quidam boni sunt, quod gratiæ præsenti consentiant; & e contra nonnulli mali, quod eidem præsenti gratiæ nolint præbere consensum ; quod illi uti velint oblato divinitus concursu simultaneo ordinis supernaturalis, isti vero uti nolint : ergo, &c.

VII. Difficile est divinæ gratiæ operationem cum libertate conciliare : *Sed quia* (verba sunt Augustini in lib. de gratia Christi , c. 47.) *ubi de arbitrio voluntatis , & Dei gratia disputatur , ita est ad discernendum difficile , ut quando defenditur liberum arbitrium , negari Dei gratia videatur ; quando autem asseritur Dei gratia , liberum arbitrium putetur auferri , &c.* Atqui si efficacia gratiæ a solo voluntatis humanæ consensu petatur, difficile non erit operationem gratiæ cum libero arbitrio conciliare : scilicet evidens est , libertatem facile conciliari cum gratia , cujus usus a sola libertate pendet , ita ut pro libito , aut illam respuat , aut illam admittat. Qui in eo systemate non conciperet concordiam illam , similis esset homini qui non conciperet , qua ratione lux , qua quis pro libito utitur ad videndum, cum libertate conciliari posset : non enim ex adversariis gratia magis , physice saltem, determinat ad operandum bonum , quam lux oculum determinet ad visionem.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Not. Adversariorum argumenta duplicis sunt generis . Nonnullis adstruitur efficacia gratiæ ex humanæ voluntatis consensu : aliis vero impugnatur efficacia , quæ illi per se conveniat . Ista solventur , ubi de ejusmodi efficacia disseremus ; hic igitur priora tantum expendenda sunt.

Objicies 1. Si gratia non esset efficax ex consensu voluntatis , immerito Deus sic de populo suo conquereretur apud Isaiam cap. 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ , & non feci ?* vinea enim respondere potuisset : debuisti dare gratiam per se efficacem , alioquin ad bonum operandum absolute necessariam , quam tamen non dedisti.

Respondent aliqui , sed immerito, spectare illam sententiam ad hominem innocentem , non autem ad hominem lapsum; neque enim Deus lapso quidquam debet , quam pœnam & supplicium . Itaque , ajunt , Propheta Judæorum ob oculos ponit beneficia homini primum in statu naturæ innocentis collata , ut inde sumat argumentum , quo Judæorum corruptionem , & ingratum illorum animum corripiat. Augustini contendunt immerito eam esse responsionem : qui ad hanc Semipelagianorum contra gratiam per se efficacem querimoniam , *Cur corripimur , qui non accepimus ?* respondet in libro de gratia & libero arbitrio c. 6. idem quod mox ab iis auctoribus responsum est.

Respondemus nos, Prophetam *vineæ* nomine intellexisse gentem Judaicam , & per hæc verba : *Quid ultra debui facere ?* intellexisse externa beneficia , quibus gentem illam cumulaverat , missis nimirum ab eo Prophetis, qui vineam illam excolerent , segregatis ab ea idololatris , ne eorum exemplo in falsorum Deorum cultum laberetur ; & tamen Judæi tot beneficiorum immemores, Deum ipsum in Christi persona contumeliis affectum, tandem ignominioso crucis supplicio damnarunt. Vide quæ de eadem Isaiæ sententia , aliisque petitis ex Evangelio argumentis diximus agentes de gratia, etiam mere sufficiente quibusdam excæcatis & obduratis denegata .

Objicies 2. Christus Matthæi XI. de Judæis conqueritur his verbis : *Væ tibi Corozain , væ tibi Bethsaida , quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes , quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent* . Scriptura eo loci de gratia efficaci loquitur , ut colligitur ex iis verbis quæ actum secundum designant , *Pœnitentiam egissent* : siquidem gratia mere sufficiens non dat actum secundum , saltem perfectum & completum , hoc est, cum ipsa operatione conjunctum . Unde sic arguitur : Gratia quæ in Judæis fuit inefficax , futura fuisset efficax in Tyriis & Sidoniis , si illis prædicatum fuisset Evangelium : Sed ejus rei ratio reddi non potest alia , quam quod Tyrii & Sidonii gratiæ hujusmodi consensum præbituri fuissent : ergo gratia est tantum efficax ab eventu , hoc est , ex humanæ voluntatis consensu.

Respondent nonnulli Theologi, eo loco figuratam esse locutionem , & hyperbolem contineri ; sicut interdum solet dici , *Si Catholicæ religionis mysteria apud Turcas & Barbaros prædicarentur , his , quæ tamen Christiani rident , ipsi Turcæ & Barbari commoverentur* . Aut , sicut dicitur : *Si ego auxilium eo in casu ab inimico postulassem , non* ne-

negasset. Posita autem hyperbole, non significatur, quod, eadem suppositione facta, res quæ enuntiatur, revera futura fuisset: Ac proinde non sequitur, quod Tyrii actu egissent pœnitentiam visis Christi miraculis; sicut non sequitur, quod Turcæ converterentur hac sola supposita conditione, si prædicaretur illis Evangelium.

Verum stare non potest ea responsio cum Augustini sententia. Scilicet (ut ipsi responsionis auctores fatentur) res quæ per hyperbolem asseritur futura, revera, posita etiam conditione, non evenit, ut patet exemplo ex Turcis petito; neque enim ad solam Evangelii prædicationem converterentur: Atqui, ex Augustino, res quam Christus denuntiavit futuram in Tyriis & Sydoniis, si coram illis Christus fecisset signa quæ coram Judæis egerat, revera & actu futura fuissent, seu vere & actu egissent pœnitentiam: *Numquid possemus dicere* (ait S. Doctor in libro de dono perseverantiæ cap. 9.) *etiam Tyrios & Sidonios, talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cum eis ipse Dominus attestetur, quod acturi erant magnam humilitatis pœnitentiam?*

Respondendum est itaque, admissa suppositione, neg. min. Ideo quippe gratia Judæis collata caruit effectu, quod (ut ait S. Thomas) maior esset Judæorum excæcatio, major obduratio, quam fuerit in Tyriis & Sidoniis; proindeque uberiori luce, & intensiori motione illis, etiam ex parte Dei, opus fuit, ut actu crederent, ut actu humilitatis pœnitentiam agerent. Amor terrenus similis est visco, qui quo tenacior fuerit, cordis pennas, sive affectus magis implicat, efficitque, ut intensiore virtute, fortioribus viribus opus sit, ut voluntas ex amore terreno sese extricet, ac liberet. Non obscure innuit responsionem illam Augustinus in libro de dono perseverantiæ cap. 14. ubi sic loquitur: *Non erat sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam sic credidissent, si qualia viderunt isti* (Judæi) *signa vidissent*.

Quæres, cur Christus coram Tyriis, & Sidoniis miracula non patrarit, ad quorum conspectum, adjuti eadem interiore gratia, qua Judæi, coram quibus eadem signa fecit, pœnitentiam acturi fuissent.

Resp. ideo Christum ea coram Tyriis miracula non patrasse, quod non essent ex electorum numero. Augustini est ea responsio in libro de dono perseverantiæ cap. 4. *Ceteri autem* (inquit) *ubi nisi in massa præditionis justo divino judicio relinquuntur? ubi Tyrii relicti sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, non est datum.*

§. II. *Utrum gratia sit efficax ex auxilii divini cum humana voluntate attemperatione, quæ subsit scientiæ Mediæ.*

Not. Ut Molianiani de gratia systematis defensores invidiam declinarent, qua ipsum tum in Belgio, tum in Hispaniis, tum Romæ aspersum fuisse conspexerant, illud in aliquibus capitibus emollire conati sunt. Excogitarunt nimirum gratiam illam, *Congruam*, ex cujus nomine *Congruistæ* passim appellati sunt. Ea autem gratiæ congruitas in eo posita est, quod Deus eam in iis circumstantiis largiatur, in quibus per scientiam mediam prævidet, humanam voluntatem ei suum concursum præbituram esse. Itaque Deus, secundum Congruistas, ut gratiam quæ effectum habet, largiatur, attendit ad dispositiones, seu ad effectus, in quibus futura est voluntas in illis aut istis circumstantiis. Ea (inquiunt) ratione in gratiæ suæ œconomia se gerit Deus, qua quis dum quidpiam a Rege obtinere proponit; expectat nimirum iste tempus & circumstantias in quibus scit, Regem plerumque benevolo ac liberali esse animo. Utuntur etiam comparatione a medio corporali petita: Deus (ajunt) se habet in suæ gratiæ dispensatione, sicut se habet medicus in applicatione remedii; ergo quemadmodum medicus ut remedium applicet, attendit ad circumstantias loci, temporis, status, in quibus est æger, quem curare sibi proponit: sic etiam Deus in conferenda sua medicinali gratia attendit ad circumstantiam loci, temporis, status, dispositionis naturalis, in quibus prævidet, adhibendam a se cælestem medicinam habituram esse effectum ad quem ægroto spirituali confertur.

Not. 2. Ea facta suppositione, Congruistæ docent 1. hominem, qui bonum operatur, se se ab alio, qui bonum non operatur, non discernere: Nempe (inquit) qui credit, a Deo ipso discernitur, qui gratiam dedit ea in circumstantia, in qua per scientiam mediam prævidederat, sic affectam fore voluntatem, ut gratiæ consentiret: cum e contra eam bonum non operanti dederit in circumstantia, in qua prævideret ipsum non esse ei consensurum. Docent 2. inutiles non esse orationes; iis enim (inquiunt) non petitur, ut gratia in genere adsit (cuique enim adesse volunt instante præcepto(, sed petitur a Deo, ut det eam in illis circumstantiis, in quibus prævidit ab æterno, consecuturam esse suum effectum, si in his aut illis circumstantiis concederetur. Docent 3. prædestinationis gratuitæ ad gloriam executionem repeti debere ex iis circumstantiis, in quibus Deus ab æterno prævidit, voluntatem humanam suum gratiæ consensum præbituram esse.

Not.

Not. 3. Eum explicandæ efficacitatis gratiæ modum passim jam docuerent R. Patres Societatis Jesu: nec enim aliquem inter eos scriptorem, saltem post habitas Congregationes *De auxiliis*, reperire est, qui illi non adhæserit. Nec mirum: id scilicet jussi fuere a Reverendissimo Aquaviva Præposito Generali in Decreto edito Romæ die 14. Decembris anno 1613. & ad omnes Societatis provincias transmisso.

CONCL. Efficacia gratiæ repeti non debet ex auxiliorum cum humana voluntate attemperatione, quæ subsit scientiæ Mediæ.

Probatur 1. Ex sententia, quæ repetit Efficacitatem gratiæ ex auxiliorum attemperatione cum humana voluntate, quæ subsit scientiæ Mediæ, sequuntur absurda omnia, quæ (ut superius ostendimus) inferuntur ex opinione quæ eamdem efficaciam repetit ex eventu, hoc est, ex solius voluntatis consensu.

Nam 1. sequitur, hominem qui bonum operatur, se ipsum discernere a non operante bonum. Prima nimirum causa discretionis petenda erit a genio naturali, complexione, & affectu voluntatis: ideo enim homo gratiæ sibi oblatæ consentit, quod hac vel illa ratione sit naturaliter dispositus; quod per naturam, aut per educationem, aut per circumstantias, in quibus reperitur, hoc vel illud genium, hunc vel illum affectum sortitus sit. Nimirum se habet homo, cui gratia congrua datur, sicut se habet ægrotus cui a perito medico pharmacum in debitis circumstantiis porrigatur: at ratio, cur in illis circumstantiis medicamentum prosit, petitur ex ægroti complexione: per eam complexionem sese discernit ab alio ægroto diversæ complexionis, cui si idem pharmacum daretur, obesset quam maxime: ergo pariter ratio, cur gratia congrua prosit, ultimo refunditur in complexionem & genium naturale hominis, cui confertur; per illamque complexionem, per illud genium se se discernit ab eo, qui non consentiret, si eadem ipsi gratia conferretur.

Sequitur 2. bonum opus non fore Dei miserentis, sed hominis currentis. Siquidem cum duo ad opus aliquid concurrunt, ei præcipue tribui debet, qui alium, ex se ad opus indifferentem, ad actum boni operis determinat: atqui homo currens, seu bonum opus agens, Deum, ex se ad bonum illud physice indifferentem, seu gratiam ab illo datam, ad actum boni operis determinaret: ergo bonum opus non esset Dei miserentis, sed hominis currentis.

Sequitur 3. orationes fidelium fore omnino inutiles ad salutem. Nempe tunc orationes sunt inutiles ad salutem, cum per eas aliquid tantum naturale petitur: atqui in adversariorum systemate fideles per orationes suas aliquid tantum naturale peterent, genium nimirum, complexionem, affectum, quæ ita gratiæ contemperata sint, ut eam humana voluntas admittat.

Præterea, homo in ultima vitæ periodo vexatus gravi tentatione, orare non deberet; non enim esset quid tunc peteret. Nam non peteret gratiam in genere: cuique enim, ex adversariis, præsens est, quoties instat præceptum, aut urget aliqua tentatio. Non peteret quoque gratiam *congruam*: siquidem aut naturalis dispositio in qua versatur, attemperata est gratiæ, aut non est attemperata. Si primum, non est necesse, ut oret dari sibi gratiam congruam; quamcumque enim Deus in eo instanti concesserit, erit congrua: Si secundum, gratia quæ a Deo dabitur, non poterit esse congrua, ac proinde frustra in eo articulo positus, gratiam congruam a Deo posceret. Tandem fideles in suis orationibus non petunt, ut Deus det gratiam in iis circumstantiis, in quibus prævidet, quod humana voluntas ei consensura sit, sed (ut demonstrant Ecclesiasticarum precum formulæ) petunt a Deo, ut det ipsummet consensum, ut ad se rebelles compellat ire voluntates: ergo gratia non habet effectum ex illis circumstantiis, sed ex vi sibi innata, ex natura sibi intrinseca.

Sequitur 4. facile, in systemate de quo agitur, concipi libertatis humanæ cum gratia concordiam: quis enim ita plumbeus est, ut non concipiat, libertatem optime cohærere cum auxilio ex se indifferenti, quodque voluntas ipsa ab usum determinat? at concordiam illam facile concipi non posse, superius ex Augustino demonstravimus.

Probatur 2. Adversariorum sententia supponit, Deum in gratiæ suæ œconomia attendere ad mores, genium, affectus, dispositiones naturales subjecti, cui gratiam confert: sed ea suppositio est falsa.

Nam 1. Deus gratiam suam sæpius clargitur in iis circumstantiis, in quibus ii, quibus eam confert interius & exterius maxime sunt ab ea alieni, ut patuit in Paulo, de quo hæc habet Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum c. 2. *Aversus quippe a fide quam vastabat, eique vehementer aversus, repente est ad illam gratia potentiore conversus: convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: Tu convertens vivificabis nos: ut non solum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex persecutore, persecutionem in ejus fidei, quam persequebatur, defensione pateretur.*

2. Idem S. Doctor homilia 23. inter Quinquaginta aperte docet, gratiæ efficaciam ex circumstantiis naturalibus minime pendere. *Adulter*, inquit, *non fuisti in illa vita tua præterita, plena ignorantiæ, nondum illumina-*

tur, nondum bonum, malumque discernens, nondum credens in eum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus: Tunc regebam te mihi, servabam te mihi. Ut autem adulterium committeret, suasor defuit, ut suasor deesset ego feci. Locus & tempus defuit; ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti: mihi debet & tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non posset facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.

3. S. Prosper aperte docet, Dei gratiam nec tempus, nec locum, nec naturales subjecti, cui confertur, dispositiones expectare, ut suum effectum producat. Id enim hisce versibus in Carmine de ingratis, expresse profitetur:

At vere omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit, nec moribus ulla
Fit mora, nec caussis anceps suspenditur ullis.

4. Concilium Arausicanum II. variis in locis definivit, Deum in gratiæ suæ dispensatione non attendere ad naturales hominis dispositiones, ad externas, in quibus reperitur, circumstantias: *Si quis* (ait Canone 4.) *ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, resistit ipsi Spiritui sancto.* Canone 6. idem definit laudata Synodus: *Si quis*, inquit, *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus... resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti?*

Vide quæ superius a nobis dicta sunt, ubi egimus de dispositionibus actuali gratiæ, ex parte subjecti, cui confertur, prærequisitis.

Probatur tandem nostra conclusio 1. ex eo, quod Augustinus & alii Patres, qui Pelagianos & Semipelagianos impugnarunt, docuerint, efficaciam gratiæ repeti debere ex omnipotentissima Dei voluntate: 2. ex duplicis adjutorii, *Sine quo* nimirum & *Quo*, distinctione, quam iidem Patres admittendam esse docuerunt; ita ut auxilium *Sine quo* proprium fuerit Adamo innocenti, auxilium vero *Quo*, Adamo lapso necessarium sit ad quodlibet pietatis opus: quam quidem distinctionem evertit sententia quæ docet, efficaciam gratiæ peti debere ex circumstantiis, in quibus voluntas per scientiam mediam prævidetur suum præbitura consensum. Nempe Adamus innocens aliquandiu concessæ sibi gra- [illegible] consensum præbuit; Angeli pariter ea [illegible] in justitia quam acceperant a crea- [illegible]; & tamen (ut non semel Augustinus docet) nusquam aut Adamo innocenti, aut sanctis Angelis datum est auxilium *Quo*, sed tantum (ut dicetur inferius) auxilium *Sine quo*. 3. Augustinus sæpius [illegible] homini post lapsum ideo necessariam [illegible] gratiam efficacem, quod per primi parentis peccatum maximam infirmitatem contraxerit, cui necesse fuit, ut per auxilium potentius Deus ipse mederetur: *Subventum est igitur* (inquit S. Doctor in libro de correptione & gratia cap. 12.) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur:* Atqui gratia congrua non medetur infirmitati, quam homo per peccatum contraxit; non enim vincit, ac superat illam infirmitatem, sed e contra ab homine ea infirmitate laboranti vim suam ac determinationem habet.

Solvuntur argumenta ex Augustini libro 1. ad Simplicianum petita.

Not. 1. S. Augustinus sui Episcopatus initio duos de diversis quæstionibus libros scripsit, ad Simplicianum, Ambrosii in Sede Mediolanensi successorem. In priore, duæ sunt quæstiones: Prima, Quomodo intelligenda sint loca Epistolæ ad Romanos, quæ ab his verbis, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit*, usque ad hæc alia: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, continetur. Secunda, Qua ratione exponi debeant quæ ab hac Apostoli sententia: *Non solum autem, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri*, usque ad ista, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus*, leguntur. Hoc est, in prima quæstione agit de Lege, expenditque, num fuerit bona; & in secunda, de vocatione ad fidem, & de ipsa fide disserit. In posteriore libro varias difficultates pertractat, in quibus a Simpliciano, Mediolanensi Episcopo, consultus fuerat.

Not. 2. In iis ad Simplicianum libris retractat errorem, quo circa fidem & opera, adhuc Presbyter, laboraverat, hoc est, docet, initium fidei non minus Dei donum esse, quam cetera pietatis opera; contra quod tamen senserat, & scripserat, cum ante Episcopatum eo errare teneretur, quo laborarunt postea Massilienses, quos in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ confutavit. *Videtis certe* (inquit ipse in lib. de prædest. SS. c. 4.) *quid tunc* (loquitur de tempore, quo scripsit expositionem quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos) *de fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem:* in

in qua sententia illos fratres nostros (Massilienses) *esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, S. Ambrosii successorem, in ipso exordio Episcopatus mei.* Addit ibidem, se ex divina revelatione tunc didicisse, initium fidei esse donum Dei: *Ecce quare dixi superius, hoc* (1. ad Corint. 4.) *Apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit.* Eadem ratione loquitur in libro de dono perseverantiæ cap. 20. *Plenius sapere cœpi in ea disputatione, quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum, Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei Episcopatus exordio, quando & initium fidei, donum Dei esse cognovi, & asserui.*

Not. 3. Quamvis Augustinus in primo illo libro ad Simplicianum, catholicam de gratia doctrinam tradiderit: illius tamen operandi modum non explicuit ea perspicuitate, qua explicuit postea in libris de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ, in quibus latebras omnes aperit, in quas sese Semipelagiani receperant: id ipsemet testatur in libro de dono perseverantiæ cap. 21. *Nam propterea,* inquit, *nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficientem me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse.* In ea autem minus perspicua ratione de modo operandi gratiæ, Congruistæ nonnulla expiscantur, quibus suum de gratiæ operandi modo systema suffultum esse volunt: sed quam inaniter, ex objectionum, quas movent, solutione patebit.

Objicies 1. Augustinus in lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. repetit efficaciam gratiæ ex attemperatione quæ congruat ad naturales effectus humanæ voluntatis, seu ex eo, quod Deus prævideat, voluntatem humanam in illis circumstantiis ei suum esse præbituram consensum. Scilicet in ea quæstione sæpius meminit congruæ vocationis: *Igitur,* inquit, *nec volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui eo modo vocavit, quo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.* Paullo post sic prosequitur: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Sic etiam non multo post: *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti, quamvis vocati.* Sic iterum: *Quia etsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Sic etiam, paucis interjectis: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ubi autem multa congruæ ejusmodi vocationis exempla protulisset, sic tandem generaliter concludit: *Cum ergo alius sic, alius autem sic vocetur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, aliumque moveat, aliumque non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?*

Non in libris tantum ad Simplicianum, quos Augustinus sui Episcopatus initio scripsit, sed etiam in posterioribus suis operibus, eodem modo, hoc est, per congruitatem, gratiæ efficaciam & operationem explicuit: hæc enim habet in lib. de dono pers. c. 14. *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiunt verba, vel signa conspiciunt.*

Ex iis autem Augustini testibus sic argumentum conficitur. Efficacia gratiæ ex eodem fonte peti debet, ex quo vocatio de qua loquitur in libro 1. ad Simplicianum, quæst. 2. scilicet ea vocatio idem est cum ea de qua loquitur Apostolus in Epistola ad Romanos, quam Augustinus interpretatur a Simpliciano consultus; ac proinde, cum certum sit, Apostolum vocationis nomine ipsammet Christi gratiam in epistola ad Romanos intelligere, certum pariter esse debet, Augustinum vocationis nomine, ipsam etiam internam Christi gratiam intellexisse: atqui locis laudatis Augustinus efficaciam gratiæ repetit ex illius congruitate ad naturales affectus, ad internas dispositiones, ad varias circumstantias extrinsecas, in quibus humana voluntas reperitur: ergo, ex Augustino, efficacia gratiæ repeti debet ex illa attemperatione, tum ad interiorem, tum ad exteriorem, & quidem naturalem, voluntatis humanæ dispositionem, quam per scientiam mediam, si voluntas in his aut illis circumstantiis constituatur, prævideat.

Respondent nonnulli, Augustinum in suis, tum adversus Pelagianos, tum adversus Semipelagianos, operibus retractasse, quæ de modo operandi gratiæ scripserat in libro 1. ad Simplicianum.

Sed falsa est illa responsio. Nam 1. (ut mox fuse dicetur) Augustinus in lib. 1. ad Simplicianum nihil de modo operandi gratiæ docuit, quod adversetur iis, quæ contra Pelagianos & Semipelagianos scribens asseruit. 2. In lib. de prædest. SS. (ut jam jam observatum est) laudat & probat, quæ de gratia ad Simplicianum scripserat; laudat quoque in libro de dono perseverantiæ (ut etiam ob-

servatum est) ac præterea cap. 21. extendi vult ad perseverantiam ea omnia, quæ ad Simplicianum scribens, dixerat de fidei initio: *Videant* (inquit loquens de Massiliensibus) *utrum in primi libri posterioribus, eorum duorum, quos mei Episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum, Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: & utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei: & utrum ex iis quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam.*

Respondent alii, Augustinum in eo ad Simplicianum libro disputare potius, & quæstionem sibi a Simpliciano propositam versare potius in utramque partem, quam certum aliquid definire: unde (inquiunt) ex eo libro nec vera, nec constans Augustini doctrina exculpi debet.

Verum satis non est ea solutio. Nempe, licet Augustinus multum in utramque partem disputet, sæpiusque ita quæstionem involvat, ut non nisi a diligenter attendente, objecta a responsis discerni valeant: nihil tamen reipsa asserit, quod adversetur doctrinæ, quam uberius postea in suis contra Pelagianos & Semipelagianos operibus, de modo operandi gratiæ tradidit.

Respondendum est igitur 1. neg. maj. argumenti quod nobis objectum est: scilicet ex eodem capite repeti debere efficaciam gratiæ, ex quo S. Augustinus in lib. 1. ad Simplicianum repetit efficaciam vocationis, de qua loquitur. Ratio est, quia vocatio, cujus S. Doctor eo in libro sæpius meminit, est, non vocatio interna quæ per gratiam interiorem fiat, sed externa tantum, quæ ideo nonnullis congrua dicitur, quia illorum affectibus est attemperata: idque subsequentibus argumentis ostendi potest.

1. Augustinus statim quæstionis initio exponens congruitatem, cujus in ea quæstione sæpe fit mentio, sic loquitur: *Ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Ex iis autem verbis patet, affectus naturales eorum, quibus congruit vocatio, esse causam, cur vocationem sequantur: sed non sunt causa, cur sequantur vocationem quæ fit per gratiam interiorem: ista enim non supponit affectus bonos in hominibus, quos movet; sed e contra eos inspirat, suave reddens quod prius displicebat: *Ut autem* (inquit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, c. 17.) *innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.*

2. Idem S. Doctor de eo vocationis genere loquitur, cujus varias species in eadem ad Simplicianum quæstione enumerat: atqui eæ vocationis species, quæ in illa quæstione ab Augustino recensentur, non sunt nisi externæ vocationes, quæ ab interioribus cordis motibus distinguuntur, seu, quæ in solis signis extrinsecis positæ sunt, & se habent per modum motivorum extrinsecorum credibilitatis: *Cur ergo* (ait) *Esau non sic*, hoc est, externo illo credibilitatis motivo, *est vocatus, ut vellet audire? Videmus enim alios aliter in iis rebus demonstratis, vel significatis, ad credendum moveri.* Scribit, nonnullis aliquibus tantum verbis auditis, in Christum credidisse: *Nathanael* (inquit) *ad unam sententiam, quam ab illo audivit, respondit: Rabbi, tu es filius Dei.* Asserit, alios miraculis fuisse adductos ad fidem: *Miraculo facto in Cana Galilææ, crediderunt in eum discipuli ejus.* Docet, aliquos nec ad mortui suscitationem motos, ut ad fidem venirent: *Multi nec suscitatis mortuis, crediderunt.* Addit, ad ipsum crucis supplicium nonnullos titubasse, alios vero credidisse: *De cruce atque morte ejus conterriti, etiam discipuli, titubarunt, & tamen latro tunc credidit, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem.* Monet, unum e discipulis Christi ad cicatrices commotum, credidisse: *Unus autem de numero discipulorum post ejus resurrectionem, non jam viventibus membris, quam relucentibus cicatricibus credidit.* Asserit tandem, multos ex eis qui videntes Christi miracula, non crediderant, adductos ad fidem fuisse visis Apostolorum miraculis: *Multi ex eorum numero, a quibus crucifixus est, videntes eum miracula facientem, contempserunt, discipulis eum prædicantibus, & in nomine ejus talia facientibus, crediderunt.* Sed verba, sed mortuorum suscitatio, sed prædicatio Evangelii, sed cicatrices, aliaque hujusmodi signa, quæ nonnullos, tanquam credibilitatis motiva, ad fidem adduxerunt, vocatio sunt tantum externa: ergo Augustinus in loco, qui nobis objectus est, de vocatione tantum externa loquitur.

3. Idem Augustinus in aliis suis operibus congruam, de qua agitur, vocationem in signis exterioribus reponit, tanquam mediis, quibus Spiritus sanctus usus est, ut fidei viam aliquibus aperiret: *Ut alii* (inquit ep. 99.) *ad salutem suam crederent, alii ad naturam suam non crederent, ipse utique, non in carne, sed in spiritu, veniebat* Visis congruis *alloquens quos volebat, sicut volebat.* In lib. 4. de Trin. cap. 2. sic in eumdem scopum loquitur; *Missa sunt nobis divinitus.* Visa congrua *peregrinationis nostræ, quibus admoneremur, non hic esse quod quærimus, sed illuc ab ipsa esse redeundum.*

4. Eamdem congruitatem, hoc est, congruam

gruam suadendi movendique vim, pœnis ac suppliciis tribuit: *Ista demonstratio potentiæ Dei* (ait idem S. Doctor lib. 2. ad Simplician. q. 19.) *& annuntiatio nominis ejus in universa terra, prodest eis ut timeant, ut vias suas corrigant, quibus vocatio talis* Congruit. Externa illa congruitas, quæ ex signis petitur, est in aliquibus veluti semen, cui Deus ipse postea incrementum confert per interioris gratiæ subministrationem; sed non est ipsamet Christi gratia, *per quam* (ut Augustinus asserit in lib. de grat. & lib. arb. cap. 15.) *fit, ut sit homo bonæ voluntatis: cum prius fuerit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam esse cœpit, augeatur; & tam magna fiat, ut possit divina implere mandata quæ voluerit, cum valde, perfecteque voluerit:* Unde S. Doctor nullibi in suis operibus illam Christi internam gratiam vocat Congruam.

Respondendum est 2. dato, quod Augustinus libro 1. ad Simplicianum quæst. 2. nomine *Vocationis congruæ*, intellexerit vocationem completam, hoc est, tum externam quæ in signis posita est, tum internam quæ in inspiratione luminis & amoris consistit, Congruistæ nullam ex eo loco argumentum pro gratia quæ ad affectus naturales & varias circumstantias attemperata sit, eruere possunt. Scilicet non indifferentem, & versatilem vocationem, sed vocationem effectricem fidei ac bonæ voluntatis Augustinus intellexit; eam autem fidei ac bonæ voluntatis effectricem vocationem vocat Congruam, quod congruat, hoc est, per se apta sit superare humanæ voluntatis renitentiam: ad id vero apta est & congruit, quod inspiret suavitatem & delectationem, quæ, cum major sit ac intensior delectatione carnali, concupiscentiam superat ac vincit; ac proinde per se efficax sit, seu bonæ voluntatis operativa. In ea responsione duæ sunt partes; *Prima*, Augustinum vocationis nomine intellexisse in libro 1. ad Simplicianum q. 2. internam vocationem cum externa conjunctam, & quidem efficacem; *Altera*, eumdem Augustinum Congruitatis nomine intellexisse intrinsecam divinæ gratiæ virtutem, quæ major sit corruptæ voluntatis renitentia. Utraque illa responsionis pars seorsim probanda est.

Primo, Augustinum nomine vocationis intellexisse internam vocationem, & quidem efficacem, sic ostenditur. S. Doct. in lib. 1. ad Simplicianum q. 2. vocationis nomine nihil aliud intelligit, quam quod intelligebat, cum ante Episcopatum errore Semipelagianorum laboraret: Nempe in lib. de præd. SS. c. 4. scribit, se in quæst. 2. libri primi ad Simplicianum retractasse antiquam suam de vocatione ac de initio fidei sententiam: Atqui ante Episcopatum nomine vocationis Augustinus intelligebat vocationem externam, quæ cum gratia versatili conjuncta, fidei initium præveniret: nam in libro octoginta trium quæstionum, quæstione 68. quem errans ante Episcopatum scripsit, sic loquitur; *Quoniam nec velle quisquam potest, nisi admoneatur, & vocatus, sive intrinsecus ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua visibilia, efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis*: iis autem verbis, *vocatus intrinsecus, ubi nullus hominum videt*, vocationem internam, hoc est, per interiorem gratiam, intelligi manifestum est; neque enim exterior vocatio fit *intrinsecus, ubi nullus hominum videt*, sed extrinsecus tantum, in externis nimirum sensibus: ergo Augustinus in lib. ad Simplician. nomine vocationis aliam interiorem gratiam intelligit, quam intelligeret ante suum Episcopatum: Sed non potest esse alia, quam quæ per seipsam sit efficax; hæc enim soli opponitur interiori gratiæ versatili; ac proinde Augustinus in libro ad Simplicianum, nomine vocationis intellexit vocationem, externam quidem, sed quam aut comitetur, aut immediate subsequatur gratia interior per seipsam efficax. Vide quæ de sententia Augustini Semipelagiani ipsemet scribit in lib. de prædest. Sanct.

Præterea Augustinus in lib. 1. ad Simplician. loquitur de vocatione, quæ sit effectrix bonæ, etiam inchoatæ, voluntatis, & quam admittunt quicumque ea vocationis specie vocantur. Nam 1. loquitur de vocatione, quæ efficit, ut velimus, seu quæ ipsum velle operatur in nobis. *Non ideo* (inquit) *dictum putandum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus*: (vitam scilicet æternam, ad quam comparandam ipsi Semipelagiani gratiam, etiam efficacem, necessariam esse fatebantur; licet ad initium fidei & ad perseverantiam usque in finem, eam non requirerent) *sed ideo potius* (quod ante Episcopatum negaverat) *quia nisi ejus vocatione non volumus*, etiam ipsum initium fidei. 2. Eam, de qua loquitur, vocationem aperte asserit bonæ voluntatis effectricem; sic enim loquitur; *Sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam sequatur, quomodo verum erit, Multi vocati, pauci vero electi?* At vocatio bonæ voluntatis effectrix, & quam omnis vocatus sequitur, non est, ut patet, sola vocatio externa, nec interna versatilis, quam Augustinus, dum erraret, admittit: sed est vocatio interna, efficax, & voluntatis determinatrix.

Nec est, quod quis dicat, verba quæ mox laudata sunt, objectionem esse, quam sibi Augustinus proponit, ac proinde non continere germanam illius de vocatione sententiam. Nam 1. si sit adversariorum objectio,

supponit, persuasum illis fuisse, Augustinum nomine vocationis intellexisse vocationem bonæ voluntatis effectricem. 2. Nullum est verbum in ea secunda quæst. lib. 1. ad Simplician. quo neget vocationem admitti debere, quæ sit effectrix bonæ voluntatis. 3. Post plura quæ in omnem partem variis interrogationibus versat, solvens argumentum illud, respondet, vocationem esse Dei miserentis; additque, Deum nullius frustra misereri; ac proinde supponit, vocationem illam, quæ est ex Dei misericordia, semper ita suum effectum habere, ut quisque ea vocationis specie vocatus, Deum vocantem sequatur: *Verum est ergo* (inquit) *Multi vocati, pauci vero electi. Illi enim electi qui congruenter* (vocatione effectrice bonæ voluntatis) *vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti, quamvis vocati*, (vocatione non effectrice bonæ voluntatis). *Iterum verum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiamsi multos vocat*, vocatione non effectrice bonæ voluntatis, *eorum tamen miseretur, quos ita vocat quomodo eis vocari aptum est*, aptitudine petita ex gratia efficiente bonam voluntatem, *ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit, igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis quia nullius Deus frustra miseretur*: vocatio nimirum quæ est secundum propositum, & effectrix bonæ voluntatis, nusquam caret suo effectu: *Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere*: suam scilicet gratiam dispensans ad mensuram majoris, aut minoris cupiditatis, quæ in vocato reperitur, *ut vocantem non respuat.*

Nec his obstat, quod Augustinus soluta hac difficultate, *Multi vocati, pauci vero electi*, statim meminerit signorum externorum, ad quorum conspectum plures fidem amplexi sunt. Siquidem externa illa signa viam parant ad vocationem effectricem bonæ voluntatis; divinæ enim est providentiæ, ita caussas omnes ordinare ac disponere, ut ad id conferant, quod æterno suo decreto sibi Deus ipse proposuit.

Altera responsionis pars, hoc est, Augustinum *Congruitatis* nomine intellexisse intrinsecam divinæ vocationis virtutem, evidens est supposita prima responsionis parte. Nempe si electorum vocatio fit per se effectrix bonæ voluntatis, si eam nemo respuat, si nusquam frustra detur, maxime congruit, hoc est, aptissima est ad superandam corruptæ voluntatis resistentiam: ideo autem ad id est apta, quod, cum amor amore pellatur, terrenus cælesti, amor cælestis, quem inspirat, major ac intensior fit amore terreno, quo tanquam lethali visco implicati erant humanæ voluntatis affectus. Vide totum hoc argumentum fuse pertractatum apud Antoninum Massoulié Tom. 2. pag. 280. libri quem inscripsit, *S. Thomas sui interpres*.

Objicies 2. Sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. docet, committi nobis gratiæ ad fidem vocanti consensum, cum e contra ipse donet nobis opera alia, per quæ vitam æternam promereamur. *Aliter* (inquit) *Deus præstat ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus. Ut velimus enim, & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beate vivere*; ergo Augustinus, saltem quoad initium fidei, efficaciam gratiæ repetit ex humanæ voluntatis consensu.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Augustinus, ante episcopatum Semipelagianus, conc. ant. post episcopatum Catholicus, neg. ant. Verba, de quibus est quæstio, sunt argumentum quod Augustinus quæst. 2. libri primi ad Simplicianum sibi objicit, quodve statim sic solvit: *Noverit enim* (inquit) *Deum sibi præstitisse, ut crederet, qui miseretur inspirando fidem cujus misertus est, ut adhuc infideli vocationem impertiret. Jam enim discernitur fidelis ab impio. Quod enim habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis?* Solutioni a se datæ statim opponit suam antiquam ad laudata Apostoli verba interpretationem; sed eam rejicit: sic enim loquitur: *Illa etiam verba si diligenter attendas: Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: non hoc Apostolus propterea tantum dixisse videbitur, quod adjutorio Dei ad id quod volumus perveniamus, sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit, Cum timore & tremore vestram salutem operamini: Deus enim est qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate: Ubi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri*: non sola vocatione cum gratia versatili præcedente, ut ante suum episcopatum senserat, sed auxilio interiore efficaci, quo Deus facit, ut velimus: *Illud autem* (ait de hac antiqua sua sententia) *misericordia Dei sola non sufficit, nisi*, credendo adjuti gratia versatili, *consensus nostræ voluntatis addatur*, loquens, *nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, ergo jam volumus; ad eamdem quippe misericordiam pertinet, ut velimus. Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari.*

Solvuntur quædam alia S. Augustini loca.

Objicies 1. S. Augustinus in libro de spiritu & littera, c. 33. sic loquitur: *Liberum arbitrium naturaliter attributum a creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem qua cre-*

credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit. Unde sic arguitur: Eo in loco S. Augustinus asserit, voluntatem, qua homo credit Deo vocanti per interiorem gratiam, surgere de libero arbitrio: ergo censet, vocationem per gratiam interiorem esse efficacem dependenter ab ipsiusmet liberi arbitrii consensu.

Resp. dist. conseq. Augustinus Pelagianorum nomine asserit, voluntatem, qua homo credit Deo, de libero arbitrio surgere, conc. conseq. nomine proprio, neg. conseq. Verba, quæ nobis objiciuntur, argumentum sunt, quod sibi ipsi Augustinus objicit. Nimirum hanc sibi quæstionem initio c. 33. libri de spiritu & litt. proposuerat: *Sed consequens est paullulum quærere, utrum voluntas illa, qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit, an ex illo naturaliter insito adhibeatur arbitrio.* Eam vero sic solverat: *Si dixerimus, eam non esse donum Dei, metuendum est, ne existimemus invenisse nos aliquod, quod Apostolo increpanti & dicenti, Quid enim habes quod non accepisti? respondere possimus; Ecce habemus bonam voluntatem credendi quam non accepimus.* Post solutam illam quæstionem objicit sibi Pelagianorum, aut saltem Semipelagianorum responsionem, in eo positam, quod liberum arbitrium, de quo surgit, ut Deo vocante, per gratiam versatilem credamus, a Deo accepimus, sicque salvari Apostolicam sententiam: *Quid enim habes, quod non accepisti?* Eam vero Pelagianorum, aut Semipelagianorum responsionem cap. 34. libri de Spiritu & litt. hisce verbis confutat: *Si autem respondetur*, quod respondebant adversarii quos impugnat, *cavendum esse, ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur: Quid habes quod non accepisti? propterea etiam voluntas, qua credimus, dono Dei tribuitur, quia* de libero surgit arbitrio, quod, cum crearemur, accepimus.

Objicies 2. Augustinus lib. 12. de Civ. Dei, c. 6. docet fieri posse, ut ex duobus hominibus eadem tentatione vexatis, unus gratiæ consentiat, alter vero minime consentiat: at diversitas illa ex alio capite oriri non potest, quam aut ex libero arbitrio, aut ex gratia congrua, quæ uni detur, non autem alteri, hoc est, ex gratia attemperata naturali dispositioni, & minime attemperata alterius naturali dispositioni: ergo, &c. Probatur maj. ipsissimis Augustini verbis: *Si enim* (inquit) *aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulcritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse caussa, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* Idem paullo inferius hoc alio exemplo docet: *Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde nisi a propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio?*

Resp. 1. conc. maj. dist. min. Sed diversitas illa ex alio proximo capite oriri non potest, quam ex consensu unius & dissensu alterius, conc. min. ex alio capite remoto, neg. min. Equidem utriusque illius hominis, de quo loquitur Augustinus, diversitas oritur proxime ex consensu unius & dissensu alterius: scilicet liberum arbitrium est caussa proxima, sive bonæ, sive malæ voluntatis: sed idem liberum arbitrium, licet sit adæquata, & tum remota, tum proxima caussa malæ voluntatis, non est tamen adæquata, tum remota, tum proxima caussa bonæ voluntatis: Unde cum idem Sanctus Doctor asserit, nasci eam ex libero arbitrio, non excludit caussam aliam superiorem, gratiam nimirum efficacem, quæ sit prima & efficiens caussa discretionis hominis stantis ab homine qui labitur.

Confirmatur illa responsio ex loquendi modo quo Sanctus Augustinus utitur in operibus, in quibus ex professo disserit de necessitate & de modo operandi gratiæ; scilicet in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 5. asserit, credere vel non credere esse in hominis potestate. *Non quia* (inquit *credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ*: ne quis tamen in Semipelagianorum gratiam eo loquendi modo abuteretur, statim ulteriorem caussam, cur quis credat, refundit in efficacem Dei gratiam. *Sed in electis* (ait) *præparatur voluntas a Domino. Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est*, tamquam in caussa proxima, *pertinet: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* Eodem loquendi modo utitur ejusdem libri cap. 6. ubi cum sibi objecisset: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt; Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi*: respondet: *Quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cum aliis præparetur voluntas a Domino, discernendum est utique, quod veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Paullo post hæc etiam habet: *Et tamen illi, quia voluerunt, crediderunt; illi, quia noluerunt, non crediderunt.* Hujus autem discretionis primam caussam hisce verbis statim exponit: *Misericordia igitur & judicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratia est.*

Si autem quis roget, cur Augustinus c. 6. l. 12. de civit. Dei siluerit de prima illa discretionis caussa, & proximam tantum laudaverit,

daverit, respondendum erit, S. Doctorem in eo capite ex professo non tractare quæstionem de gratia, sed tantum quæstionem de caussa mali; ac proinde satis ei fuit asserere, creatorem non esse caussam mali, sed ipsam solam creatam voluntatem, quæ cum in bona voluntate condita fuisset, facta est mala per proprium liberum arbitrium, per quod (adjutum tamen gratia versatili, quæ nusquam Adamo innocenti defuit) potuit in illa, quam acceperat, bona voluntate perseverare: *Ut sit aliquis* (inquit) *inquirendi modus, caussam primam malæ voluntatis inquiro.*

Respondent 2. aliqui hypothesim Augustini intelligi non debere in statu naturæ lapsæ, sed in statu naturæ innocentis. Ratio est 1. quia eo in loco tentationem eam non adscribit internæ concupiscentiæ, cui tamen omnes hominis lapsi tentationes solet adscribere. 2. Loquitur de voluntate quæ nullo adhuc vitio commaculata fuerit: ac proinde mirum non est, si in illa hypothesi discretionem ejus, qui externæ tentationi non consensit, libero arbitrio adscribat: nempe uterque ex duobus illis tentatis æqualem gratiam, versatilem nimirum, habuit.

1. Sed ne verbum quidem est eo in loco de statu naturæ innocentis. Nec obstat, quod loquatur de voluntate quæ sit sine peccato: siquidem id locum habet in aliquibus justis, saltem per breve aliquod tempus. 2. Tentationem de qua loquitur, vocat occultam; at occulta tentatio non ex alio nascitur, quam ex concupiscentia; externa enim oritur ex objecto.

Objicies 3. S. Augustinus pluries in suis operibus asserit, consentire & dissentire, velle & nolle, esse propria humanæ voluntatis, esse nostra; habere Dei dona, esse accipientis & habentis: sic enim loquitur lib. de spiritu & lit. c. 34. *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus ... sed consentire vel dissentire, propriæ voluntatis est .... Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Sic etiam libro de gratia & libero arbitrio c. 3. *Velle & nolle, propriæ voluntatis est.* Unde sic argumentum conficitur: Si gratia suam efficaciam a voluntatis consensu non acciperet, immerito Augustinus toties asseruisset, consentire Dei vocationi, vel non consentire, propriæ voluntatis esse: is enim loquendi modus innuere videtur, vocationem non determinare voluntatem, sed e contra vocationem a voluntate determinari: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. pariter ant. Ii enim loquendi modi nihil aliud significant, quam liberum arbitrium non tolli per gratiam, quantumcumque sit efficax: nempe gratia non impedit, ne consentiamus Deo vocanti, sed e contra facit, ut illi voluntas consentiat. *Certum est* (inquit Aug. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 16.) *nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum ..... Ille facit, ut faciamus, cui dicet homo, Pone, Domine, custodiam ori meo, hoc est enim dicere: Fac ut ponam custodiam ori meo.*

Confirmatur responsio ex eo, quod iis locis ubi S. Doctor asserit, velle & nolle, consentire & non consentire, esse propriæ voluntatis, ex professo probare intendat, liberum arbitrium stare cum operatione gratiæ: in eum enim finem scripsit librum de gratia & libero arbitrio: in eumdem quoque finem sæpius illum loquendi modum usurpat, in suis contra Massilienses operibus. Nempe contendebant isti, Augustiniano de gratia systemate tolli liberum arbitrium, induci indeclinabile fatum, invehi damnatum ab Ecclesia Manichæismum. Itaque opus bonum, & nostrum est, quia Deo cooperamur, & Dei est, qui efficit, ut cooperemur. *Utrumque ergo, credere & operari, nostrum est* (ait Sanctus Doctor libro 1. Retract. c. 24.) *propter arbitrium voluntatis; & utrumque tamen datum est per spiritum fidei & caritatis.* Tandem eæ phrases quæ nobis objiciuntur, sensum habent verum, sive gratia voluntatem determinet ad operandum bonum, sive voluntas gratiam determinet: unde Augustinus sive de statu naturæ lapsæ disputet, sive de statu naturæ innocentis, iis utitur, licet contendat, gratiam in eo duplici statu differre secundum diversum operandi modum.

§. III.

Utrum efficacia gratiæ peti debeat ex intrinseco illius operandi modo.

Not. Status quæstionis est, utrum gratia efficax posita sit in operatione divina, quæ proprie, efficienter, physice, operetur in nobis quemlibet veræ pietatis actum, ita ut moveat, flectat, determinet voluntatem ad operandum bonum, ea ferme ratione, qua homo sanitate fruens, alium hominem qui fractis est cruribus, proprie, efficienter, physice ad ambulandum determinat. Affirmativam sententiam Thomistæ omnes propugnant, negativam vero ii theologi, quorum doctrinam duobus præcedentibus paragraphis confutavimus.

CONCLUSIO. Gratia in statu naturæ lapsæ est efficax ab intrinseco in operandi modo, hoc est, proprie, efficienter, physice determinat voluntatem ad operandum bonum. Idque probari potest ex Scriptura, ex orationibus Ecclesiæ, ex definitionibus gratiæ, ex dati naturæ stanti adjutorii distinctione ab adjutorio dato naturæ lapsæ.

Profertur argumentum ex Scriptura petitum.

Probatur ex Scripturis, quæ docent 1. Deum facere, ut faciamus: *Dabo vobis cor no-*

vum

meum (ait Deus ipse Ezechielis 36.) & *faciam ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea custodiatis*. Docent 2. Deum in nobis operari velle & perficere: *Cum timore & tremore* (ait Apostolus ad Philipp. 2.) *vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*, hoc est, per gratiam quam ex mero suo beneplacito largitur. Docent 3, eos qui sunt filii Dei, agi ipso Dei spiritu: *Qui spiritu Dei aguntur* (ait Apostolus ad Rom. 8.) *hi filii Dei sunt*.

Ex ea autem Scripturarum doctrina sic conficitur argumentum. Admitti debet gratia quæ facit ut faciamus; quæ in nobis operatur velle, & perficere; per quam filii Dei aguntur: atqui gratia quæ facit ut faciamus; quæ in nobis operatur velle, & perficere; per quam filii Dei aguntur, est efficax ab intrinseco, hoc est, efficienter & physice determinat voluntatem ad operandum bonum: ergo &c. Probatur min. Primo, eam gratiam esse *efficacem*, evidens est, cum ad actum secundum reducatur, seu actu operetur. 2. Eam gratiam esse efficacem *ab intrinseco*, colligitur ex eo, quod Scriptura illi vim agendi tribuat independenter ab aliqua extrinseca conditione, hoc est, independenter ab humanæ voluntatis consensu; neque enim cum de gratiæ efficacia loquitur, meminit alicujus conditionis, quæ se ex parte nostra teneat, sed absolute de ea dicitur, quod faciat ut faciamus; quod operetur velle & perficere; quod per eam filii Dei agantur. 3. Eam gratiam ab intrinseco efficacem, *physice* determinare voluntatem, patet ex eo quod determinatio moralis non sit determinatio proprie dicta, sed metaphorica tantum, quæ legi, doctrinæ, ipsis etiam sacris codicibus, convenit, juxta illud Augustini in libro de gratia Christi c. x. ubi sic loquitur: *Ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. Etsi inter docere, & suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hac tamen doctrinæ generalitate includitur, quæ quibuscumque sermonibus, vel litteris continetur. Nam & sanctæ Scripturæ, & docent, & exhortantur: & potest esse in docendo, & exhortando etiam hominis operatio.*

Confirmatur argumentum auctoritate Patrum. In his Scripturæ verbis: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*, Deus absolute, & sine conditione iis qui per fidem futuri erant Abrahæ filii, promittit pietatis opera: atqui quæ Deus absolute & sine conditione promittit, prævie & physice operatur; alioquin enim proprie non promitteret, sed potius prædiceret. Augustini est illud argumentum: sic enim loquitur in libro de spiritu & lit. c. 24. *Hoc enim Deus promittit, quod ipse facit: Non enim ipse promittit & alius facit, quod jam non est promittere, sed prædicere*. Utitur eodem argumento in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 10. ubi hæc ait: *Deus non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod ipse facturus erat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quæ præcipit; non illi faciunt, ut ipse faciat, quæ promisit; alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed hominum est potestate*. Si autem Deus expectet nostræ voluntatis consensum, ut physice agat in nobis opera bona, homines faciunt ut ipse faciat, promittit non de sua prædestinatione, sed de nostræ voluntatis potestate; promittit non quæ ipse facturus erat, sed quod homines: quod tamen negat Augustinus. Idem S. Doctor ponderans Ezechielis verba quæ laudavimus, *Faciam ut in preceptis meis ambuletis*, sic loquitur in libro de gratia & libero arbitrio capite 16. *Ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati nostræ, qui dixit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis*: at moralis determinatio non præbet vires efficacissimas: ergo in laudatis Prophetæ verbis Deus pollicitus est hominibus physicam voluntatis determinationem.

Idem S. Augustinus, exponens quæ laudavimus Apostoli verba, *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt*: hæc scribit in libro de correptione & gratia cap. 2. *Intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut, quod agendum est, agant: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant*. In ea S. Doctoris sententia maxime ponderandum est verbum illud, *Aguntur*; nempe significat præviam determinationem: aguntur ut *agant*; & præterea significat etiam præviam determinationem physicam, cum (ut jam observatum est) agi moraliter non sit agi proprie, sed metaphorice tantum: unde de diabolo, qui moraliter movet ad malum, nusquam dictum est, quod ab eo agantur ut agant, qui sunt ejus filii; ac præterea si de motione tantum morali verba illa intelligerentur, cur Pelagianis & Semipelagianis fuerunt offendiculo? putarunt enim, cum iis libertatem cohærere non posse, ut fuse dicetur inferius.

Tandem Pelagius laudata hæc ex Apostolo verba; *Operatur velle & perficere*, explicuit de motione morali: *Operatur* (inquit apud Augustinum in libro de gratia Christi c. 10.) *in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum sollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est*. Sed Augustinus judicavit, id non satis esse, ut Pelagius catholicus haberetur. *Quid* (ait ibidem) *manifestius*,

festius ; nihil aliud eum dicere gratiam ; qua Deus operatur in nobis *velle quod bonum est , quam Legem atque Doctrinam ?* Totum ejusdem libri caput decimum legendum est , ut intelligatur, apud Augustinum satis non fuisse motionem illam moralem , quæ in interna etiam suasione & excitatione posita est.

Profertur argumentum petitum ex orationibus Ecclesiæ.

Ecclesia in suis orationibus a Deo petit gratiam per se, ex natura sua, & ab intrinseco efficacem : ergo gratia est per se , ex natura sua , & ab intrinseco efficax. Consequens est evidens. Nam 1. Ecclesia, cum sit columna, & firmamentum veritatis, non potest errare, cum docet quænam sint ad salutem necessaria , & quæ ad praxim reducenda. 2. Apud Patres (ut videre est in capitulo 21. ex iis quæ subjiciuntur Epistolæ Cælestini apud Gallicanos Episcopos) immota est sententia , *Ut legem credendi lex statuat supplicandi*. 3. Eo argumento non semel contra Pelagianos & Semipelagianos usus est Augustinus, ut gratiæ tum necessitatem, tum operandi modum assereret : *Si ergo* (inquit in lib. de dono perseverantiæ cap. 7.) *alia documenta , non essent , hæc Dominica oratio , nobis ad caussam gratiæ , quam defendimus , sola sufficeret*. Sic etiam loquitur in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 24. *Frequentationibus orationum frequenter apparebat Dei gratia quid valeret*.

Itaque probatur ant. Ecclesia in suis orationibus petit, ut gratia bonam voluntatem in nobis operetur ; ut liberum arbitrium actu bonum eligat; ut voluntas Deo moventi consentiat; ut non tantum possit, sed etiam revera agat; petit gratiam quæ faciat facere, quæ singulos pietatis actus in nobis efficiat : Sed gratia quæ ipsam bonam voluntatem operatur, quæ efficit ipsam boni electionem, ipsum voluntatis consensum, ipsummet agere; quæ facit facere, quæ singulos pietatis actus in nobis efficit, est gratia per se, ex natura sua, ab intrinseco efficax : ergo Ecclesia in suis orationibus petit gratiam per se, ex natura sua , ab intrinseco efficacem.

Major argumenti propositio ostenditur ex Augustino qui Epistola ad Vitalem observat 1. Ecclesiam pro infidelibus orare , ut credant. Observat 2. petere eam a Deo, ut catechumenis baptismi desiderium inspiret , ut justis perseverantiam largiatur . Observat 3. in libro de peccat. meritis , cap. 6. Ecclesiam in suis orationibus a Deo petere omnes omnino virtutum actus ; observationem omnium quæ præcipit ; omnem in omnibus obedientiam : Unde sic arguitur . Infidelis gratia jam excitatus , petit consensum fidei quæ prædicatur ; Catechumenus jam gratia præventus, petit, ut obediat præcepto quo baptizari jubetur; Justus gratia actuali mortuus, petit, ut præcepto quo perseverare jubetur, obtemperet; Fideles, etiam sub auxilio gratiæ constituti, petunt a Deo, ut det , quod ipse jubet : *Da quod jubes*: ergo petunt boni, ad quod excitantur , electionem : ut gratiæ qua moventur, consensum præbeant , auxilii quo præveniuntur , acceptatione ; cum illa electio, ille consensus, illa acceptatio, præcipiantur.

Eadem argumenti major propositio ostenditur ex precum formulis quibus utitur Ecclesia. Dominica 4. post Pascha oratione 1. sic Deum alloquitur, *Da populis tuis id amare quod præcipis , id desiderare quod promittis* . Dominica 5. oratione 1. *Largire supplicibus tuis , ut cogitemus te inspirante , quæ recta sunt , & te gubernante eadem faciamus* . In vigilia Pentecostes oratione 1. *Concede nobis , & nostræ voluntatis pravitatem frangere , & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere* . Dominica 9. post Pentecosten orat. 1. *Fac eos , quæ tibi sunt placita , postulare* . Dominica 12. *Tribue quæsumus , ut ad promissiones tuas sine offensione curramus* . Dominica 13. *Fac nos amare quod præcipis* . Dominica 17. orat. 1. *Da populo tuo diabolica vitare contagia, & te solum Deum pura mente sectari*. Domin. 19. orat. ult. *Tua medicinalis operatio tuis semper faciat inhærere mandatis*. Dominica 20. orat. ult. *Fac nos, quæsumus , tuis semper obedire mandatis* Domin. 23. orat. secret. *Ut quod immerito contulisti , propitius exequaris* . Domin. 24. orat. secr. *Omnium nostrum ad te corda converte , ut a terrenis cupiditatibus liberati, ad cælestia desideria transeamus*.

Ecclesia (ut ex laudatis formulis patet) a Deo petit non-tantum posse, sed ipsum etiam agere ; non tantum potentiam ad observandum mandata , sed actualem ipsorum observationem ; non solum possibilitatem amoris divini , sed ipsum amoris actum ; non modo potentiam conversionis, sed ipsam etiam actualem conversionem : ergo petit quoque electionem boni, gratiæ consensum , acceptationem auxilii ; illa enim electio , ille consensus, illa acceptatio, in ipso agere, in ipsa mandatorum observatione, in amore actuali , in ipsa conversione includuntur . Itaque evidens est major propositio syllogismi, quem in nostræ conclusionis defensionem protulimus. Vide argumentum illud in Mandato Eminentissimi Cardinalis de noailles , quod ad hujus Tomi calcem describemus , solidissime explicatum.

Minor non minus est certa, seu non minus constat, gratiam quæ ipsam bonam voluntatem operatur ; quæ efficit ipsam boni electionem ; quæ præstat ipsum voluntatis consensum ; quæ subministrat acceptationem gratiæ ;

tiæ; quæ facit, ut faciamus, esse gratiam per se, ex natura sua efficacem. Non per gratia, cujus efficacia non dependet ab electione, ac acceptatione liberi arbitrii, est per se, & ex natura sua efficax: sed gratia quam Ecclesia in suis orationibus a Deo petit ad singulos pietatis actus, nullo modo pendet ab electione, ab acceptatione, a consensu liberi arbitrii: Nam 1. gratia illa (ut probatum est) efficit electionem, acceptationem, consensum liberi arbitrii; ergo ab eo non pendet. 2. Cum fideles gratiam a Deo petunt, ipsammet electionem (ut ostensum est) ipsam acceptationem, ipsum consensum petunt: ergo supponunt, ea non esse a nobis gratiam determinantibus, sed ab ipsa gratia determinante: nempe irrisoria est petitio rei, quæ est in nostra potestate, seu quæ est a nobis tamquam a causa determinante. *Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus* (inquit Augustinus in Epistola ad Vitalem): *Prorsus non oramus Deum, sed orare fingimus, si nos ipsos, non illum, credimus facere quod oramus*; aut (ut idem S. Doctor ait lib. 2. de peccatorum meritis cap. 6.) *Qui autem optat, quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento?* Propter eam rationem nullus homo, qui corporea sanitate fruitur, Deum rogat, ut elevet manum, pedem moveat, oculos aperiat, quia jam scit se vires ad id agendum habere: si vero oculus humore aliquo infectus sit, si pes podagra laboret, tunc homo Deum rogat, ut vires subministret, quibus iis naturæ officiis perfungatur.

Profertur argumentum petitum ex gratiæ efficacis definitionibus.

Ea gratia est per se efficax, cui a SS. Patribus tribuuntur definitiones, quæ soli gratiæ per se efficaci conveniunt: atqui a SS. Patribus gratiæ efficaci tribuuntur definitiones quæ conveniunt soli gratiæ per se efficaci: ergo gratia est per se efficax. Minor propositio subsequentibus momentis ex Augustino desumptis ostenditur.

In libro de gratia Christi, definitur, gratia quæ non solum posse, sed ipsum etiam velle & agere in nobis operatur. *Non ait: Deus est, qui operatur in vobis posse; tamquam ipsi jam velle & operari per se ipsos habeant: sed ait, Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Ejusdem libri cap. 6. dicitur ardor dilectionis: *Sic vult homo, ut tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret.* Cap. 10. definitur, ea *qua futuræ gloriæ magnitudo creditur, speratur, amatur, qua nec suadetur solum omne, quod bonum est, verum & persua detur* Cap. 13. ea est, *quam altius & interius Deus cum ineffabili suavitate creditur infundere, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem.* Ea est, per quam Deus docet eos, qui secundum propositum vocati sunt, *simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt, agere.* Ea est, per quam fit, *ut non sit terribile, sed suave mandatum*

Ejusdem libri cap. 14. dicitur ea esse, per quam omnis qui audivit a Patre, & didicit, ad eum venit: *Ac per hoc quando Deus docet, non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Ea est, per quam *& possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Cap. 24. ea est, per quam Deus *interna atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operatur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.*

Capite 25. Ea est, quam Apostolus petit, cum ait, orare se ad Deum pro eis, ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & ut quod bonum est, faciant: *Non enim*, ait, *oramus, ut possitis nihil mali facere, sed ne quid faciatis mali, nec ut possitis bonum facere, sed bonum faciatis.* Cap. 26. Ea est, per quam caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, ita ut *omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse Pelagius non dubitet.*

Capite 33. Ea est, per quam datur non spiritus timoris, sed caritatis: *Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus: Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & caritatis, & obedientiæ.* Cap. 34. Ea est, per quam *ipsa voluntas & actio subministratione Sancti Spiritus adjuvatur.* Cap. 35. definitur *adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ, per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis.*

Ex iis gratiæ efficacis definitionibus ab Augustino traditis sic conficitur argumentum. Ea gratia est per se efficax, quæ operatur determinationem humanæ voluntatis ad bonum: atqui gratia cui allatæ definitiones conveniunt, operatur determinationem humanæ voluntatis: nempe determinatio humanæ voluntatis, est volitio & executio boni, est boni dilectio, est inchoata saltem caritas, est suavitas mandati, est desiderium & executio boni, quod voluntas a Patre didicit, est fructus orationis, est virtus caritatis & obedientiæ, est voluntas & actio subministratione Spiritus adjuta, est flagrantissima, & luminosissima caritas: Atqui (ut patet ex laudatis definitionibus) Deus operatur volitionem, & executionem boni; dilectionem; caritatem etiam inchoatam; sua-

suavitatem mandati; desiderium & perfectionem boni, quod voluntas a Patre didicit; fructum orationis, virtutum caritatis & obedientiæ, actionem & voluntatem subministratione Spiritus adjutam, flagrantissimam & luminosissimam caritatem: ergo Deus operatur ipsam voluntatis determinationem, ac proinde non gratia a voluntate, sed voluntas a gratia determinatur; gratia non est efficax dependenter a consensu voluntatis, sed potius ipse consensus existit dependenter a gratia, tamquam a caussa efficiente & determinante.

Profertur argumentum ex variis Augustini principiis petitum.

Not. S. Augustinus in suis adversus gratiæ inimicos operibus plura profert principia, ex quibus invicte sequitur, gratiam esse per se, ex natura sua, ab intrinseco, efficacem. De iis principiis nonnulla hic a nobis dicenda sunt.

S. Doctor asserit 1. gratiam esse efficacem: *Si enim* (inquit in lib. de prædest. Sanct. cap. 8.) *omnis qui audivit a Patre, & didicit, & venit; profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam si audivisset & didicisset, veniret.*

Asserit 2. gratiam esse præviam, non pedissequam: contendit enim, eam suum effectum habere, non quia volumus, sed e contra nos velle, quia operatur ut velimus: *Quæstio* (inquit in epistola ad Vitalem) *quæ inter nos agitur, est utrum hæc gratia*, quoad effectum, *præcedat, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut plenius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat, ut velimus*. Unde lib. 1. ad Simplicianum q. 2. gratia dicitur, *vocatio ita effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur.*

Asserit 3. certum & infallibilem esse effectum ad quem movet & excitat voluntatem. *Subventum est igitur* (inquit lib. de corrept. & grat. c. 12.) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur ... infirmis servavit Deus, ut ipso donante, invictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.*

Asserit 4. gratiam facere, ut faciamus. *Certum est* (inquit in libro de gratia & libero arbit. c. 21.) *nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis. Cum dicit: Faciam, ut faciatis, quid aliud dixit, nisi, auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis, & dabo cor carneum, unde faciatis?* Addit, ab omnipotente Deo hominem miris modis trahi: *Trahitur ergo* (lib. 1. ad Bonifacium cap. 19.) *miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Asserit 5. divinæ gratiæ efficaciam oriri ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod ipse Deus habet in voluntates hominum, sicut in cetera omnia quæ sub cælo sunt: *Sine dubio* (inquit August. lib. de corrept. & gratia, c. 14.) *habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

Ex iis autem principiis duplex argumentum conficitur. Si revera (quod negant adversarii) persuasum fuisset Augustino, gratiam esse per se, ex natura sua, ab intrinseco efficacem, aliis terminis uti non potuisset, quam iis quibus usus est. Asseruit enim, gratiam esse efficacem; certo & infallibiliter consequi effectum, ad quem movet; facere eam, & quidem præbendo vires efficacissimas, ut faciamus; operari eam intus in cordibus hominum; vim suam haurire ab omnipotentissima Dei voluntate.

E contra si Augustinus non censuisset, gratiam esse efficacem ab intrinseco, iis quibus usus est terminis, saltem sine addita aliqua explicatione uti non potuisset. Nempe gratia non foret, saltem quoad usum, prævia, sed pedissequa voluntatis: eam enim ex se (ut volunt adversarii) indifferentem ad usum, aut non usum, voluntas ad usum determinaret. Effectus ad quem movet, consensus nimirum voluntatis, non semper contingeret, & revera non contingere semper fatetur laxior Ludovici Molinæ sententia: & licet verbo tenus id negent Congruistæ, reipsa tamen affirmant: quæ enim moraliter tantum movent, suadendo nimirum & excitando per objecti propositionem, nonnunquam effectum habent, nonnumquam etiam eo frustrantur. Gratia intus in humano corde non operaretur: nempe moralis motio se tenet ex parte objecti, non autem ex parte subjecti quod movetur, seu proponit objectum, sed physice non omnipotentissima Dei voluntate; neque enim infinita potestate, sed sapientia tantum opus est ad movendam moraliter voluntatem: siquidem motio moralis nihil aliud est, quam propositio objecti iis dotibus vestiti, quæ voluntatem ad objecti propositi amorem allicere possunt.

Tanti momenti pro caussa gratiæ per se efficacis visum est illud argumentum in Congregationibus de *Auxiliis*, ut qui illi advertantur, negandum duxerint, efficaciam gratiæ peti debere ex omnipotentissima Dei voluntate; contra quod tamen expresse docuerat Augustinus, ut in prima Congregatione sub Paulo V. habita die 20. Septembris anni 1605. demonstravit Thomas de Lemos, qui

in iis

in iis Congregationibus cauſſam egit Dominicanorum, protulitque præter textus a nobis ex Auguſtino laudatos, alium in quo idem Sanctus Doctor aſſerit, quod *Paulus cum efficaciſſima voluntate converteretur, gratia Dei erat ſola*; hoc eſt, præveniens, & efficiens Pauli conſenſum, ſeu ad illum determinans. Innumeri ſunt alii apud Auguſtinum textus, quibus illud Thomæ de Lemos reſponſum confirmari poteſt: quoties enim S. Doctor de virtute gratiæ differit, ſemper eam repetit, non ex voluntatis conſenſu gratiam determinantis, ſed ex omnipotentiſſima Dei voluntate. Vide pag. 179. & ſeq.

Profertur argumentum petitum ex diviſione adjutorii in adjutorium ſine quo, *& adjutorium* quo.

Sanctus Auguſtinus in libro de correptione & gratia duplex adjutorium diſtinxit, adjutorium ſine quo, & adjutorium quo. *Item* (inquit cap. 12.) *ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt: Aliud eſt adjutorium* ſine quo *aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium* quo *aliquid fit*. Primam adjutorii ſpeciem cum alimentis comparat: *Nos ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat qui mori voluerit: ergo adjutorium alimentorum eſt adjutorium ſine quo non fit, non quo fit, ut vivamus*. Alteram adjutorii ſpeciem comparat cum beatitudine, hoc eſt, cum clara & intuitiva Dei viſione: *At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus: adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur: Quapropter hoc adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit. Quia ſi data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta vero non conſequenter faciunt, ut homo vivat, ſed tamen ſine illis non poteſt vivere.*

Idem Sanctus Doctor eodem in capite aſſerit, adjutorium ſine quo, non autem adjutorium quo, datum fuiſſe Adamo innocenti. *Primo itaque hominis* (inquit) *qui in eo bono factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non* quo *fieret, ut perſeveraret, ſed* ſine quo *per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.*

E contra idem Auguſtinus aſſerit, nunc in ſtatu naturæ lapſæ dari ſanctis adjutorium, quo in bono perſeverent: *Nunc vero ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perſeverantiæ donatur: ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolum, ut ſine illo dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.*

Ratio quæ movit Auguſtinum ad diſtinguendum duplex illud adjutorium *ſine quo*, *& quo*, petitur ex diverſo ſtatu, in quo olim innocens homo, & nunc lapſus reperitur. Innocenti, cum ſanus eſſet, & concupiſcentiæ expers, ad bonum operandum ſatis erat auxilium ſine quo: *Ut ergo* (ait Sanctus Doctor) *non acciperet hoc donum Dei, id eſt, in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare, vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut digne tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium*. E contra homini lapſo, cum æger ſit, debeatque contra intrinſecam ſibi concupiſcentiam pugnare, ad agendum bonum, ſive ſit juſtus, ſive impius, opus eſt adjutorio quo, ſeu adjutorio quo bona voluntas ipſi conferatur: *Nunc vero poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.*

In quo autem poſita ſint illa majora dona, hiſce verbis, ſtatim exponit: *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei* ſine quo *perſeverare non poſſent; manerent ſi vellent, nec Deus in eo operaretur, ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent; quia deficienter infirmitate nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

Ex iis Auguſtini textibus ſic argumentum conficitur. Auxilium *quo* eſt per ſe & ab intrinſeco efficax; ſiquidem (ut ex Auguſtino patet) ſe habet reſpectu hominis viatoris, ſicut beatitudo, ſeu viſio beatifica reſpectu hominis comprehenſoris; beatitudo enim, ſeu viſio beatifica, eſt per ſe & ab intrinſeco efficax ad efficiendum, ut homo comprehenſor ſit beatus: *At vero beatitudo* (inquit) *quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur*. Atqui auxilium *quo*, eſt gratia qua homini in ſtatu naturæ lapſæ opus eſt ad agendum: ergo gratia in ſtatu naturæ lapſæ ad agendum neceſſaria eſt per ſe & ab intrinſeco efficax.

Reſpondent ii qui contendunt, gratiam ex ſolo eventu eſſe efficacem; auxilium *quo*, cujus Auguſtinus meminit, eſſe gratiam cui voluntas conſenſum præbet; auxilium vero *ſine quo non*, eſſe gratiam cui eadem volun-

tas

non vult præbere consensum : hincque patet (inquiunt) duplex illud adjutorium non distingui, nisi ab extrinseco, hoc est, dependenter a consensu aut dissensu voluntatis creatæ.

Sed vana est illa responsio. Nam 1. non cohæret cum beatitudinis agendi modo, cui S. Augustinus comparat auxilium QUO : nempe is est beatitudinis agendi modus, ut per se, & ab intrinseco suum effectum producat, id est, per se, aut tamquam caussa efficiens, aut tamquam caussa formalis, beatum efficiat subjectum, in quo recipitur : *At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus*. 2. Auxilium QUO, non esset potentius auxilio *sine quo* : quod repugnat Augustino : *Hæc est* (inquit in lib. de correptione & gratia, loquens de adjutorio *sine quo*) *quæ data est primo Adam : sed hæc potentior est in secundo* : quo autem sensu sit potentior, statim hisce verbis tradit : *Prima est enim qua fit, ut habeat homo justitiam si velit : secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat*. 3. Si vera sit, auxilii QUO, adversariorum explicatio, homo lapsus nullam respectu boni agendi ægritudinem per peccatum contraxisset : eodem enim auxilio, quo Adamus innocens, posset bonum operari, illudque revera operaretur; nam sanitas Adami in eo præ ceteris posita erat, quod gratia versatili adjutus, se se ad bonum, aut malum pro libito determinare posset : *Arbitrium* (ait Augustinus lib. de corrept. & gratia, c. 11.) *tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & male*.

Respondent ad idem nostrum argumentum ii qui *Congruistæ* dicuntur, auxilium *sine quo*, esse gratiam iis in circumstantiis datam, in quibus Deus per scientiam Mediam prævidit, voluntatem humanam ei consensum suum præbituram non esse; e contra auxilium *Quo*, esse eamdem gratiam, sed attemperatam genio & affectibus naturalibus humanæ voluntatis, ita ut Deus eam in iis circumstantiis concedat, in quibus habito respectu ad præsentem voluntatis affectum, prævidet per scientiam Mediam, quod voluntas eam acceptatura sit.

Verum quam falsa sit illa responsio, pluribus momentis demonstrari potest. Nam 1. Gratia, quæ ad perseverandum Angelis concessa est, data fuit in iis circumstantiis, in quibus Deus per scientiam conditionatam, præviderat eos illi suum præbituros esse consensum, cum revera illum ei præbuerint, juxta illud Augustini in libro de correptione & gratia, cap. 11. *Sed quia, Adamus, noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset : sicut fecerunt Angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium, adjutum auxilio sine quo, steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt ; tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros*.

2. Adamus ipse, adhuc innocens, plures fidei, spei, & caritatis actus ante peccatum elicuit; & tamen auxilium *Sine quo*, per quod eos elicuerat, nusquam ab Augustino vocatum est auxilium *Quo* : immo Sanctus Doctor ubique contendit, illum non aliud auxilium habuisse, quam auxilium *sine quo* : *Primo itaque homini* (inquit libro de correptione & gratia, cap. 12.) *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset* : ergo auxilium *Quo*, non est illud, quod prævisum est per scientiam mediam habiturum, in iis circumstantiis, in quibus datum est, suum effectum per humanæ voluntatis acceptationem.

3. Adjutorium *Sine quo*, nusquam transit in adjutorium *Quo*, etiamsi voluntas eo utatur : sic alimenta quibus homo utitur, ut vivat, dici non possunt adjutorium *Quo*, sed tantum adjutorium *Sine quo* ; scilicet illorum adjutorium discrimen non petitur ab effectu, sed ex diverso operandi modo : *Hæc autem* (inquit S. Doctor) *tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur, ut velit*.

4. Adjutorium *quo*, ideo nunc datur, quod infirmitati voluntatis humanæ, per auxilium medicinale, subveniendum fuerit : *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ* (inquit idem Sanctus Doctor libro de correptione & gratia, cap. 12.) *ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur* : Sed si auxilium *Quo*, sit (ut supponit Congruistarum responsio) quoad substantiam, & quoad operandi modum, qui illi per se & ab intrinseco convenit, idem cum auxilio *Sine quo*, in eoque discrepet tantum, quod sit attemperatum affectibus naturalibus voluntatis, per illud non subvenitur infirmitati voluntatis humanæ; sed e contra voluntas relinquitur infirma, sicut baculus quo quis ad ambulandum utitur, non medetur ægroti debilitati, qui sine eo ambulare non potest, sed debilitatem ipsam in eo statu in quo erat, plane relinquit. Tandem adversus Congruistarum responsionem pugnant argumenta omnia, quæ paullo ante contra primam responsionem prolata sunt.

Respondent 3. nonnulli ad idem argumentum, auxilium *Sine quo*, esse unum tantum & alterum auxilium, quo voluntas utitur, aut non utitur pro libito; auxilium vero *Quo*, esse multitudinem auxiliorum quæ id tandem operantur, quod auxilia seorsim sumpta non ope-

operata fuerant, sive respectu conversionis, sive respectu perseverantiæ usque in finem.

Sed admitti non potest illa responsio. Nam 1. incidit in Ludovici Molinæ, & in Congruistarum sententiam, licet ab auxiliis hujusmodi excludat scientiam Mediam, per quam a Dei voluntate dirigantur; ac proinde adversus eam pugnant argumenta omnia, quibus Molinæ & Congruistarum doctrinam confutavimus. 2. Vel illa auxilia multiplicata non prædeterminant physice voluntatem ad consensum, vel prædeterminant: Si primum, reducuntur ad auxilium, *Sine quo*, ac proinde, ex Augustini principiis, satis non sunt, ut impii conversionem, aut justi perseverantiam in statu naturæ lapsæ actu operentur. Si secundum, sunt ipsummet auxilium *Quo*, per quod ad conversionem, & ad perseverantiam voluntas physice determinatur. 3. Fucum facit illud de multiplicatione auxiliorum systema: siquidem licet multiplicatis auxiliis Deus & impii conversionem & justi perseverantiam operari soleat, ac unumquodque eorum disponat, aut ad conversionem, aut ad perseverantiam; non tamen aut conversionem, aut perseverantiam operatur sine eo speciali auxilio, quod ab Augustino vocatum est auxilium *Quo*, per quod & ipsum velle, & ipsum operari efficiantur. 4. Modus agendi auxilii *Quo*, petitur (ut superius dictum est) ab omnipotentissima Dei voluntate: at id falsum esset, si vera foret tertia illa adversariorum responsio: scilicet e contra effectus qui ex multiplicatis illis auxiliis petitur, in ipsam voluntatis humanæ determinationem, physice in instanti naturæ pratium, refunderetur: sic quemadmodum is qui importunis & repetitis suasionibus efficeret, ut quis quidpiam ageret, non ob id diceretur omnipotens: nec opus hominis illius in suadentis potentiam refunderetur.

Solvitur argumentum petitum ex læsione libertatis.

Objicies 1. Gratia efficax ab intrinseco tollit libertatem, nempe tollit indifferentiam ad agendum libertati essentialem, aut saltem ad merendum, aut demerendum, in statu naturæ lapsæ omnino requisitam: ergo gratia non est efficax ab intrinseco.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Tollit indifferentiam suspensivam, quæ quidem dicit privationem actus, conc. ant. Tollit indifferentiam activam, quæ sola est essentialis libertati, aut saltem ad merendum, aut demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur, quæque ex parte voluntatis dicit positionem actus cum potentia ad non ponendum, neg. ant. Quod autem activa illa indifferentia per gratiam ab intrinseco efficacem non lædatur, facile potest ostendi.

1. Gratia quantumcumque supponatur efficax, non tollit indifferentiam objectivam, seu, gratia non impedit, quin intellectus in objectis quæ cupiditatem fovent ac nutriunt, boni speciem apprehendat; proindeque nec impedit, quin voluntas objecta illa prosequi possit; id enim omne voluntas amare & prosequi potest, quod intellectus sub aliqua boni specie repræsentat.

Hincque concluditur, quod cum in omissione actus pietatis, ad quem gratia efficax voluntatem prædeterminat, intellectus apprehendat speciem boni quod cupiditati favet, voluntas possit, etiam dum ex gratiæ motu operatur, amare & eligere omissionem illam.

Concluditur iterum, quod cum idem intellectus apprehendat speciem boni non tantum in omissione actus, ad quem gratia movet, sed etiam in actu contrario, voluntas in via non solum est indifferens indifferentia contradictionis, sed etiam indifferentia contrarietatis, v. g. indifferens est ad amandum aut proximum, aut ad illum odio habendum. Hæc tamen indifferentia contrarietatis (quam & indifferentiam specificationis vocant, quod versetur circa objecta specie diversa) non est essentialis libertati, nisi servato, & non prætermisso ordine finis: scilicet (ut suo loco dicetur) libertas arbitrii a S. Thoma 1. p. q. 62. art. 8. recte definitur: *Vis electiva mediorum, servato, non prætermisso ordine finis*; hoc est, essentia libertatis posita est in potentia eligendi actus specie diversos, qui ad ultimum finem comparandum conferunt: electio vero mediorum, quæ ad alium finem conferunt, quamvis reperiatur in viatoribus (utpote nondum per amorem beatificum conjunctis cum Deo, ultimo creaturæ rationalis fine) est ejusdem libertatis imperfectio; dicit enim potentiam avertendi se a fine ultimo, hoc est, dicit potentiam peccandi, quæ haud dubie (ut demonstravit olim Augustinus contra Pelagianos) summa est hominis viatoris imperfectio.

Instabis 1. Potentia non agendi, quæ ex Thomistis remanet cum gratia efficaci, fictitia est omnino; neque enim aliquando reducetur ad actum secundum; cum gratia efficax nusquam frustretur effectu, ad quem movet & excitat voluntatem: ergo, &c.

Resp. 1. illud argumentum non minus contra Congruistas pugnare, quam contra Thomistas; nimirum apud eos axioma certum est, gratiam incongruam nusquam effectum consequi, ad quem voluntatem excitat & movet.

Resp. 2. negando eam potentiam, veram ac realem non esse, & quæ nusquam ad actum secundum reducetur; alioquin enim dicendum esset, in beatis, cum adhuc viatores essent, non fuisse potentiam perseverandi, nimirum ea potentia nec redacta est ad actum secundum, nec aliquando reducetur.

Instabis. 2. Non est possibile, quod voluntas adjuta auxilio efficaci non agat: ergo cum ea non stat facultas ad non agendum. Probatur ant. Illud non est possibile, quo posito, sequitur impossibile: Sed posito, quod voluntas adjuta auxilio efficaci non agat, aliquod impossibile sequitur; nempe, gratiam ex natura sua efficacem, suo effectu carere: ergo, &c.

Resp. dist. min. Sequitur impossibile *in sensu composito*, conc. min. quia actus & non actus simul ponerentur, cum motio efficax infallibiliter ipsum actum importet: Sequitur *in sensu diviso*, neg. min. quia sensus divisus, est conjunctio potentiæ ad non ponendum actum cum ipsius actus reali positione: quæ quidem duo non sunt incompossibilia, ut patet in homine qui libere sedet; siquidem cum actuali illius sessione maxime componitur facultas ad non sedendum, quamvis sessio & non sessio simul & semel stare non possint. Vide idem de libertate argumentum fuse pertractatum, tum Tom. 2. ubi egimus de Christi libertate, tum Tom. 4. ubi libertatis naturam explicuimus.

Objicies 2. Sententia de gratia per se efficaci videtur esse ipsummet Lutheranorum, ac Calvinistarum dogma, quod in Concilio Tridentino proscriptum est: unde plures ex Lutheranis & Calvinistis, in editis hac ætate libris palam profitentur, se nihil aliud sentire de modo quo gratia in hominum cordibus agit, quam quod Thomistæ in suis scholis prædicant.

Resp. dogma quod in Concilio Tridentino damnatum est, in duobus positum esse; 1. quod liberum arbitrium motum & excitatum, nihil Deo moventi ac excitanti cooperetur, sed *mere* passive, sicut inanime quoddam, se se habeat: 2. quod idem liberum arbitrium gratiæ, quanquam velit, dissentire non possit. Duo illa discipuli S. Augustini & S. Thomæ cum Concilio Tridentino proscribunt. Contendunt enim 1. voluntatem Deo moventi cooperari, cum, ex ipsis, suum consensum divinæ motioni præbeat, quanquam ad illam cooperationem a gratia prædeterminetur. Contendunt 2. voluntatem revera dissentire posse; quippe quæ, etiam dum actu movetur, possit non agere, immo & peccare, ut superius dictum est.

Ad Lutheranos vero & Calvinistas recentiores, de quibus mentio fit in argumento, si qui sint, dicendum est, eos mereri laudem, quod a Luthero, Calvino, ceterisque suis Patriarchis hoc in capite discesserint; faxit Deus, ut reliqua eorum impia dogmata anathematizent ex animo, ac in Matris Ecclesiæ sinum tandem aliquando redeant.

Objicies 3. Difficile est intellectu, quomodo gratia, quæ physice voluntatem ad bonum prædeterminat, nullo modo lædat illius libertatem. Præmotio enim illa invehit necessitatem antecedentem. E contra in systemate, sive Ludovici Molinæ, sive Congruistarum, facile concipitur qua ratione operatio gratiæ cum voluntatis libertate componatur.

Resp. 1. illud argumentum retorqueri posse in adversarios. Scilicet (ut superius iis in locis ostendimus, ubi confutavimus sententiam, quæ gratiam facit pedissequam voluntatis) Augustinus expresse asseruit, difficillimum esse conceptu, quomodo supposita Ecclesiæ Catholicæ sententia quam ipse propugnat, liberum arbitrium cum divina operatione gratiæ cohæreat: hinceque evidenter sequitur, adversariorum sententiam, in qua nodus ille nullum facessit negotium, non esse sententiam Augustini, ac proinde nec doctrinam quam sequitur, ac defendit Ecclesia.

Confirmatur illa responsio. Eum gratiæ operandi modum Augustinus, & Ecclesia docuerunt, ex quo Pelagiani, & Semipelagiani putarunt sequi libertatis excidium; induci ineluctabile Manichæorum fatum; meritum quodlibet tolli ab operibus pietatis: atqui gratiæ operandi modus, ex quo Pelagiani, & Semipelagiani censuerunt consequi tot ac tanta absurda, non alius esse potuit, quam illius operandi modus prævius, ac physice determinativus voluntatis: neque enim venire potuit in mentem acutissimorum, & doctissimorum hominum (ut erant plerique ex Pelagianis, & Semipelagianis) illum gratiæ operandi modum, qui ex se indifferens est, quique ab ipsiusmet voluntatis prævio consensu pendet, tollere libertatem, & inducere fatum: In cujus enim, vel hominis maxime plumbei, mentem venit unquam, lucem qua ad evidendum indigemus, & cujus usus ex libero arbitrio pendet, tollere libertatem, & fatum inducere?

Nec audiendi sunt, qui, ut vim illius argumenti eludant, respondent, Pelagianos in Augustino impugnasse gratiam per se efficacem, sed per errorem facti, quod nimirum censerent, S. Doctorem eam revera propugnasse, licet tamen eam a parte rei minime propugnasset. Non sunt (inquam) audiendi: Nam 1. Augustinus Pelagianorum, ac Semipelagianorum objectiones postea solvens, nunquam conquestus est, quod sibi ab hæreticis illis eo in capite impositum fuisset: de quo tamen, si vera sit adversariorum responsio, conqueri debuisset, ut Pelagianorum, ac Semipelagianorum scandalo occurreret. 2. Nusquam vir doctissimus solvens petitum ex læsione libertatis argumentum, respondit, quod tamen Congruistæ respondent, quodque veniret in mentem vel candidati Theologiæ, qui censeret gratiam non esse natura sua efficacem: nusquam (inquam) respondit, gratiæ operationem præsupponere prævium voluntatis consensum; usum aut non usum gra-

tiæ prævenientis pendere ex libera voluntatis determinatione; quo quidem verbulo, qua brevi sententia occurrisset adversariorum scandalo, aut saltem eorum ora ad Ecclesiæ ædificationem occlusisset. E contra S. Doctor, ut argumentum illud solveret, confugit ad Dei omnipotentiam, hoc est, asseruit, Deum cum sit omnipotens & maxime sapiens, posse id quod nos non concipimus, operationem nimirum gratiæ cum libero hominis arbitrio coniungere: *Numquid homines Dei, qui hoc scripserunt, immo ipse Spiritus Dei, quo auctore per eos ea conscripta sunt* (inquit Augustinus lib. I. ad Bonifacium c. 20.), *oppugnavit liberum hominis arbitrium? Sed omnipotentiæ in omnibus, & judicium justissimum, & auxilium Dei misericordissimum commendavit.*

ARTICULUS II.

Utrum orationis gratia non minus per se sit efficax, quam gratia ad alios actus requisita.

Not. Elapso proxime sæculo, hoc est, circa annum 1650. nonnulli reperti sunt qui docuerunt quidem gratiam ad omnes, ac singulos pietatis actus requisitam, esse per se & ab intrinseco efficacem; sed contenderunt, inter eos actus nec initium fidei, nec medici spiritualis invocationem, seu orationem, recenseri debere; E contra asseruerunt, ad initium fidei, & ad orationem satis esse gratiam versatilem; hancque voluerunt omnibus omnino hominibus Dei liberalitate concedi, ita ut, si desit, non imputentur peccata, quibus divina lex infringitur.

CONCL. Gratia orationis, sive sit parum fervens, & intensa, sive ferventior sit, & magis intensa, non minus per se, & ab intrinseco est efficax, quam gratia quæ ad alios pietatis actus requiritur.

Probatur. Ex sententia quæ docet, gratiam orationis non esse per se, & ab intrinseco efficacem, sequuntur absurda omnia, quæ sequuntur ex doctrina, sive Ludovici Molinæ, sive Congruistarum. Nam 1. ex duobus hominibus quibus præsens sit versatilis gratia orationis, quorum unus oret, alius vero non oret, ille qui orabit, se se a non orante discernet, contra illud Apostoli: *Quis te discernit?* 2. Oratio illa parum fervens non erit Dei miserentis, sed hominis currentis, contra illud ejusdem Apostoli: *Non volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis.* 3. In homine qui orat, ipsum velle orare Deus non operabitur, contra illud ejusdem Apostoli: *Deus est, qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate.* 4. Inscrutabilia non erunt Dei judicia, quod uni det gratiam ad actus perfectos requisitam, alii vero eam neget: nempe manifestum erit, dari eam ei qui se se cum auxilio versatili ad orandum determinaverit. 5. Non satis recedere videtur illa doctrina a Semipelagianorum sententia, quam & ipse Augustinus ante suum Episcopatum se defendisse profitetur, ut superius p. 183. & *seq.* a nobis ostensum est.

Probatur iterum conclusio ex Augustino, qui in Epistola ad Sixtum asserit 1. quod *etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur*; idque probat ex his verbis Apostoli ad Rom. 8. *Quid enim oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quæ quidem verba de gratia efficaci S. Doctor interpretatur: *Ita dictum est, interpellat; quia interpellare nos facit . . . . . . Adjutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus, facit.* In quam S. Patris sententiam observare est, non distinguere eum inter ferventem & non ferventem orationem, sed de omni oratione loquens asserit, Spiritum Sanctum facere, ut interpellemus. In eadem Epistola docet hominem liberari *non solum remissione peccatorum, sed prius inspiratione fidei & timoris Dei, impertito salubriter orationis affectu & effectu*: non minus igitur orationis effectum, quam cetera pietatis opera, Deus nobis per suam gratiam impertit: ergo, cum Alphonsus Lemoyne fateatur, ad alia pietatis opera requiri gratiam per se efficacem, admittere quoque debet ad orationem, sive fervens necne fuerit, ejusdem gratiæ efficacis necessitatem.

Ea argumenta doctissime explicuit Eminentissimus Cardinalis DE NOAILLES, in suo Pastorali Mandato anni 1696. Sic enim loquitur acerrimus ille Augustinianæ doctrinæ, ac proinde Ecclesiæ Catholicæ, vindex: *Qua efficacia* (inquit doctissimus Archipræsul) *Deus bona opera in nobis operatur, eadem nos ad preces inducit & movet. Hæc nimirum Apostoli verba ad Rom. 8.* Spiritus postulat pro nobis, *ita interpretantur Patres, ut ille nos faciat orare*, impertito (*ut ait Augustinus in Epistola ad Sixtum* (orationis affectu & effectu. *Quæ cum sancta Ecclesia optime norit, ut quæ sibi necessaria sunt, impetret, orat ut Deus postulare faciat, quæ placita sunt ei. Eadem ergo vi, eadem efficacia Deus in nobis operatur orationem, qua operatur velle & perficere.*

Objicies. Præter adjutorium *Quo*, adjutorium *Sine quo* locum habet etiam in statu naturæ lapsæ, juxta illud Augustini libro de corrept. & gratia c. 11. *Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset . . . . . non utique sua culpa cecidissent . . . . . Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam*

datur: ergo licet adjutorium *Sine quo*, in statu naturæ lapsæ voluntati satis non sit, ut operetur perfectos pietatis actus, satis est tamen, ut operetur actus imperfectos, ut est oratio parum fervens; alioquin illud adjutorium esset in hoc statu omnino inutile.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Nec tamen inde sequitur, quod in hoc statu illud adjutorium sit inutile; elevat enim subjectum, cui confertur, ad statum supernaturalem, & dum excitat voluntatem, dat posse in sensu Thomistico, hoc est, dat posse, quod ad actum, etiam maxime imperfectum, non reducitur, nisi Deus alio auxilio voluntatem physice determinet ad primum illum & imperfectum bonæ voluntatis actum, juxta illud Apostoli, *Operatur velle*: cum e contra idem auxilium in statu naturæ innocentis ab ipsa voluntate, tum ad perfectum, tum ad imperfectum boni desiderium determinaretur.

ARTICULUS III.

De natura physica gratiæ efficacis.

CONCL. NAtura physica gratiæ efficacis non in alio posita est, quam in victrici delectatione, qua mens circa bonum afficitur.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ suavi illi delectationi spiritualem animæ fecunditatem adscribit: *Dominus* (inquit propheta Rex Psal. 84.) *dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Eam enim vocem, *benignitatem*, Augustinus in enarratione ejusdem Psalmi vertit, *suavitatem*. Apostolus ejusdem gratiæ vim ad eamdem delectationem, tanquam ad caussam, refert rectam animi dispositionem; *Condelector* (inquit ad Rom. 7.) *legi Dei secundum interiorem hominem*: in quam Apostoli sententiam sic loquitur Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupis. cap. 3. *Illa delectatio legi Dei secundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei*.

Probatur 2. ex Augustino, qui omnes ad unum pietatis actus cælesti illi delectationi tribuit. 1. De primo desiderio boni hæc habet lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *Tunc bonum concupisci incipit, cum delectare incipit, in qua dulcedinis gratia si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis*. 2. De fide hæc habet in lib. de spiritu & litt. c. 3. *Quando veritas cœperit non latere, nisi etiam delectet, non suscipitur*. 3. Hæc etiam de actu caritatis in lib. de spiritu & lit. c. 3. *Necesse est ad bene vivendum, ut homo accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius atque incommutabilis boni*. Tandem de victoria tentationum hæc ait in Psal. 85. *Si nulla jucunditas, deficimus*.

Probatur 3. ratione. Homo in hoc natura lapsæ statu non agit, nisi delectatione tractus, juxta illud Augustini in Epistolam ad Galatas: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Præterea delectatio non tantum dat velle, & operari, sed etiam in unoquoque perseverantiam: *Nec ideo* (ait Augustinus) *liberum arbitrium, beati, non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt: magis quippe erit liberum a delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem*.

ARTICULUS IV.

Utrum Gratia efficax creaturæ innocenti necessaria fuerit.

Not. NON pauci Thomistæ affirmativam sententiam defendunt, rati, sine auxilio determinante ab intrinseco, non posse salvari subordinationem creaturæ ad Deum: negativam vero propugnant alii Theologi, contendentes, efficaciam gratiæ esse necessariam tantum ratione infirmitatis, in quam homo per peccatum incidit.

CONCL. Gratia ab intrinseco efficax creaturæ innocenti necessaria non fuit.

Probatur 1. ex Augustino, qui libro de corrept. & gratia cap. 11. & 12. affirmat, Adamo innocenti & Angelis datum fuisse auxilium, non *quo* perseverarent, sed *sine quo* perseverare non possent: Atqui auxilium *sine quo*, non est efficax ab intrinseco; se etenim habet, ex Augustino, respectu voluntatis, sicut alimenta respectu vitæ, sicut lex respectu visionis, sicut navis respectu fluminis trajiciendi: quæ quidem omnia haud dubie non determinant aut ad vivendum, aut ad videndum, aut ad trajiciendum flumen; sed actui secundo inserviunt ex sola voluntatis determinatione, quæ illis pro libito utitur, aut illa rejicit.

Nec valet effugium Estii contendentis, auxilium *Quo* datum quidem non fuisse Adamo innocenti, quantum ad secundarium ejus effectum, seu sanitatem infirmitatis, quam per peccatum contraxit; at datum fuisse quantum ad primarium, determinationem nempe voluntatis ad operandum bonum supernaturale. Non valet (inquam) 1. quia determinatio voluntatis ad bonum, ipsamet est ejus sanitas; per eam enim determinationem efficitur, ut amet bonum, & nonnunquam ita amet, ut ipsum cuilibet rei creatæ præferat. 2. Augustinus opponit adjutorium *Quo* alteri quod vocat *Sine quo*, quod istud effectum non inferat, ut patet ex rebus, cum quibus ipsum confert, illud vero effectum impertet. 2. Sanctus Doctor asserit, gratiam statui innocentiæ propria datum fuisse posse agere; gratia e contra quæ homini lapso conceditur, dari ipsummet agere. *Tale* (inquit lib. de corrept. & gratia, c. 11.) *erat adjutorium,*

rium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret, ut vellet. Idem clarius sic explicat: *Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam, sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, ut homo habeat justitiam, si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit.* Unde infert, Angelorum perseverantiam adscribi debere eorum voluntati, quæ bene usa est gratia versatili qua donati sunt, qua cum apostatæ uti noluerint, exciderunt ex justitia: *Cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* 3. Merita status innocentiæ fuerunt quidem Dei dona, non per naturam modo quæ gratuito datur, non ratione concursus simultanei tantum, sed etiam per gratiam, quæ intus illum regeret, accenderetque ad bonum; sed ea dona Augustinus *specialia* vocare renuit, quod nempe auxilium, per quod ea merita creatura innocens consequebatur, non esset auxilium determinativum, ac voluntati dominans: e contra vero quæ nunc piis operibus comparamus merita, S. Doctor *specialia* Dei dona nuncupat; eo quod speciali ratione, per determinationem nimirum, ea merita Deus in nobis operetur.

Probatur 2. Ejus naturæ erat auxilium Adamo innocenti, & Angelis concessum, ut si eis defuisset, sua culpa non cecidissent. *Si autem* (verba sunt Augustini lib. de corrept. & gratia cap. 11.) *hoc adjutorium Angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Atqui illud auxilium, quo si destituti fuissent Angeli, sua culpa non cecidissent, non est gratia quæ sit ex natura sua efficax; alioquin dicendum esset, nec Angelos apostatas, nec Adamum sua cecidisse culpa, cum, ex ipsis etiam adversariis, auxilium efficax eis defuerit.

Probatur 3. Angeli & primi Parentes nondum lapsi non potuerunt esse miseri, cum (ut ab ipsa ratione naturali doctus fuerat Augustinus) sub Deo justo nemo sit miser, nisi mereatur; sed si ad operandum bonum, ac perseverandum in justitia, auxilio per se efficaci indiguissent, fuissent miseri; excruciasset nimirum eos metus, ne sibi deesset gratia efficax, quam (ut experti sunt) Deus illis, nec levis peccati reis, ex adversariis, negavit.

Objicies 1. Si Angelis, qui perseverarunt, datum non fuisset auxilium efficax ad perseverandum, seipsos discrevissent ab Angelis qui ceciderunt; istis enim magis adjuti non fuissent. 2. in illo systemate orare non debuissent, nec primi parentes, nec Angeli pro sua perseverantia in bono: sed illa duo perabsurda sunt: ergo, &c.

Resp. ad primum, non esse absurdum, quod sancti Angeli præbendo consensum gratiæ, discreverint se se ab apostatis; nec enim inde gloriari potuerunt; nempe & suam gratiam, & liberum arbitrium a Deo acceperant: posset nihilominus homo lapsus gloriari, si seipsum ab alio non perseverante discerneret, ut Augustinus sæpe contra Pelagianos, & Semipelagianos agens, demonstrat. Et sane cum fundamento crederet se infirmum posse, quod sanus & integer poterat: quemadmodum ille, cujus crura essent fracta, diceretur in se velle gloriari, si ambulare præsumeret adjutus baculo, quo solo homo viribus pollens ad ambulandum indiget.

Resp. ad secundum, orationem creaturæ innocentis fuisse orationem laudis, non vero gemitus, seu tenebatur Deo referre gratias propter gratiam sanctificantem, liberum arbitrium, & auxilium actuale *sine quo*, quibus in primo suæ creationis instanti donatus fuerat: sed non erat, cur peteret perseverantiam, & pietatis praxim, quæ nos infirmi sine intermissione exposcere tenemur.

Objicies 2. Augustinus lib. 11. de Civit. Dei c. 9. asserit, Angelos sanctos magis fuisse adjutos, quam ii qui ceciderunt. Sic enim loquitur: *Aut minorem acceperunt* (mali Angeli) *amoris divini gratiam, quam illi qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi* amplius adjuti *ad eam beatitudinis plenitudinem, ante se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt*, Majus autem illud adjutorium, quo S. Angeli præ apostatis donati sunt, non aliud esse potest, quam gratia efficax; istis negata, illis vero concessa. 2. Gregorius lib. 15. Moralium c. 32. ad occulta Dei judicia refert, quod Angelorom alios a lapsu præservatos æterna beatitudine donaverit, alios vero sponte lapsos cruciatibus æternis addixerit.

Resp. ad primum, illud majus auxilium, de quo Augustinus, intelligendum esse de visione beatifica, & uberrima caritate Angelis in præmium suæ perseverantiæ statim concessis, non autem de gratia viæ. Nec obstat, quod ab eodem S. Doctore dicantur SS. Angeli per majus illud auxilium ad beatitudinis plenitudinem non pervenisse. Nam ea plenitudo est certitudo de sua in bono perpetua stabilitate, quam certitudinem ex visione beatifica & ex uberrima caritate consecuti sunt: *Erat* (inquit Augustinus lib. de corrept. & gratia c. 10.) *quid eorum* (Angelorum viatorum) *adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium ipsius permansionis acciperent; id est, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent.*

Resp. ad secundum, occulta illa judicia, de quibus Gregorius, ad auxilia data Angelis non pertinere, sed ad meritorum demeritorumve retributionem; nemo enim potest animo complecti, cur Deus Angelis pœnam æternam inflixerit propter peccatum unico momento commissum, nec eis ad resipiscendum vel breve aliquod tempus concesserit.

Objicies 3. Prædeterminatio physica, & consequenter auxilium efficax ab intrinseco, videtur fuisse necessaria in statu naturæ innocentis, ut subordinationi creaturæ ad Deum consuleretur, quæ quidem subordinatio essentialis est cuilibet enti creato.

Resp. neg. ant. salvatur enim optime subordinatio illa per vires acceptas in creatione, & jugiter a Deo conservatas, nec non per auxilium actuale, licet inefficax, innocenti creaturæ necessarium ad operandum: Ita haud dubie sensit Augustinus, cum Pelagianos, & Semipelagianos auxilii efficacis necessitatem in homine lapso negantes nunquam accusarit, quod rationem primæ causæ & primi motoris in Deo destruerent; sed tantum quod eadem sanitate hominem lapsum, qua innocentem, donarent. Explicans S. Doctor gratiæ necessitatem, nunquam confugit ad argumentum sumptum ex dependentia causæ secundæ a prima, sed tantum ad infirmitatem humanæ naturæ per peccatum lapsæ: *Subventum est igitur* (inquit lib. de corrept. & gratia, c. 12.) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Vide quæ Tom. 1. dicta sunt.

Confirmatur illa responsio ex S. Thoma. Nempe Doctor Angelicus 1. 2. q. 137. art. 4. iisdem verbis utitur, quibus usus est Augustinus loquens de gratia Adami innocentis; hoc est, asseruit, 1. Adamo innocenti datum fuisse solum adjutorium *Sine quo* 2. Denegationem gratiæ ad agendum necessariæ, 2. 2. q. 2. art. 5. reducit semper ad aliquod peccatum præcedens. 3. Docet l. 3. contra gentes, Deum ex se paratum esse hominibus gratiam ad agendum bonum requisitam concedere, nisi apponant impedimentum.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Gratia Habituali.

Not. Quæremus de gratia habituali, 1. an & quid sit; 2. quodnam sit illius subjectum; 3. quinam sint præcipui illius effectus.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quid sit Gratia Habitualis.

CONCLUSIO 1. Admittenda est gratia habitualis.

Probatur. Nomine gratiæ habitualis intelligitur forma, per quam anima fit permanenter justa & sancta: Atqui admittenda est hujusmodi forma; revera enim multi sunt justi & sancti: ergo per formam, quam illam sanctitatem & justitiam constituat.

CONCL. 2. Gratia habitualis est idem cum caritate habituali. Est contra nonnullos Thomistas, quibus placet utrumque illum habitum distinguere, ita ut ille det esse supernaturale, iste vero agere.

Probatur 1. ex Scriptura. Quidquid nonnulli Thomistæ gratiæ habituali tribuunt, sacræ paginæ idem adscribunt caritati. 1. Caritas homini tribuit esse divinum, 2. Joannis 3. Secundo per caritatem renascimur, teste enim Apostolo ad Galatas 3. renascimur per fidem, quæ per dilectionem operatur, *Omnes filii Dei estis per fidem.* 3. Caritas est animæ vita, 1. Joannis 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus.* 4. Denique Caritas nos cum Deo conjungit, 1. Joan. 7. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Probatur 2. ex Patribus, qui quidem cum de sanctificatione hominis locuti sunt, non alterius formæ quam caritatis meminerunt. Augustinus lib. de natura & gratia, cap. 12. asserit, caritatem esse verissimam, plenissimam, perfectissimam justitiam. Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. justitiam, qua Deus nos formaliter justos efficit, caritatem appellat: *Quamquam* (inquit) *nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis D. nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum Caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.*

Probatur 3. rationibus. 1. Nulla est omnino necessitas distinguendi caritatem habitualem a gratia habituali: 2. sequeretur in sententia eorum Thomistarum, quos impugnamus, esse posse gratiam habitualem in subjecto sine caritate; illa enim ab ista non pendet; illa enim esset prior in subjecto; ac proinde nequaquam, aut in suo esse, aut in sui conservatione ab ista penderet.

Objicies 1. Concilium Viennense sub Clemente V. definiit, tam parvulis quam adultis conferri informantem gratiam & virtutes. Conc. Trid. ait, justificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: ergo cum caritas sit virtus & donum, ex illis Conciliis, a gratia habituali distinguitur.

Resp. 1. illa Concilia nomine donorum non intelligere caritatem, sed alias virtutes infusas, fidem & spem.

Resp. 2. ideo laudatas Synodos utriusque meminisse, ut indefinitam relinquerent quæstionem scholasticam de distinctione gratiæ habi-

habitualis a caritate: satis quippe eis fuit id stabilire, quod damnabant hæretici, scilicet impium justificari per aliquid, quod realiter inhæreat animæ.

Objicies 2. Virtus operativa supernaturalis, cujusmodi est caritas, supponit esse supernaturale; sicut in naturalibus calor supponit esse calefactivum: Sed illud esse supernaturale aliud non est a gratia habituali. Præterea caritas & gratia diversos habent effectus formales; illa enim diligentes facit, ista vero dilectos: Ergo sunt duæ formæ realiter distinctæ.

Resp. ad primum neg. paritatem. Ratio disparitatis est, quia esse supernaturale in creatis non est esse substantiale, sicut est esse naturale; unde licet istud præsupponatur virtuti operativæ, non tamen illud. Accidentia siquidem, cujusmodi est caritas, esse supernaturale tribuunt, & simul constituunt virtutem operativam.

Resp. ad 2. caritatem, sub diversis respectibus consideratam, hominem & diligentem & dilectum efficere. Nam quatenus est qualitas inhærens, primum effectum, solum formalem, præstat; quatenus vero est principium agendi, secundum operatur.

Quæres 1. in quo posita sit natura caritatis quæ idem est cum gratia habituali.

Resp. 1. eam non esse ipsum Spiritum sanctum: 1. quia est effectus Spiritus sancti, ut probant hæc ad Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus nobis est*: 2. Caritas immediate communicatur justo, non vero Spiritus sanctus, nec ratione personæ; illa enim communicatio solius unionis hypostaticæ est propria; nec ratione substantiæ, Dei quippe substantia non incipit esse alicubi de novo, nisi per novum effectum, quem ad extra operetur.

Resp. 2. caritatem, de qua est quæstio, non esse meram ad Deum conversionem per amorem super omnia, remanentem virtualiter in anima ex actu amoris, qui præcessit. Ratio est 1. quia parvuli gratiam habitualem in baptismo recipiunt, licet nullum caritatis actum elicere potuerint. 2. Est sæpissime remissus amor Dei super omnia in pœnitentibus, quamvis non adsit gratia habitualis: non infunditur scilicet impio, nisi per actualem absolutionem, præterquam in casibus necessitatis aut intensissimæ contritionis. 3. Concilium Tridentinum asserit, justificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: quæ quidem verba non videntur posse intelligi de actu caritatis virtualiter remanente in anima hominis, qui eum elicit.

Resp. 3. fide certum esse, gratiam habitualem, proindeque caritatem, esse qualitatem spiritualem permanenter inhærentem justificato. Id enim demisisse videtur Concilium Viennense cum asserit, tam parvulis, quam adultis conferri gratiam & virtutes per Baptismum; nam illa gratia non transit, sed remanet in justificato, donec justificatus incidat in peccatum mortale: ergo est habitus. Sed tamen de fide non est eum habitum esse similem aliis, quos sic nominamus: 1. enim non videtur inclinare infantes, cum adoleverunt, in actus similes illi habitui, seu in actus caritatis. 2. Dominicus Soto observat Concilia Viennense & Tridentinum non sine caussa abstinuisse a nomine habitus, cum declararunt, inhærentem esse hominis justitiam. Addit ille Theologus l. 2. de natura & gratia cap. 18. ex sacris Litteris aut ex Traditione Ecclesiastica non constare, qualitatem illam quæ justo inhæret, esse habitum.

Quæres 2. utrum gratia habitualis sit participatio divinæ naturæ: 3. utrum in omnibus subjectis ejusdem sit speciei.

Resp. ad primum, affirmative. Ratio est, quia per gratiam habitualem homo fit Dei filius, renascitur ex Deo; quæ duo sine naturæ divinæ communicatione fieri non possunt. Non est tamen univoca illa naturæ divinæ participatio, sed analoga tantum, in quantum nempe gratia habitualis est radix omnium donorum & operationum quæ sunt in justo, cujus esse supernaturale constituit, quemadmodum natura divina secundum nostrum modum concipiendi est radix omnium divinorum attributorum, & principium omnium operationum divinarum.

Resp. ad secundum, repugnare gratias sanctificantes diversæ speciei physicæ, cum omnes sint participationes divinæ naturæ, quatenus natura est, sed non sunt ejusdem speciei moralis, cum gratiæ sanctificantes diversas habeant virtutes, & connotent auxilia specie diversa, quæ contra varia peccatorum vulnera a Deo conferuntur, ut videre est in sacramentis.

QUÆSTIO II.

De subjecto gratiæ habitualis.

Not. Thomistæ, qui gratiam habitualem a caritate distinguunt, asserunt, subjectum illius immediatum esse ipsam animæ substantiam; quippe quæ, secundum ipsos, non sit operativa; qui vero eam non distinguunt, docent, eam in voluntate recipi.

CONCL. Subjectum immediatum gratiæ habitualis est voluntas.

Probatur 1. Ad solam voluntatem pertinet actu diligere: ergo & recipere habitum dilectionis, qui idem est substantialiter cum gratia sanctificante: 2. Quæ sunt in anima, non suscipiunt magis & minus, ut videre est in intellectu & voluntate: Sed gratia habitualis suscipit magis & minus, ut patet ex eo quod justitia in omnibus justis æqualis non sit.

Objicies 1. Ipsa animæ substantia corrupta fuit per peccatum originale: ergo sanctitatem, quæ idem est cum gratia habituali, debet immediate accipere.

Resp. In tantum animam corruptam fuisse, in quantum illius potentiæ inclinatæ fuerunt ad errorem & malum, & ex ea dominante propensione ad creaturam, peccati maculam contrahit. Unde non debet immediate sanari, sed tantum mediantibus potentiis, quæ cum in ordine debito constitutæ fuerint, anima antiquæ suæ rectitudini restituitur, hoc est, immediate sub Deo, & supra creaturas constituitur. Præterea potentiæ & anima non nisi secundum nostrum concipiendi modum differunt, non vero realiter.

Objicies 2. Gratia habitualis duplicem habet effectum formalem, vitam scilicet supernaturalem tribuit, & reddit Deo gratum: Sed illi effectus per se primo in anima recipiuntur; sicut enim anima est primum, immediatum, & radicale vitæ naturalis subjectum, ita etiam & vitæ supernaturalis, quæ habetur per gratiam habitualem.

Resp. neg. min. & paritatem. Ratio est, quia anima est substantia, & sic non est immediate operativa. Substantiæ enim per naturales suas facultates operantur: Gratia vero est accidens, cui convenit immediata ratio agendi, & subjectum suum intrinsece denominandi.

Objicies 3. Anima a suis potentiis actu non distinguitur: ergo si gratia habitualis immediate recipitur in voluntate, recipitur quoque immediate in substantia animæ.

Resp. 1. a Thomistis, multisque aliis negari antecedens in philosophia.

Resp. 2. dato ant. neg. conseq. Ratio est, quia cum dicitur, gratiam habitualem non recipi immediate in anima, sensus est, illam in ea non recipi sub hac formalitate, quatenus est substantia simpliciter, sed sub hac alia, quatenus est volitiva boni.

Iis quæ hucusque dicta sunt, major lux affulgebit ex iis quæ inferius de caussa formali justificationis dicentur. Adeat Lector sessionem sextam Concilii Tridentini, ubi agitur de justificatione: consulatque Pallavicinum, ut laudata Synodi mentem assequatur.

QUÆSTIO III.

De effectibus gratiæ habitualis.

Not. DUO sunt præcipui gratiæ habitualis effectus; nempe justificatio impii, & meritum justi: de quibus in hac quæstione seorsum est agendum.

CAPUT PRIMUM.

De Justificatione impii.

Not. 1. IN justificatione tria perpendi possunt; dispositiones quæ ad eam requiruntur, essentia quæ illam constituit, proprietates quæ eam comitantur.

Not. 2. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. inter dispositiones quæ justificationi prærequiruntur, recenset fidem, spem, initium dilectionis. De sola fide hic agemus, quæremusque 1. Quodnam sit objectum fidei justificantis: 2. Utrum sola fides justificet: 3. Utrum ab aliis virtutibus separari possit.

Not. 3. Circa proprietates justificationis quæri potest, 1. Utrum sit certa: 2. An mutabilis: 3. An in omnibus æqualis.

ARTICULUS I.

De objecto fidei justificantis.

Not. CAlvinistæ duplicem distinguunt in Deo misericordiam, generalem nempe & specialem. Prioris nomine intelligunt Dei promissiones de peccatorum remissione iis omnibus indulgenda qui crediderint: per posteriorem vero intelligunt generalium promissionum ad particulare subjectum applicationem. Non illam misericordiam, sed istam, contendunt esse objectum fidei justificantis, ita ut quisque justificandus hunc actum eliciat: *Deus cuique credenti pollicitus est peccatorum remissionem: Ego credo; proindeque mihi remissa sunt peccata.*

CONCL. Objectum fidei justificantis non est specialis Dei misericordia, qua quisque certo credat, sibi propter Christum remissa esse peccata. Ita Concil. Trid. sess. 6. can. 13. contra Calvinum, qui ubi in suo Antidoto retulit illum Canonem, hæc subjungit: *Id sibi tamen*, seu quod damnat canon, *vult Paulus.*

Probatur 1. Fides, quam requirebat Christus ab iis, quibuscum agebat, erat fides justificans, seu ad justificationem disponens: sed illius fidei objectum non erat Dei misericordia specialis, sed vel omnipotentia, vel mysteria, vel miracula, eorum enim duntaxat fidem ab iis requisisse legitur, quibus peccata dimisit. 2. In Symbolo Apostolico, quod præcipua capita ad salutem necessaria continet, nullum occurrit verbum de misericordiæ specialis fide, quæ apud adversarios tanti est momenti, ut nullus adultus sine ea salutem consequi possit. 3. Incidunt Calvinistæ in hunc pessimum circulum: Ideo remissa sunt mihi peccata, quod remissa certo credam; ideo autem dimissa credo, quod reipsa dimissa sint; nam dimissio est objectum actus de quo agitur, objectum autem actus debet esse eo prius, saltem prioritate naturæ.

Objicies 1. Debet esse aliquod discrimen inter fidem Diabolicam, & Christianam: Sed illud discrimen sumi tantum potest ex eo, quod ista Dei specialem misericordiam respiciat, illa vero nequaquam, cum dæmonibus nulla salutis spes affulgeat.

Resp. illud discrimen sumi non ex parte objecti,

cti, sed ex parte modi. Christiani credunt ex humili reverentia in Deum revelantem; Diaboli vero, Christi nam religionem esse veram concludunt coacti miraculis, quæ sciunt in confirmationem illius a Christo & ejus discipulis patrata fuisse. Vide Augustinum in epistola ad Sixtum.

Objicies 2. Impius, qui justificationis gratiam expostit, debet certo credere se eam [illegible], juxta illud Marci 11. *Quidquid [illegible] petitis, credite, quia accipietis, & [illegible]*: Sed illa certitudo non nisi per fidem [illegible] divinæ specialis haberi potest: ergo, &c.

Resp. neg. maj. quia homo non potest esse certus, an, ut par est, justificationem postulet: unde dicendum est, sententiam ex Marco adductam, conditionatam esse; est enim ex suppositione quod petamus, sicut oportet.

ARTICULUS II.

Utrum sola fides justificet, & an ab aliis virtutibus separari possit.

Not. Recentiores Hæretici fatentur, nullum impium justificationem consequi, quin caritate & spe donatus sit. Contendunt nimirum, fidem misericordiæ specialis a ceteris virtutibus nusquam posse separari: verum justificationem non adscribunt duabus istis virtutibus, sed priori tantum, fidei nempe, quæ complete per se solam, ad justificationem disponat.

CONCLUSIO 1. Fides sola non justificat: Ita Concilium Tridentinum.

Probatur 1. Vox hæc *Sola*, juncta cum fide justificante nullibi in Scriptura reperitur, immo fidem non satis esse, ut quis justificetur, Jacobus expresse scribit in Epist. cath. c. 2. *Videtis* (ait) *quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.*

Probatur 2. Sequeretur, hominem prius, saltem natura, esse justum, quam Dei dilectorem: nam fides eo instanti naturæ justificat, quo inest animæ; est autem ceteris virtutibus prior in anima saltem prioritate naturæ: Sed impium esse consequens, ostendit Joannes 1. Epist. 2. *Qui non diligit, manet in morte.*

Objicies 1. Paulus ad Rom. 3. & ad Galatas 2. conceptis terminis asserit, hominem justificari per fidem sine operibus legis: ergo fides sola ad justificationem disponit.

Resp. Paulum in Epist. ad Roman. rejicere a justificatione opera moraliter bona, quibus Gentiles converti se Evangelii prædicationem promeruisse gloriabantur; in Epistola vero ad Galatas rejicit cæremonialia opera legis Mosaicæ, ad quorum observationem nonnulli pseudo-prophetæ volebant cogere Galatas sub æternæ damnationis periculo. At Apostolus illis in Epistolis non damnat eum, qui ex motu & inspiratione Spiritus Sancti, legem naturalem servaverit.

Objicies 2. Scriptura justificationem sæpius fidei tribuit, ut Matth. 3. *Fides tua te salvam fecit*: ergo sola præsupponitur justificationi.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Quando enim multæ causæ ad eamdem effectum concurrunt, Scriptura modo unius meminit, modo vero alterius, & quidem frequentius eam recenset, quæ (ut ait Concil. Triden. de fide) est respectu justitiæ radix, fundamentum, & initium: *Ex fide* (inquit Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 7.) *ideo dicit Apostolus justificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus vivitur.*

CONCLUSIO 2. Fides, quæ ad justificationem concurrit, separari potest ab aliis virtutibus. Ita Concil. Trid. sess. 6. can. 28. contra Calvinum, qui lib. 3. Inst. cap. 2. contrarium docet.

Probatur 1. ex eo quod Joan. 12. Scriptura referat, multos credidisse in Jesum, qui tamen pluris faciebant mundanum honorem, quam gloriam Dei. 2. Jacobus supponit, fidem a caritate posse separari, cum ep. cath. c. 2. hæc ait: *Quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Idem quoque innuit, cum ibidem fidem operibus destitutam comparat corpori mortuo, quod quidem verum est corpus, quamvis anima destitutum sit. 3. Impii per blasphemiæ, & adulterii peccata detrimentum caritatis patiuntur, quamvis fidem non amittant.

Objicies cum Calvino. Fides Christiana totum Christum amplectitur: ergo eum recipit cum sanctificatione & dilectione, quarum est auctor; in frustra enim discerpi non potest.

Resp. credentem recipere quidem totum Christum objective, sed non subjective; id est, Christus, qui aliquo modo per fidem recipitur, Spiritum habet sanctificationis & dilectionis in se, sed eum non tribuit illi, qui caritatis expers credit revelata.

Quæres, qua ratione fides ad justificationem disponat.

Respondent Calvinistæ, fidem ad justificationem concurrere, non quod sit opus bonum; nam in eorum systemate omnia, etiam pietatis, opera, sunt peccata mortalia; sed quod sit veluti manus quæ oblatam in Evangelio Dei misericordiam amplectitur.

CONCL. 3. Fides ad justificationem concurrit, quatenus est opus bonum, non vero ut manus, quod Dei misericordiam amplectatur.

Probatur 1. ex eo quod fidei justificantis objectum non sit Dei misericordia specialis, ut supra dictum est. Ostenditur 2. eadem veritas ex his Scripturæ locis quæ docent, impium justificari, ex fide, per fidem: illæ enim præposi-

positiones veram caussam significant. 3. Idem colligitur ex Augustino Ep. 105. ad Sixtum hæc scribente: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.*

ARTICULUS III.

De essentia justificationis.

Not. Essentia justificationis continetur in hac illius definitione, quam tradit Concilium Trid. sess. 6. cap. 4. *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum.* Difficultas non levis est circa id in quo formaliter consistit illa translatio, seu status gratiæ & adoptionis filiorum Dei.

Not. 2. Non una est hæreticorum sententia de essentia justificationis. Osiander censuit, hominem esse justum per eam justitiam, qua Deus ipse justus est. Calvino placuit, justificationem positam esse in sola remissione peccatorum. Lutherus docuit, eam nihil aliud dicere, quam Christi justitiam, quam Deus Pater, non quidem per intrinsecam communicationem, sed per externam imputationem impiis tribuit. Catholici e contra censent, intrinsecam esse ac inhærentem hominis justitiam, ita ut non solum Deus impio peccata dimittat, sed etiam interius eum renovet ac sanctificet.

CONCLUSIO. Id, quo homo est formaliter justus, non est justitia, qua Deus ipse justus est, ut placuit Osiandro; 2. nec sola remissio peccatorum, ut voluit Calvinus; nec imputatio justitiæ Christi, ut quidam Lutherani censuerunt.

Probatur prima pars ex eo, quod alioquin justificaremur formaliter per justitiam tribus personis divinis communem, sicque per tres personas redempti essemus; quod est impium.

Probatur altera pars. Remissio peccatorum non dicit aliud, quam exemptionem a pœnis, ut patet in rebus humanis; justificatio dicit præterea jus ad præmium, juxta illud Scripturæ, *Quos justificavit, hos & glorificavit.* Nec est, quod quis objiciat hæc Psalmi verba, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*: iis enim verbis non adæquate, sed inadæquate tantum, per unum scilicet effectum, justificatio describitur.

Probatur tertia pars: 1. Imputatio justitiæ Christi est actus, quo Deus nos, licet in peccato remanentes, justitia Christi tectos videt; quemadmodum Isaacus Jacob filium suum palpavit tectum Esau primogeniti vestibus. Sed hujusmodi non est caussa formalis nostræ justificationis, cum de facto Christus in Scriptura dicatur tollere peccata mundi; cum in justis vere deleantur scelera, Actorum 3. *Con[illegible], ut deleantur peccata vestra*; cum denique Patres affirment, per Sacramenta non radi crimina, quasi iterum pullulare debeant; sed reipsa omnino deleri, ac auferri. *Dicimus baptisma omnium date indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere:* Verba sunt Augustini l. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 13. Alia hujusce dogmatis argumenta protulimus in Commentario nostro historico de Sacramentis.

Nec contrarium probant, quæ objiciunt adversarii ex prima ad Corinth. [illegible] ubi legimus Christum a Deo nobis factum [illegible] sapientiam, justitiam, & redemptionem. Nam ille locus probat tantum, Christum promeritum fuisse nobis sapientiam, justitiam; unde Christus est nostra sapientia effective moraliter, non vero formaliter. Idem pariter est sensus textus capitis primi ad Ephesios, ubi Deus dicitur nos acceptos & gratos habuisse in filio suo dilecto; ex vi nempe meritorum Christi, Deus nos acceptos sibi & gratos efficit per gratiæ & donorum infusionem.

CONCLUSIO 2. Justificatio consistit in forma intrinseca, quæ animæ inhæreat.

Probatur 1. Ex Epist. ad Rom. c. 5. ubi Apostolus ait, nos per obedientiam Christi justos factos fuisse, sicut per inobedientiam Adami constituti fueramus injusti; proindeque, cum intrinsecam injustitiam per primum Adam homo contrahat, intrinsecam justitiam per secundum habeat oportet: 2. Ex iis locis, ubi idem Apostolus asserit, impium fieri justum *per* gratiam Christi; quæ quidem præpositio infusionem doni significare videtur; nam eamdem gratiam Apostolus ad Rom. 7. vocat caritatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum; & cap. 8. dicitur Spiritus adoptionis filiorum, quem accepimus. Ostenditur 3. ex omnipotenti Dei voluntate, quæ efficit in subjecto amato bonum, quod Deus in eo vult esse: vult autem Deus, ut coram ipso vere & intrinsece justi simus, juxta illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate.*

Quæres, quænam sit illa forma inhærens, qua homo formaliter est justus.

Resp. esse gratiam habitualem, de cujus natura abunde superius actum fuit.

ARTICULUS IV.

De incertitudine justificationis.

Not. Hæretici, qui asserunt, misericordiam Dei specialem esse subjectum fidei impium justificantis, per consequentiam necessariam docent, justum quemlibet esse certum certitudine fidei, se justitiam consecutam

rum fuisse , ac proinde se esse de prædestinatorum numero , cum ex ipsis , nulli , nisi prædestinati, vera unquam justitia donentur. Catholicis , ut contrarium credant , jubet Concilium Trid. sess. 6. cap. 9. ubi hæc habentur, *Quilibet dum se ipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest ; cum nullus scire valeat certitudine fidei , cui non potest subesse falsum , se gratiam Dei esse consecutum.*

CONCLUSIO . Justificatio incerta est respectu nostri.

Probatur 1. ex Scriptura . Proverb. c. 20. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum , purus sum a peccato?* Primæ ad Corinth. 4. hæc ait Paulus : *Nihil mihi conscius sum , sed non in hoc justificatus sum .* Cum ergo nemo scire valeat , an peccato lethali vacuus sit ; cum etiam, licet nulla memoriæ peccata post diligens examen occurrant, nemo sibi de justificatione blandiri possit; quilibet de sua justitia incertus sit oportet.

Probatur 2. ex eo , quod scire non possumus an totam legem in qualibet materia gravi servaverimus ; per ignorantiam enim , & per inadvertentiam multum sumus culpabiles, in graviaque crimina nonnumquam incidimus . Opera , quæ nobis recta videntur , Deus odit, quia sæpe prodeunt ex aliqua occulta concupiscentia , quæ larvata sit caritas.

Ad solvenda argumenta quæ contra catholicam illam conclusionem adversarii objiciunt, notandum est, certitudinem de præsentia Spiritus sancti , quam Paulus nonnumquam in suis Epistolis recenset, intelligi vel de certitudine morali , non vero metaphysica ; vel de præsentia per potentiam , & per miracula, non vero per sanctificationem formalem. Illa visibili præsentia utitur Apostolus 2. ad Corint. 13. ut divinæ suæ missioni auctoritatem conciliet; hortaturque Corinthios in eum finem, ut probent an fidem habeant, seu expendant potentiam, quæ in Paulo variis miraculis eluxit.

ARTICULUS V.

De mutabilitate justificationis.

Not. CAlvinistæ docent , ita constantem esse hominis justitiam, ut ex ea semel comparata justificatus nusquam excidere possit, quamvis gravissima committat scelera : Sic enim loquitur dux eorum Calvinus libro 3. Institut. cap. 2. *Solos electos semine corruptibili Deus in perpetuum regenerat , ut nunquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum .* Idem dogma probavit Dordrectana Synodus anno 1619. contra Ariminenses, sive Calvinistas Remonstrantes , coacta : canone 6. hæc habet , *Deus Spiritum sanctum etiam in tristibus lapsibus a suis non prorsus aufert , nec eo usque eos prolabi sinit , ut gratia adoptionis, & justificationis statu excidant .* Quibus quidem verbis hanc duplicem Ariminensium propositionem damnavit . 1. *Veri fideles possunt a vera fide excidere , & in istiusmodi prolabi peccata, quæ cum vera & justificance fide consistere non possunt .* 2. *Veri fideles possunt in flagitia incidere , ac mori in eorum affectu , ac proinde perire in æternum .*

Gallicana Calvinistarum Synodus Alesii coacta anno 1620. Dordrectani Conciliabuli decretis adhæsit , ejectique sunt e Synagoga qui detrectarunt subscribere.

CONCLUSIO 1. Justificatio non est immutabilis, seu inamissibilis.

Probatur conclusio 1. ex Scriptura , qua docemur multos justos in gravissima scelera incidisse , quæ exclusionem a Regno cælorum merentur : *Qui talia agunt* (inquit Apostolus) *regnum Dei non possidebunt :* per quæ etiam mors infertur animæ : *Si secundum carnem vixeritis , moriemini* , ad Romanos 8. *Si averterit se justus a justitia sua , & fecerit iniquitatem, morietur*, inquit Deus Ezech. 18.

Probatur 2. ex Patribus , & præsertim ex Augustino, quem Calvinistæ in suum dogma immerito detorquere conantur. Lib. de corrept. & gratia Monachis Adrumetinis occurrit, qui ex doctrina quam S. Doctor in Ep. ad Sixtum tradiderat , inferebant , non esse corripiendos qui cadunt , sed Deum dumtaxat pro eis esse orandum . Illam illationem cap. 6. hoc argumento Augustinus refellit : Qui peccat, aut nondum fuit in Christo regeneratus, aut e contra : Si primum, corripiendus est , quod ea inobedientia oriatur tamquam a radice, & a corruptione , quam per peccatum contraxit : Si secundum , arguendus est pariter quod sua culpa id amiserit , quod acceperat . 2. in lib. de prædestinatione SS. ut superbientem hominem deprimat , docet Dei judicia esse inscrutabilia in suæ gratiæ dispensatione : hocque probat primo ex eo, quod e duobus parvulis istum ante mortem abluat per lavacrum regenerationis , illum vero in ejus sordibus relictum perire sinat . Secundo, quod e duobus adultis unum ad Evangelium vocet, alium autem nequaquam . Tertio tandem , quod e duobus justis uni largiatur perseverantiam, quam alteri negat. Ea Augustini principia Calvinistarum systemati e diametro opponuntur . Ne autem ea testimonia de justis secundum hominum, non Dei judicium (ut ab adversariis fit) explicentur , ipse Augustinus effugium præclusit : libro enim de corrept. & gratia c. 13. hæc habet : *Credendum est , quosdam de filiis perditionis , non accepto dono perseverandi usque in finem , in fide , quæ per dilectionem operatur , incipere vivere , & aliquando fideliter & ju-*

& juste vivere, & postea cadere, neque de hac vita, priusquam eis id contingat, auferri. Cap. 14. addit, justum qui post casum moritur, facile a Deo potuisse salvari, si nempe eum antequam laberetur, e vita exire jussisset.

Probatur 3. rationibus. 1. Ex doctrina de inamissibilitate justitiæ sequitur, vel plures parvulos non justificari dum baptizantur, vel semel eo sacramento justificatos, numquam excidere ex sua justitia, quamvis postea per multos annos ita impie vivant, ut excommunicationis pœna mulctentur. 2. Justi, inferni pœnarum metu, sese ad pietatem excitare non possent; certi nimirum de sua in bono perseverantia, quemadmodum ex eo, quod certi sint de suæ animæ immortalitate, timere non possunt, ne anima moriatur: Sed hoc repugnat his Christi verbis apud Matthæum cap. 11. *Timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Objicies 1. Joannis 1. Epist. 3. hæc habentur: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Verba illa non significant justos non peccare, cum experientia contrarium doceat; sed tantum, quod peccata eis non imputentur; proindeque in quacumque prolabantur, ex justitia non excidunt, cum justitia in non imputatione peccatorum posita sit.

Resp. cum Augustino tractatu 5. in Epistolam Joannis, nomine peccati Joannem intellexisse lethale tanquam præcipuam peccati speciem: Unde allatæ sententiæ sensus est, justum, quamdiu justus est, non peccare mortaliter in sensu composito: seu Joannes docet, componi non posse peccatum lethale cum regeneratione seu dignitate filii Dei adoptivi, non autem cum persona regenerata, quemadmodum ex istis propositionibus, *Optimus civis numquam patriam prodit; Mulier casta non committit adulterium*, inferri non potest absolute, id nec civem illum, nec mulierem illam præstare posse: sed hoc unum colligitur, proditionem cum fide civis, & adulterium cum castitate conjugali, stare non posse.

Objicies 2. Augustinus de correptione & gratia c. 9. docet, eos tantum esse filios Dei, qui mansuri sunt in eo propter quod sic appellantur, seu qui in justitia usque in finem constantes sunt; *Tunc* (ait S. Doctor) *vere sunt quod appellantur* (justi nimirum) *si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem non manserint, filii Dei dicuntur a nobis, nec sunt tamen Dei, & ante non erant, etiam quando erant in professione, & nomine filiorum.* Idem docet cap. 19. de unitate Ecclesiæ, ubi asserit, donum Spiritus Sancti proprium esse iis qui cum Christo regnabunt in cælis, non autem iis qui ab illius regno excludendi sunt, licet baptismate initiati fuerint.

Resp. ad primum, Augustinum non loqui de filiis Dei secundum præsentem statum, sed futurum, nempe secundum prædestinationis decretum; ad quod quidem si justi impii comparentur, vere sunt filii Dei, quippe qui supponantur esse ex prædestinatorum numero. Econtra vero plures justi, habita ratione ejusdem decreti, coram Deo impii sunt; cum enim sint e numero reproborum, ex sua justitia ante obitum infallibiliter excident.

Resp. ad secundum, eumdem S. Doctorem, cum asserit, donum Spiritus sancti, sive caritatem, non esse propriam iis qui non sunt regnaturi cum Christo, intelligi de iis tantum, qui incidunt in scelera, quæ ubi Apostolus recensuit, hæc habet, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*; sive ii flagitiosi sint e reproborum numero, sive non sint. Ratio solutionis petitur ex scopo, quem Augustinus in libro de unitate Ecclesiæ contra Donatistas agens sibi proposuit. Duo nimirum capita probat, quæ Donatistæ negabant; Primum, in Ecclesia bonos cum malis permixtos esse; Alterum, Episcopos per peccata ex sua in fideles jurisdictione non excidere. Ex primo capite concludit, Ecclesiam non periisse, etiam apud illos qui permanserant in communione Traditorum, hoc est eorum, qui sacros Codices, sæviente persecutione, Ethnicis comburendos tradiderant. Infert ex altero, valere Sacramenta, licet a ministris impiis dispensentur. Ex illis duobus capitibus Augustinus concludit, errare Donatistas, tum quod glorientur, Ecclesiam superstitem esse tantum in Africa, & quidem in sua dumtaxat communione, post Caciliani ordinationem a Traditoribus (ut supponebant) peractam; tum quod baptismum extra suam sectam datum non admitterent. Ut autem Augustinus ea capita probaret, non erat necesse, ut loqueretur de fidelibus secundum prædestinationis statum, sed tantum secundum præsentem, in quo quidem vel rei sunt scelerum, quæ, ex Paulo, excludunt e regno cælorum, vel non sunt rei: quodcumque autem admittatur, stabit Augustini scopus, nempe 1. Ecclesiam, licet cum impiis quibusdam communicet, non perire; 2. valere sacramenta a ministris etiam impiis collata.

ARTICULUS VI.

De inæqualitate justificationis.

Not. Apud recentiores hæreticos æqualis est in omnibus justitia. Nec mirum, cum remissio peccatorum, aut justitia Christi per fidem apprehensa, aut non imputatio

tio peccatorum, quæ ex sectariis, justificationem constituunt, majus vel minus non suscipiant. Apud Catholicos vero, justi æquali sanctitate seu justitia non sunt donati: *Si quis dixerit* (inquit Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 24.) *justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera ... anathema sit.*

CONCL. Justificatio, seu, justitia, qua formaliter justi sumus, non est in omnibus justis æqualis.

Probatur 1. ex Scriptura. Apoc. ultimo hæc habentur: *Qui justus est, justificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc;* seu, quod idem est, cuique incumbit debitum suam & justitiam & sanctitatem augendi per pietatis opera. Illud justitiæ incrementum petit pro filiis S. Mater Ecclesia Dominica 13. post Pentecosten: cum sic orat: *Da nobis, Domine, fidei, spei, & caritatis augmentum.* Id Tridentini Patres loco mox relato observant.

Probatur 2. ex Patribus, quorum omnino instar sit Augustinus tractatu 6. in Joannem, ubi sic loquitur: *Ipsi spirituales sancti in Ecclesia sunt alii aliis sanctiores, alii aliis meliores.*

Probatur 3. ex doctrina superius tradita de justitia inhærente, per quam homo justificatur. Ea enim, cum forma sit quædam, perfectius aut imperfectius subjectum efficitur; nempe secundum perfectiorem vel imperfectiorem subjecti dispositionem per pietatis opera. Tandem varia erunt & inæqualia præmia, quibus Beati remunerabuntur: ergo inæqualis erit illorum justitia, cum justitia hujus vitæ sit mensura præmii, quod in altera rependetur.

Objicies Evangelii parabolam, in qua vineæ cultoribus Paterfamilias, Deus nempe, æquale pretium rependit, licet inæquali tempore laborassent: at si æquale futurum sit in cælis præmium, æqualis sit oportet in hoc sæculo omnium prædestinatorum justitia, cum gradus gloriæ in altera vita respondeat gradui gratiæ, quem quis in ista habuerit.

Resp. eos, qui breviori tempore laboraverant in vinea, ea diligentia usos fuisse, ut ceterorum, qui summo mane conducti fuerant, laborem æquaverint. Vide quæ de eo argumento diximus Tom. I. pag. 263. 264.

CAPUT II.

De merito justi.

Not. HOC in capite quæremus 1. Utrum justi aliquid per pietatis opera mereantur; 2. Quænam conditiones ad merendum requirantur: 3. Quænam cadant sub medium.

ARTICULUS I.

Utrum justi per opera pietatis mereantur.

Not. CAlvinus lib. 3. Instit. c. 15. fatetur quidem bona opera non esse justis infructuosa: sed negat, ea esse alicujus meriti. Contendit ea placere Deo, quod summo ac stricto jure non examinentur, sed acceptentur a Deo perinde ac si purissima essent. Ecclesia Catholica contrarium docet, ut in Conc. Tridentino legere est: *Si quis dixerit* (inquit sess. 6. can. 32.) *justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ & vitam æternam, &c. anathema sit.*

CONCLUSIO. Justi per opera pietatis vere ac stricte merentur.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ asserit, vitam æternam esse bonorum operum mercedem, Matth. 11. *Merces vestra copiosa est in cælis.* Merces autem cum meritis est correlativa; per hoc enim a dono pure gratuito differt. Nec valet adversariorum responsio contendentium, ideo vitam æternam vocari mercedem bonorum operum, quod sit eorum terminus: Nam Paulus 2. ad Timoth. 4. eam vocat *coronam justitiæ*, 1. ad Corint. 9. *bravium*: at voces, *Corona justitiæ*, *Bravium*, non significant merum terminum, sed veram ac proprie dictam mercedem.

Probatur 2. ex Traditione. Concilium secundum Arausicanum hæc habet c. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Hæc ante illud Concilium scripserat Augustinus Epist. 105. ad Sixtum, *Nullane sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non præcesserunt.*

Objicies 1. Scriptura videtur docere, omnia opera hominum justorum esse peccata, Is. 64. *Quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ*: Ergo, &c.

Resp. 1. ant. esse quidem verum apud Calvinum, qui lib. 3. Institutionum c. 12. hæc habet: *Omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta sunt & sordes*: Sed aliter docet Scriptura, in qua legimus, justorum pia opera Deo placere; sustinere strictum Dei judicium; certam facere vocationem nostram. Præterea peccatum quoque esset hæc justis præcepta a Christo oratio: *Dimitte nobis debita nostra*, nec non & iste actus apud adversarios justificans: *Credo per Christum mihi remissa esse peccata.*

Resp. 2. ad locum ex Isaia sumptum, S. Prophetam loqui in persona impiorum: vel nomine justitiarum enim intelligere sacrificia legalia oblata a Judæis cum voluntate actuali & determinata peccandi; unde Deum sic postea loquentem inducit: *Incensum abominatio est mihi.*

Obji-

Objicies 2. Ad meritum requiritur totius legis observatio, quæ quidem in hac vita est impossibilis, cum Jacobus asserat, omnes in multis offendere, & cum hæc duo præcepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *Non concupisces*, in hac vita servari non possint.

Resp. Jacobum loqui de peccatis venialibus, quæ non extinguunt caritatem, sed illius tantum fervorem minuunt. Ita docuerunt S. Augustinus & S. Thomas.

Resp. 2. primum Decalogi præceptum præcipere 1. ut Deum rebus omnibus creatis anteponamus; 2. ut nihil nisi in ordine ad ipsum amemus; 3. ut ad perfectum Dei amorem conemur: tria hæc maxime possibilia sunt.

Resp. 2. præceptum, *Non concupisces*, prohibere concupiscentiæ titillanti consensum, quem cum gratia ei negare possumus, quamvis titillationem ipsam non valeamus impedire.

Objicies 3. Doctrina de merito operum, opponitur & discrimini legis novæ ab antiqua, & veræ Christianæque libertati; præsupponit enim bonorum operum necessitatem ad vitam æternam consequendam, quam tamen Evangelium & libertas Christiana rejiciunt; lex quippe nova cælum proponit sine ulla conditione, præterquam fidei; & in hoc consistit libertas filiorum.

Resp. 1. Legem antiquam a nova differre in mysteriis, quæ figurate tantum adumbrabat; in promissionibus, utpote terrenis; in legibus, quæ multa ad duritiam cordis Judæis permittebant. Præterea lex vetus, sola venerat; nova vero, cum gratia simul, ita ut justitiam ipsam Christiani cum gratiæ auxilio consequantur.

Resp. 2. christianam libertatem positam esse in libertate a peccato, a jugo legis cæremonialis, a reatu legis naturalis, non quidem adimendo vim obligandi, sed vires obediendi tribuendo, juxta illud Apostoli ad Galatas 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Ex duplici illa responsione patet, nec Evangelii a lege discrimen, nec libertatem Christianam evertere promissionem vitæ æternæ sub conditione bonorum operum: Idque eo evidentius patet, quod illa bona opera Christus ipse præcepit in sermone, quem habuit in monte, tanquam media, regni cælorum adeptioni absolute prærequisita.

ARTICULUS II.

Quænam conditiones ad meritum requirantur.

CONCL. Multæ conditiones requiruntur ad meritum stricte sumptum.

Probatur enumeratione illarum conditionum. 1. Ex parte actus meritorii requiritur, ut sit liber non solum a coactione, sed etiam a necessitate; id enim definiit Innocent. X. proscribens hanc propositionem tamquam hæreticam, *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*. Debet præterea esse bonus tam ex officio, quam ex fine: alioquin esset peccatum; Malum enim ex quolibet defectu.

2. Ex parte personæ merentis, duæ requiruntur conditiones. Prima, est status gratiæ; Secunda, status viæ; *ubi enim ceciderit lignum, ibi manebit*. Hoc est, nemo, nisi viator sit, potest (sic ferente immutabili lege) aliquid apud Deum mereri.

3. Ex parte Dei requiritur promissio de rependendo operibus præmio. Ratio est, quia nihil est ex parte creaturæ, quod Deo aliquid debitum imponere valeat. *Debitorem ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo*, inquit Augustinus in Ps. 83. Ratio est 2. quia creatura Deo debet titulo creationis & titulo supremi illius in omnia dominii, cunctas suas actiones; illas igitur Deus, nisi intervenisset promissio, licet condignas ad vitam æternam, posset non ad præmium, sed ad alios titulos acceptare: unde Concilium Tridentinum, ubi meritum recenset, meminit quoque divinæ promissionis.

Quæres, an retributio præmii sit in Deo actus justitiæ commutativæ, an vero distributivæ?

Resp. non esse actum justitiæ commutativæ: nam justitia commutativa obligationem strictam & rigorosam dicit in iis, qui ea justitiæ specie tenentur. Itaque respondendum est retributionem illam esse actum justitiæ distributivæ, quæ operis solam condignitatem ad præmium importat, non autem obligationem in præmiante, ortam ex jure subjecti præmiandi: sed tantum ex naturali rectitudine, qua distributor tenetur præmium meritis commensurare.

Antequam arduo de divinis auxiliis tractatui finem imponamus, operæ pretium est, ut lectoris ob oculos ponamus Eminentissimi Cardinalis de Noailles, circa prædestinationem & gratiam, Mandatum, ad cujus normam, quæ de gratiæ necessitate, gratuitate, operandi modo, a nobis fuse explicata sunt, exigere conati sumus: in hoc vero Mandato primum quinque famosarum propositionum errores rejiciuntur; tum asseritur veritas, quam Ecclesia a suis incunabulis ad hæc usque tempora semper, & ubique docuit.

MAN-

MANDATUM.

ET INSTRUCTIO PASTORALIS

Eminentiss. Cardinalis DE NOAILLES *Archiepiscopi Parisiensis, circa Prædestinat. & Gratiam.*

CUM *primæ sint Episcoporum partes, ut fidei depositum custodiant, omnibus quæ illius integritatem labefactare possint, novitatibus fortiter repugnare tenentur, simulque (ut sapientissime monet Vincentius Lirinensis) pro virili obstare, ne aliquid in ea, sive per additionem, sive per detractionem, mutationis accidat.*

Itaque ubi primum tam numerosus Clerus, tantaque populorum multitudo nobis ex alto commissa sunt, omni cura in sana doctrina conservationem statuimus incumbere. Nos minime fugit, spiritum erroris, se se (ut ait Paulus) nova aliqua doctrina adversus Dei sententiam extollere; eumque, quamvis per Spiritus veritatis potentiam sua videat eversa consilia, nullatenus ab eis deterreri. Spes affulgebat tamen fore ut motus in Ecclesia Gallicana per tantam hujus sæculi partem excitati, & quorum memoria non sine dolore revocatur, penitus tandem comprimerentur Summorum Pontificum censuris ab omnibus Præsulibus acceptis, firmatisque auctoritate Regis, quem ardens in Catholicam fidem studium, Ecclesiæ Primogeniti nomine dignissimum præstiterit. Caussa tam sollemniter finita (ut eadem in occasione iisdem utamur Augustini verbis) errorem quoque fovendum polliceri nobis posse videbamur: At cum lacrimis conspicimus, inquieta, pacique infensa inter nos adhuc extare ingenia, & in lucem prodi scripta, quæ tranquillitatem Ecclesiæ perturbare, longasque ac graves contentiones renovare valeant, in quibus cohibendis eadem Ecclesia tantum insudaverit. Talis est liber inscriptus: Exposition de la foy touchant la Grace & la Prædestination.

Neminem latet, quas turbas commoverint quinque famosæ propositiones excerptæ ex Concilii Jansenii, Iprensis Episcopi, libro qui Augustinus *inscribitur. Elapso a prima hujus libri editione decennio, cum octoginta quinque Galliarum Episcopi in illo propositiones advertissent jam a sancta Tridentina Synodo damnatas, utpote quæ libertatem hominis nimis coercerent, denique bonitatem arctioribus circumscriberent terminis, ad Sanctæ Sedis auctoritatem confugerunt. Innocentius Papæ X. qui tunc temporis clavum regebat, die ultima Maji ann. 1655. constitutionem promulgavit, per quam illis hujus libri propositionibus quinque, debita inusta est censura. Constitutionem illam Alex. Papa VII. duabus aliis explanavit, confirmavitque, quarum una data est die 16. Octobris ann. 1655. altera vero prodiit die 15. Febr. an. 1664. In postrema hac constitutione erat Formula, quam idem Alexander mandabat subscribi, & quæ idem loquitur, ac idem sentit ac formula, quam an. 1656. Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus ediderat.*

Has constitutiones Apostolicas acceperunt Episcopi; & unanimiter, reverenter, ac submisse (quod & non multo post universa præstitit Ecclesia) iis assensi sunt. Tam perniciosæ doctrinæ destructioni hæc erant satis, eo magis quod illius auctor Jansenius ipsomet in testamento, & jam morti proximus, Sanctæ Sedis judicio & censuræ sua subjiciens scripta, egregium, quod sui sequerentur discipuli, exemplum reliquisset. Attamen quoniam superbia, licet fracta, se se non cessat erigere, hæresim in libro nuper edito non sine dolore renasci videmus, eo majori cum periculo, quod vernacula lingua scriptus, non a doctis tantum, sed etiam ab imperitis legi possit.

Quamobrem in caussa tanti momenti nostrum impleturi munus, opus illud diligenter ut examinaretur curavimus, & ubi a Nobis ipsis expensum est, in eo omne dogmatum Jansenii venenum haud difficile detteximus. Prima propositio, ceterarum veluti caput & fundamentum, quæ justis cadentibus subtrahit gratiam, sine qua nihil possumus, tamquam fidei dogma ibi renovatur. Ceteras propositiones damnatas quas hic auctor anonymus in librum diffudit, ejusque in divi Augustini & aliorum quorumdam doctorum abutendo nomine temeritatem arguere & consectari necesse non est.

Huic malo reviviscere tentanti nullum sane efficacius est remedium, quam illud quo sanatum est prius, scilicet Inn. X. & Alex. VII. Constitutiones. Earum per se patet intelligentia. Sumantur dumtaxat constitutiones illæ, & propositiones ab ipsis damnatæ in sensu quo statim mens afficitur, quemque prima offert lectio: In sensu obvio; *Hanc nimirum regulam Belgarum Episcopis, & Theologiæ facultati Lovaniensi, suis Brevibus die 6. Febr. an. 1644. datis, præscribit SS. Papa Inn. XII. quem Deus incolumem diu servet orbi christiano, cujus vere Papam se probat.*

Certiorem viam tenere non possumus. Itaque adhærentes Inn. X. & Alex. VII. constitutionibus, post maturam deliberationem, sancto Dei nomine invocato, damnamus librum qui inscribitur, Exposition de la Foy touchant la predestination & la grace, imprime a Mons chez Gaspar Migeot, *tamquam qui contineat propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphematorias, Deo injuriosas, & ejus bonitati derogantes, anathemate damnatas, & hæreticas denique tamquam renovantes doctrinam quinque propositionum Jansenii, eo intolerabiliori temeritate, quod hic auctor inter dogmata fidei ausus sit recensere, non solum quæ ex eorum numero sint, verum etiam a quibus abhorreat, quæque universa detestetur Ecclesia.*

Non intendimus tamen alias propositiones, quæ in prædicto libro continentur, ullatenus approbare. Ejus lectionem sub excommunicationis pœna, aliisque pœnis juris lati interdicimus; edici-

dicimusque iisdem sub pœnis, ut exemplaria, vel in nostras, vel in nostrorum Vicariorum Generalium manus reponantur: & quidquid juris habet nostra Pastoralis administratio, id totum conferemus in extinguenda & abolenda penitus doctrina, quam prædictus liber continet & renovat.

Sed ne cum zizaniis eradicemus simul & triticum, detecto illorum errore, qui gratiæ doctrina abusi sunt, trahentes ex illius efficacia enormes, hoc est, præter modum & æquum, consequentias, nostri quoque muneris est gregem a Spiritu sancto nostræ sollicitudini creditum docere diligenter, quid in tanti ponderis caussa scire ac tenere debeat.

Id vero præstabimus, omissis quibuslibet spinosis quæstionibus, ex Scriptura, Conciliis & Patribus educere contenti, quidquid pietatem illuminare ac fovere, necnon curiositatis & contentionis spiritum comprimere valeat.

Christiani nomen id ab unoquoque nostrum exigit, ut fateamur, frustra nos eniti ad æternam salutem, si gratiæ Christi destituamur auxilio. Quidquid in nobis est, aut pie cogitatum, aut sancte gestum, omne datum optimum, omne donum perfectum desursum est descendens a Patre Luminum. Deus (ut disertis verbis tradit Apostolus) velle & perficere operatur in nobis. Nemo igitur sibi non vilescat tenuitatis & imbecillitatis suæ conscius, sed tamen confidat ille idem ad omnipotentis bonitatis Jesu Christi conspectum erectus. Quantacumque sit imbecillitas nostra, quantumcumque eminens sit præcepta nobis perfectio, Deus (ut ait Tridentina Synodus) impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere, quod possimus, & petere, quod non possimus, & adjuvat, ut possimus. Quisquis est ergo sapientiæ indignus, non a se quidquam, superborum Philosophorum de more, speret; sed fidus Ecclesiæ filiorum imitator postulet a Deo, qui (ut ait Jacobus) dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.

Pia illa & sancta Mater, quam regit Spiritus sanctus, per preces quas ad Orationis Dominicæ normam exegit semper, tum gratiæ necessitatem, tum ejusdem obtinendæ rationem filios edocet suos. Hæc fuit scilicet ab antiquis temporibus apud S. Patres immota Sententia, Ut legem credendi lex statuat supplicandi; nec alia ratione quis quid sibi credendum intelligat, quam si ad id quod petit, attendat. At sancta itaque altaria petimus, ut non tantum possint credere infideles, resipiscere peccatores, perseverare justi; sed etiam, ut revera errores abjiciant illi suos, ad pœnitentiæ salutarem portum confugiant isti, perseverent ultimi. Non ergo nudum posse, sed etiam facere, postulamus a Deo. Hæc autem quæ (ut docent nos Auctoritates Sedis Apostolicæ, quæ ad calcem Epistolæ Cælestini Papæ ad Galliarum Episcopos leguntur) non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in Regnum Filii caritatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeo totum divini operis esse sentiunt, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referantur.

Magister itaque cælestis petentibus Apostolis, ut se doceret orare, dicit, & omni simul Ecclesiæ, ad quam pertinere voluit data Apostolis documenta, edicit (inquam) ut petant, ut morum nostrorum integritate Dei sanctificetur nomen; illius Regnum, cui subjecta sunt omnia, cito adveniat; fiat illius voluntas sicut in cælo & in terra: panem quotidianum det nobis, idest, cibus tum animæ tum corpori necessarius, illius liberalitate nobis impertiatur.

Quemadmodum necessaria donari nobis petimus, sic etiam impendentia mala procul ut avertat, oramus: Ne nos scilicet inducat in tentationem, nos a malo liberet, id est, a peccato quod solum malum est, & malorum omnium fons & origo. Quæ a peccato libertas perseverantiam includit finalem, ut ipsa tradit Ecclesia in ea Oratione, quam ore ministrorum suorum usurpatam voluit, & fidelibus in verendis mysteriis proponit: Fac, Domine, me tuis semper inhærere mandatis, & a te nunquam separari permittas.

Unanimis est circa eam orandi formam Orientis, Occidentisque consensus, & jam mille & amplius abhinc annis hanc Liturgiæ Basilianæ Orationem laudaverunt divinæ gratiæ defensores, & in primis Petrus Diaconus, & ii qui cum eo ob quæstiones fidei ex Oriente Romam missi fuerant, in sua epistola ad Episcopos in Sardinia exsules: Dona, Domine, virtutem ac tutamentum: malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva: omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi; cum enim volueris, salvas, & nullus resistit voluntati tuæ.

Ad eamdem omnipotentem Dei voluntatem attendit Ecclesia, cum hanc a Sacerdote tremendis in mysteriis orationem recitari voluit: Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Non quod inviti justificemur & salvemur, sed quia Deus voluntates nostras e rebellione revocat ad obsequium; easque traducit ad amorem rerum, quas oderant prius. Cum voluntatem a peccato flectit ad virtutem, transfert (inquit Bernardus in lib. de gratia & libero arbit. cap. 11.) non aufert libertatem; non cogit, sed perficit. Dirigit gressus nostros Dominus, sed ita ut sponte & ultro viam illius ingrediamur, dicente Propheta Rege: Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Trahit Deus animam, sed ita trahit, ut suavitate qua nos demulcet, nullum libertatis electioni detrimentum inferatur. Ne quis ergo in animum inducat suum, aut gratiæ potentia vim libertatis labefactari, aut libertate potentiam gratiæ infirmari, ita ut altera non nisi alterius ruinis crescere possit. An Deus a quo insita est homini libertas effice-

efficere non poterit, ut homo libere agat, & eligat quæ voluerit? Quidquid in nobis est ad virtutem virium, a Deo oriri sacri codices, traditionis monumenta, rationis auctoritas; inesse miseram a bono declinandi facultatem, quotidiano usu docemur. Sæpissime, ad maximum nostri damnum, contingit ut gratiis nobis a Deo impertitis actu resistamus; easque (ut ait Apost. 2. ad Cor. 6.) recipiamus in vanum; Sed quantacumque sit facultas ista, qua nostrum gratiæ, vel efficacissimæ, consensum denegare possumus, fides docet nihilominus, omnipotentem esse Deum, & nihil esse quod de voluntate nostra, & per voluntatem nostram efficere non valeat.

Cum igitur omnipotenti misericordiæ Christi visum est eos nos vocare vocatione, quæ (ut ait Paulus) est secundum propositum, hoc est, secundum illud, unde spes hominum pendet, decretum, mortuos ipsos efficax illa vox audientes habet & sequaces, tunc gratiæ vincula tam suavia sunt, tam jucunda, quam peccati catenæ graves & probrosæ: & Deus (ait Augustinus l. de Spir. & Litt. cap. 29.) inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum facit plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.

Hinc utcumque intelligere possumus, quæ sit gratiæ & libertatis concordia, & qua ratione liberum arbitrium gratiæ cooperetur. Eam gratiæ cum libertate concordiam, eam liberi arbitrii cooperationem solide simul & perspicue exponit Bernar. lib. de grat. & lib. arb. c. 14. Ipsa (*inquit*) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum; *& voluntas gratiæ præbet consensum, eique moventi cooperatur.* Ita tamen quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.

Qua efficacia Deus bona opera in nobis operatur, eadem nos ad preces inducit & movet: Hæc nimirum Apost. verba ad Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis, *ita interpretantur Patres, ut ille nos faciat orare,* impertito (*ut ait Augustinus in Epist. ad Sixtum*) orationis affectu & effectu. *Quæ cum sancta Ecclesia optime norit, ut quæ sibi necessaria sunt, impetret, orat, ut Deus postulare faciat, quæ placita sunt ei.*

Eadem ergo potentia Deus in nobis operatur orationem, qua operatur velle & perficere. Habet nimirum certissima media, quibus eam in nobis efficiat orationis perseverantiam, qua vita ad Evangelii normam exacta perseverantim impetremus. Ea gratiæ suæ dona & scivit, & decrevit, & præparavit ab æterno: eos quoque homines novit, quibus æterna sua misericordia, & amore omnino gratuito præparata sunt.

Certum ac indubitatum apud nos debet esse primitivum illud; Nullam esse apud Deum injustitiam, nec ulli hominum fas esse scrutari incomprehensibilia judicia ejus, & investigabiles vias. Quidquid in nobis est boni, a Deo est; quidquid vero mali, a nobis. Deus (ait Augustinus in Epistola ad Sixtum) nihil aliud in electis coronat, quam munera sua, nec aliud castigat in reprobis, quam peccatum. Hinc discimus, quod, cum, etiam fideliter & humillime, gratiæ cooperamur, juxta Cypriani & Augustini documenta, omne salutis nostræ opus Deo tribuendum sit: ut totum (inquiunt) detur Deo; *sortemque nostram, omnium casuum securi, divinæ illius misericordiæ permittere debeamus. Nam (ut idem ille Augustinus docet in libro de dono persever. cap. 6.) tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

Sed cavendum necesse est, ne otium, & certissimo animarum periculo quietem pariat summa illa in Deum confidentia, cum Petri documentum sit, quemque satagere debere, ut per bona opera certam suam vocationem & electionem faciat; Paulusque velit currere nos, ut comprehendamus, quibus consonant hæc Augustini verba in l. de dono persev. c. 22. Vos itaque ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. *Qua quidem S. Doctoris sententia patet, spem & orationem nostram esse divinæ bonitatis pignus, & certissimum non intermissæ illius in nos curæ argumentum. Fiduciam hanc nostram sancta Conciliorum responsa fovent & nutriunt:* Deus (*ait Conc. Trid. sess. 6. cap. 11.*) sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur; *cui Tridentinæ Synodi decreto multa ante sæcula bisce verbis can. 25. præiverant alterius Arausicani Concilii Patres.* Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Hæc sunt quæ Christianos scire necesse est de Prædestinationis mysterio, ad cujus altitudinem ita Paulus expavit & tremuit. Cætera ad id genus quæstionum spectant, de quibus ad calcem Epistolæ Cælestini Papæ ad Galliarum Episc. ita legitur: Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, sicut non audemus contemnere; ita non necesse habemus adstruere.

Ne quis ergo audaci mentis arbitrio existimet,

met, sanctos Patres, & in primis Augustinum qui hæc tradiderunt, justos limites esse transgressos, cum de hoc ultimo ita ad Galliarum Epist. Cælestinus rescripserit: Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam a meis semper Prædecessoribus haberetur: *Tantum abest, ut quid durioris & per excessum dicti in ultima S. Doctoris opera irrepserit, ut eadem unus e Summorum Pontificum doctissimis, omnium manibus versari voluerit, ut disceretur*, de arbitrio libero & gratia Dei quid Romana, hoc est, Catholica, sequatur & asseveret Ecclesia, *Sancta hæc Pontificis Hormisdæ ad Possessorem Episcopum scribentis verba Confessorum pro fide exultantium antiqua Synodus tamquam murum æneum iis objicit, qui cum August. satis non venerarentur, in errores erant misere prolapsi; his etiam temporibus iterum atque iterum inculcentur necesse est, cum a Summo Pont. Innoc. XII. eumdem Doctorem, in suis ad Theologiæ Facultatem Lovaniensem litteris, adiri jubeat, ut discatur, quid de eadem materia* Romana sequatur ac servet Ecclesia, secundum Prædecessorum suorum Statuta.

Hæc est sana & germana de prædestin., & gratia Christi doctrina, cujus is est fructus, ut in fidelibus vigilantiam & humilitatem adaugeat; ut iidem fideles sibi a sua infirmitate timeant, ac attentiori cura munia sua obeant. Cum prædicat nihil nos posse sine gratia auxilio, simul & insinuat, omnia nos posse in eo qui nos confortat. Timor noster fiducia alitur & fovetur: eæque virtutes viam sternunt amori divino, qui cum gratia diffunditur in cordibus nostris per Spir. S. *nec mirum, cum gratia in delectabilis amoris inspiratione præcipue sit. Huic amori, æternæ damnationis metus viam præparat; ejusdem amoris initium corda conversioni aperit, perfectio vero stabilit & firmat. Divini amoris ministerio ceteræ virtutes animam subeunt, in eaque perficiuntur; evanescunt falsæ Ethicæ deliramenta, scilicet amor occulatos reddit ad intelligendum, & ad implendum fervidos efficit, ne quis vanis nominibus crimina sua prætexat & dissimulet. Sed vana hæc inter sophismata, quibus sibi ipsi illudit amor proprius, nullum pejus, nullum ad animarum perniciem excogitari potuit efficacius illo, quo amoris debito hominem enititur liberare: cum tamen amoris mandatum, primum sit ac maximum, eoque nihil sit æquius, nihil ardentioribus votis expetendum.*

Concionatores omnes, & præpositos audiendis confessionibus Presbyteros adhortamur, eisque per authoritatem Spir. S. qui nos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, injungimus, ut a nobis hactenus traditæ doctrinæ firmiter inhæreant, cum nulla sit ejus pars quæ a sacris codicibus excerpta non sit, & iis Patrum verbis expressa, quæ Sancta Sedes, omnisque Ecclesia Catholica admisit & consecravit, confisi in Christo, eos omnes qui alio animo ducti scripsissent, non expectaturos nostram in eorum errores animadversionem, quæ sane eos non fugeret, nisi resipiscerent.

Ut ab Innocentii XII. vestigiis hac in re minime recedamus, hoc unum superest; scilicet ut singulos admoneamus, quemadmodum ille in suis ad Belgarum Episcopos Brevibus, ne quem vaga illa & odiosa Jansenismi accusatione in invidiam vocent, alicujusque, eo nomine, famam dilacerent, nisi aliquam ex quinque famosis Propositionibus damnatis, scripto, aut viva voce manifeste propugnaverint. Eorum audaciam, quantum in nobis erit, cohibebimus, qui aut earumdem Propositionum doctrinam excitare, aut Summorum Pontificum Constitutionibus voce vel scripto directe, aut indirecte detrahere non verebuntur. Sed nec patiemur, ut homines, sicut & auctoritate destituti, ita & vacui caritate; in fratrum suorum fidem judicium sibi arrogent, eorumque famam inanibus de caussis in discrimen adducant. Novimus enim, quanto Ecclesiæ detrimento malis suspicionibus indulgeatur adversus eos, quibus virtutem & scientiam obeundis Ecclesiasticis ministeriis necessariam Deus impertitus est. Nihil novis reliqui faciemus, ut inquies compescatur turbulentorum hominum, qui aut Ecclesiæ fidem prava doctrina, aut illius pacem, ministrorum odiis labefactare attentabunt, pro virilique efficiemus, ut nimia Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. *Hæc fuit olim Sancti Pontificis ad Galliarum Episcopos adhortatio, quam etiam non ita pridem ille qui nobis tanta cum gratia, tantaque cum laude præest, suis ad Belgarum Episcopos Brevibus usurpavit .... Datum Parisiis in Palatio nostro Archiepiscopali, die 20. Augusti anni 1696. &c.*

VERA

VERA DOCTRINA ECCLESIÆ CIRCA GRATIAM

EXCERPTA EX TOURNELLINO.

ΠΑΡΕΘΗΚΗ.

Mirum certe videbitur, quod editis usque adhuc tot tantisque de hac re Theologicis institutionibus, quæ multitudine ac varietate sua studiosos summopere gravant, ad hanc coronidem conscribendam edendamque animum appulerim, præsertim quum vetus adagium sit, ne extra chorum quis saltet, & ut Græci ajunt; Ε'κτὸς χορῦ ὀρχεῖσθαι. Sed mirari profecto desinent omnes si probe norint qua potissimum ratione ad eam elucubrandam fuerim adductus: quam enim Gaspar Jueninius in Tractatu de Gratia Christi, fortasse imprudens, plus quam par erat, atque cordatum, & circumspectum virum decebat, ad prosequendum Janschismum sua studia contulerit, capta occasione bonarum artium magis non ignorantes, quam periti, non satis feliciter in enucleando Systemate videantur, & anfractuosam sinuositatem in ejus verbis adesse forsan afferant, operæ pretium esse, & non abs re factum duxi, verum Jansenii Systema, idque quam maxime perniciosum, ad calcem horum institutionum apponere, ut unicuique exacta, & undequaque perspecta veniat Ecclesiæ verax doctrina, nostri Auctoris sententiæ clara expositio, & Jansenismi confutatio; prætermissa igitur de persona Jansenii cunctis notissima historia, de qua satis abunde in prælectionibus Theologicis de Christi Gratia auctore Honorato Tournely a fol. 150. usque ad fol. 229. editionis Venetæ, a quo etiam Theologo hæc quæ sequentur accepimus, & in epitomen contracta redegimus.

Cum primum doctrina Jansenii quinque propositionibus expressa, confossa fuit; mirum est quot hujus hæresis fautores quanta mole librorum, quam multiplici fallacia, & ambiguitate dicendi controversiam totam obscurarunt, ut Jansenianam hæresim in fumos convertant. Quamobrem rei Catholicæ plurimum interest, germanam Jansenii doctrinam, ex immensa mole voluminum, ac offusis non sine consilio tenebris extricare, & in apertum educere; ita ut clare pateat, Ecclesiam non falsa quadam erroris imagine delusam fuisse: sed veram Hæresim in libro Jansenii deprehendisse, ac proscripsisse.

Et cum omnes Jansenii defensores universam ejus doctrinam ad unum gratiæ ex se efficacis, sensu scilicet Jansenii, caput, revocandam esse affirmarint, ex quo cetera deducantur, & connectantur: Nos ut pressius sequamur, dicimus, totum Jansenianæ doctrinæ Systema ad unam delectationem relative superiorem, in qua Gratiam efficacem Jansenius collocat, lib. 8. de Gratia Christi capitulo 2. & alibi passim, revocabimus. Hæc origo unde quinque propositiones dimanant; quas Jansenius ipse veluti consectaria deducit; & quo everso principio, evertantur necesse sit omnes.

Janseniana doctrinæ circa delectationem victricem ac superiorem brevis delineatio.

Duplex est delectatio, una Cælestis, quæ ad bonum, altera terrena, quæ ad malum inclinat: utraque victrix, & superior dici potest. Victrix, quia voluntatis consensum certo exprimit. Superior, quia illum exprimit propter majores quas habet vires, comparate ad oppositam minorem delectationem. Vox ipsa *Superior* relationem importat ad inferiorem: non ita hæc vox *Victrix*, quæ absoluta est, & independens a gradibus oppositæ delectationis, quo sensu quidam Theologi victricem agnoscunt, & quidem innoxie, gratiæ delectationem, non vero ex gradibus seu relative superiorem. Jansenius e contra, victricem ideo censet, quia viribus, seu gradibus superior est opposita delectatione, de qua ipse differit fuse lib. 4. de Gratia Christi primis undecim capitibus.

Summa doctrinæ Jansenii hæc est, voluntatem hominis infirmam, ac per peccatum multum depressam, non nisi victrice, ac dominante indeliberata delectatione, seu cælesti, seu terrena ad bonum, seu ad malum determinari posse. Delectationem hanc unicum esse pondus, quo jam ad agendum necessario applicatur; juxta illud Augustini effatum; *secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat*. Ita ut impossibile sit majorem delectationem vinci a minori. Quomodo si in bilance duo fuerint pondera inæqualia; necesse omnino est eam bilancis partem deprimi ac inclinari, in qua majus est pon-

pondus: nec unquam fieri potest, ut majus a minori trahatur; cum nulla sit inter illa duo proportio. Tota scilicet vis delectationis ex Jansenio relativa est, id est per comparationem ad oppositas sibi vires. Unde *Sainte Beuve* dicit majorem esse concupiscentiæ, quam virtutem gratiæ parvæ; atque ita in eo systemate Jansenii delectatio illa superior quasi ex Mechanica lege voluntatem movet ac rapit, sive ad bonum, sive ad malum, prout cælestis, vel terrena præponderat; *neque alternante delectationum fluctu in medio remanebitur*, ut ait Jansenius c. 10. l. 4. immo in hoc potissimum errasse Semipelagianos contendit, quod dicerent in æqualitate virium gratiæ, & concupiscentiæ voluntatem superare posse concupiscentiam, & ad bene agendum se determinare.

Delineata sic doctrina circa delectationem superiorem, paullo distinctius evolvemus hujus delectationis naturam, necessitatem, modum agendi, intimam cum famosis quinque propositionibus connexionem, & denique discrimen, tum a Thomistica Physica præmotione, tum a delectatione simpliciter victrice, ex qua aliqui Catholici efficaciam gratiæ repetunt.

Natura delectationis.

DElectatio est vitalis animi motus indeliberatus, quo voluntas fertur in aliquod objectum, ut sibi conveniens. *Quid delectari hominem justitia, vel mendacio*, ait Jans. lib. 4. c. 11. *nisi actu aliquo in justitiam vel mendacium tamquam sibi convenientia, & jucunda moveri? motus autem ejusmodi voluntatis non fit, nisi actu quodam vitali ... delectatio ista, quam ad omnia opera bona S. Augustinus exercenda postulat, non est aliud, quam actus quidam indeliberatus cælitus immissus in voluntatem, per quem ei bonum propositum suaviter placet .... dicimus igitur, delectationem istam, seu suavitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum, & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est, partim etiam, & crebro secundum, qui deinde tum deliberatum dicitur, quibus anima ita suaviter, & delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero consentiat, ac bonum diligat, tanto vehementius, quanto fortius illis actibus rapitur.*

In ipsa pariter concupiscentiæ delectatione ibi dicit: *Delectationem quæ consensum in peccata præcedit, & suggestionem sequitur, non aliud esse nisi desiderium illicitum, indeliberatum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat; vel certe primum ipsum concupiscentiæ motum, tamquam amorem quemdam indeliberatum, per quem homini etiam invito peccare libet, quamvis consensio non sequatur.*

Delectatio illa dicitur actus indeliberatus, quia rationis advertentiam, & voluntatis consensum antevertit. Illi vero motus primum indeliberati subinde deliberatos producunt, ut ex Jansenio habetur. Propter duplicem illum motum, tertius est, ait Jansenius lib. 4. c. 11. initio capitis, *qui dicitur gaudium, per quem animus in bono præsente, cum quadam satisfactione, & fruitione adquiescit. De isto delectationis actu non loqui Augustinus perspicuum est; est autem terminus desiderii, tamquam cujusdam motus quo voluntas ad delectationem istam tamquam ad quietem suam tendit. Delectatio vero, seu suavitas, de qua multa S. Augustin. tradidit, etiam ad desiderandum, & amandum Deum libero voluntatis motu necessaria est.*

Necessitas Delectationis.

JAnsenius duo hic docet, Primo necessitatem delectationis non ex natura præcise voluntatis proficisci; sed ex infirmitate. Secundo delectationem unicum esse pondus quo voluntas nunc sive ad bonum, sive ad malum inclinatur. Quod probat ex professo primum l. 4. de Gratia Christi c. 9. tum ex peccato primi hominis, quod sine *delectatione præcedente perpetratum est*; tum ex gratia ejusdem, quæ in delectatione ex se victrice non consistebat. *Non enim dominabatur voluntas, sed & potius dominanti subjacebat, ut cum ipsa voluntas ageret, aut non ageret, ut ipsi videretur.*

Secundum; voluntatem, nec ad bonum, nec ad malum sine prævia impellente delectatione, ferri posse, infinitis locis repetit Jansenius l. 4. laudato cap. 7. *Cælestis illa suavitas*, ait, *mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum visco emergere possit, & se ipsam in justitiam diligendam figere .... ex quo fit, ut si illa desit, voluntas velut torpere, & mortua nihil omnino boni amplecti possit. Quemadmodum etiam e contrario nihil in carnalibus diligendis prosequi potest. Paullo post ait delectationem illam esse animo, instar olei, aut pinguedinis cujusdam, sine qua cardo voluntatis torqueri, aut moveri nullo pacto ad bonum potest.* Quod repetit cap. 10. & cap. 9.

Hic per transennam videre est, quam parum cohærenter Jansenius gratiam Angelis, & Adamo innocenti datam in ipsa delectatione reponat. Nam cum delectatio illa cælestis nulla contraria oppugnaretur, necesse fuisset in doctrina ipsius Angelos, & Adamum in bono perseverasse. Cum lex delectationis sit, ut, etsi levis fuerit, si tamen nulla contraria oppugnetur, necessario consensum voluntatis exprimat. Certum est enim nullam in Angelis, & Adamo innocente fuisse delectationem terrenam contrariam dele-

ctatio-

ctationi cælesti: Necesse ergo erat Angelos, & Adamum necessario perseverare in bono. Quomodo hæc cohæreant in præsentiarum non quærimus: satis est nobis si Jansenius agnoscat in præsenti statu naturæ lapsæ prorsus necessariam esse delectationem. Quis porro sit ejus agendi modus juvat expendere.

Modus agendi delectationis relative per gradus.

MOdus ille agendi positus est in majori, & relativa delectationis virtute; secundum quam necesse est voluntatem quasi ex mechanica lege, ut diximus, operari. In conflictu enim duarum delectationum, quarum una alteri præponderat, necesse est minorem cedere majori. Ait Jansenius l. 8. de Gratia Christi cap. 2. *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix, quando alteram superat.*

Ex illo autem agendi modo delectationis relativæ, necessario sequitur, quod mox diximus, superiorem nempe delectationem a minori nunquam vinci posse. Sic enim ait Jansenius l. 4. cap. 9. *conflictus ille delectationum sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est.* Quod repetit c. 6. & 10. & l. 7. c. 5.

Hinc ejus discipuli in hoc collimant, ut vis efficaciæ gratiæ repetatur tantum ex delectatione victrici, & superiori. Sic Antonius Arnaldus de gratia efficaci parte 4. Articulo 6. *nihil*, ait, *aliud est efficax gratia*, quam victrix delectatio, seu amor Dei, quo fit, ut plus delectet, quod præcipit Deus, quam delectet, quod impedit; Sic Sambovius tractatu de gratia, quem anno 1651. dictavit, & ejus fragmentum refert Paulus Irenæus disquisitione 4. Articulo 3. exponens varios secundæ propositionis sensus, ait, facile intelligi potest, qua ratione gratiæ resistitur, vel non resistitur, si tria supponantur, 1. quod omnis gratia voluntatis est delectatio victrix, 2. quod non est victrix nisi comparate. 3. quod eodem modo de hac re philosophandum sit quo physici de actione, & reactione; Sic Dionysius Raymundus in l. cui gallice titulus, *Eclaircissement du fait, & du sens de Jansenius*. 1. parte articulo tertio, & omnes alii Jansenistæ, quos videre est.

Ex doctrina exposita, sponte sua nascitur distinctio potestatis absolutæ, & relativæ, quæ visa est tam clara Jansenianis, ut eludant Ecclesiæ censuras; unde de hac fusius agendum est.

Janseniani duplicem potestatem distinguunt, unam absolutam, alteram relativam.

DUplex potest observari potentia ad opus bonum, quæ per gratiam confertur: una absoluta, spectata scilicet tum ipsa in se natura gratiæ, tum voluntate Dei antecedente, quæ ad bonum tendit, & ordinatur, præcisis subjecti circumstantiis: Altera vero relativa, seu comparatione facta illius ad majorem, vel minorem delectationem actuali cupiditati oppositam. In hac distinctione totius Janseniani Systematis Medulla reconditur. Hæc fecundissima radix fallaciarum omnium, quibus Catholicorum argumenta declinare, ac Ecclesiæ censuris subducere se, verbis in speciem Catholicis, conati sunt.

Nullo momento graviori Catholici Jansenianos fatigarunt, quam quod in eorum systemate, homo justus sola gratia parva instructus, & absente efficaci, veram & expeditam non habeat ad superandam tentationem, præceptumque observandum potentiam: Eo nempe quod in ipso tunc supponatur actualis concupiscentia dominari, ac major esse ipsa gratia. Ideoque impossibile sit, ut parva illa gratia superiorem vincat cupiditatis hujus delectationem. Ut hoc argumentum eluderent Janseniani fautores usi sunt æquivocatione hujus vocis *potentia*, cujus involucro tecti audacter asseruerunt agnoscere in eo justo sufficientissimam esse, perfectissimam, completissimam, expeditissimamque ad superandam tentationem & mandatum observandum potentiam. Sic Jansenius lib. 8. de Gratia Christi cap. 20. ait, his verbis: Remanere in voluntate *perfectissimam peccandi potestatem, quæ non solum adest, inestque voluntati, quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur*. Potentia certe illa bene agendi, quam Jansenius agnoscit sub ardentiori cupiditate, & male agendi sub motione gratiæ victricis, relativa esse posse. *Vigente enim delectatione carnali impossibile esse*, ait Jansenius *lib. 4. cap. 9. ut virtutis, ac honestatis consideratio prævaleat*. *Tunc enim ait idem lib. 8. cap. 2. delectatio est victrix, quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus*. Ergo potentia illa mere absoluta est, & abstracta, quæ ad usum exercitii boni, vel mali operis nihil omnino conferre potest.

Ex tali Magistro ita etiam locuti sunt ejus discipuli, Sambovius in tract. de Gratia disp. 4. art. 6. apud Paulum Iræneum disquisitione 4. art. 3. Sic Arnaldus in sua dissertatione de gratia efficaci multis locis. Auctor Epistolæ ad Episcopum scriptæ anno 1661. respondet patri annato contendenti omnem gratiam in mente Jansenii cum semper effectum assequi, quem Deus intendit, & ait: Annatum hærere in æquivoco. Quia licet hujusmodi gratiæ, quæ impingunt in animum *majori rerum terrenarum amore occupatum, eum non convertant, eo quod voluntas semper eo tendit, quo fortiori amore* rap-

rapitur; Attamen si in se ipsi absolute considerentur, vim habent sufficientem ad producendum effectum, ad quem tendunt, eumque reipsa producerent, nisi major esset concupiscentiæ resistentia.

Similiter Dionysius Raymundus in lib. cui gallice titulus *Eclaircissement du fait, & du sens de Jansenius*, passim agnoscit, & commendat potentiam illam veram, quam gratia parva Janseniana confert ad opus bonum. Vide art. 4. capitis 1. 4. partis, ubi ex professo probare nititur Jansenium gratiam sufficientem in sensu Thomistico agnovisse; Eique longe perfectiorem ad opus bonum tribuisse potentiam, quam revera ipsi competat in opinione Thomistarum; quia sua gratia parva sensu Jansenii sine ullo novo ex parte Dei auxilio potest a voluntate bonum opus exprimere per solam imminutionem concupiscentiæ. Non ita gratia sufficiens Thomistica, quæ quantumcumque voluntas sana, & integra supponatur, nusquam in actum erumpit, nisi ex parte Dei novum accedat auxilium. Sic enim loquitur art. 4. cap. 2.

Auctores quinque articulorum rem clare explicant art. 2. *Quamvis*, ajunt, *illa gratia sufficiens in se spectata effectu illo careat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, ad quem per antecedentem voluntatem destinatur: Adeoque fallum sit, hoc sensu omnem Christi gratiam semper habere eum effectum quem Deus vult: si tamen spectetur ut cum absoluta Dei voluntate conjuncta, merito hoc sensu efficax dici potest.* Audis gratiam sufficientem in sensu Jansenii ex se tendere, ac ex Dei antecedente voluntate destinari ad effectum perfectum, quæ potentia absoluta est; non tamen effectum illum obtinere ex voluntate Dei absoluta, quæ potentia est relativa ad majorem cupiditatis delectationem, qua supposita, non potest illa parva gratia effectum illum producere.

Infinitus essem, si omnia testimonia in rem eamdem referre vellem, ex quo concludere licebit.

1. Jansenianos, omnes illam absolutam admisisse potentiam ad observandum mandatum in justis sola gratia parva instructis, absente efficaci.

2. Errorem Jansenianorum non consistere in tali neganda potentia; immo, se idem hac in parte cum Thomistis sentire profitentur, tametsi multum ab eis discrepent.

3. A Jansenismo alienum neminem censeri debere, eo quod talem potentiam absolutam cognoscat, sed insuper, necesse est, fateantur, quod in homine justo, absente gratia efficaci, ex sola sufficienti gratia, sit potentia vera, propria, & expedita relative ad actualem ejus concupiscentiam, ut eam nempe superare possit. In hoc enim positus est error Jansenii, & discipulorum, quod negant talem potentiam relativam.

4. Hæc una distinctio potentiæ absolutæ, & relativæ, est veluti clavis, qua aditus aperitur ad omnes intimos Jansenismi recessus; ex unica vocis *potentiæ* æquivocatione quinque damnatas propositiones verbo damnant, sed reipsa tuentur. 1. Justis impossibilia non esse Dei mandata, impossibilitate absoluta, non relativa. 2. Gratiæ interiori resisti; nempe quoad effectum ulteriorem, ac perfectum, quem habere potest absolute, at non relative. 3. A libertate excludi necessitatem; nimirum absolutam, & antecedentem, non relativam, & hypotheticam. 4. Humanam voluntatem gratiæ resistere posse, vel obtemperare; si nempe gratia in se simpliciter, & absolute consideretur, non vero si relative, ac quatenus superior est opposita actuali cupiditate. 5. denique Christum pro omnibus esse mortuum, & Deum velle omnes salvos fieri; ob eas scilicet gratias sufficientes, quæ multis ex reprobis conceduntur, quæque in se spectatæ, absolute possunt eos ad salutem perducere, non vero spectatæ relative ad præsentes illorum hominum dispositiones. 6. Ita Ἐιρωνεύεται, & personam mavult, quam faciem, ut habet vetus adagium; sic Jansenistis accommodari potest illud Virgilii:

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Delectatio superior, seu relative victrix, Janseniani systematis fundamentum.

AUdiamus Jansenium ipsum, qui lib. de Gratia primi hominis & Angelorum c. 17. loquens de distinctione adjutorii *quo & sine quo, hæc est*, inquit, *vera clavis, qua aditus in scriptis ejus (S. Augustinus) aperiendus est... jacto isto fundamento, distinctionem illam* adjutorii quo, & sine quo non, *vult filum in labyrintho Scriptorum ejus secutus fuerit, mirabilis ei occurrit contextus rerum: respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus.* Sic l. 2. de Gratia Christi c. 9. *Hæc in Augustini Doctrina sunt planissima, si filum appareat, quo te in isto labyrintho regas,* & l. 7. c. 6. & l. 8. de Hæresi Pelagiana c. 1. & ut habet auctor Synopseos vitæ Jansenii; quod primus ille capitalis annulus, est delectatio superior relative victrix; cujus naturam, vim, efficaciam, postquam Jansenius exposuit primis capitibus l. 4. de Gratia Christi, quæ inde consequuntur corollaria, evolvit cap. 10. ex quo capite quinque illæ famosæ propositiones consequuntur.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Propositio ex Jansenio legitime extracta.

EXtat ea propositio expressa apud Jansenium l. 3. de Gratia Christi cap. 13. *Hæc igitur omnia plenissime, planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius, ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tam infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam qua fiant possibilia.*

Qui librum Jansenii defendunt, conqueruntur propositionem non habere in Jansenio illum sensum, quem habet avulsa. Verum si expendantur, seu quæ antecedunt, seu quæ sequuntur verba, planum erit, hanc esse germanam Jansenii mentem.

Et hinc vides, quali necessario nexu cohæreat hæc prima Jansenii propositio cum delectatione ipsius superiori & relativa; nam justis sola gratia parva instructis, & absente efficaci, impossibilia esse quædam Dei mandata, *defectu virium* voluntatis, ut ait, quia minor gratia non potest superare majorem actualem eorum cupiditatem; *Major enim est*, ait unus ex discipulis ejus, *resistentia concupiscentiæ, quam virtus gratiæ parvæ.*

Quis sit germanus sensus primæ propositionis apud Jansenium.

EX dictis eruitur clare iste sensus: nimirum, esse in aliquibus justis, urgente præcepto, eam dumtaxat gratiam, qua, comparate ac relative ad actualem eorum majorem concupiscentiam, illorum voluntas non potest & illam superare, & mandatum observare; nec ad utrumque præstandum, auxilium impetrare, quia minor delectatio cælestis non potest relative superare terrenam majorem. *Vigente enim delectatione carnali*, ait Jansenius lib. 4. de Gratia Christi cap. 9. *impossibile est, ut virtutis, & honestatis consideratio prævaleat.*

Error igitur primæ propositionis in hoc situs est, quod justis illis sola parva gratia instructis, efficaci absente, deneget veram, & expeditam relative, vincendæ actualis oppositæ delectationis, & consequenter mandati observandi facultatem, qui sensus intime annectitur cum delectatione relative, seu per gradus victrice, ut ea supposita non possit nullatenus negari. *Adjutorium istud, cælestis delectationis*, ait Jans. l. 8. de Gratia Christi c. 3. *prædeterminat voluntatem, quia facit ut velis, & sine illa velle non possis: facit enim ut ardentius velis, & sine illa ardentius velle non possis: facit denique, ut necesse sit animum istud sequi, & secundum istud operari quod amplius delectaverit*, & in hoc ipso capite 13. l. 3. unde prima propositio extracta est, sic ait: *Ut magna quædam præcepta impleantur, tentationesque superentur... opus est ut voluntas ardenter, & fortiter velit, quod non est semper in ejus potestate.* Quia scilicet delectatio superior indeliberata, quæ necessaria est ut fortiter velit, ab ea non pendet.

Sensus propositionis non est, aliqua Dei mandata justis esse impossibilia, impotentia vel absoluta, vel immutabili, vel antecedente superiorem actualis concupiscentiæ gradum. Hujusmodi impotentiam procul repetit Jansenius: absolutam quidem, tum quia Capit. 15. lib. 3. plures admittit gradus possibilitatis, quibus mandata possibilia sunt; tum quia in gratia parva agnoscit absolutam ad opus bonum vim activam, ad quod natura sua, & voluntate Dei ordinatur, quod ipsa efficeret, nisi fortior obstaret opposita cupiditas. Immutabilem; quia agnoscit esse in homine, hac in vita naturalem ad bonum, & malum capacitatem. Eam denique rejicit impotentiam, quæ antecedat superiorem actualis concupiscentiæ gradum; quia antecedenter, & præcisione facta hujus majoris gradus, gratia parva sufficientem ex sese confert potentiam ad opus bonum: ergo impotentia illa observandi mandata, quam Jansenius contendit esse justis absente gratia efficaci, est dumtaxat relativa: Est, & aliquo sensu consequens, quia oritur ex majori actuali eorum cupiditate, quam justi secundum præsentes, quas habent, vires, superare non possunt, quia minor delectatio gratiæ numquam potest ob virium inæqualitatem superare majorem cupiditatis delectationem. En verus, ac germanus primæ propositionis Jansenii sensus.

Quæres, an impotentia illa relativa, quæ juxta Jansenium est in justis absente gratia efficaci, dici possit Physica?

Resp. litem esse de nomine; nomine impotentiæ Physicæ intelligatur ea, quæ vel plane involuntaria est, vel oritur ex defectu virtutis activæ, seu gratiæ de se, & propria natura absolute proportionatæ cum observatione præcepti, impotentia dicta justorum Physica non est. Tum quia est voluntaria, tum quia gratia illa parva, Jansenii sensu, continet in se omne principium bonæ actionis Effectivum, quam reipsa efficeret, inquiunt Janseniani, sine novo ex parte Dei, auxilio, per solam oppositæ concupiscentiæ imminutionem. Si vero impotentiæ Physicæ nomine intelligatur ea, quæ oritur ex absentia gratiæ, quæ voluntatem Physice movet, ac præmovet ad

bene agendum; sine qua relative ad majorem actualem cupiditatem satis virium non habet, ut hanc superare, & præceptum observare possit, non immerito impotentia illa justorum Physica dici potest; quia nempe caret tunc delectatione superiori cælesti, quæ juxta Jansenium physice voluntatem movet, ac præmovet; & sine qua, delectatio inferior gratiæ parvæ insufficiens plane, ac impar est, tum reprimendæ concupiscentiæ, tum observando præcepto.

Sensus ergo Catholicus primæ propositioni oppositus est contradictorius sententiæ Jansenii, & est: justos illos ex gratia, non inferiores, aut inæquales, sed pares vires habere, quibus possint immediate, vel mediate suam actualem oppositam vincere concupiscentiam, ac præceptum implere. Quod quidem Paradoxum videtur Jansenio libro 4. de Gratia Christi Cap. 15. tamen Apostoli doctrina est 1. ad Corinthios 10. v. 13. *fidelis est Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere:* est & Doctrina Concilii Tridentini sess. 24. Can. 9. applicantis hunc locum homini per concupiscentiam vexato, & sessione 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis:* est & Doctrina S. Thomæ 3. parte quæst. 62. art. 6. ad 3. *minima*, inquit, *gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitam æternam*. Ante S. Thomam S. Augustinus *agnoverat esse in quolibet justo pares ex gratia vires superandæ eorum oppositæ cupiditati*. Enchiridii cap. 118. num. 31. *si enim*, ait, *respexerit Deus, ut ad adimplenda, quæ mandat ipse, adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore caritatis, ut quamvis adhuc sit, quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat, justeque vivat, in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ*. *Et libro* 2. de peccat. meritis, & remissione capite 28. num. 45. ait, *legem peccati, seu concupiscentiam manere in iis qui ex aqua & Spiritu Sancto renati sunt tamquam superatam, & peremptam, si non illicitis consentientibus quodammodo reviviscat*: & bene multa testimonia S. Doctoris possent afferri, quæ prætermittuntur: unde concludere cum Concilio Tridentino possumus, dum sua facit hæc verba Divi Augustini: *eo ipso quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*, cap. 69. de natura, & gratia, & cap. 43. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis*.

Cum igitur idem Sanctus Doctor lib. de gratia, & arbitrio cap. 17. & alibi duplicem distinguit bonam voluntatem, unam parvam, & invalidam, quæ non potest observare Præceptum, alteram robustam, quæ potest; sensus ejus non est, parvam illam voluntatem nullatenus posse, sed tantum eam non posse immediate, ac proxime præceptum adimplere; at saltem posse orando impetrare uberius auxilium, ut actu illud adimpleat. Unde quantum distat vera doctrina Augustini a falsa Jansenii, hic enim sub dominante actuali concupiscentia, & absente gratia efficaci non agnoscit, tum ad opus bonum exercendum, tum ad orandum, nisi absolutam, & abstractam potentiam, non vero relativam, ut ex dictis clarum est.

Dices 1. Concilium Tridentinum loco citato sess. 6. c. 11. manifeste supponit justos in iis aliquando circumstantiis esse, in quibus non possunt observare mandatum: *Deus*, inquit, *impossibilia non præcipit, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis*; Ergo contingit aliquando justum non posse observare mandatum; ac proinde recto sensu mandatum tunc dici posse ipsi impossibile.

Resp. distinguo antecedens. Concilium Tridentinum supponit justos aliquando non posse proxime, & immediate observare præceptum, concedo; non posse mediate, impetrando uberius scilicet Dei Auxilium, nego: *jubendo monet facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis*, ait Conc. Trid. fidelis quippe Deus est, qui non patitur tentari nos supra id, quod possimus; porro ut quis dicatur posse observare præceptum potentia relativa, satis est, quod vires habeat pares ac sufficientes ad impetrandum divinum auxilium necessarium, ut actu impleatur; in systemate vero Jansenii impossibilis est justo observantia præcepti non solum immediate, sed etiam mediate.

Urgebis: non posse observare præceptum immediate, aut proxime, idem plane est, ac non posse illud observare potentia juncta cum actu: atqui Janseniani sæpissime contestati fuerunt, se hanc dumtaxat unam cum Thomistis excludere a justis gratia efficaci destitutis, potentiam junctam cum actu; aliam vero quamlibet perfectissimam etiam relative ultro se profiteri, ac admittere, modo tamen concedatur, eam, si sola fuerit, numquam in actum erumpere.

Resp. dist. minor. Janseniani contestati sunt subdole, ac fraudulenter, se cum Thomistis excludere dumtaxat potentiam junctam cum actu, concedo; vere, ac sincere, neg. Jamdiu est, ex quo Janseniani, ementito Thomistarum nomine Ecclesiæ turpiter illudunt. Potentia quippe ab actu sejuncta

quam

quam unam fingunt se cum Thomistis removere a justo, gratia efficaci destituto, non tantum non conjungitur cum actu, quod ajunt Thomistæ, sed nec conjungi potest, quod iidem negant. Nihil quippe juxta illos deest justo hujusmodi ex parte potentiæ, seu actus primi, sed tantum ex parte actus secundi: e contra in systemate Jansenii, ut sæpius observatum fuit, deest actus primus & secundus; Superior nempe delectatio, quæ simul primum, & secundum actum largitur, hoc est, ipsum posse, & agere. Quæ de re potentia illa ab actu sejuncta, in doctrina Jansenii dici non potest relativa; Non ita Thomistæ, qui relativam potentiam admittunt.

Urgebis iterum: potentia illa relativa, quam agnoscimus in gratia sufficiente Catholica ad debellandam quamlibet concurrentem actualem concupiscentiam, vel est inutilis, vel tendit unice, ut gratia sufficiens sensu Molinæ stabiliatur. Nam vel illa potentia numquam, si sola fuerit, in actum erumpit, vel erumpit sine novo ex parte Dei auxilio. Si prius, inutilis plane videtur: immo nec satis potest explicari quid ex parte voluntatis necessarium sit, ut talis potentia in actum erumpat, impetrando novum Dei auxilium. Si posterius, ergo ex solo nutu voluntatis pendet, ut cum tali potentia, seu gratia sufficiente justus bene operetur: ac consequenter, efficacia gratiæ, ex uno eventu, seu consensu voluntatis repetitur, quæ ipsa est Molinæ sententia.

Resp. neg. antec. duo hic distinguenda sunt, dogma fidei oppositum errori primæ propositionis, & explicatio hujus dogmatis: non hic jam quærimus, qua ratione potentia illa relativa, quam in gratia sufficiente Catholica respectu cujuslibet oppositæ cupiditatis superandæ agnoscimus, in actum erumpat, an sola sine novo ex parte Dei auxilio, an cum illo dumtaxat novo auxilio: neque quid ex parte voluntatis necessarium, ut uberius Dei auxilium impetrando potentiam illam in actum reducat. Pertinet istud ad explicationem dogmatis Catholici, quam variari, variis scholæ opinionibus, salva fide, Ecclesia permittit: atque Thomistis perinde, ac omnibus solvendus ille nodus est. Quod illi dixerint, ut exponant quid ex parte voluntatis, gratia dumtaxat sufficiente Thomistica instructæ, necessarium sit ut impetret uberius Dei auxilium, & bonum operetur, hoc & nos dictum non abnuemus. Verum, hoc unum in præsentiarum volumus, quod ad institutum nostrum attinet, doctrinam scilicet Jansenii, qua statuit gratiam sufficientem nihil aliud esse, quam inferiorem delectationem actuali concupiscentiæ, ipsi proinde vincendæ imparem, omnino adversari dogmati Catholico contra errorem primæ propositionis definito. Quia injustis sola illa gratia sufficiente sensu Jansenii, instructis nulla est, propter inæqualitatem virium, potentia vera, & relativa, qua possint superiorem actualem concupiscentiam vincere, ac præceptum implere, adeoque præceptum respective ipsis impossibile est.

Urgebis denique, si justus per gratiam sufficientem absente efficaci cuilibet concupiscentiæ superandæ pares vires haberet, ut quid Ecclesia postulat a Deo, ut in nobis augeat fidem, spem, caritatem? cum haberet sufficientem gratiam: *quid stultius*, ait S. Aug. lib. de natura, & gratia cap. 18. *quam orare ut facias, quod in potestate habeas?*

Præterea, si minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, ad quid specialis illa providentiæ cura, quam justi in tentationibus, quibus pulsantur, a Deo suppliciter implorant, ut victores evadant? non alia profecto de caussa, quam quod probe noverint, gratiam, nisi gradibus, virtuteque concupiscentiæ superior fuerit, non posse illam superare.

Resp. 1. merito Ecclesiam a Deo postulare fidei, spei, caritatis augmentum, quarum nempe vim, & ardorem, culpa nostra sæpissime in nobis refrigescere experimur. 2. multis de caussis justos aliquando teneri suis orationibus uberiores a Deo gratias implorare. 1. quia sic jussit Christus: *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem &c.* 2. quia hæc ipsa gratia sufficiens, quam habent justi, Dei donum est. *Vult autem Deus a a se requiri, quod pollicetur*, ait S. Bernardus hom. 3. super missus est. 3. quia tanta est in præsenti vita tentationum frequentia, tanta infirmitas, ut nisi justi animus ad Deum supplici oratione se convertat, brevi ex justitia, quam accepit, deficiet. 4. quia cum illa sola sufficiente gratia non semper justus potest proxime, ac immediate observare præceptum, sive ex tentatione, sive ex difficultate; Unde justum, opus est, orationibus ad Deum confugere, quo munitus præsidio mandatum adimpleat. *Deus enim jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*, ait S. Augustinus. Cum vero S. Doctor asserit *stultum esse orare, ut facias, quod in potestate habeas*, Pelagianos carpebat, qui solis naturæ viribus legem adimplere posse contendebant. *An*, inquit, *ista irrisoria petitio est, cum id a Deo petitur quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate?* lib. de dono persev. cap. 2. Potest autem ac debet postulari a Deo, id, quod ex ipsius dumtaxat gratia habemus in nostra potestate. Insuper non postulatur gratia sufficiens, quæ habetur, sed ea, quæ postea necessaria erit.

Ad 2. specialis, & mira illa divinæ gratiæ in tentationibus occurrentibus superandis, ac cordibus nostris inflectendis providen-

videntia, non consistit sicut Jansenio placet in ipsius virtute agendi per gradus; sed in miris modis, quibus S. Augustinus sæpissime affirmat Deum operari in cordibus hominum bonas voluntates, & potestatem flectendi, quo voluerit. In systemate vero Jansenii, modus agendi gratiæ, quasi mechanicus pro graduum proportione, ac mensura nihil in se mirum, ac stupendum continet, & ad explicandum difficile.

Dices 2. S. Augustinus l. de diversis quæstionibus ad Simplicianum q. 2. n. 21. fatetur orationis gratiam non omnibus dari, *nonne*, ait, *aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & pene nulla, immo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia si, vel hoc dolemus, jam oramus*. Ergo non tantum immediate, sed etiam mediate, defectu gratiæ ad orandum necessariæ, mandatum est quandoque impossibile.

Resp. 1. S. Doctorem generatim loqui de gratuita orationis gratia omnibus hominibus necessaria; Nos tamen hic loqui speciatim de justis, quibus talem gratiam non deesse contendimus. 2. Justi non orant quidem semper ut oportet, quantum oportet, ut uberius Dei auxilium impetrent: verum eorum culpa est, quod ita non orent, cum habeant ex gratia sufficientes vires ad orandum: Unde S. Augustinus loco citato ait quidem orationem nostram aliquando *tepidam, frigidam, ac pene nullam esse*; at non ait deesse gratiam, per quam oratio ardentior fieri possit.

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

HÆc propositio est legitime extracta ex Jansenio, asserit enim omnem gratiam, ac ejus effectum semper efficacem esse; cujus est capax relative, sive plenus ille sit, ac perfectus, sive imperfectus, ac debilis. Sic l. 2. de Gratia Christi cap. 4. referens discrimen gratiæ sanantis, & medicinalis, quæ hujus status propria est, sic loquitur: *Gratia sana voluntatis, in ejus libero relinquebatur arbitrio; ut eam si vellet desereret, aut si vellet uteretur: gratia vero læsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio, ut eam deserat, aut arripiat si voluerit, sed ipsa fit potius illa postrema gratia, quæ invictissime facit, ut velit, & a voluntate non deseratur .... alterum adjutorii genus est*, quo *simul ac datum fuerit, fit effectus, & si non detur, numquam fit*. *Nempe quia tantæ necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri, tantæque efficaciæ, ut hoc ipso quo datur, continuo fiat. Dat enim simul, & posse & operari*, sic cap. 24. & cap. 25.

Præter illam gratiam victricem, aliam agnoscit Jansenius, non victricem, quamquam suo modo semper efficacem, quia eum semper assequitur effectum, cujus est capax, & propter quem a Deo datur, habita ratione circumstantiarum subjecti, cap. 27. ejusdem libri 2. de Gratia Christi. *Nullam*, ait, *Augustinus agnovit actualem Christi gratiam, quam efficacem, nec agnoscere potuit, nisi regulas omnes fundamentales quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, velit interimere*.

In sententia ergo Jansenii, qualibet gratia eum semper effectum obtinet, cujus relative ad oppositam delectationem capax est; & ad quem, habita ratione hujus delectationis superioris, producendum a Deo datur, sive perfectum, si concupiscentia inferior fuerit, & gratia superior; sive imperfectum, si superior fuerit cupiditas, & gratia inferior; & hinc ex mente Jansenii, interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nusquam resistitur.

Ex eodem fonte delectationis superioris profluit hæc secunda propositio. Nam lib. 2. de gratia Christi c. 24. laudato; *Gratia tollit omnem ejus* (voluntatis) *resistentiam, rapit eam secum, & ex invita volentem, ac se determinantem ineffabili suavitate ac potestate facit*. Non tantum ad bonum, sed etiam ad malum delectatione prævia nos duci docet Jansenius; *Unde etiam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur*.

Discipuli Magistrum sequuntur, & duplicem distinguunt gratiam; Unam victricem, & per se efficacem, *quæ semper in cordibus nostris effectum ad quem a Deo datur, producit*, & cui nunquam resistitur, alteram, *quæ cordis duritiam* ex se propriaque natura auferre quidem potest, sed *qua homo motus non semper vult, aut agit efficaciter, & perfecte quod volendum, & agendum est: nihilominus proximum effectum quem Deus intendit, boni scilicet, & inchoati desiderii motum, consequitur*: cui etiam ex parte nusquam resistitur. Quantum vero ad alium effectum plenum, ac perfectum, ad quem ea gratia ex se absolute tendit, & ordinatur, & quem propter oppositam majorem cupiditatem non assequitur, proprie ipsi non resistitur; quia, effectum illum relative obtinere non potest, propter obicem ardentioris concupiscentiæ: loquendo stricte, resistere gratiæ, est eam frustrare eo effectu, quem habere potest in his circumstantiis in quibus datur. Porro hunc modum agendi gratiæ repetunt Jansenitini ex delectatione, quæ major, vel minor est concupiscentia, ut videre est in Paulo Irenæo, in Dionysio, Raymundo, & in Sambovio.

Verus sensus secundæ propositionis Jansenii.

GErmanus secundæ propositionis sensus est : quod nempe Gratia Christi eum effectum consequitur, cujus est capax relative ad oppositam cupiditatem ; seu quem ipsi promittit opposita cupiditas. Si hæc fuerit superior, gratia inefficax tantum ad bonum motum excitabit : Si vero inferior fuerit cupiditas, gratia bonum opus obtinebit : Et ita gratia semper efficax est, licet non semper victrix ; semper efficax, quia semper aliquid efficit ; non semper victrix, quia non semper superat oppositam concupiscentiam ; & consequenter nusquam ei resistitur ; non quantum ad effectum plenum, si fuerit victrix : non etiam quantum ad effectum imperfectum, si victrix non fuerit, quia eo numquam frustratur. Quantum vero ad effectum perfectum, ad quem gratia etiam non victrix ex se se, & propria natura absolute tendit, proprie loquendo ipsi non resistitur, quia eum relative ad oppositam majorem cupiditatem consequi non potest in doctrina Jansenii : ergo nec ipsi sub illo respectu proprie resistitur. Sic Janseniani in scripto trium Columnarum : *Gratia Christi*, ajunt, *ad singulos pietatis actus proxime, & necessario numquam resistitur, hoc est numquam illa frustratur eo effectu ad quem a Deo proxime datur* (voluntate ad circumstantias attendente). Qui alium sensum quærit in Jansenio, cum larvis, & umbris luctatur.

Ex sensu proscripto Jansenii facile cognoscitur quis sit sensus Ecclesiæ : nempe in statu naturæ lapsæ, quamlibet gratiam non eum omnem semper effectum habere, cujus capax est relative ad oppositam concupiscentiæ delectationem ; Potest enim relative eum effectum habere, quem tamen non habet, quia ex laudato S. Thoma, *minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale*. Ad removendum igitur sensum Jansenii non satis est si dixeris, vel interiori gratiæ aliquando resisti, vel gratiam ulteriori suo effectu, ad quem natura sua, & voluntate Dei antecedente ordinatur, aliquando frustrari, nec cum ipso semper reciprocari, vel inefficacem interdum esse : istos loquendi modos ultro ad mentem suam intellectos Janseniani amplectuntur ; Arnaldus, D. Nicole in suo systemate, auctor Epistolæ ad Episcopum anno 1661. Paulus Irenæus, Sambovius, auctor scripti qui incipit *in nomine Domini* &c. Sicut & ipsemet Jansenius libro 2. de Gratia Christi cap. 27. Nihil enim aliud his terminis volunt, nisi quod gratia in se ipsa, seu absolute spectatæ, facta circumstantiarum subjecti præcisione, resistatur : Quod ea victrix semper non sit, nec eum effectum assequatur, ad quem], natura sua, & antecedente Dei voluntate tendit, ordinatur, ac disponit. Verum illud apud ipsos ratum semper stat, gratiam relative ad oppositam cupiditatem cum semper effectum a voluntate exprimere, cujus est capax, habita ratione actualis oppositæ cupiditatis : adeoque ei proprie sub eo respectu, de quo uno quæstio movetur, non resisti, cum proprie, & accurate loquendo non resistatur gratiæ ratione hujus effectus, quem his in circumstantiis habere non potest. Ergo propositio contradictoria doctrinæ Jansenii hæc est : quamlibet gratiam actualem interiorem voluntatis, non omnem eum semper effectum sortiri, quem intendit Deus, spectatis subjecti circumstantiis, & quem voluntati permittit operari gradus concurrentis actu delectationis terrenæ.

Dices 1. omnis gratia actualis interior, quæ datur per voluntatem Dei consequentem, & absolutam, eum semper effectum omnem sortitur, quem Deus ea voluntate, quæ semper impletur, intendit : sed omnis gratia, quæ datur a Deo spectatis subjecti circumstantiis, datur per voluntatem consequentem, & absolutam ; voluntas enim antecedens abstrahit a circumstantiis : ergo omnem effectum semper sortitur, quem Deus intendit, nec ipsi resistitur.

Resp. neg. min. Nam virtute antecedentis Dei voluntatis conferuntur justis, & aliis saltem præparantur gratiæ sufficientes relative ad dispositiones subjectorum. Distinctio enim inter voluntatem Dei, quæ consequens, vel antecedens dicitur, non repetitur, juxta D. Thomam in sent. dist. 46. quæst. 1. art. 2. ex præcisis, vel spectatis circumstantiis concupiscentiæ subjecti, sed ex supposito, vel non supposito consensu voluntatis. Unde voluntas Dei antecedens non abstrahit ab omnibus subjecti circumstantiis, sed tantum a consensu, vel dissensu subjecti, ad quem consequens Dei voluntas attendit.

Unde si quidam ex Thomistis asserant, quod voluntas antecedens abstrahat ab omnibus subjecti circumstantiis, illorum Theologorum est suam hanc sententiam cum Sancto Thoma conciliare. 2. In hac etiam illorum sententia gratia sufficiens dat etiam posse relativum ad circumstantiam actualis concupiscentiæ ; quia juxta D. Thomam *minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, gratia sufficiens*, ait Alvares lib. 8. de auxiliis divinæ gratiæ disput. 76. num. 6. *est sufficiens comparatione conversionis perfectæ, licet semper sit efficax respectu alicujus effectus*.

Unde licet formaliter explicite in mente illorum Theologorum, gratia sufficiens non dicat ordinem ad illas circumstantias, dicit

tamen

tamen eminenter ob eximiam, quam habet virtutem, ut possit superare concupiscentiam.

Urgebis cum auctore vindiciarum S. Thomæ circa gratiam sufficientem sect. 3. art. 4. apud caussam Arnaldinam ex S. Thom. in 1. dist. 47, quæst. 1. art. 2. *Operatio non correspondet voluntati Dei antecedenti, sed consequenti. Et voluntas antecedens non habet effectum, nisi voluntas consequens adjungatur*, ait idem S. Doctor lib. 1. ad Annibaldum dist. 47. quæst. de voluntate Dei art. 2. ad 2. ergo voluntas Dei antecedens est otiosa, & sterilis.

Respondet Gonetus Tom. 1. disp. 4. de voluntate Dei antecedente art. 5. §. 2. refellens ex professo dictum argumentum, distinguendo: operatio, & effectus principalis (qualis est collatio gratiæ efficacis, seu præmotionis physicæ ex parte Dei, ac plenus & perfectus ex parte voluntatis consensus in opus bonum) non correspondet voluntati Dei antecedenti, seu consequenti, concedit; operatio, & effectus minus principalis, qualis est præparatio auxiliorum sufficientium, negat. Unde concludit quod *voluntas illa antecedens, ad statum naturæ lapsæ non est omnino otiosa, nec simplex complacentia de salute hominum .... per illam enim Deus omnibus proposuit salutis præcepta, consilia, remedia; & omnes homines in finem supernaturalem ordinavit .... Et per illam salus omnium hominum, etiam reproborum fit saltem incomplete, & initiative futura: unde falsum est ... Deum per voluntatem antecedentem nihil penitus circa hominum salutem operari.*

Denique addit, per voluntatem antecedentem Deum nihil velle simpliciter eorum, quæ hominum ad salutem conducunt efficaciter, concedit; inefficaciter, negat: *Licet enim*, inquit, *media ad salutem efficaciter conducentia Deus velit, & præparet per voluntatem consequentem ... media tamen, & auxilia, quibus homo sufficienter ad vitam æternam promovetur, & ordinatur, ad voluntatem Dei antecedentem referuntur.* Præterea subjungit, voluntatem antecedentem dici secundum quid, non quidem respectu omnis voliti per voluntatem, sed tantum respectu voliti principalis, hoc est æternæ salutis, & mediorum efficaciter ad illam conducentium; hæc enim per voluntatem antecedentem Deus non vult simpliciter, sed tantum secundum quid. Auxilia tamen sufficientia, quæ sunt volitum minus principale, & quæ ad salutem efficaciter non conducunt, Deus vult simpliciter, & absolute per voluntatem antecedentem. Hæc ille.

Dices 2. omnis gratia interior semper illuminat, ac movet voluntatem: ergo semper hunc vitalem effectum assequitur, adeoque ipsi nusquam plane resistitur.

Resp. 1. falsum est consequens in opinione illorum, qui dicunt gratiam formaliter esse illuminationem mentis, & motionem voluntatis; sic enim illuminatio, & motio non est effectus gratiæ, sed ipsamet ejus natura. Sic aliqui reponunt apud Alvarez.

Resp. 2. In sententia eorum, qui volunt cum Alvarez, gratiam primo prævenientem, formaliter loquendo, non esse actum vitalem indeliberatum, sed motionem Dei ordine caussalitatis antecedentem actum nostrum vitalem ordinis supernaturalis, distin. Gratia illuminando mentem &c. aliquem effectum vitalem saltem indeliberatum semper operatur; verum est. Effectum vitalem deliberatum semper operatur, falsum est. Nec in sententia Thomistarum, gratia excitans semper actum deliberatum obtinet ex voluntate, ad quem moraliter tantum disponit, & excitat, ut nempe, accedente gratia operante, actum illum assequatur. Nam si gratia excitans physice moveret, suum semper obtineret effectum: ergo moraliter tantum movet. Quapropter non semper id obtinet, ad quod movet.

Urgebis: ergo saltem quando gratia excitans Thomistica, accedente gratia operante, deliberatum actum tametsi inchoatum, & imperfectum obtinet, ipsi non resistitur.

Resp. dist. consequens. Ipsi non resistitur, ratione illius actus deliberati imperfecti, quem producit beneficio gratiæ operantis, respectu cujus actus non est tantum sufficiens, sed efficax, concedo: non resistitur ratione effectus ulterioris perfecti, seu boni operis, quod non producit, & cujus tantum respectu est, & dicitur sufficiens relative, propter æquales quas confert vires ad debellandam actualem concupiscentiam ab illo bono opere retrahentem, nego. Itaque gratia excitans Thomistica non semper habet, nec semper privatur effectu deliberato. Quando contingit eam illo effectu deliberato privari, hæret in ordine gratiæ pure sufficientis: cum vero actum illum deliberatum obtinet, & sufficiens, & efficax vocatur, sub vario respectu: efficax quidem, quantum ad effectum illum deliberatum, quem ex gratia operante producit; sufficiens vero, respectu effectus ulterioris, ad quem producendum disponit, ac sufficientes relative vires subministrat.

Urgebis denique. Gratia sufficiens Thomistica datur tantum ad posse; sed semper dat posse: ergo semper obtinet id, ad quod datur.

Resp. neg. antec. datur enim non tantum ad posse, sed etiam ad agere; tametsi actum secundum se sola non obtineat. Quod autem semper posse conferat, ipsius natura est, seu, ut ajunt, effectus formalis.

TER-

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum, & demerendam in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

UT doctrina Jansenii circa libertatem, hac tertia propositione contenta, intelligatur: observandum primo est, libertatem spectari posse, vel generice, prout communis est Deo, Angelis, & homini tum lapso, tum innocenti: vel specifice quoad statum ejus peculiarem, seu quatenus propria est hominis lapsi, & viatoris. De libertate hoc sensu hic agitur.

Observandum 2. triplicem vulgo libertatem distingui: nempe a servitute, seu subjectione, a coactione, & a necessitate. Liberum a servitute dicitur, quod liberatur vel a peccato, vel ab ejus miseriis, vel ab alia quacumque servitute: de hac tertia specie, nulla hic quæstio: liberum a coactione, idem est ac spontaneum, & opponitur coacto seu violento: est autem violentum, quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim, immo reluctante quantum potest. Liberum denique a necessitate dicitur, quod est indifferens: quæ indifferentia, vel est ad duo contradictoria, seu ad agendum, & non agendum, & vocatur indifferentia contradictionis, & exercitii; vel est ad eligendum unum de duobus contrariis, bonum, vel malum, virtutem, aut vitium, & dicitur indifferentia contrarietatis, seu specificationis. Posset admitti quædam tertia species indifferentiæ, cum nempe voluntas ad agendum sive bene, sive male determinatur quidem, sed tamen potest hoc, vel illud bonum, hoc vel illud malum amplecti, aut non amplecti.

Observandum 3. triplicem hic potissimum distingui debere necessitatem; unam coactionis, alteram naturalem, tertiam simplicem. Necessitas coactionis, seu violentiæ fit a principio extrinseco nihil conferente, immo resistente passo. Talem necessitatem nusquam voluntati inferri posse, omnes fatentur: quia omnis actio voluntatis, eo ipso voluntaria est, ideoque a principio interno, & consequenter non coacta. Necessitas naturalis inclinationis est ea, quæ determinat essentialiter ad unum ex principio intrinseco naturali, qualis est necessitas in omni ente intellectuali amandi beatitudinem in genere; & in Patre divino generandi Filium suum; in Patre, & Filio producendi Spiritum Sanctum. Placet aliquibus Theologis talem productionem, tametsi necessariam, appellare liberam, quæ quæstio parvi certe momenti est, totaque de nomine.

Denique simplex necessitas est invincibilis, & insuperabilis ad unum determinatio: dicitur etiam voluntaria, quia voluntas tali determinationi cum judicio rationis sponte obsequitur, tametsi necessario; nec fieri potest, ut ei non consentiat. Quæ necessitas rursus vel est perpetua, & immutabilis, qualis est in beatis ut Deum ament; vel mutabilis, ac transiens, qualis est ea, de qua in tertia propositione Jansenii agitur.

His præmissis, non ignorat Jansenius l. 6. de gratia capite 6. doctrinam suam de non requisita in hocce statu ad merendum, vel demerendum libertate a necessitate, miram, ac stupendam novitate sua cunctis videndam fore, & ea offendendos esse viros Catholicos: ut ergo fucum faceret, existimavit quædam prælibanda esse de libertate generice sumpta, ac in præfatione librorum 6. & 7. de Gratia Christi, in quibus de libero arbitrio agere volebat, asserendum, se de illa libertate generice sumpta locutum fuisse. Id ipsum revera data, & non data occasione identidem obtrudit, verum fraus, & fallacia Jansenii nullos fefellit. Nemo non vidit illum de libertate hujus status, non de alia, quæ ad ipsius systema non pertinebat, unice cogitare.

Primo ergo asserit inter essentiam libertatis generice sumptæ, & statum ipsius distinguendum esse, *inter actum liberum, & statum libertatis permagna differentia est*, ait l. 6. de Gratia Christi c. 34. *aliter Deus, aliter Angeli viatores, & primus homo, aliter beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus Dominus in via constitutus liber fuit. Nec ullo pacto, quæ in uno statu libertatis adsunt, aut etiam requisita sunt, ad alterum extendenda sunt.* Essentialis autem li- libertatis generice sumptæ ratio, juxta Jansenium, consistit in voluntario deliberato, tametsi necessario, ut mox patebit; quamquam pro vario statu agentis liberi, varia, & dispar sit ea necessitas, quod explicat Jansenius his verbis: *Liberum arbitrium in Deo per naturæ constantiam, in Beatis per gratiæ beneficium ad bonum semper determinatum est; in damnatis ad malum ... Rursum in Angelis, & primo homine viatore indifferentissimum fuit ad bonum & malum, in hominibus lapsis viatoribus itidem indifferens, sed longe minus, utpote qui vident aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ ... in Christo Domino viatore, nullo pacto ad malum flecti potuit. Ita fit*, concludit Jansenius, *ut liberum arbitrium pro naturæ cujusque, vel ordinis instituti divinitus, vel meritorum diversitate, diversum statum sortiatur ... citra tamen ullam ipsius liberi, seu formalis rationis libertatis varietatem.*

Ergo ex Jansenio, uniformis est in omni agente libero formalis, ac essentialis ratio liber-

libertatis, quod nempe sit voluntarium deliberatum, tametsi necessarium: quæ necessitas varia est pro vario statu agentis liberi. Immutabilis, & perpetua ad bonum in Deo, in Christo, in beatis. Immutabilis, & perpetua ad malum in damnatis. In omnibus autem viatoribus, nec perpetua, nec immutabilis est, sed fluxibilis ab bonum, & malum. *Hominum viatorum*, inquit, eodem capite, *non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse* (id est flexibilem) *fatemur perlibenter*.

II. Igitur Jansenius asserit identidem libertatem in genere in uno voluntario deliberato consistere, nec essentialiter aliud postulare. *Voluntas seu volitio*, ait eodem lib. 6. de Gratia Christi cap. 5. *& libera voluntas idem sunt, sicut velle, & libere: & impossibile sit, ut velle non sit liberum*, quod probaverat paullo ante his verbis, *quia nihil magis facimus, quando volumus, quam ipsam volitionem; & ideo nihil magis in potestate nostrâ, quam ipsa voluntas, id est volitio constituta est. Est enim ipsa radix totius libertatis, quæ in omnibus omnino actionibus sive externis, sive internis apparet. Itaque libera est voluntas, hoc est volitio ratione sui, quia est essentialiter libera; sicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus: hoc est, ut sit voluntas*.

Voluntarium porro illud, in quo Jansenius libertatis rationem collocat, debere esse deliberatum, hoc est ex advertentia, & cum judicio rationis, & approbatione seu complacentia voluntatis, docet idem Jansenius citato cap. 5. lib. 6. de Gratia Christi, ubi motus indeliberatos quamquam voluntarios, liberos esse negat; quia in nobis rationis, ac deliberationis usum antevertunt. Quibus positis, & laudatis aliis Jansenii testimoniis concluserunt Theologi revera in Jansenio esse tertiam proscriptam propositionem. Verum Paulus Irenæus, & Dionysius Raymundus reposuerunt: nequaquam posse colligi tertiam propositionem ex iis locis, cum Jansenius non de libertate hujus status, ad merendum necessaria, de qua tertia propositio, sed de libertate generice sumpta locutus esset.

Verum mala fide dissimularunt illi, cum Jansenius de libertate utroque modo consideratâ, & certe potissimum de libertate hujus status disputavit. Quis enim facile crediderit, cum unice de libertate generatim sumpta, quæ parum ad institutum suum conducebat, egisse; non vero de libertate ad merendum, vel demerendum in hoc statu necessaria, de qua potius unice erat quæstio, ex qua laus, aut vituperium actionum nostrarum pendet? Egit profecto de hac ipsa libertate, quam Manichæi negabant, Pelagiani vero, ac Semipelagiani plus æquo extulerant, quam eximie S. Augustinus adversus primos asseruit, & adversus alios intra debitos fines compescuit: quam denique Jansenius ipse, cum efficaci gratiæ motione stare, ac conciliari, ostendere conatus est. Quis porro ita stupidus, qui non intelligat istam pertinere ad libertatem propriam hujus status, non vero tantum ad libertatem universim sumptam? sed juvat adductis ipsissimet Jansenii verbis id demonstrare.

III. Jansenius docet, libertatem hujus status ad merendum, vel ad demerendum necessariam, unam excludere dumtaxat coactionem, ac violentiam, non vero simplicem necessitatem mutabilem, ac transeuntem. Cum manifeste sequatur hæc doctrina ex prima propositione Jansenii. Docet enim justis aliquibus præcepta esse impossibilia, & tamen eos peccando demereri; affirmare cohærenter debebat, ad demerendum non requiri libertatem a necessitate: eadem porro, quantum ad libertatem, Jansenio ratio est meriti, ac demeriti. *Peccati & operis boni*, ait libro 4. de statu naturæ lapsæ capite 24. *quantum ad vetitum, aut præceptum, dehortationem, & exhortationem, vituperium, & laudem, ipsamque adeo arbitrii libertatem attinet, par est ratio*. Ergo &c.

Et eodem capite de libertate præsentis status loqui Jansenium, patet ex his verbis: *Sic ergo, & hic* (hoc est in præsenti vita) *etiam si ille perversus amor sui, in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapsa est, & in quo ex justissima Dei damnatione perseverat, & ex quo omnis actus, vel omissio damnatæ voluntatis fluit, firmissime adhæreat voluntati; immo etiamsi non solum specificatione, ut nunc est, sed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus esset necessarius, non tamen ex Augustini mente desineret esse liber*. Vide ex Jansenio, quod licet voluntas in hac vita tam firmiter malo adhæreat, quam beati in Cælis bono adhærent, adhuc tamen foret libera. Nota hic obiter fraudem Dionysii Raymundi 1. parte, capite 4. qui citatum Jansenii textum Gallice reddens, suppressit particulam *hic*; qua indicat Jansenius se de libertate hominis lapsi loqui: & libro 6. de Gratia Christi capite 24. postquam retulit istam S. Thomæ sententiam in 2. distinct. 25. articulo 4. ad 4. *Numquam liberum arbitrium ad peccandum compelli, seu cogi, quia jam sibi in peccatum non imputaretur*. *Quasi indicans*, addit Jansenius, *hoc sufficere, ut in peccatum imputetur, quia non cogitur*. An porro de libertate generice sumpta hæc dixerit Jansenius, sicut contendit Paulus Iræneus, nonne aperte loquitur de libertate hujus status necessaria ad merendum, vel deme-

emerendum? ergo docet Jansenius libertatem illam excludere actionem, non simplicem necessitatem. Sunt infinita alia testimonia, quæ referre possem ex Jansenio ad probandum ipsum solum excludere necessitatem coactionis; sed ne infinitus essem ea prætereo.

Hæc tertia propositio facile connectitur cum doctrina delectationis superioris, & relativæ. Cum totus in eo sit Jansenius, ut probet liberum in voluntario deliberato reponi; nosque id magis velle, quod magis delectat, consequenter illud magis liberum ipsi est, quod voluntatem majori delectatione demulcet, ac rapit, tametsi necessario. *Hæc delectatio* ait Jansenius lib. 6. de Gratia Christi cap. 35. *sicut facit voluntatem velle, & sine qua non potest velle quia non lubet, ita facit eam libere velle*. Et l. 4. cap. 7. dixerat: *Delectationem omnis operationis secuturæ mensuram esse.... tanto enim quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardentius; Quod autem magis volumus, ac diligimus, secundum id operemur necesse est.*

Lib. 8. cap. 9. Pelagianis conquerentibus in sententia Augustini, liberum arbitrium per gratiam, vel concupiscentiam penitus subverti, non aliter S. Doctorem quærimonias illas compescuisse, docet Jansenius, nisi quia id maxime liberum sit, quod est voluntarium; eoque magis voluntarium, quo fit ex majori utiliori delectatione. Insuper docet Jansenius beatos in cælis libere amare Deum, eoque liberius, quo majori voluntatis affectu ex summa, qua perfunduntur voluntate, in eum ferantur. Nec inde tamen infert Jansenius, beatos in Cælis mereri, quia sunt in termino, ubi nullus est amplius merito locus.

Verus ac germanus tertiæ propositionis Jansenii sensus.

EX dictis facile colligitur quinam fuerit Jansenii sensus in hac tertia propositione & est. Omnem scilicet deliberatum voluntatis actum tametsi necessarium, eo ipso liberum esse libertate ad merendum, vel demerendum sufficiente, quod fiat per delectationem relative victricem, seu cælestem, seu terrenam, qua voluntas non invita quidem, nec coacta, sed sponte ac consentiendo necessitati simplici ad unum applicatur, & determinatur: unde sensus propositionis tertiæ non est, necessitatem naturalem, qualem habemus ad amandam beatitudinem in communi, aut involuntariam, qualem etiam experimur in motibus 1. primis, & indeliberatis, vel necessitatem antecedentem, hoc est, quæ antecedit, & rationis advertentiam, & gradum superiorem actualis concupiscentiæ, cujus effectus inde pendens est a voluntate, & consensu; ut ait D. Nicole in suo systemate pag. 64. vel necessitatem immutabilem, qua voluntas alicui parti est immobiliter ac perpetuo affixa; vel necessitatem absolutam, quæ ex se semper, ac ubique & præcisis subjecti circumstantiis ad unum quid invicibiliter, ac insuperabiliter determinat; vel necessitatem exercitii, qua nempe aliquis actus singularis ita necessario elicitur, ut excludatur omnis opposita vel minima delectatio, qualis est in beatis ad amandum Deum clare, & intuitive cognitum; sensus, inquam, non est, hujusmodi necessitatis species non nocere merito hominis lapsi, & in quibusdam hujusce status meritorii actionibus reperiri: certum etenim est omnes a Jansenio disertis verbis excludi tamquam alienas a libertate, ut nunc est. Verum sensus est, necessitatem simplicem, deliberatam, voluntariam, mutabilem, relativam specificationis, quæ absolutam quidem, sed non relativam ad præsentes subjecti dispositiones potentiam relinquit, (Quas necessitatis species Jansenius admittit) cohærere cum libertate hujus status.

Neque etiam sensus propositionis est, libertatem hujus status conciliari cum physica necessitate, si per physicam necessitatem eam intelligas, quæ aut plane involuntaria est, aut aliunde quam ex superiori delectatione profluit. Hujusmodi necessitatem ultro respuunt Janseniani, non eam vero quæ oritur ex delectatione superiori, & ex prævia cognitione, ac deliberatione voluntatis. An vero dicenda sit talis necessitas physica, vel moralis in doctrina Jansenii, mox inquiremus.

Quæres 1. an Janseniani delectationis necessitatis voce utantur?

Respondet Paulus Irenæus disquisit. 4. art. 7. *Augustinianos necessitatis nomine raro admodum, nec fere unquam sine explicatione subjecta uti. Necessitatis vero gratiæ voce, quia male animo ficta & composita est, nusquam illos usos reperies.*

Ludovicus de S. Amour Diarii part. 6. c. 21. ait, *nusquam Augustinianis in animo fuisse ridiculum illud ac insulsum gratiæ necessitantis, quo indifferentia voluntatis penitus tollitur, phantasma defendere.*

D. Nicole in suo de Gratia Systemate dicit omnes prorsus homines solo naturæ ductu in eam conspirasse sententiam, nemini ad pœnam imputari posse, quod necessitate physica & antecedente commisit. Per necessitatem physicam eam ille intelligit, quæ antevertit rationis & deliberationis usum.

Abbas de Bourzeis in 4. Colloquio pariter asserit Augustinianos facile consentire reticendum esse nomen necessitatis seu physicæ, seu moralis.

Quia necessitatis nomen invidiosum est, ultro Janseniani, ne Catholicos offendant, illud supprimi consentiunt, modo tamen

sensum nomine expressum retinent. *Certo sensu*, ait mox citatus Abbas, *dicimus nos non posse non consentire gratiæ, seu gratiæ necessario consentire ... de hujusmodi loquendis formulis parum solliciti sumus, iis non adhæremus, raro aut nusquam iis utimur. Nobis sufficit*, pergit ille, *quod hæc sola nobis veritas concedatur, quoties nimirum gratiæ Dei consentimus, id oriri semper ex eo quod rectus amor, quem Deus inspirat, viribus superior est perverso amori, & quia viribus superior est, idcirco eum certissime superare.*

En radix ac fundamentum veræ, propriæ ac realis necessitatis, cui voluntas resistere relative non potest. Modo fundamentum istud in tuto sit, parum de nomine solliciti videntur. Janseniani rem nomine significatam fovent ac retinent, tametsi repudiato ipso nomine.

Quæres 2. an in rei veritate necessitas quam delectatio superior imponit, juxta doctrinam Jansenii, dici merito possit antecedens, absoluta, physica vel moralis.

Resp. litem esse de nomine, quæ remota ambiguitate.

I. Si antecedens necessitas ea dicatur, quæ vel rationis ac deliberationis usum, vel superiorem delectationis gradum antevertit, vel cujus effectus est independens a voluntate & consensu, procul dubio necessitas agendi sub motione delectationis superioris, antecedens dici non debet in mente Jansenii; quia actio ex tali necessitate elicita voluntaria est ac deliberata, ipsumque supponit actualem delectationis superioris gradum. Alio tamen sensu antecedens merito dici potest, quia oritur ex delectatione prævia indeliberata, quæ, ut loquitur Jansenius, non est in potestate voluntatis, ut eam nempe habeat vel rejiciat; & quæ actum voluntatis deliberatum necessario producit, cum necesse sit, ex Jansenio, voluntatem secundum id operari quod eam magis delectat.

Neque porro eadem est ratio præmotionis physicæ Thomistarum; hæc enim unum actum secundum respicit, non vero primum; adeoque ea vel præsente vel absente potentia est relative expedita ad oppositum. E contra delectatio superior Jansenii, potentiam ipsam simul & actum secundum confert; unde sine illa non tantum actio non fit, sed nec fieri potest. *Non aliter*, ait Jansenius lib. 7. de Gratia Christi cap. 3. *potest moveri voluntas ad bonum, nisi quia delectatur bono, quia dulcescit: quia arridet & placet: quia delectatione & complacentia si destituitur, velle nullo pacto potest*. Et lib. 2. cap. 4. *Hoc ipso quo datur*, (adjutorium quo) *simul usus ejus & influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum quod suapte efficacia facit influere facultatem.... Dat enim simul & posse & operari.*

II. Inde liquet quo sensu eadem necessitas agendi sub motione superioris delectationis, dici possit consequens, vel non consequens. Janseniani consequentem appellant, ac similem ei, quam Thomistæ, secundum illos, admittunt in sensu composito suæ physicæ præmotionis; eo nempe quod supponat præviam mentis cognitionem ac deliberationem voluntatis. Verum speciosis illis verbis imponunt. Ista quippe voluntatis deliberatio apud ipsos, non est, sicut Catholici vulgo intelligant, vis electiva, seu activa illa indifferentia, qua voluntas potest relative ad præsentes circumstantias agere vel non agere; sed est mera voluntatis, præeunte judicio rationis, in objecto suaviter alliciente complacentia, & quidem necessaria, a qua se ipsam cohibere non potest, cum necesse sit, ut sequatur id quod eam magis delectat. Ergo cum necessitas illa agendi sub motione delectationis superioris, non oriatur ex indifferentia voluntatis se ipsam pro arbitrio determinantis, immo potius voluntatem ad unum invicibiliter & insuperabiliter determinet; prorsus abusive & ad fraudem consequens appellatur. Namque recepto & communi Scholarum usu, necessitas consequens ea est, quæ sequitur ex ipsa libera voluntatis determinatione, seu ex usu & exercitio libertatis, qualis est necessitas loquendi in eo, qui, cum liber ac indifferens foret ut loqueretur, se ipsum tamen ad loquendum libere determinavit.

Non minus abutitur Jansenius cum suis isto Thomisticæ Scholæ loquendi modo, *in sensu composito*. In sententia quippe Thomistarum, sensus compositus præmotionis dicit tantum, non posse quidem componi actionem cum non actione aut ejus contraria; at semper remanet relative expedita & libera facultas ad oppositum. In mente autem Jansenianorum, necessitas illa in sensu composito delectationis superioris, importat secum non solum actum, ad quem determinat, & exclusionem actus contrarii, sed & negationem potentiæ relative ad oppositum expeditæ.

III. Eadem illa necessitas aliquo sensu dici potest absoluta & non absoluta. Non est absoluta, Jansenii sensu, id est talis quæ competat delectationis naturæ in se absolute spectatæ, sine ullo ad præsentes subjecti circumstantias respectu; quia secundum Jansenium, delectatio in se absolute neque victrix est, neque victa; sed aut victrix aut victa dicitur relative per comparationem ad aliam oppositam majorem vel minorem. Absoluta nihilominus dici utcumque potest, id est propria, vera & realis, cui voluntas relative non potest non obtemperare: quamquam in rei veritate, satis accurata ac nitida non est, nec rei præsenti accomodata hæc loquendi ratio, Necessitas enim

nim quæ oritur ex delectatione relativa victrice, non absoluta, sed relativa dicenda est: præsertim cum Janseniani, ut vidimus, potentiam absolutam ad oppositum ultro se admittere profiteantur, ac in ea admittenda se Catholicos habendos esse confidunt.

IV. Si necessitas physica ea tibi sit quæ est involuntaria, aut a voluntate independens, judiciumque rationis antevertit, fatemur ultro a Jansenio ejusque discipulis rejectam illam fuisse. Si vero ea intelligatur, ut intelligi profecto debet, quæ oritur ex delectatione superiori voluntatem ita physice movente & applicante ad unum, ut expedita relative non sit ad oppositum, physica est in doctrina Jansenii, non tantum moralis. Sic ille loquitur L. 8. de Gratia Christi cap. 3. *Non aliter*, inquit, *hoc facit* (delectatio gratiæ) *quam voluntatem inclinando, applicando, determinando, & quia prævenit ipsam voluntatis prædeterminationem, etiam prædeterminando, non solum moraliter, sed vera, reali & physica determinatione. Moralis enim prædeterminatio illa dicitur, quæ tantum se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur, sive extrinsecus sive intrinsecus: sed hæc se habet in ipsa potentia voluntatis, quam propriæ suavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote caussans in ea hoc ipsum, ut se determinet, ideoque prædeterminat.*

Hæc Jansenius aperte ac candide: ex quibus sequitur, necessitatem agendi sub motione physica delectationis superioris esse pariter physicam.

Verum divisi nihilominus inter se fuere delectationis superioris relative patroni, circa necessitatem illam physicam vel moralem appellandam; qui Jansenii principiis tenacius ac pressius adhæsere, ii moralem esse negarunt.

Leonardus Van Roy Augustinianus Facultatis Theologiæ Lovaniensis Licentiatus ac Theologiæ Professor in Theologia morali Antuerpiæ typis edita ann. 1702. 1. parte Tractatu de actibus humanis, quæstione ultima cap. 4. quod est de voluntario libero, hæc sibi objicit: *Sanctus Pater* (Augustinus) *peccata necessitatis adstruens, non de necessitate proprie dicta, sed de morali, juxta quam difficile est a peccato abstinere, loquitur*. Cui objectioni respondet, negando assumptum. *Quin*, inquit, *gratiam Dei ad bene agendum & peccata evitanda, voluntati sic necessariam asserit, quemadmodum lux ad videndum requiritur: porro sine luce dumtaxat difficile admodum, sed quodam sensu impossibile est cernere; ergo luce subtracta gratiæ, voluntas bene agere & offensam declinare nequaquam potest. Deinde si de morali tantum necessitate egisset, definitionem suam a Juliano sibi objectam, etiam peccato, quod est pœna peccati, adaptare facile potuisset; quod tamen Sanctus Pater ne vel conatur: solummodo respondens, peccatum esse voluntatem retinendi vel concupiscendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.*

Auctor harum Institutionum Tom. 2. Tractatu de Gratia docet pariter necessitatem illam non esse moralem, tametsi eam non appellet physicam. Et vero exempla, quibus Janseniani passim exprimunt necessitatem delectationis & ipsius modum agendi, ostendunt superiorem delectationem vinci non posse per inferiorem oppositam, nequidem physice. Exempla, inquam, hæc ex physicis petita, non tantum moralem, sed physicam arguunt impotentiam; ac consequenter physicam agendi necessitatem sub motione majoris delectationis.

Uno verbo, quotquot ex Jansenianis volunt, aut a voce necessitatis abstinendum esse, aut physicam aperte rejiciendam, ii sub alio mitiori vocabulo necessitatis moralis, eumdem plane sensum ingerunt, talem scilicet inducentes necessitatem agendi sub motione delectationis superioris, cui voluntas relative & in his circumstantiis non possit non consentire. Dicatur hæc necessitas moralis, non vero physica, perinde est, atque mutato nomine eadem difficultas recurrit. Ne ipse quidem Jansenius necessitatem hujusmodi recusaret moralem appellare, quæ nihil plane suo noceret systemati. An vero moralis idcirco dicenda, quia vel delectando operatur, vel ad mores pertinet? Esto, ita sit: at nusquam id negaverit Jansenius, qui vim illam gratiæ in delectatione superiori reponit, eamque ad mores melius informandos pertinere procul dubio non diffitetur. Ergo ad declinandam erroris Janseniani suspicionem, non sufficit quod moralis dumtaxat impotentia vel necessitas admitti dicatur, ultro subscribent Janseniani: sed necesse est eam necessitatem rejicere, quæ oritur ex motione superioris delectationis, qua voluntas ita rapitur ac ligatur, ut per oppositam, quæ in Jansenianorum sententia minor est, delectationem expedita & libera non sit, ut possit vel resistere, vel actum contrarium elicere.

Abusive prorsus, nostro quidem judicio, talis impotentia vel necessitas moralis nuncupatur. Ex communi quippe ac recepto usu necessitas moralis omnino impropria est, neque veram ullo modo impotentiam, sed summam dumtaxat agendi vel non agendi difficultatem significatione sua importat: ipsique voluntas non tantum resistere potest, sed aliquando re ipsa resistit. Talis est v. gr. necessitas agendi ex inveterato quodam habitu. An qui v. gr. avaritiæ, vel prodigalitatis diuturnum contraxit habitum, ita sem-

semper agit ex avaritia, aut prodigalitate, ut avarus nihil unquam donet, aut prodigus retineat? Verum multum profecto distat impotentia vel necessitas moralis Janseniana. Stante quippe delectatione superiori ad unum voluntatem determinante, actus oppositus non tantum nusquam fit, sed nec relative fieri potest, ob virium inæqualitatem delectationis inferioris respectu superioris. Istam porro necessitatem appellare moralem, manifesta videtur illusio, ac nominis abusus ad errorem Jansenii involvendum & occultandum compositus: quamquam nec patienter ferunt aures Christianæ dici, hominem, seu bene, seu male agat, non posse unquam, propter impotentiam moralem, qua premitur, aliter agere, quam agit re ipsa.

Verum, inquies, in sententia eorum Theologorum, qui admittunt ad singulos pietatis actus gratiam moraliter ex se efficacem necessariam esse, nonne sano sensu dici potest, sub motione illius gratiæ moralem adesse necessitatem ad bonum; & illa absente, moralem necessitatem ad malum? Pariter licet homo justus possit absolute omnia peccata venialia vitare; licet Magistratus gravis ac sapiens possit physica potentia histrionem agere: quia tamen nunquam contingit, ut vel justus omnia peccata venialia fugiat, vel sapiens Magistratus ludat in Theatro, idcirco vulgo dicitur moraliter impossibile esse justo, ut omnia peccata venialia fugiat; & sapienti viro, ut ludat in Theatro. Pari igitur ratione, quia nusquam contigit hominem gratia victrice excitatum male agere, dici potest eum moralem tunc habere impotentiam ad malum.

Resp. 1. Non posse admitti necessitatem moralem in illa Catholicorum quorumdam sententia, sub motione gratiæ per se efficacis. Necessitas quippe moralis agendi, juxta communem ac receptam acceptionem, oritur ex difficultate contrarium agendi, aut abstinendi ab actu: sæpe vero contingit, ut per gratiam efficacem homo res sibi difficillimas perficiat, ad quas posset dici habere impotentiam moralem; cum v. g. tentationibus externis & internis undique vexatus, vixque ullo rerum cælestium affectu sensibili recreatus, nihilominus quod Deo placere novit, constanter & heroice aggreditur, certe non necessitate morali ad bonum determinatur, immo impotentiam moralem, qua retardabatur, vincit ac superat.

Resp. 2. Quod etsi aliquo sensu tolerabiliter admitti posset ea in sententia moralis necessitas præsente gratia efficaci, propter nimirum infallibilem connexionem effectus cum tali gratia, & moralem impotentiam ad bonum absente gratia efficaci, nihilominus tolerari id non posse in systemate delectationis relative victricis. Ratio discriminis aperta est, quia præsente gratia efficaci, voluntas etiam relative expedita est ad resistendum; & ea absente, voluntas per gratiam sufficientem etiam relative ad gradus oppositæ actualis cupiditatis capax est, & pares seu æquales saltem vires habet ad operandum seu immediate, seu saltem mediate: non ita absente superiori ac relativa Jansenii delectatione; tunc enim voluntas ex sola gratia parva, comparate ad superiorem actualem concupiscentiam, non potest bene agere ne mediate quidem, quia parva illa gratia relative satis virium non habet, ut possit oppositam illam majorem cupiditatem superare: & quando Janseniani ajunt, interdum parvam illam gratiam ad majorem disponere, ludunt profecto, non enim disponit relative, sed tantum absolute: quia hoc dumtaxat sensu dici potest disponere, quatenus si ei ardentior cupiditas non resisteret, major accederet Dei gratia. (Qua loquendi ratione interdum Thomistæ utuntur occasione suæ gratiæ sufficientis). At cum in systemate Janseniano non possit voluntas relative non resistere huic parvæ gratiæ, quandoquidem majori opposita detinetur delectatione, non debet quoque his in circumstantiis gratia illa parva relative dici disponere ad majorem; immo nec absolute, quia in eodem systemate, gratia illa parva, si fides Jansenianis habeatur, se sola sine novo ex parte Dei auxilio, per solam concupiscentiæ imminutionem opus bonum perfectum exprimeret; ut quid ergo necesse est ut ad majorem gratiam disponat?

Quæ vero prolata sunt exempla idonea non videntur, nec ad rem nostram præsentem accommodata. Justus etenim non habet potestatem veram vitandi omnia simul & collective peccata venialia, Conciliumque Tridentinum sub anathemate prohibet dicere, esse in ullo homine etiam justificato potentiam illa vitandi, sine speciali privilegio, quod soli Beatæ Virgini concessum est: nec certe ulla est in homine facultas, quæ correspondeat illis omnibus simul & collective declinandis, quamquam ne unum quidem sit in particulari ac distributive, quod vitare non possit. Pariter homo sapiens, quamdiu sapiens supponitur, non habet nisi valde remotam, impropriam ac mere organicam potestatem ludendi in publico Theatro; quia nullum omnino assignari potest motivum, quo ad ludum illum moveri possit: adeoque verissimum est dicere, impossibile esse plusquam moraliter, ut vir ille gravis ac sapiens histrionem agat. At non ita est de homine sub motione gratiæ victricis: namque præter concupiscentiam, quæ ipsum continuo ad malum sollicitat, objectum sub varia specie seu boni, seu mali potest ipsi repræsentari, adeoque movere ipsum sive ad bonum, sive ad malum.

Dices;

Dices: Senſus quos hic recenſuimus alieni & extranei non ſunt, qui ſoli poſſunt legitime tertiæ Propoſitioni damnatæ adaptari: atqui ſoli illi ſenſus poſſunt legitime adaptari tertiæ Propoſitioni, non vero ſenſus proprius Janſenii.

Reſp. neg. min. Damnata quippe fuit Propoſitio ſenſu Janſenii: atqui ſenſus Janſenii & diſcipulorum ipſius, nuſquam fuit admittere neceſſitatem vel naturalem, vel involuntariam, abſolutam, antecedentem & phyſicam, ſenſu ſuperius expoſito; ergo ſenſus illi plane ſunt alieni & extranei tertiæ Propoſitioni Janſenii. Vide Janſenium Lib. 6. de Gratia Chriſti c. 37. & Lib. 7. c. 13.

Probabis minorem negatam. Janſenius nuſquam negavit, in hoc collapſæ naturæ ſtatu neceſſariam eſſe ad merendum vel demerendum libertatem a neceſſitate, ſeu veram & activam indifferentiam tum ſpecificationis, tum exercitii: *Hominum viatorum*, inquit Lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 34. *non ſolum coactionis expertem eſſe libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis voluntariæ, hoc eſt, eam ad utrumque indifferentem eſſe fatemur perlibenter.* Et cap. 20. Lib. 8. probat ex profeſſo, agnoviſſe Auguſtinum ſub gratia, & ante gratiam indifferentiam contrarietatis & contradictionis. *Liberum arbitrium*, inquit, *ante gratiam, quemadmodum etiam ſub gratia, indifferentiam contrarietatis & contradictionis habet; ita videlicet, ut quibuſcumque poſitis, quæ ad agendum bonum aut malum requiſita ſunt, poſſit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum, & non facere.*

Et libro 7. de Gratia Chriſti cap. 11. profitetur ſe tantum neceſſitatem ſpecificationis ad bonum & ad malum admittere in hoc ſtatu, negare vero neceſſitatem exercitii, quam eo ſenſu intelligit, quod licet homo per delectationem ſuperiorem cæleſtem vel terrenam, ad bonum vel malum determinetur, tamen hoc vel illud bonum ſub delectatione cæleſti, hoc vel illud malum ſub delectatione terreſtri, pro nutu ſuo libere amplectatur, quæ libertas ſufficit.

Quando igitur idem Janſenius Lib. 6. de Gratia Chriſti c. 6. inter probationes noſtras citato, aſſeruit: *Voluntatem quantumcumque ad unum determinatam, nullo tali neceſſitate, qua dicitur neceſſe eſſe ut velit, deſinere eſſe liberam, quia non deſinit eſſe voluntas*; de libertate generice ſumpta, non de libertate præſentis ſtatus loquebatur. *Tam orthodoxum erit*, ait Paulus Irenæus loco citato, *ſi de libertate generali intelligatur, quam ſi de ſtatu libertatis in hac vita*, falſum.

Quapropter quæ adverſus Janſenium inter probationes noſtras momenta protulimus, ut expreſſam ab illo tertiæ Propoſitionis doctrinam oſtenderemus, laborant errore facti. Cujus quidem erroris & hallucinationis duplex potiſſimum ratio & cauſſa eſt.

I. Quod non ſatis diſtinguamus, ſicut Janſenius recte diſtinxit, inter libertatem generice & ſpecifice ſumptam; ſeu inter eſſentiam, & ſtatum libertatis; atque concludamus, Janſenium negaſſe requiri ad libertatem hujus ſtatus indifferentiam, eo quod negaverit eam requiri ad libertatem generice ſumptam: qui certe arguendi modus vitioſus eſt ac ſimilis ei, quo quis negaret rationalitatem non requiri ad conſtituendum hominem, eo quod non requiratur ad illum conſtituendum in ratione animalis. *Genus enim*, ait Paulus Irenæus Diſquiſit. 6. art. 1. *præſcindit, quidem a ſpeciebus, ſed tamen in ſpeciebus eſt. Gradus ſentientis rationem non involvit, & tamen ſentiens in homine eſt qui rationem habet, non quatenus ſentiens, ſed quatenus homo. Similiter* (pergit) *generica illa libertas, quam tractat & evolvit Janſenius, ut in Deo & in beatis, ſic etiam in homine lapſo eſt, nec involvit etiam in homine lapſo indifferentiam quatenus libertas eſt, ſed illam aliunde individuo nexu habet adjunctam, quatenus libertas eſt hominis lapſi & viatoris; ſicut ſentiens, cum non involvat in ſe rationem, eam tamen quatenus in homine eſt, indivulſo nexu habet annexam.* Porro, ut idem auctor initio citati art. 4. loquitur, *nemo libenter non agnoſcit Sanctum Pontificem neutiquam ſua Conſtitutione generalem illam attigiſſe quæſtionem, utrum libertas quo enim Deo competit, Chriſto, beatis, hominibus & damnatis, poſtulet indifferentiam. Nam & Philoſophica potius, quam Theologica eſt, & nominis plus fortaſſe quam rei.* Ergo errore facti deceptus fuit Pontifex, cum in cenſura tertiæ Propoſitionis exiſtimavit Janſenium ab hocce ſtatu excluſiſſe indifferentiam arbitrii ad merendum, vel demerendum neceſſariam. Ita fere Paulus Irenæus, Auctor Libri Collationum inter DD. de Lalane & Girard ex una parte, & P. Ferrerium ex altera, Colloquio tertio; & Auctor Scripti cui titulus, Reſponſio ad P. Annatum ann. 1654. qui omnes ſibi applaudant, quaſi hoc argumento in fumos abeant omnia quæ contra Janſenium circa tertiam Propoſitionem, ut hanc propugnaſſe convincatur, proferri ſolita ſunt.

Secunda ratio & cauſſa alucinationis noſtræ hæc eſt, inquiunt, quod quæ Janſenius obiter & in loco quodam remotiori, ex hypotheſi quadam metaphyſica non exiſtente dixit, nempe, ſi homo hac in vita, ex tali gratia qualis in cælo dabitur, careret indifferentia, ſicut ea carent beati in cælis erga Deum amandum, adhuc tamen ejus meritum fore: nos ita dictum ſu-

mimus, ac si re ipsa ex hypothesi præsenti docuisset Jansenius; hominem viatorem tali gratia donari aut tali carere indifferentia; quod certe perabsurdum est. Manifestum enim est ex iis ipsis Jansenii locis, quæ laudavimus, eum loqui ex hypothesi metaphysica non existente; adhibet enim semper particulam conditionalem, *si*: porro a vero prorsus alienum est SS. Pontifices voluisse tertiam Propositionem hoc sensu, & in ea suppositione metaphysica damnare. Verum existimarunt illi errore facti, Jansenium nullam hac in vita admisisse activam arbitrii indifferentiam, quam tamen re ipsa agnovit. Ita arguit auctor Libri, cui titulus, *Refutation de la Fausse Relation du P. Ferrier*, pag. 89.

Respond. nego anteced. Utramque enim indifferentiam activam tum specificationis, tum exercitii, qualem Catholici requirunt, Jansenius negavit. Indifferentia quippe activa sensu Catholicorum ea est, per quam voluntas, positis omnibus ad agendum prærequisitis, est expedita relative ad agendum vel non agendum, aut contrarium agendum; at talis non est activa Jansenii indifferentia. Posita enim delectatione superiori indeliberata ad unum movente, voluntas necessario ad illud actu etiam deliberato determinatur, neque se ipsam a præbendo consensu cohibere potest; quia necesse est, ut agat secundum id quod magis delectat; adeoque tunc non est relative expedita ad actum oppositum, quem non tantum non vult, sed nec velle potest, defectu delectationis superioris oppositæ.

Fallit igitur Jansenius æquivocatione nominis, cum prædicat in præsenti statu esse indifferentiam ad bonum & malum. Hæc quippe nihil aliud ipsi est, præter vel flexibilitatem naturalem arbitrii ad bonum & malum, sicut ipsemet exponit Lib. 8. de Gratia Christi cap. 20. & Lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 13. verba superius relata sunt: vel potentiam absolutam & abstractam ad actum oppositum, non vero potentiam relativam; vel necessitatem fluxam & mutabilem, sicut aperte declarat in eo ipso loco, quem Janseniani perpetuo venditant ex capite nimirum 6. Lib. 6. de Gratia; vel denique ipsum solum voluntarium deliberatum.

Fallit pariter, cum necessitatem exercitii fingit interdum captiosis verbis se a præsenti statu rejicere. Hanc etenim conceptis verbis admittit Lib. 7. de Gratia Christi cap. 9. ubi eorum referens sententiam, qui ut explicent quo sensu Augustinus dixerit, majorem esse beatorum in cælis libertatem, asserunt inde esse, *quia liberius eligit hoc vel illud bonum*, contendit nihil a mente Sancti Augustini dici posse abhorrens magis & alienum. *Itaque verus S. Augustini sensus est*, ait Jansenius, *arbitrium voluntatis in cælo liberius futurum esse, cum peccare non poterit . . . . quia a tota illa exhausta peste liberalius, quia plenitudine caritatis sanius, quia in effabili divini amoris delectatione fortius, stabilius, & indeclinabilius*. Negat ergo in beatis indifferentiam exercitii. Idem apertius repetit cap. 15.

At ne Janseniani ad solitum effugium recurrant, loqui scilicet Jansenium de sola libertate alterius; non vero hujus præsentis vitæ, audiant quæ paullo post adjicit Jansenius in capite 9. citato. *Nonne videtur*, inquit, *quantum ex istis omnibus ejus* (S. Augustini) *testimoniis liquet, ne somniasse quidem unquam de absonis illis glossis verborum ejus, quæ in nonnullis proferuntur? Si enim illas de industria declinare voluisset, non potuisset ab eis longius recedere, non solum in explicanda majori libertate beatorum, sed etiam quacumque præsentis vitæ*. (Aures hic arrigant Janseniani, *Quacumque præsentis vitæ*.) *Hoc enim confidenter mihi asserere licet, in universis voluminibus quæ contra Pelagianos exarata sunt . . . . . non esse vestigium ullum quo Augustinus unquam de tali indifferentiæ libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitasse, multo minus ad eam depellendæ calumniæ caussa confugisse videatur*.

Eant igitur Janseniani, ac solita sua confidentia & fide prædicent adhuc, Jansenium necessitatem exercitii ex præsenti statu rejecisse. Nisi forte (ut sunt in excogitandis diverticulis inexhausti) intelligant necessitatem illam fatalem, phreneticam, brutalem, quam Manichæi, Astrologi, Stoici, Lutherani invexerunt; qua nempe voluntas imperio suo agere non permittitur, sed ab alio quasi raptu & impetu quodam præcipitatur; non vero aliam molliorem, voluntariam & infallibilitatis. Revera etenim rem sic levi manu expedit Vincentius Lenis in Theriaca Lib. 2. cap. 2. pag. 190. & cap. 3. pag. 253. & 261. ubi plenis ille manibus concedit quod volumus, Jansenium scilicet non illam ferream ac physicam admittere in statu præsenti necessitatem contradictionis aut contrarietatis, sed etiam molliorem, id est moralem, voluntariam, quia deliberatam; & infallibilitatis, quia talis est, ut voluntas ei relative resistere, aut ad oppositum flectere se nullatenus possit.

Et certe indifferentia exercitii seu contradictionis omnino repugnat systemati Janseniano, quod facile est demonstrare.

I. Cum actu urget aliquod præceptum positivum, seu affirmativum supernaturale, deest quoque delectatio superior cælestis, voluntas tunc necessitatur ad omissionem illius præcepti in particulari; unde in hac hypothesi, non solum necessitas adest peccandi

candi in genere, sed etiam peccandi hoc peccato in particulari.

II. Si delectatio ad bonum in genere dumtaxat spectatum inclinans, necessario voluntatem trahit ad prosecutionem boni in genere, quidni delectatio inclinans ad aliquod bonum in particulari, necessario quoque ad illud determinat?

II. Si voluntas inter plura bona unum præ alio posset eligere pro nutu suo, quando majus bonum ex iis quæ occurrerent, præferret, id sibi tribuere poterit, & cum Deo laudem actionis aliquatenus partiri, quod certe cum principiis Jansenii minime cohæret.

IV. Vel unum ex bonis particularibus eligendis plus delectat, vel æqualiter omnia delectant: si prius, in illud necessario vergit voluntas, cum secundum id quod magis delectat, operetur necesse sit: si vero æqualiter placent, suspensa & anceps in medio remanebit necessario voluntas: si enim cum æqualiter bonum & malum delectat, non potest voluntas, etiam in hocce statu, ubi est ad peccatum prona, in malum flectere se; quomodo inter duo bona æqualia, unum præ alio poterit eligere? Porro in systemate Jansenii idem censendum de necessitate exercitii quantum ad malum: siquidem apud ipsum, eadem necessitas & efficacia delectationis, & majoris delectationis ad peccatum reperitur in hoc statu, quæ ad bonum.

V. Denique, cum in doctrina Jansenii liberum idem sit ac voluntarium deliberatum, illudque eo magis voluntarium censeatur, quod sit ex majori delectatione; consequenter illud liberum magis est, quod ex illa majori elicitur voluptate: unde pronum est concludere, sicut re ipsa concludit Jansenius, perfectiorem fore libertatem beatorum in cælis, ob magnitudinem & vehementiam delectationis; immo & libertatem hujus status perfectiorem quoque fore, si talis ipsi daretur abundantia delectationis: adeoque necessitatem exercitii recte cohærere posse cum libertate hujus status. *Hanc electionis liberæ constantiam*, ait Jansenius Lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 25. *si creatura rationalis imitetur, ut pari modo immobiliter in amore creatoris vel creaturæ, ad quem se se summa libertate flexerit, non solum quantum ad speciem actus, sed etiam quantum ad exercitium perseveret, nihil est cur actus ille non semper dici possit liber eadem libertate, qua ab initio liberæ determinationis liber fuit. Talis enim voluntas, juxta principia Augustini, est in nostra potestate, quia volentibus adest. Porro quia in potestate est, libera est nobis.* Ita Jansenius, quibus aperte significat etiam sublata ab hoc statu indifferentia exercitii seu contradictionis, adhuc in integro futuram libertatem.

Quamquam Jansenius veram exercitii indifferentiam admitteret, (quam tamen non admittit) nonne vel una specificationis necessitas, Christianas aures offenderet? Quis enim patienter audiat, hominem justum v.g. dum peccat mortaliter, necessario peccare? Quid quæso prodest homini justo, hoc vel illud malum posse eligere, si a gratia necessario excidat, mortemque æternam incurrere teneatur? Non minus ægre ferunt aures piæ, quod asseratur justum, quoties bene agit, toties ad bene agendum necessitate determinari. Quod vero asserit objectio, momenta scilicet quæ inter probationes nostras contra Jansenium protulimus, laborare errore facti, ac duplicem esse hujus erroris caussam & rationem, prorsus negamus.

Ad primam probationem respondeo, nos non ignorare distinctionem, quam statuit Jansenius inter libertatem generice, & specifice sumptam: sed distinctionem hanc superfluam, inutilem & captiosam hic æstimamus; quia Jansenius loquitur de libertate utroque modo spectata, sicut ostendimus; & ab ipsa sub hoc utroque respectu veram excludit indifferentiam. Quapropter otiosum plane est adductum Pauli Irenæi ratiocinium; falsoque supponit, nos idcirco concludere Jansenium a libertate hujus status exclusisse indifferentiam, quia illam excludit a libertate generice spectata. Non ita est: sed ex sententia, & verbis Jansenii demonstramus, eum re ipsa ex libertate hujus status rejecisse indifferentiam, seu immunitatem a necessitate. Qui enim eo ipso vult actionem malam esse peccatum etiam in præsenti statu, quod sponte fiat, nec cogatur voluntas, ille certe non existimat requiri ex conditione hominis lapsi indifferentiam ad peccatum: sed Jansenius diserte pronunciat eo ipso, juxta SS. Thomam, Chrysostomum & Augustinum, quorum sententiam adoptat, actionem malam, & omissionem boni esse merito arguendam tamquam verum peccatum, quod non cogatur homo. Ergo &c. Porro ita Jansenius Lib. 6. de Gratia Christi cap. 12. *numquam interitum libertati timet* (Chrysostomus) *nisi a necessitate violentiæ atque coactionis: qua absente, satis ei est, quod sponte volentesque peccant & benefaciunt.* Et cap. 24. abutens loco ex Sancto Thoma desumpto, in quo agitur de homine lapso, addit, quasi indicans hoc sufficere, ut in peccatum imputetur, quod non cogatur. Et Lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 24. *Docet* (Augustinus) inquit, *ignorantiæ peccatis plenum esse genus humanum; esse quantumvis necessaria, tamen vera peccata; ad culpam imputari; remissione delenda, pœnis plectenda &c.*

Idem passim alibi tradit Jansenius, cui suffragantur discipuli, Auctores Librorum qui inscribuntur: *Seconde Apologie de Jansenius*. Lib. 3. chap. 5. pag. 51. *Saint Augustinus victorieux de Calvin*, *& de Molina*: *Premiere Conference*, c. 53. p. 142. *Seconde Conference*, c. 37. pag. 153. *Cinquieme Conference*, c. 12. pag. 330. Auctor Scripti, *In nomine Domini*, pag. 21. & 24. *Propositiones de Gratia*, p. 20. *Apologie pour les SS. Peres*, *quatrieme & cinquieme point*, *article* 28. pag. 1044. & 1056. *Item*, *troisieme partie*, pag. 627. 628. & 630. *Item*, *Meditationnes Chretiennes*, pag. 211. & 212.

Concedimus ergo perlibenter Paulo Irenæo, Sanctum Pontificem neutiquam sua Constitutione generalem illam attigisse quæstionem: utrum libertas generice sumpta postulet indifferentiam: neque vero de tali libertate loquitur tertia Propositio, sed de libertate ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ necessaria; atque idcirco damnata est, quod afferat non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. Ac proinde, etiamsi Jansenius diceret, quod non dicit, ex conditione status requiri indifferentiam ad libertatem hominis viatoris, non tamen excusaretur a propugnata tertia Propositione; modo affirmaret, ut revera affirmat, ex parte libertatis, & meriti aut demeriti, in homine lapso non requiri indifferentiam seu exclusionem a necessitate. Et certe si liceret hic ab errore excusare Jansenium, eo quod non dixisset ex parte status, sed tantum in præsenti statu non requiri libertatem a necessitate, tertia Propositio, quæ nihil aliud in rigore sonat, optimum juxta Jansenianos pateretur sensum, adeoque in sensu obvio proscribenda non fuisset: atqui tamen merito proscripta illa fuit.

Porro tantum abest, ut ex conditione status hominis lapsi Jansenius requirat libertatem a necessitate, quin potius præcise asserat, idque cohærenter ad systema suum, non requiri ob conditionem hominis lapsi libertatem a necessitate ad merendum vel demerendum in hoc statu. Qui enim contendit peccata, quæ vel ignorantia invincibili, vel ex quacumque alia caussa necessitante nunc committuntur, non potuisse ullo modo imputari homini in statu naturæ innocentis, (si talia fuisse fingerentur) hominique lapso dumtaxat merito esse imputanda; ille certe præcise ex conditione status hominis lapsi affirmat necessariam non esse immunitatem a necessitate. Atqui Jansenius totus est Lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 22. & 25. & Lib. 2. de eodem statu c. 4. ut demonstret necessitatem in præsenti statu cum demerito conciliari, quia illa necessitas ortum habet, non a naturæ institutione, sed a pœna hominis lapsi: ergo &c.

Ad 2. probationem seu caussam (ut prætendunt) allucinationis nostræ: fatemur hypothesim ex qua Jansenius loquitur, metaphysicam esse nec existentem, qua parte scilicet supponit gratiam hac in vita tantam, quæ hominem in bono constanter ac immobiliter figat; verum alia ex parte, qua nempe supponit liberum hominis viatoris arbitrium revera indifferentia exercitii destitutum adhuc posse mereri vel demereri, non metaphysica est, sed vera & realis Jansenii hypothesis ac sententia: quia nempe quanto major est gratiæ delectatio, eo magis, juxta Jansenium, perficitur liberum arbitrium, quia perficitur voluntarium. *Arbitrari*, inquit Jansenius Libro 8. de Gratia Christi cap. 17. *quod perfectio gratiæ arbitrii libertatem destruat*, *stultitia singularis est*. Atque inde concludit, quod si homini viatori tanta daretur, quanta beatis in cælo gratiæ delectatio, non violaret, sed summe perficeret arbitrii libertatem: ergo juxta Jansenium, stat arbitrii libertas cum necessitate exercitii. Si hæc duo distinguere voluisset auctor citati Libri, *Refutation de la Fausse Relation du P. Ferrier*, non tot vana & inutilia puerili fastu protulisset.

Instabis 1. Jansenius non negavit indifferentiam judicii: non negavit enim, etiam posita delectatione victrice ad aliquod objectum prosequendum determinante, subesse semper in illo objecto varias species mali ab ipsius prosecutione de se retrahentes, ad quas intellectus non solum potest attendere, sed etiam actu & de facto aliquando attendit; sed hoc sufficit ad indifferentiam judicii. Porro ubi est indifferentia judicii, ibi necessario occurrit libertas arbitrii, seu indifferentia voluntatis: est enim hæc judicii indifferentia, radix libertatis.

Resp. neg. ant. Ad probationem neg. min. Nam per judicium indifferens intelligitur judicium in actu proponens objectum, non ut necessario amandum vel fugiendum, sed ut indifferenter ad utrumlibet eligibile: at licet subsint in objecto species illæ mali de se retrahentes ab ipsius prosecutione, & ad ipsas attendat actu intellectus, non tamen propterea formatur judicium proponens actu objectum ut indifferens ad utrumlibet, sed intellectus determinatur aliquando ad judicandum illud objectum esse necessario amandum. Et vero delectatio superior indeliberata, veluti quodam vinculo in objectum amandum figit animum, ex Jansenio Lib. 6. de Gratia Christi capite 35. ita certe ut rationibus retrahentibus non afficiatur.

Ad subsumptum. Respond. neg. min. Licet enim Thomistæ ex indifferentia judicii libertatem arbitrii consequi affirment, longe aliter sentiendum est in systemate Jansenii, in quo voluntas ita parum judicio intellectus subjaceat, ut etiam posita visione beatifica pec-

peccare posse, immo peccaturum beatum asserat Jansenius lib. 4. de Gratia Christi capite 8. & 9. si voluntas beati terrestri delectatione titillaretur. *Qui diligentis impetus* (inquit cap. 8.) *si adulterina cujusdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata iterum refrigescendo tenebresceret, & peccaret.* Unde ibidem impeccabilitatem beatorum ex visione beatifica oriri consequenter negat.

Instabis 2. cum auctore Libri Collationum inter DD. de Lasane & Girard ex una parte, & Patrem Fericium ex altera, Colloquio 3. pag. 19. Nullum est objectum ad quod voluntas feratur, quod ita vires ejus exhauriat, ut non supersit aliqua pars, ut ita dicam, voluntatis, quæ se ad aliud objectum convertere valeat: ergo in systemate etiam Jansenii nulla occurrit necessitas.

Resp. Voluntatem quidem non totam, & totaliter per delectationem superiorem rapi, sed tantum majorem ipsius partem. Verum hoc sufficit, ut, secundum leges veluti mechanicas in eo systemate, pondus animæ, & consequenter consensus semper vergat necessario in eam partem, in quam delectatio superior inclinaverit.

Instabis 3. Jansenius agnoscit omnes actiones meritorias & demeritorias hujus status esse voluntarias & deliberatas: sed ex eodem Jansenio, ubi est deliberatum voluntarium, ibi est libertas contradictionis, Libro 6. de Gratia cap. 35. Ergo &c.

Resp. ad min. Jansenium eo tantum sensu dicere adesse indifferentiam contradictionis, quod voluntas possit non agere si velit, quamvis necessario velit necessitate relativa. Unde talem indifferentiam contradictionis ibidem non denegat beatis, quia *possent volitionem suam mutare si vellent.*

Instabis 4. Jansenius asserit ibidem, quidquid ex quocumque objecto voluptatis & timoris, aut cujuslibet affectus in voluntatem inciderit, voluntatem arbitrio suo semper remanere superiorem: ergo, &c.

Resp. Jansenium eodem loco id ipsum affirmare de ipsis beatis, quantum ad voluntatem quæ Deo immobiliter & firmiter adhærent. Ludit ergo cum ait voluntatem esse semper arbitrio suo superiorem; nec alius verborum ipsius sensus est, nisi quod sponte velit, nec cogatur volendo.

Non pigebit monere, Iprensem nonnisi insidiose ac falso asserere sæpius, voluntatem etsi necessario velit, agere tamen quia vult. Namque voluntati tunc tantum velle suum dici potest ratio agendi, quando nulla est caussa necessaria volendi: at in systemate Jansenii, delectatio superior indeliberata est necessaria caussa volendi.

Instabis denique: Jansenius nullam agnoscit in præsenti statu peccandi necessitatem in particulari, sed in genere dumtaxat, eamque tantum in infidelibus. Ita profitetur ille, Lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 19. 20. 22. & 23. Ergo non exclusit indifferentiam exercitii quantum ad malum.

Resp. fuci ac doli plenam esse hanc Jansenii doctrinam. Non alio quippe sensu negat ille peccandi necessitatem in particulari, quam quia homo fidelis non peccaret si vellet, seu quia non ex coactione, sed ex voluntate peccat: cum quo recte stat, quod necessario peccet hoc vel illo peccato singulari. Namque in systemate Jansenii, ut mox diximus, par & eadem est necessitas delectationis terrenæ ad malum, ac cælestis ad bonum: eadem utriusque efficacia, seu vis & modus agendi, nempe relative ac per gradus quasi ex mechanica lege. Et sicut voluntas nusquam operatur bonum sine cælesti delectatione, ita & malum sine dominante delectatione concupiscentiæ. Sicut movente delectatione superiori gratiæ, voluntas non est expedita relative ad malum, ita fervente concupiscentia & absente gratia victrici, non est expedita relative ad bonum. Sicut delectatio superior gratiæ domat ac sibi subjicit inferiorem oppositam delectationem concupiscentiæ; ita vicissim cum prævalet delectatio concupiscentiæ, sibi subjicit debiliorem gratiæ delectationem. Sicut victrix gratiæ delectatio necessario exprimit consensum voluntatis in bonum, ita ut voluntas eum cohibere non possit; ita delectatio superior concupiscentiæ in malum. Denique, sicut sub motione gratiæ victricis voluntas ad hoc vel illud bonum in particulari necessario determinatur; ita sub motione ardentioris concupiscentiæ, ad hoc vel illud malum. Adeoque nulla in eo systemate vera indifferentia specificationis & exercitii, nulla vera libertas a necessitate, ubi adest relativa necessitas invincibiliter & indeclinabiliter ad unum determinans.

Porro docere Jansenium æqualem esse necessitatem delectationis sive ad bonum, sive ad malum, ac parem utriusque cælestis ac terrenæ agendi vim & efficaciam, res est apud ipsum explorata.

Lib. 6. de Gratia Christi cap. 35. *Nunc*, inquit, *omnis omnino voluntas juxta naturam voluntatis ex aliqua delectatione proficiscitur, sine qua præeunte, esse non potest; ita quoque stabilitas voluntatis ex eadem delectatione nascitur.*

Sensus Catholicus errori tertiæ Propositionis Jansenii oppositus.

CUM error tertiæ Propositionis Jansenii in eo sit, omne scilicet perfecte voluntarium, tametsi necessarium, eo ipso in præsenti statu liberum esse ad bonum & malum; nec

nec ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ requiri libertatem a necessitate simplici voluntaria, mutabili ac transeunte, sed sufficere libertatem a coactione; consequenter veritas Catholica huic errori opposita hæc est: voluntarium perfectum, si sit necessarium necessitate simplici quamvis mutabili ac transeunte, non esse liberum ea libertate quæ sufficiat ad meritum vel demeritum præsentis vitæ; sed præter immunitatem a coactione, necessariam esse immunitatem ab omni necessitate simplici, seu ab insuperabili & invincibili voluntatis per delectationem relative superiorem ad unum determinatione & applicatione.

Ut igitur penitus excludatur error tertiæ Propositionis, & a viris suspectæ fidei omnis legitime Jansenismi suspicio amoveatur, non satis est si dixerint libertatem hujus status necessariam ad merendum vel demerendum excludere necessitatem: aut liberum idem non esse quod voluntarium: ista enim oretenus fateri non recusant vel apertissimi Jansenii defensores, qui confidenter affirmant necessitatis nomine omnem plane excludi potentiam ad oppositum, talemque necessitatem cadere non posse in eas actiones quæ in præsenti statu fiunt ex delectatione, cui voluntas sponte obsequitur (quia nempe in eorum sensu remanet semper potentia quædam absoluta & abstracta). Et reipsa cum sic illi loquuntur, nomine necessitatis intelligunt dumtaxat vel coactionem, vel necessitatem naturalem, vel eam quæ cæco impetu sine advertentia & pleno judicio rationis abriperet, vel illam, quam in deliberata sua, quodam sensu operatione voluntas pateretur, si per motionem quamdam quasi fatalem sic in unam partem præcipitaretur, ut imperio suo se ipsam movere non sineretur, qualem Manichæis, Astrologis, Stoicis & Calvinianis placuisse fingit Vincentius Lenis in Theriaca; vel simplicem, perpetuam & immutabilem. Non excludunt vero necessitatem simplicem, voluntariam, transeuntem ac mutabilem, eam scilicet quæ oritur ex invincibili & ineluctabili motione superioris ac relativæ delectationis; quam necessitatem fucato infallibilitatis nomine appellant, quamque suaviorem ac molliorem vocat Vincentius Lenis, ut eam distinguat ab alia, nempe rigida & fatali Stoicorum ac Manichæorum.

Pariter cum ajunt liberum idem non esse ac voluntarium, a Jansenio plane non recedunt, qui hoc ipsum asseruit Lib. 6. de Gratia Christi cap. 26. per voluntarium enim subdole intelligunt, ut ipse Jansenius ait, id quod est in voluntate. Quo sensu verum est, etiam in sensu Jansenii, liberum idem non esse ac voluntarium: quia datur voluntarium indeliberatum, (quales sunt motus primo primi); quod tamen propterea liberum non est, ipso fatente Jansenio. Non satis igitur est nude excludere a libertate quamdam in genere tantum necessitatem, sed addi debet, simplicem ac voluntariam & transeuntem. Pariter satis non est rejicere necessitatem, quæ tollat omnem ad oppositum advertentiam, qualis est in beatis; sed etiam illam sub qua ita apparet ratio aliqua boni, seu motivi in objecto quod voluntas refugit & aversatur, ut non remaneat indifferentia activa voluntatis; talem quippe ad oppositum advertentiam, Jansenius ejusque discipuli cum delectatione superiori ineluctabili conciliant: neque eam tantum quæ sit vel absoluta, vel antecedens, vel physica illorum sensu superius exposito; sed eam quæ sit relativa ad præsentes subjecti dispositiones, easque comitetur, moralisque a quibusdam ex Jansenii discipulis vocatur.

Denique satis non est asserere voluntatem sub motione superioris delectationis, non tantum in sensu diviso, idest absente, sed etiam in sensu composito, idest præsente illa motione, retinere potentiam proximam & expeditam ad oppositum; dolus quippe est ac consueta fallacia: potentiam quippe illam proximam & explicitam non aliam volunt esse quam absolutam & abstractam, non autem relativam & comparatam ad præsentes subjecti circumstantias seu dispositiones, sicut dictum est sæpius.

Ad omnem igitur fraudem & æquivocationem fugiendam necesse est nitide sensu contradictorio affirmare, ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ necessariam esse libertatem, quæ excludat illam voluntatis ad unum determinationem, (quocumque tandem nomine eam appellaverint) quæ a delectationis relative superioris ineluctabiliter prævenientis & invincibiliter flectentis virtute proficiscitur.

QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Propositio ex Jansenio legitime excerpta.

HUJUS quartæ Propositionis duæ partes sunt. Prima est facti: utrum scilicet Semipelagiani admiserint gratiam necessariam ad initium fidei; qua de re hic non disputamus: Secunda, utrum hæreticum sit dicere gratiam actualem Christi talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.

Utramque Propositionis partem docet Jansenius,

ſenius Lib. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 6. his verbis. *Itaque Maſſilienſium opinionibus, & Auguſtini Doctrina quam diligentiſſime ponderata certum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſentio, quod Maſſilienſes præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ac ipſam etiam fidem, quam humanæ libertatis & voluntatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur.* Et poſtea. *In hoc igitur proprie Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet ſi vellet: neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio & poteſtate.* Et paullo poſt rurſus. *Ex quo*, inquit, *relinquitur, quandocumque Maſſilienſes naturalem illam libertatem & poſſibilitatem ex Adami integritate reliquam prædicant, & ei ſaltem fidem tribuunt, nunquam eos illam Adami gratiam excludere.*

Hanc eſſe conſtantem Janſenii doctrinam patet manifeſte ex lato illo diſcrimine, quod reponit inter gratiam ſanitatis & medicinalem, quod cum ignoraverint Semipelagiani, in errorem lapſi ſunt. *Ex iſto*, inquit initio capitis 4. Libri 2. de Gratia Chriſti, *liberæ ſervæque voluntatis diſcrimine .... utriuſque gratiæ ſanitatis & medicinalis differentia ... incipit ſe ſe oſtendere. In eo quippe ſita eſt, quod illius primæ integritatis adjutorium ſic adjuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipſa ſi vellet; nunc autem ipſum adjutorium facit ut velit. Hoc eſt, adjutorium ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii proinde atque voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque ſalva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc vero poſt ruinam tale eſt, ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem ..... hoc ipſo enim quo datur, ſimul uſus ejus & influxus poteſtatis datur. Eſt enim hoc ipſum, quod ſuapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipſius libero arbitratui ſubjaceat, ſed invicte facit ut hoc vel iſtud arbitrium arbitretur & velit. Talis eſt influxus omnis cauſſæ formalis: hoc ipſo quippe quo adeſt juſtitia, fit juſtus animus, & ſine illa juſtus eſſe numquam poteſt ...... Quod clarius*, pergit Iprenſis, *ita dici poſſet, quod gratia ſanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam ſi vellet desereret, aut ſi vellet uteretur; gratia vero lapſæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deſerat aut arripiat ſi voluerit, ſed ipſa ſit potius illa poſtrema gratia, quæ invictiſſime facit ut velit, & a voluntate non deſeratur.* Et poſtea: *Tantæ neceſſitatis eſt, ut ſine illa non poſſit effectus fieri, tantæque efficaciæ, ut hoc ipſo quo datur, continuo fiat. Dat enim ſimul & poſſe & operari.*

Hæc Janſenius; qui, ut mox dicemus, Semipelagianos in eo potiſſimum erraſſe contendit, quod repudiato illo efficaci adjutorio quo datur invictiſſime velle & operari, aliud admitterent, quod, ut falſo putat, proprium fuit naturæ ſanæ & innocentis, ſubditum nempe libero voluntatis arbitrio, cui reſiſtere illa poſſet vel obtemperare.

Quarta Propoſitio cum delectatione ſuperiori, ac relativa connexa, unde a Janſenio eruitur.

HÆc Propoſitio cum aliis connexa, commune quoque habet cum illis principium. *Suppoſita enim aliarum falſitate*, ait Hilarius in Scripto ſæpius laudato, *neceſſario debet falſa judicari. Nam ſi impoſſibilia nunquam ſunt Dei præcepta juſtis defectu gratiæ ſufficientis cui actu reſiſtunt, ſequitur poſſe gratiæ reſiſti: nam ab actu ad poſſe valet conſequentia. Secundo, ſi certum ſit ad meritum requiri indifferentiam, cum actio qua gratiæ Dei conſentimus, ſit meritoria, ſequitur conſenſum ei præberi cum indifferentia, ac proinde cum potentia diſſentiendi.*

Hanc vero Propoſitionem velut concluſionem ſequi ex principio delectationis relativæ, per ſe manifeſtum eſt. Si enim voluntas eo ſemper ac neceſſario trahitur quo major voluptas ducit; ſi fieri non poſſit ut minor delectatio ſuperiorem vincat, omnino conſequens eſt, ut ſuperior motione inſuperabili & indeclinabili ad unum determinet, nec poſſit voluntas eo in ſtatu tali determinationi non conſentire.

Et revera non alia ex parte Semipelagianos erraſſe vult Janſenius, quam quod rejecto auxilio efficaci invincibiliter ac inſuperabiliter determinante ab bonum, aliud admitterent cui voluntas pro nutu ſuo conſentire vel diſſentire poſſet. Auxilium porro illud quo, ſeu efficax Janſenii ſenſu, ut antea probavimus, eſt delectatio victrix relativa.

Libro 8. de hæreſi Pelagiana c. 8. in fine, *In hoc, ergo*, inquit, *proprie Maſſilienſium & Auguſtini error ſitus fuit, quod Angelorum ſanctorum & ſtantis hominis adjutorium, in quo intelligendo & admittendo nulla penitus ipſis difficultas fuit, etiam lapſis hominibus hactenus ſufficere voluerint.*

Et c. 10. oſtendit totum diſputationis argumentum inter Auguſtinum & Semipelagianos fuiſſe circa veram Chriſti gratiam; quam quidem Janſenius Lib. 4. de Gratia Chriſti capitibus undecim, & Lib. 8. cap. 2. probat eſſe delectationem ſuperiorem ſeu relative victricem, non vero gratiam illam ſine qua non. *Non enim ipſa*, (ut loquitur

cap.

cap. 10. Lib. 8. de hæresi Pelagiana) *pulsa concupiscentiæ infirmitate robustum facit, sed robustum & a concupiscentia liberatum esse supponit: sicut lux, quantumvis magna, non sanat oculum, sed sanatum postulat, ut ejus aliquis possit esse usus: nam sine luce quidem non cernitur, non tamen ipsa facit cernere si quis noluerit intueri.*

Semipelagiani, ait Jansenius Lib. 2. de Gratia Christi c. 12. *admittebant libentissime adjutorium Dei, cum quo possent credere & orare si vellent, ita ut & adjutorium, & ipsum velle & nolle, quemadmodum homini primo, in eorum libero relinqueretur arbitrio: horrebant vero illud capitaliter quo secundum Augustinum fiebat ut vellent*. Et lib. 7. cap. 6. ait, *totam molem disputationis de Christi gratia cum Pelagianis . . . . huic veluti cardini innixam esse*, nempe necessitati gratiæ victricis quæ dat invincibiliter & insuperabiliter agere. Et l. 4. c. 10. probaverat nullam jam dari gratiam pure sufficientem, *quia nulla est gratia operandi præter istam suavitatem Dei, quæ nisi tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.*

Verus ac germanus quartæ Propositionis sensus.

NON *hic attingitur quæstio de efficaci a se aut cum consensu*, inquiebat Hallerius, *quia utriusque opinionis assertores fatentur quod gratiam Dei possumus abjicere, juxta Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5.* Ergo singularis ac proprius Jansenii sensus distinctus est a sensu gratiæ efficacis a se, vel a consensu. Quis ille sit, statim indicat Hallerius: *Quæritur*, inquit, *utrum gratia in statu naturæ corruptæ talis sit, ut necessitatem inferat voluntati, adeout ei non possit dissentire, quod nullus Catholicus unquam admisit.*

Quartæ igitur Propositionis Jansenii verus ac germanus sensus iste est: Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ interioris etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod rejecta Christi gratia efficaci, hoc est delectatione cælesti superiori voluntatem necessitate insuperabili ac indeclinabili determinante, solam admitterent gratiam cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Hunc Magistri sensum discipuli aperiunt ac defendunt in laudato sæpius Scripto, *In nomine Domini. Cum*, inquiunt, *in ea tam vehementi inter Catholicos & Semipelagianos contentione, hanc unam gratiam Catholici propugnarent, quæ insuperabilem prædestinationem & promissionem Dei, virtute pariter insuperabili in effectum demandaret, clarum est illam unam inflexibilem & indeclinabilem gratiam Semipelagianos Catholicis eripere voluisse*: Et postea: *Quis quæso dubitet Semipelagianos hæreticos habitos fuisse materialiter saltem, quod ad fidei initium gratiam admitterent, cui posset humana voluntas resistere obtemperare proxime & immediate?*

Plura in rem eamdem referre omittimus: quia tam intima connexione cohæret sensus ille Jansenii cum delectatione superiori ac relativa, ut ab ea divelli nullatenus possit. Quapropter fictitii plane sunt & alieni alii sensus qui dictæ Propositioni possent affingi.

Sensus Catholicus errori quartæ Propositionis Jansenii oppositus.

SENSUS Catholicus debet esse contradictorius erroneo sensui quartæ Propositionis, pro utraque ipsius parte. Nempe: Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc non fuerunt Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Ergo doctrina Catholica est, supposita gratia quamtumvis efficaci, quam Semipelagiani rejiciebant, humanam voluntatem, etiam relative ad hanc gratiam, posse huic resistere vel obtemperare.

Inde facile est colligere, ad excludendum penitus erroneum quartæ Propositionis sensum, satis non esse dicere:

I. Semipelagianos in eo Hæreticos non fuisse, quod rejecerint gratiam necessitantem, quæ omnem penitus removeat potentiam ad oppositum: subintelligi quippe potest, ut revera fraudulenter subintelligunt Janseniani, tum necessitas, tum potentia absoluta, non vero relativa, de qua tamen una hic est quæstio.

II. Non in eo fuisse Hæreticos, quod admiserint gratiam cui homo resistere posset si vellet: per hæc enim verba unam illi intelligunt resistentiam voluntariam vel conditionatam, quæ cum pendeat a conditione plane impossibili, omnino ficta & illusoria est, quippe cum fieri nusquam possit, ut voluntas velit dissentire motioni superioris delectationis.

III. Nec sufficit asserere in præsenti statu indifferentiam voluntatis minime destrui per gratiam: namque per indifferentiam, ut vidimus, Janseniani intelligunt flexibilitatem voluntatis, & absolutam, quam habet, potentiam faciendi actum oppositum ei ad quem necessario determinatur.

IV. Neque sufficit affirmare, non omnem sub motione gratiæ victricis tolli potentiam ad non agendum, sed eam tantum quæ aliquando in actum reducatur: nam in phrasi Janseniana, potentia quæ in actum non educitur, dumtaxat absoluta est; non autem relativa, quæ semper est efficax.

An-

Antequam finem huic quartæ Propositioni imponamus, prætermittere non possumus quin ad laudem & commendationem Goneti, insignis e Schola Thomistica Theologi, observemus, quod cum Tomo 1. Clypei Theologiæ Thomisticæ disp. 2. quæ est de hæresi Semipelagianorum art. 3. asseruisset in prioribus Operis sui editionibus, quosdam fuisse Semipelagianos, qui naturæ viribus gratiam ad initium fidei adjungerent, tandem in editione Lugdunensi ann. 1681. mutasse sententiam circa primam quartæ Propositionis partem. Sic enim habet Tom. 6. in Appendice ad Tractatum de Gratia, ubi de Semipelagianis: *Hæc sententia alias mihi placuit, re tamen attentius, & maturius considerata, dico breviter Semipelagianos omnes gratiæ prævenientis interioris necessitatem ad initium fidei constantissime negavisse.*

Optandum certe foret, ut parem humilitatis, & obedientiæ viam iniisset Franciscus Macedo Franciscanus Lusitanus. Hic enim in Libello Londini excuso ann. 1653. qui inscriptus est: *Mens divinitus inspirata Sanctissimo Patri nostro Innoc. X. super quinque Propositiones Jansenii &c.* art. 5. expendens quartam Propositionem idem profitetur, quod Gonetus in primis suis editionibus. Ut autem suam a Janseniana sententiam discernat Macedo, contendit Jansenium Lib. 8. de hæresi Pelag. putasse omnes omnino Semipelagianos in eamdem de necessitate gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei concessisse opinionem; & eo titulo, assertionem hanc Jansenii quarta Propositione expressam merito ut falsam & temerariam damnatam fuisse. Monet insuper idem Macedo, priorem quartæ propositionis partem quæstionem esse facti, quæ certe fidem proprie non spectat, cum ex humano judicio per se incerto discutienda, & dirimenda sit. Unde addit censuram hæreseos, qua quarta Propositio afficitur, in eam cadere ut complexa est, & ex duabus partibus constans: porro ad propositionis complexæ hæreticitatem sufficere, ut alterum membrum a fide sit alienum, quod de posteriori membro hujus quartæ propositionis dumtaxat verum est.

Respondet Gonetus, cit. Tom. 3. quod licet prior pars hujus Propositionis sit quæstio facti quæ proprie fidem non spectet; quia tamen altera pars ejusdem Propositionis, quæ juris est, cum priore in connexa est, ut eam necessario præsupponat, potuerit ac debuerit Pontifex primam ut falsam proscribere; ut subinde alteram damnaret tamquam hæreticam.

Porro distantiam sententiæ Macedo a sententia Jansenii nullam esse compertum ait, si observes quod licet Jan. Lib. 8. de hæresi Pelag. non distinguat duplicem Semipelagianorum ordinem, non unam tamen eorum omnium fuisse mentem profiteatur Lib. 7. cap. 2. quorum alii ad initium fidei nihil præter naturam exigerent. Quod autem asserit Macedo, primam partem quartæ Propositionis damnatam esse, quod de omnibus Semipelagianis indefinite loquatur, leve est; nam fatetur ipse, damnatam fuisse in sensu Jansenii: at prout est in Jansenio non intelligitur indefinite, sed de aliquibus tantum.

Gonetus candide fatetur Contensonium Lib. 8. dissert. 3. historica circa errores Semipelagianorum, idem sentire, quod Jansenius. Neque vero id mirum videri debet, cum idem eodem Lib. Dissert. 5. asserat quinque Propositiones in Libro Jansenii, (si totius operis seu contextus ratio habeatur) unum dumtaxat spirare gratiæ per se efficacis sensum: nihilominus ab Alexandro VII. merito damnatas fuisse in sensu Jansenii, quia prudenter arbitratus est S. P. illum fuisse Jansenii sensum, quem verba ipsa in suo naturali sensu indicant. Neque enim tenebatur, inquit, inquirere, an in Operis prolixi decursu solius gratiæ per se efficacis sensum auctor intenderit, quia quemcumque sensum alibi prætenderit, satis est ut damnetur, quod ea simpliciter affirmet, quæ in connaturali, & aperto sensu inveniuntur a fide aliena. Hæc Contensonius, quibus aperte significat quinque Propositiones damnatas fuisse in sensu obvio, & naturali, quem verba in se ipsis præseferunt, non vero in sensu proprio Jansenii; ideoque errore facti hic lapsum esse Pontificem, cum in hujusmodi facti quæstionibus, ut ille statim addit, Ecclesia possit errare. Quæ a Jansenii defensoribus statim proferuntur, ut Jansenium absolvant a propognata quarta Propositione, a nobis jam superius occupata solutaque sunt, & inferius pro data occasione interum solventur.

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Propositio ex Jansenio legitime excerpta.

PROPOSITIO hæc responsionem continet Jansenii ad objectionem petita ex communi Theologorum doctrina, omnibus scilicet dari gratias sufficientes ad salutem comparandam, quia pro omnium salute Christus mortuus est. *Aliud argumentum*, ait Jansenius Lib. 3. de Gratia Christi cap. 21. *pro gratia sufficienti omnium proferri solet, quia Christus est Redemptor omnium, juxta illud prima ad Timoth. 2. Qui dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus. Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur esse posse, nisi gratiam saltem sufficientem omnibus præparaverit.* En ob-

objectio, cui sic respondet Jansenius: *Respondetur, & hoc argumentum, sicut omnia præcedentia, jam olim ad nauseam usque a Pelagianis, præsertimque Massiliensibus, inculcatum fuit, ut mirum sit recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere, & absoleta recudere.*

Jansenius hic illud ipsum adversariis exprobrat, quod sibi ab illis jure ac merito objiciendum præsentit; nihil enim prorsus in hac disputatione producit, quod olim ad nauseam usque a Calvinianis inculcatum non fuerit: *Nec enim*, pergit Jansenius, *juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino, tam generaliter sanguinem fudit; cum hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum*. Et in fine ejusdem capitis. *Illa extensio*, inquit, *tam vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quam ex ista generali, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit; quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam a Semipelagianis introductam repudiavit.*

Rursus ibidem. *Quæ sane cum in Augustini doctrina perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuum esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse, sentiatur. Scivit enim quod quisque jam ab æterno prædestinatus erat . . . . Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.*

In his testimoniis manifestum est, docere Jansenium errorem esse Semipelagianum dicere, quod Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus sit, aut sanguinem fuderit.

Quinta Propositio cum delectatione superiori, ac relativa connexa, unde a Jansenio eruitur.

VEL ipsa disputationis Jansenii series fontem aperit, unde doctrinam hujus suæ quintæ Propositionis hauserit. De gratia scilicet vere sufficiente, sensu aliquorum recentiorum, loquitur, quæ nempe se sola ex solo nutu liberi arbitrii sine Dei auxilio sufficiat ad pene operandum; ac negat ullam in præsenti statu dari hujusmodi sufficientem gratiam. Ad probationem vero in contrarium ex eo ductam, quod Christus sit pro omnibus mortuus, ac velit omnes salvos fieri, respondet, utrumque istud esse falsum; adeoque gratiam vere sufficientem non omnibus concedi. *Omnibus vero illis* inquit citato cap. 21. Lib. 3. de Gratia Christi, *pro quibus sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint, & faciant id quod ab eis volendum & faciendum esse decreverit*. Sufficiens autem illud auxilium, quod Deus aliquibus (pro quibus mortuus est) donat, aliis vero pro quibus mortuus non est, denegat, est delectatio superior, ut patet ex novem primis capitibus Lib. 4. de Gratia Christi. Seipsum clare interpretatur Jansenius hoc ipso Lib. 4. cap. 10. in fine. *Hinc claret*, inquit, *cur Augustinus, omnem omnino gratiam pure sufficientem . . . . auferat. Ratio enim perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur: sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur . . . sed utrumlibet fiat non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per alia suppleatur*. Hinc perspicis, quam intimo nexu cohæreat hæc quinta Jansenii Propositio cum Systemate duplicis delectationis, cujus quæ inferior est alteri necessario cedere debet.

Verus ac germanus quintæ Propositionis Jansenii sensus.

DUo quæruntur circa hanc Propositionem, ajebat Hallerius, ad cujus distinctionem Innocentius respexit in censura hujus quintæ Propositionis.

I. *Quid de ea sentiendum, quatenus notam hæresis affingit communi Catholicorum Theologorum sententiæ, quæ asserit Christum pro omnibus omnino mortuum esse*: quam Propositionis partem Ecclesia declarat *esse falsam, temerariam, scandalosam*.

II. *Quatenus ex mente Jansenii Christus non pro omnibus, sed pro prædestinatorum salute tantum mortuus est; ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia quibus possint salvari*. Cujus Propositionis partem *intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit*, Ecclesia declarat, *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam*.

Verus igitur ac germanus Jansenii sensus pro utraque hujus Propositionis parte iste est.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuisse, omnibusque gratias vere sufficientes, quibus salvari possint, præparasse, quia præter delectationem superiorem, ac victricem gratiæ cælestis, non dantur gratiæ vere suffi-

sufficientes. Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari. Adeo clare ac nitide sensum hunc Jansenii repræsentant, tum verba ipsius hic descripta, tum series ac scopus totius controversiæ ab eo institutæ, ut fusiori expositione opus esse non videatur.

Sensus alieni, & extranei, qui quintæ Propositioni Jansenii maligne affingi possent, quos tamen legitime sumpta non habet.

I. ALienus profecto est sensus Lutheri & Calvini quem Janseniani in suo trium Columnarum Scripto rejiciunt his verbis conceptum: *Christus mortuus est tantummodo pro prædestinatis, ita ut ii soli per meritum mortis Christi veram fidem, ac justitiam accipiant. Quæ Propositio*, inquiunt, *est heretica, Calviniana aut Lutherana, a Concilio Tridentino damnata.*

II. Dici non potest sensum Jansenii esse, quod nulla legitima ratione possit affirmari Christum pro omnibus mortuum fuisse, quandoquidem id expresse asserit S. Paulus, & Jansenius ipse citato c. 21. l. 3. de Gratia Christi fatetur, *mortuum pro universa Ecclesia toto orbe dispersa, & consequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, privatis, nobilibus*, &c. At sensus ejus est, Christum non esse ea intentione mortuum pro omnibus, ut gratias mereretur, quibus omnes possent æternam salutem consequi: quia nempe non omnibus, sed solis prædestinatis confert gratias illas sufficientes: seu delectationem illam cælestem superiorem ac victricem, quæ sola potest ad salutem perducere; & in qua Jansenius virtutem sufficientem & efficaciam gratiæ reponit.

III. Nec minus a Jansenii mente alienum est dicere, Christum nullatenus mortuum dici posse pro salute aliquorum reproborum. Namque juxta ipsum in citato cap. 21. Lib. 3. mortuus est pro illis temporalibus gratiæ auxiliis, quibus nonnulli reprobi hac in vita donantur; quæ cum propria sua natura ad salutem æternam tendant, ac destinata sint, hoc sensu Christus dici potest mortuus pro salute illorum reproborum. Verum abusive omnino: quia in mente Jansenii, non eo animo mortuus est Christus, ut ipsis mereretur gratias pares ac sufficientes debellandæ majori actuali eorum concupiscentiæ, & æternæ saluti procurandæ. *Illis enim*, ait citato c. 21. *caritatem sine perseverantia, aut fidem sine caritate* concedit .... *Ac pro his in tantum* (Christus) *mortuus est* ... *& in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt* ..... Et postea. *Cui nullo modo prodest mors Christi*, (nempe ad salutem assequendam) *pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus fuit* ... *nec magis pro æterna liberatione ejus, quam pro diabolo Patrem deprecatus fuit.*

Quapropter diligenter hic observanda, & præcavenda Jansenianorum æquivocatio ac fallacia. Ultro negant illi Propositionem his verbis conceptam, *Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est*, referendo particulam istam, *dumtaxat*, ad salutem; quia nempe fatentur mortuum etiam pro temporalibus illis gratiæ donis, quibus nonnulli reprobi hac in vita exornantur: at si particulam *dumtaxat* referas, ut referri debet, ad vocem prædestinatorum, ut sensus sit, Christus pro salute prædestinatorum dumtaxat, seu pro salute solorum prædestinatorum mortuus est, non negabant; quia iis solis concedi a Christo volunt gratiam vere sufficientem, qua salus potest obtineri.

IV. Neque etiam Jansenii sensus est, Christum pro omnibus mortuum non fuisse quantum ad sufficientiam pretii; sed sensus est, non esse mortuum quantum ad intentionem offerentis illud pretium, & applicationem illius per media quæ vere sufficiant omnibus redimendis. Ultro quippe Jansenius agnoscit ibidem, *phrasim istam, qua quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præseferre redemptionem ex redimentis animo, in usum ac liberationem captivorum offerri, ac dirigi*: alias *dici posset Christus etiam pro dæmonibus se dedisse redemptionem, quibus redimendis sine dubio pretium sanguinis ejus fuit sufficiens.*

V. Nec etiam Jansenio sensus iste potest affingi, nullam in Christo pro salute reproborum velleitatem fuisse, aut eam omnino sterilem, & otiosam fuisse, quasi ex se ipso non inclinasset, ut vel innocenti naturæ gratiam, quam acceperat, conservaret, vel lapsæ sufficientem conferret, nisi eam prorsus inutilem ac insufficientem redderet depravata hominis voluntas: At sensus est, velleitatem illam tam tenuem, & infirmam esse, ut Christum non adducat ad conferenda reprobis auxilia, quæ satis virium habeant ad oppositam majorem superandam cupiditatem, & consequenter ad procurandam ipsis salutem æternam.

VI. Denique, Propositionis Jansenii sensu non est Deum noluisse omnes homines salvos fieri, eos in se ipsis considerando, quatenus creaturæ sunt ad imaginem suam conditæ facta peccati eorum præcisione; neque enim id unquam docuit Jansenius: At doctrina ipsius est, Deum considerando hominem in statu peccati, & ardentioris cupiditatis, non velle amplius ipsi conferre gratiam vere sufficientem, qua possit & concupiscentiæ superioris ardorem temperare ac vincere, & salutem æternam adipisci.

Sen-

Sensus Catholicus errori quintæ Propositionis Jansenii oppositus.

CUm duplex in quinta Propositione sit Jansenii lapsus, 1. quod communem Theologorum sententiam de morte Christi pro omnibus, velut errorem Semipelagianorum traducat: 2. quod asserit Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum fuisse, duplex hic est opposita Ecclesiæ veritas. 1. *Falsum esse, temerarium, ac scandalosum dicere*, Semipelagianum esse affirmare, quod Christus pro omnibus mortuus fuerit. 2. *Impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam esse* illorum sententiam, qui asserunt Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum fuisse, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari.

Atque *hoc sensu examinata Propositione*, ajebat Hallerius in famoso Scripto toties citato, *intacta relinquuntur difficultates, quæ occurrunt aut circa infantes sine baptismo decedentes, aut infideles, aut obduratos. Nam qui dicit Christum non pro solis prædestinatis esse mortuum, non dicit consequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum esse, sed sufficit quod pro aliquibus saltem reprobis* mortuus sit. *Quod autem pro justis saltem non perseverantibus mortuus sit, patet ex Concilio Trid. ubi definit justis mandata Dei non esse impossibilia, quia Deus iis gratiam necessariam suppeditat*. Si enim possunt observare mandata, possunt salvari, ac non nisi ex meritis Christi. *Idem sess. 6. c. 3. Verumtamen etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt .... at illi non alii sunt quam reprobi.* Sic Hallerius cum præcise sensum errori quintæ Propositionis contrarium assignat, qui ad fidem Catholicam pertinet.

Ut igitur perfecte ac presse removeatur error quintæ Propositionis Jansenii, non satis est dicere, vel Christum pro salute tantum prædestinatorum mortuum non fuisse; vel pretium sanguinis ejus sufficientissimum fuisse omnibus redimendis; vel aliquam pro salute omnium velleitatem eum habere, imo voluntatem antecedentem quamdam, vi cujus præparet auxilia vel gratias conferat, quæ ex sese propriaque natura absolute ac præcisis subjecti præsentibus dispositionibus possint ad salutem perducere; sed necesse est aperte profiteri, præter delectationem superiorem seu victricem gratis electis concessam, alias a Deo vi voluntatis antecedentis, aut præparari, aut dari vere sufficientes, quibus salutem quidam reprobi, etiam relative ad quamlibet suam actualem concupiscentiam, possunt saltem mediate, sensu superius exposito, & mandatum urgens observare, & salutem assequi; & hoc sensu, Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum non fuisse.

Discrimen gratiæ victricis per delectationem superiorem relativam in sensu Jansenii, tum a præmotione physica Thomistarum, tum a gratia efficaci per delectationem simpliciter victricem sensu quorumdam aliorum Theologorum.

SOlent Jansenii defensores, ut omnem a se suspicionem erroris amoveant, Augustinianæ, ut vocant, aut Thomisticæ Scholæ discipulos se profiteri, ac duo constanter affirmare.

Primam, efficacem a se gratiam quam tuentur eumdem habere operandi modum, neque plus nocere libertati voluntatis, quam physicam Thomistarum Præmotionem. Ita profitetur Jansenius Lib. 8. de Gratia Christi c. 4. *Illud auxilium*, inquit, *eumdem habet operandi modum, qui physicæ prædeterminationi tribui solet .... eodemque modo libertas voluntatis sub illo Christi auxilio incolumis manet, quo sub physica prædeterminatione salvatur. Quapropter quidquid physicæ prædestinationis defensores pro sua sententia protulerunt, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse persuadeant: quidquid etiam ad dissolvenda oppugnantium argumenta, telaque repercutienda moliti sunt, pro hac sententia dictum puta.*

Secundum, plures doctrina, & pietate illustres Theologos docuisse ac etiamnum innoxie & sine ulla reprehensione docere, vim gratiæ efficacem oriri ex interna ipsius suavitate seu delectatione victrice, quam unam propugnandam sibi Jansenius proposuit.

E contra contendimus inter has duas opiniones, & doctrinam Jansenii, latissimum esse discrimen.

Magnum est discrimen inter modum explicandi efficaciam gratiæ per physicam Thomistarum præmotionem, & per delectationem relative superiorem Jansenii.

DIco igitur 1. Inter sententiam Jansenii de gratia efficaci per delectationem relative, ac per gradus victricem, & prædeterminationem physicam sensu Thomistico, multum esse discriminis.

Hoc indicat vel ipsum caput secundum Lib. 8. de Gratia Christi, quod Jansenius sic inscribit. *Varia discrimina proferuntur inter adjutorium Dei medicinale, & prædeterminationem physicam, prout a defensoribus ejus traditur.*

Duobus præsertim modis prædeterminationem, seu præmotionem physicam exponunt ejus defensores. Nonnulli præter voluntatem divinam, quæ liberam hominis voluntatem ipsa etiam in justis habituali gratia instructam

ad

ad opus applicat, requiri volunt vel qualitatem quamdam transeuntem, vel saltem motionem quamdam virtuosam, quæ sit instrumentum Dei ad producendum in libero arbitrio pium voluntatis motum. Alii autem mediam illam vel qualitatem, vel motionem virtuosam omnino repudiant, & ipsam gratiam efficacem nihil aliud esse statuunt, quam gratuitum Dei favorem, misericordiam, ac ipsam Dei operationem, quæ simul cum libero arbitrio, prius tamen ordine caussalitatis, quam liberum arbitrium, bonam voluntatem in nobis producit. Hic postremus modus explicandi physicam præmotionem, alio longe communior videtur, ac vulgatior inter Thomistas; quocumque autem modo explicetur, plurimum distat, judice Jansenio, illa physica prædeterminatio, a gratia sensu Jansenii efficaci per delectationem scilicet relative victricem. Varia discrimina refert ipse Jansenius citato c. 2. Lib. 8. de Gratia Christi.

I. *Quia*, inquit, *juxta sententiam istorum recentiorum, prædeterminatio physica est motio nescio quæ virtuosa, quæ habet esse quoddam incompletum, & fit in voluntate per modum, quo colores sunt in aere, & impetus in re quæ impellitur ... Gratia vero Christi Augustino est verissimus motus voluntatis.*

II. *Prædeterminatio physica non est ejs actus vitalis animi, sed aliud cui voluntas tantum passive subjacet. Christi autem adjutorium est actus verus, & vitalis, quo anima haud secus afficitur, & movetur in Deum, ac quando simili delectatione terrenis rebus inhæret.*

III. *Prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam: Christi adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix, quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum est.*

IV. *Quod prædeterminatio physica sit instar concursus cujusdam generalis Dei in ordine supernaturali: adjutorium Christi nullo pacto. Nihil enim ei respondit in agentibus naturalibus.*

V. *Prædeterminatio physica necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi caussæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quam in esse suo subordinatur primæ, a qua ad agendum præmoveri debet: Christi adjutorium nequaquam, sed læsæ voluntati propter solum vulnus necessarium esse, quod ei inflixit peccantibus voluntatis audacia ... Nam inde gratia Christi medicina, & adjutorium medicinale dicitur.*

VI. *Prædeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur, propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam, ut aliquid agere possit, prædeterminare debet: Christi adjutorium nequaquam. Nam nisi concupiscentis voluntas vulnerata, sicut in quædam corporis membra, ita etiam in appetitus suos proprium perdidisset imperium, nulla Christi gratia eam determinare debuisset: quemadmodum in sanctis Angelis plene, & Adamo nonnihil patuit, qui diu absque Christi adjutorio in sanctitate manserunt.*

VII. *Prædeterminatio physica expresse dicitur statui innocentiæ, tam Angelorum, quam hominum fuisse necessaria; Christi adjutorium ei repugnat capitaliter, sicut Augustinus ex professo docet ... Itaque Christi adjutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandum; non propter generalem caussæ secundæ a prima dependentiam; non propter actuum bonorum supernaturalitatem, sed propter solam liberi arbitrii impotentiam, & fractas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum dominatione prostratæ sunt, hominibus lapsis .... præparatum est ... Quapropter qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium ex vi caussæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta ... universam doctrinam ejus inexplicabili confusione perturbat.* Hactenus Jansenius.

Inter illas vero caussas discriminis a Jansenio mox assignatas, duæ maxime sunt, quibus evidenter patet delectationem victricem, ac relativam Jansenii maxime nocere libertati voluntatis.

Prima est, *præmotionem physicam esse instar concursus cujusdam generalis in ordine supernaturali, adjutorium vero Christi*, hoc est, victricem gratiæ delectationem, *nullo pacto*. Si autem præmotio physica est instar concursus, sequitur 1. eam dari ad exigentiam caussæ secundæ. 2. eam esse actionem ipsam liberam creaturæ, quatenus a Deo procedit. 3. eam ad actum secundum pertinere, non ad primum: adeoque facultatem seu potentiam, accedente illa præmotione, in eo ipso remanere statu infirmitatis vel roboris, in quo erat ante præmotionem; ita ut tantum ab actu primo exeat in secundum, nullo novo ex parte actus primi roborata præsidio, seu nulla facta ex parte potentiæ reali mutatione. Non ita est victrix Jansenii delectatio: namque 1. non datur ad exigentiam caussæ secundæ, quandoquidem, ut vidimus, justis quibusdam volentibus, conantibus secundum præsentes, quas habent vires, non conceditur. 2. non est actio ipsa creaturæ libera, quia delectatio est a-

ctus

ctus indeliberatus. 3. ad actum primum necessaria est; hac enim præsente, ut toties ex Jansenio vidimus, potentia est expedita ad agendum, absente, actus non est in ejus potestate: ergo confert actum primum. 4. Inde fit, quod ea accedente, realis fiat in facultate ipsa mutatio, nec sit tantum applicatio ipsius ad actum secundum. Ex his omnibus perspicuum est, quam merito delectationem victricem a motione prævia supernaturali Thomistica, seu a gratia prædeterminante distinguendam esse prædicet Jansenius.

Ex qua discriminis ratione explicatur non incommode, quomodo sub physica præmotione libera & expedita dici possit potentia seu facultas, non vero sub delectatione superiori, ac relative victrice. Namque cum præmotio illa physica unice se teneat ex parte actus secundi, ea absente, facultas, per gratiam sufficientem Thomistico sensu, libera & expedita est ad bonum, atque satis virium habet, ut actualem concupiscentiam, tametsi ardentissimam vincere possit. Atque proportione servata, idem de præmotione ad actum supernaturalem judicandum, quod de præmotione ad actum naturalem. Ista porro prius quam accedat, potentia seu facultas apta & expedita supponitur in actu primo: v. gr. antequam homo actu intelligat, velit &c. supponitur habere naturalem facultatem expeditam ad intelligendum, volendum &c.

E contra, cum victrix Jansenii delectatio ad potentiam ipsam seu actum primum pertineat, voluntas tali delectatione destituta nihil boni plene ac perfecte velle potest, atque impossibile omnino ipsi est per parvam, seu inferiorem gratiam, vincere superiorem concupiscentiæ delectationem: unde necessario sequitur, facultatem his in circumstantiis ac relative ligatam esse, seu nec liberam nec expeditam ad bonum.

Altera capitalis discriminis ratio ex Jansenio hæc est, quod prædeterminatio physica in agentibus liberis exigitur propter naturalem indifferentiam voluntatis; hoc est, ad illam indifferentiam, indeterminationem & suspensionem actus tollendam, necesse est voluntatem ex se indeterminatam a prima caussa determinari: at superior delectatio cum in finem non datur, quia ex Jansenio, nulla in præsenti statu talis est activa voluntatis indifferentia. *Tantum abest, juxta S. Augustinum*, ait citato capite 2. Libri 8. *gratiam Christi propter indifferentiam voluntatis esse necessariam, ut potius propter amissam indifferentiam ejus, & propter servitutem ac depressionem ejus sub libidinibus necessaria sit.*

Præmotio igitur physica supponit præsentem voluntatis indifferentiam, delectatio vero Jansenii eam jam perditam & amissam supponit: unde sequitur per motionem illam non conferri potentiam ipsam agendi, quæ sine ipsa perfecta & completa supponitur; sed dumtaxat tolli indifferentiam ac suspensionem actus: e contra per delectationem Jansenii, non tolli actus indifferentiam, cum nulla jam sit: sed conferri expeditam & completam ad agendum potentiam seu facultatem: adeoque ea absente, facultatem ligatam esse, seu nec liberam, nec expeditam, nec completam relative ad oppositam delectationem. Notandum porro indifferentiam illam quam hic rejecit Jansenius, non esse Molinisticam, sed Thomisticam: ea enim ipsa est quam quidem fatetur Thomistas admittere, sed amissam ab ipsis ingemit.

Dices 1. Jansenius eodem plane modo asserit & explicat remanere sub motione victricis delectationis facultatem liberam & expeditam ad oppositum, quo Thomistæ sub physica prædeterminatione: non ergo erroris incalunda magis est illius sententia, quam Thomistarum. Sic ille loquitur Lib. 8. de Gratia Christi c. 20. *Dicimus liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantum non facere, sed etiam malum. Verum est enim istud non quidem in sensu composito, ut vulgo dici solet, sed in sensu diviso. Nimirum quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium sub gratiæ delectatione efficaciter eam movente positum est, immo quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in eadem voluntate potestas illud non faciendi, immo peccandi; non quod cessatio ab actu, quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu consistere possit, (quod sensus compositus postularet) sed quia cessandi & peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio conjungi potest. Nam quamvis duo actus contrarii sint oppositi, & in eadem voluntate simul esse non possint: potestates tamen ad opposita non sunt oppositæ, nec sibi invicem, nec actibus oppositis, & in eodem simul subjecto sive agente sive quiescente commorantur.* Hæc Jansenius omnino consona modo loquendi Thomistarum. Sic enim Alvarez disp. 115. numer. 3. & 4. loquitur: *Potentia ad unum actum non repugnat potentiæ ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario; actus autem contrarii repugnant inter se in eodem subjecto.* Et infra. *Notandum 2.* inquit, *quod cum dicitur potentiam liberam esse, quæ, positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari & non operari, etiam in sensu composito, hoc dupliciter intelligi potest: primo, ita ut compositio fiat inter prærequisita ad operandum, & potentiam operandi*

randi & non operandi; *& tunc sensus est quod potentia ad operandum & non operandum sint simul in eodem subjecto cum antecedenter prærequisitis ad talem operationem; & hic sensus verissimus est. Secundo modo potest intelligi, ita ut compositio fiat inter antecedenter prærequisita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, seu actum ipsum contrarium; & tunc sensus est, quod omnia prærequisita, etiam ex parte Dei, ad operandum talem actum particularem, & carentia ejusdem actus seu actus contrarius, possint esse aut aliquando sint simul in eodem subjecto. In hoc sensu intendimus prædictam definitionem impugnare.* Ita Alvarez insignis inter Thomistas.

Resp. revera Jansenium, ut fucum faciat, consuetas Thomistarum loquendi rationes aliquando usurpare. Sed quæ apud istos innoxiæ sunt ac omni carent suspicione, apud illum errorem involvunt ac continent, & eo quidem periculosius, quod sub verbis in speciem Catholicis delitescat: Cum Thomistæ asserunt, stante præmotione physica ad unum, remanere liberam & expeditam facultatem ad oppositum; facultatem seu potentiam intelligunt, non absolute, sed relative ad præsentes subjecti dispositiones. Absente v. gr. efficaci præmotione ad bonum, agnoscunt adhuc in justis gratiam sufficientem per quam relative ad quamlibet actualem eorum concupiscentiam, possint bonum operari, saltem impetrando auxilium efficax ac physice præmovere. E contra cum Jansenius ait sub motione victricis delectationis cælestis, stare potestatem ad oppositum, potestatem intelligit absolutam, spectata scilicet natura concupiscientiæ quæ ad malum tendit, non vero potestatem relativam ad superiorem gratiæ cælestis delectationem: sub illo etenim respectu; necesse est inferiorem concupiscentiæ delectationem cedere superiori delectationi gratiæ. Similiter cum docet in justis, dominante actuali concupiscentia, veram esse per gratiam parvam, ad bonum expeditam facultatem; intelligit absolute ac spectata in se natura gratiæ quæ ad bonum perfectum tendit, non vero relative ad superiorem concupiscentiam: hoc enim respectu ligata est, seu non libera nec expedita ad bonum facultas, quia fieri non potest, ut inferior delectatio vincat superiorem. *Justitiæ vel peccati delectatio*, inquit Jansenius Libro 7. de Gratia Christi capite 5. *est illud vinculum quo liberum arbitrium in justitia, vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu isto stabiliter possidetur ac constringitur, actus oppositus est extra ejus potestatem.*

Hanc absolutam potestatem præ oculis habebat Jansenius, cum Lib. 8. c. 20. de Gratia Christi scribebat esse in nobis perfectissimam peccandi potestatem, non tantum *quia voluntas est de se ad malum flexibilis; non tantum quando gratia delectatione caret; sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur. Propter quam sane*, inquit, *liberum arbitrium qualicumque gratia ad agendum rapiatur, rectissime dici potest posse peccare; licet fieri nequeat, ut ipsum peccatum simul in sensu composito cum gratia operatione sociétur.* Quomodo potest arbitrum in mente Jansenii, sub efficaci gratiæ motione peccare? An potentia relativa ad superiorem delectationem cælestis gratiæ? Minime: id quippe fieri neutiquam potest. Sed potentia dumtaxat absoluta, spectata præcise natura concupiscentiæ, quæ sufficientem de se virtutem confert voluntati ad peccandum: seu quæ principium ex se sufficiens est ad voluntatem ad peccatum inclinandam.

Eadem æquivocatione potestatis absolutæ vel relativæ abutuntur Janseniani, cum ajunt justis absente gratia efficaci, per gratiam aliam parvam conferri ad bonum opus potentiam *sufficientem, sufficientissimam, completam, completissimam, plenam, plenissimam, expeditam, expeditissimam*. Non aliam his magnificis vocibus potentiam intelligunt, quam absolutam & abstractam, spectata scilicet in se simpliciter & absolute natura gratiæ, sicut sæpius observavimus, non vero relativam ad actualem superiorem concupiscentiam.

Abutuntur pariter Jansenianí ista loquendi ratione nonnullorum Thomistarum; nempe: Voluntas sub præmotione ad peccatum, non habet potentiam ad oppositum junctim cum actu, licet habeat potentiam ab actu sejunctam. Illi etenim Catholici, nomine potentiæ ab actu sejunctæ, non modo absolutam, sed etiam relativam potentiam intelligunt: Janseniani vero solam absolutam, non relativam, quia potentia ab actu sejuncta, in ipsorum mente, est tantum absoluta. Namque non potest haberi potentia relativa, nisi Deus eam dari velit: atqui non vult eam dari, cum præbet tantum delectationem effectu ulteriori vacuam; ut enim eam potentiam relativam velit dari, debet delectationem cælestem conferre ex voluntate quæ commensuret illam, paremque faciat cum gradu actuali concupiscentiæ vincendæ. Neque enim fieri potest, ut casu & sine ulla ex parte Dei voluntate, ipsi proportionata gratia inveniatur; alioquin non Deo tunc tribuenda foret victoria concupiscentiæ. Jam vero cum Deus delectationem cælestem effectu ulteriori vacuam concedit, non commensurat eam, cum gra-

gratiâ concupiscentiæ actuali vincendæ, quippe quæ conceditur tantum ex voluntate antecedenti, quæ præscindit a circumstantiis concupiscentiæ, & quæ sola inefficax est: ergo potentia quam tunc habet voluntas, non est relativa: ergo potentia quæ non est cum actu conjuncta, in systemate Jansenianorum est tantum absoluta. Adde quod potentia ab actu sejuncta ideo talis est, quia fuit a delectatione inferiori concurrente cum delectatione superiori: unde potentia quam potest conferre delectatio inferior, non potest esse relativa propter virium inæqualitatem ad debellandam oppositam majorem concupiscentiam: unde est tantum absoluta, in quantum est delectatio quæ ex se & natura sua nata apta est ad concupiscentiam in genere debellandam.

Dices 2. Paulus Irenæus Disquis. 6. art. 5. declarat delectationem victricem pertinere ad actum secundum, non vero ad primum. *Duplex est potestas*, inquit, *duplex posse: alia actus primi, alia actus secundi; alia quæ interiorem virtutem notat, alia quæ etiam impulsionem & applicationem ad agendum involvit. Et hoc postremo genere est victrix delectatio: impellit illa ad agendum, movet, applicat, eo prorsus modo quo Thomistæ de physica prædeterminatione sentiunt.*

Resp. 1. Jansenium Lib. 8. de Gratia Christi c. 2. mox citato, expresse distinguere delectationem suam victricem a præmotione Thomistarum, in eo quod hæc se habeat instar concursus, non vero delectatio victrix. Si autem non se habet instar concursus, necesse est ut ad actum secundum dumtaxat non pertineat, sed ad actum primum: qua ergo fide affirmat Paulus Irenæus, ad actum secundum dumtaxat requiri a Jansenio delectationem victricem, eo plane modo quo Thomistæ de physica prædeterminatione statuunt? Et certe cum juxta Jansenium Lib. 3. cap. 15. *Gratia Christi simul afferat posse quod volumus, & velle quod possumus*: cum juxta eumdem multis in locis, absente delectatione superiore gratiæ, voluntas non sit expedita relative ad oppositam delectationem superandam, delectatio superior ad ipsum actum primum necessario requiritur.

Resp. 2. Nec ab ipso Paulo Irenæo, nec a quovis defensore systematis delectationis utriusque, merito dici posse delectationem superiorem non requiri ex parte actus primi: manifestum enim est ex dictis, delectationem superiorem conferre potentiam; porro quod confert potentiam, se tenet ex parte actus primi. Præterea Dionysius Raymundus 1. parte capite 1. articulo 6. inutilem asserit illam quæstionem, posseque asseri sine fidei dispendio, gratiam efficacem seu victricem delectationem tenere se ex parte actus primi. Neque vero Paulus Irenæus meliori fide exponit doctrinam Jansenii pagina 198. Disquisitionum suarum, cum dicit ipsum admisisse gratiam sufficientem Thomisticam, sub nomine adjutorii possibilitatis, de quo agit Libro 5, de hæresi Pelagiana cap. 11. ibi enim Jansenius aperte rejicit ab hoc statu tale adjutorium possibilitatis, & ad solos Pelagianos remittit.

Dices 3. In sententia eorum Thomistarum quibus placet præmotionem physicam esse qualitatem quamdam, quæ prioritate temporis aut saltem naturæ, & caussalitatis antevertit voluntatis actionem, præmotio ad potentiam ipsam seu actum primum, non vero ad actum dumtaxat secundum pertinet. Idcirco etenim qualitas hujusmodi in potentia recipitur, ut eam perficiat & compleat in actu primo: qui profecto modus explicandi physicam præmotionem, iis prorsus omnibus incommodis, & difficultatibus subjacet, quibus superior delectatio Jansenii: utraque enim tenet se ex parte potentiæ seu actus primi. Atqui tamen hanc nonnullorum Thomistarum opinionem Ecclesia non improbavit; ergo nec improbanda etiam videtur superior Jansenii delectatio.

Resp. physicam præmotionem duobus modis dici posse qualitatem.

Primo, ut sit qualitas seu forma quædam completa, quæ prioritate temporis antecedat voluntatis actionem: quo sensu, ut verum est dicere eam ad potentiam ipsam seu ad actum primum connaturalius pertinere, ita nec tuto defendi posse. Quapropter Thomistæ communi suffragio eam rejiciunt, in qua norunt se non posse consistere. *Eam Dei motionem*, ait P. Massoulié in Opere cui titulus est, S. Thomas sui interpres, Dissertatione 1. art. 16. *Quam extranei nobis affingunt qualitatis, vel formæ completæ, quæ voluntatem hominis ad suos actus efficiendos veluti trudat, & adigat, nostræ dissimillimam esse dubitari non potest.*

Secundo, præmotio dici potest qualitas quædam fluxa & transiens, seu motio quædam virtuosa, quæ prioritate naturæ & caussalitatis antecedit actionem creatam: *Quæ quidem motio nihil aliud est*, ait auctor mox citatus ibidem art. 15. *præter eam Dei rebus omnibus, ipsique voluntati inexistentis operationem; eamque efficacem applicationem, & blandam inflexionem, qua Deus voluntatem flectit, eamque inclinat ad quodcumque voluerit.* Quam quidem physicam motionem, ibidem ait esse *quoddam ens incompletum, cujusmodi est motus impressus instrumento ab artifice.*

Seposita jam veritate aut falsitate hujus sententiæ, de qua hic non est quæstio, certum est

est hanc præmotionem physicam ad actum dumtaxat secundum, non vero ad primum, seu ad potentiam ipsam, pertinere; cum sit ens incompletum & intentionale, cujus ratio *& natura tota,* pergit eodem capite 15. P. Massoulié, *posita est in ipso fieri in via & transitu: cujusmodi est color, ipsaque species coloris in aere dum fertur ad visum.* Ergo ex hac maxime parte distat præmotio physica a delectatione superiori & relativa Jansenii, quod hæc actum primum simul & secundum confert, illa dumtaxat secundum.

Neque refert quod appelletur aliquando complementum actus primi. Cum enim actus primus ex se tendat ad secundum, præmotio physica quæ dat actum secundum, potest hoc sensu appellari complementum actus primi: non autem hoc sensu, quod, ea absente, vera plane non sit potentia, seu actus primus. Adde, Thomistas, de quibus loquimur, agnoscere esse in justis, absente gratia physice præmovente, gratiam sufficientem, per quam vere ac proprie possunt, etiam relative ad quamlibet eorum actualem concupiscentiam, observare præcepta & tentationem superare: quam relativam potestatem Jansenius non admittit, nec potest in suo systemate admittere.

Dices 4. Jansenii systema magis favet libertati hominis quam Thomisticum, pro statu innocentiæ, quandoquidem quantum ad illum statum, Molinianum est. E contra, systema Thomisticum idem est pro utroque statu, ac proinde semper & ubique rigidum minusque favens libertati.

Resp. 1. Controversiam hic non moveri de statu innocentiæ, qui non existit amplius, sed de statu præsenti.

Resp. 2. In omni systemate etiam Moliniano, proindeque & Janseniano circa statum naturæ innocentis, nonnihil mysterii ac difficultatis intricatæ latere, sicut observat auctor Libri, cui titulus, *Systeme de M. Nicole sur la Grace,* in fine. Ubique Deus vere est absconditus: neque enim minus necesse est recurrere ad altitudinem & profunditatem Judiciorum Dei in illo systemate, quam in altero, dum quæritur cur Angelis, qui præsciti erant non perseveraturi, & ipsi Adamo, gratiam uberiorem qua perseveraret, non concessit Deus, & illis solam eam conferre voluit, cum qua ipsos casuros noverat.

Resp. 3. In statu innocentiæ datas fuisse in systemate Thomistico gratias vere sufficientes, quibus Angeli mali, & Adam perseverassent, si voluissent.

Urgebis 1. Etiam pro statu naturæ lapsæ magis libertati favet systema Jansenii, quam Thomisticum: quia repugnat actum ulteriorem conjungi cum gratia sufficiente Thomistica, non item cum delectatione parva Jansenii.

Resp. neg. ant. ejusque probationem. Quod enim repugnat, nunquam contingere potest: atqui contingere potest actum conjungi cum gratia sufficiente Thomistica.

Probabis antecedens. In systemate Jansenii, inferior delectatio evadet superior ac perfectum consensum voluntatis exprimet, si mutentur intrinsecæ dispositiones subjecti: at etiamsi, in systemate Thomistico, mutentur illæ dispositiones, gratia tamen sufficiens Thomistica effectum nusquam obtinebit, nisi accedente physica præmotione.

Resp. In systemate Jansenii dici non posse eamdem esse potentiam, quæ per delectationem inferiorem confertur, & quæ [illegible] ad actum cum mutantur intrinsecæ subjecti dispositiones. Namque tunc prorsus mutatur potentia, mutatis subjecti dispositionibus, quandoquidem potentia illa tota relativa est ad dispositiones subjecti. E contra vero, cum accedit præmotio physica, eadem prorsus quæ erat antea permanet potentia; quia, ut sæpius dictum est, præmotio tenet se dumtaxat ex parte actus secundi; nec magis sequitur in systemate Thomistico, mutari potentiam quando accedit præmotio physica, quam mutetur in aliorum sententia, per concursum; quandoquidem præmovens gratia, teste Jansenio, est instar concursus generalis.

Urgebis 2. Saltem minus aliquid est mutari dispositiones intrinsecas subjecti, seu minui concupiscentiam, quam dari novum ex parte Dei auxilium, per modum principii activi essentialiter ad actum requisiti; sed primum sufficit in systemate Janseniano, secundum requitur in systemate Thomistico.

Resp. 1. non posse minui concupiscentiam nisi per aliquod auxilium Dei saltem externum; alias sibi ipsi homo tribueret efficaciam victricem gratiæ, quæ ex sola concupiscentiæ immutatione repeteretur.

Resp. 2. distinguo ant. Est quid minus in ordine ad actum secundum, concedo: est quid minus in ordine ad actum primum, de quo hic agitur, nego. Porro physica præmotio tenet se ex parte actus secundi.

Neque te moveat, quod in systemate Thomistico requiratur aliquid novum in ordine ad actum secundum: hoc ipsum enim etiam occurrit in systemate Jansenii, in quo præter imminutionem concupiscentiæ, aliquid novum necessarium est, ut potentia reducatur in actum, gratia scilicet adjuvans & cooperans. Nam minuas quantum volueris concupiscentiam, non tamen propterea sine aliquo ex parte Dei, quantum ad actum secundum, auxilio, fortior voluntas produceretur. Unde licet ex parte potentiæ non requiratur nisi im-

si imminutio concupiscentiæ, aut mutatio dispositionum subjecti; tamen ex parte actus secundi, requiritur in omni systemate, etiam Janseniano, ut potentia reducatur in actum, aliquod Dei auxilium, quod vices gerat concursus.

Urgebis iterum: Saltem non frequenter, in sententia Thomistica, gratiæ sufficienti accedit physica præmotio, unde & raro potentia illa Thomistica reducitur in actum; non ita vero in sententia Jansenii; nam sæpius per solam imminutionem concupiscentiæ & concursum supernaturalem homo agit.

Resp. Quidquid sit de systemate Janseniano, nam gratis fingitur potentiam sæpius ad actum non reduci in illo systemate per augmentum gratiæ seu delectationis, quam per imminutionem solam concupiscentiæ: Respondeo, inquam, in systemate Thomistico accedente ad gratiam sufficientem præmotione Physica, gratiam illam sufficientem merito dici posse in actum reduci, non quidem per se solam, sed virtute præmotionis physicæ ad quam moraliter disponit: præsertim cum in sententia plurimorum Thomistarum, ordinarie non concedatur gratia efficax seu physice præmovens, quin præcesserit gratia sufficiens. Adde quod cum gratia sufficiens Thomistica tota se teneat ex parte potentiæ, gratia vero efficax ex parte actus secundi, vulnus autem per peccatum inflictum in ipsam cadat potentiam, gratia sufficiens, quæ sola potentiam illam afficit, in systemate Thomistico, continere in se debet quidquid medicinale habet Christi gratia.

Magnum est discrimen inter modum explicandi gratiam a se efficacem per delectationem simpliciter victricem sensu aliquorum Theologorum, & delectationem gradibus relative superiorem sensu Jansenii.

DIco 1: dogma gratiæ ex se, seu propria, & interna virtute efficacis, sanum quidem esse, innoxium & orthodoxum, sed differre plurimum a gratia efficaci in sensu Jansenii. Namque vel spectatur gratia illa ex se efficax, antequam in voluntate recipiatur; vel postquam in ea recepta est: utroque autem respectu, plurimum differt a delectatione superiori, in qua Jansenius vim, & efficaciam gratiæ collocat.

I. Ante receptam in voluntate gratiam ex se efficacem nihil obstat quin supponatur in voluntate gratia quædam actualis sufficiens, quæ satis virium habet ad vincendam quamlibet oppositam actualem concupiscentiam: ea enim inter se non pugnant; sive quia minima gratia plus valeat ad bonum, quam fortior concupiscentia ad malum: sive quia gratia hæc sufficiens proportionata est cum actuali concupiscentia: qua in suppositione, quæ profecto vera est & Catholica, facultas seu potentia supponitur vera, propria & expedita esse ad opus bonum mediate vel immediate producendum. At vero nihil tale occurrit in systemate Jansenii; in conflictu enim duplicis delectationis, cœlestis & terrenæ, minor necessario cedit majori, nec fieri unquam potest ut major minori vincatur: quomodo fieri non potest ut pondus sex librarum trahatur pondere minori trium librarum; ergo eo in statu voluntas necessario id agit, quo majori rapitur ac trahitur delectatione; ergo non est ad actum oppositum tunc libera & expedita, quandoquidem delectatio confert, ut ex Jansenio probavimus, ipsammet agendi potentiam; atque hinc necessario fluxu dimanant quinque famosæ Propositiones.

II. Cum gratia ex se efficax præsens supponitur in voluntate, recte adhuc concipitur posse voluntatem ipsi resistere; quia gratia efficax importat duntaxat ex sese certam effectus futuritionem, quæ non excludit resistendi potestatem expeditam relative. Longe aliter se res habet in systemate Jansenii: superior quippe delectatio excludit veram resistendi potentiam relativam, quia in opposita delectatione, utpote inferiori, satis non est virium, ut possit superiori resistere.

Dico 2. Multum esse discriminis inter modum explicandi efficaciam gratiæ per delectationem simpliciter victricem sensu nonnullorum Theologorum, & per delectationem relative, seu per gradus superiorem ac victricem sensu Jansenii.

Namque in priori sententia, victrix delectatio non per gradus nec relative victrix est, sed ex sese absolute, seu propria & interna virtute, unde importat tantum certitudinem effectus illæsa libertate, ac integra remanente potentia ad actum oppositum. Non ita relativa Jansenii delectatio, quæ ad inferiorem comparata, omnino tollit potentiam tum resistendi, tum eliciendi actum contrarium, nempe ob virium inæqualitatem in delectatione inferiori. Inde est quod defensores delectationis simpliciter & non per gradus victricis, admittunt gratiam excitantem ac sufficientem distinctam natura, & entitate ab efficaci delectatione, per quam, absente illa efficaci delectatione, voluntas vere, proprie, expedite ac complete, etiam relative ad quamlibet actualem oppositam delectationem concupiscentiæ, possit aut bonum operari, aut saltem uberius implorare gratiæ auxilium ut illud operetur. Quapropter in eorum sententia, delectatio

ex

ex se victrix, quantumcumque certe voluntatem ad agendum inflectat, semper liberam, & expeditam eam relinquit, & ad resistendum & ad actum contrarium exercendum etiam relative, quia delectatio illa victrix non confert actum primum seu potentiam, sed actum secundum: quandoquidem in ipsa gratia excitante sufficiente pares ac sufficientes agnoscunt vires ad quamlibet actualem concupiscentiam superandam, saltem per orationis adminiculum.

At vero in systemate Jansenii, delectatio victrix relativa dat actum primum seu potentiam ipsam agendi: in eo systemate nulla datur gratia excitans ac vere sufficiens, præter superiorem delectationem. Gratia enim quam Jansenius parvam appellat, si absolute & in se præcisis subjecti circumstantiis spectetur, de se efficax est, ad bonum perfectum ordinata, quod revera efficeret, si in concupiscentiam minus resistentem impingeret: si vero spectetur, ut a Jansenio spectatur, relative ac comparate ad majorem actualem concupiscentiam, plane insufficiens est, & impar huic debellandæ, cum ad hoc satis virium non habeat: Ergo tunc vera est ac propria in voluntate impotentia bene agendi; e contra, dominante delectatione cælesti, vera est impotentia ad resistendum & ad malum operandum. *Delectatio*, inquit Jansenius Lib. 7. cap. 5. *vinculum est quo liberum arbitrium ita ligatur ac constringitur .... ut actus oppositus sit extra ejus potestatem.* Et cap. 3. *Delectatio est id quod tantum potestatem in liberum arbitrium habet, ut ea præsente actus volendi sit re ipsa in ejus potestate, absente non sit.* Et lib. 8. cap. 3. *Delectatio facit ut velis, & sine illa velle non possis .... facit denique ut necesse sit animum illud sequi &c.*

Quantum differt hæc doctrina a sententia Theologorum, qui vim & efficaciam gratiæ repetunt ex delectatione simpliciter victrice. Non enim illi cum Jansenio dicunt, hominem, cum non frænat concupiscentiam, non accepisse a Deo gratiam sufficientem, per quam etiam relative illam domare posset; immo gratiam hanc conceptis verbis admittunt, & quidem viribus parem ad superandam actualem quamlibet concupiscentiam. Non dicunt, victricem delectationem omnino necessariam esse ut homo possit agere, sed tantum ut actu agat. Non dicunt, stante motione victricis delectationis, actum oppositum non esse in potestate voluntatis; immo contrarium affirmant. Non dicunt, facultatem esse relative ligatam, aut saltem impeditam; immo expeditam asserunt. Non dicunt, gratiam aliquando effectu ulteriori carere, ex eo quod gradibus & virtute inferior sit actuali concupiscentiæ; immo contendunt per sufficientem gratiam ideo conferri completam ad bonum potentiam, quia viribus par est vincendæ actuali cuilibet concupiscentiæ, & bono saltem mediate operando.

Uno verbo, tres præcipuas hic causas accipe discriminis delectionis simpliciter victricis.

Prima est, quod in sententia delectationis relative superioris, tota vis delectationis, sive cælestis sive terrenæ, relativa sit: unde cum in illo systemate nunquam contingat ut utraque delectatio æquo certamine seu viribus æqualibus luctetur actu, fit ut una alteri vincendæ par esse non valeat, si gradibus sit inferior. At vero in systemate opposito, cum vis gratiæ & concupiscentiæ non sit relativa, neque gratia Christi sit efficax eo, quod sit superior delectationi terrenæ, supponi potest gratiam sufficientem dare vires pares ad oppositam quamlibet actualem concupiscentiam vincendam.

Secunda ratio discriminis est, quod in sententia delectationis relative superioris non conferatur potentia expedita relative seu ad bonum seu ad malum, nisi per delectationem superiorem. Ut enim conferatur potentia relative expedita ad bonum, debent saltem æquiparari vires voluntatis cum impedimentis ex adverso retardantibus, nisi per delectationem superiorem seu gratiam efficacem. Neque enim id potest fieri per delectationem æqualem, cum, ut jam diximus, in eo Systemate non detur talis delectatio: aliunde, ut vidimus, non potest fieri per delectationem inferiorem. At vero in systemate delectationis simpliciter victricis, per solam gratiam sufficientem confertur potentia relative expedita ad bonum.

Tertia ratio discriminis est, quod delectatio inferior, qualis est gratia sufficiens in systemate delectationis superioris, minuat tantum, non vero tollat necessitatem peccandi, quæ per peccatum originale, & per actualem concupiscentiam fortiorem inducitur. Quemadmodum enim si bajulo, qui ferendo ponderi mille librarum impar est, leve aliquod præbeas adjumentum, minuitur quidem impotentia ferendi, sed non tollitur; ita a pari, delectatio cælestis inferior minuit quidem impotentiam bene agendi, & necessitatem peccandi, quæ per delectationem superiorem terrestrem inducitur, sed non tollit. At vero in systemate delectationis victricis simpliciter, gratia sufficiens cum non sit inferior concupiscentia actuali, nec ipsa debilior, non solum minuit, sed tollit omnino impotentiam bene agendi, aut necessitatem male agendi, quæ posset supponi inducta per peccatum.

Quæres 1. Quo signo dignosci possit, utrum quis constituat efficaciam gratiæ in delectatione superiori seu victrici relative, non vero in delectatione simpliciter victrici?

Resp. pluribus signis ad dignosci posse: unum hic tantum indicabo. Scilicet in systemate delectationis superioris relative, gratia, quam ejus patroni vocant efficacem, & illa, quam liberaliter appellant sufficientem, intrinsece & entitative seu natura non differunt, sed extrinsece tantum, &, ut ita dicam, accidentaliter, scilicet propter majorem vel minorem concupiscentiam, in quam impingunt; respectu cujus, dicitur vel invincibiliter efficax, vel invincibiliter inefficax, prout ipsam terrestrem delectationem aut superat gradu viribusque, aut ipsa inferior debiliorque est.

Quæres 2. Quomodo datur intelligi potentiam bene agendi quam confert gratia sufficiens in sententia delectationis simpliciter victricis, esse expeditam, cum numquam, si sola sit, actum eliciat?

Resp. Id non incommode explicari 1. ex eo quod potentiæ, quam confert gratia sufficiens in sententia delectationis simpliciter victricis, nullum injectum per concupiscentiam supponatur vinculum, per quod ligetur voluntas seu facultas, aut saltem in exercitio suo impediatur: in sententia vero Jansenii, delectatio concupiscentiæ superior vinculum sit quo constringitur voluntas, & actus oppositus non est in ejus potestate. 2. ex eo quod illa potentia reducatur in actum, & voluntas agat aliquando sine ulla facta ex parte potentiæ immutatione, seu absque eo quod virtus ejus augeatur, aut difficultas minuatur, idque sola accedente gratia efficaci seu delectatione simpliciter victrici, quæ voluntatem ad actum applicat; unde certe concluditur, potentiam fuisse expeditam, etiam ante gratiæ efficacis collationem.

Inde facile est inferre sententiam aliquorum Recentiorum, qui propugnant systema duplicis delectationis relative victricis, cujus quæ superior est ineluctabiliter prævenit voluntatem, & invincibiliter determinat ad unum: 1. ipsissimum esse Jansenii systema: quod unum sufficere deberet, ut ab eo propugnando deterreantur Theologi, qui ab omni partium & studiorum, novitatisque suspicione alieni videri volunt. 2. Ita systema istud esse proprium Jansenii, ut illud tanquam inopinatam veritatem invehat; ejusque discipuli quotquot hactenus extitere & sunt, licet in aliis plerisque varii ac discordes, in eo tamen quasi Augustiniano, & oculorum pupilla cariore constanter retinendo unanimes fuerint, teste ipso Abbate de Bourzeis, quem antea laudavimus. 3. Jansenium delectationem illam superiorem in systemate suo ita capitalem ac fundamentalem habuisse, ut non aliter famosas quinque Propositiones, quasi totidem ex illo principio derivatas conclusiones defendere potuerit. 4. Cum Ecclesia quinque Propositiones damnaverit in sensu Jansenii, necesse esse illas damnatas fuisse in ipso Jansenii systemate, lectationis scilicet superioris ac relative victricis, quæ totius systematis, ut antea probavimus, clavis, basis ac fundamentum est. 5. Theologos qui dictam superiorem delectationem propugnant, incommoda absurda & erronea, quæ ex tali systemate consequuntur, non posse declinare. Quod si pertendant Jansenium ex principio delectationis superioris perperam suas quinque Propositiones veluti totidem conclusiones intulisse, assignent, rogo, qua ex parte conclusiones illæ male cohæreant cum dicto principio, quidve Jansenius discurrendo peccaverit, cum illas intulit. Quod si nullum in discursu ipsius vitium deprehenderint, necesse est, ut vel principium deserant; vel eo admisso, conclusiones inde necessario fluxu dimanentes pariter admittant. Eosdem Theologos in vanum dumtaxat ac phantasticum erroris Jansenii simulacrum censuras Ecclesiæ, quibus toties attritus ille fuit, necessario detorquere; quod quidem facile demonstrare est, tum conferendo doctrinam Jansenii cum doctrina illorum Theologorum, unde certe manifestum erit, nihil dicere Jansenium, quod ipsi dicere pariter non teneantur; & nihil eos ad captandam Catholicorum benevolentiam mitioribus ac mollioribus vocibus affirmare, quod ultro non concedere possit Jansenius, immo & revera non concedat: tum maxime expendendo sigillatim, quæ illi ipsi Theologi proferunt momenta discriminis inter suam & Jansenii doctrinam.

Expenduntur caussæ discriminis, quas nonnulli proferunt inter delectationem superiorem ac relativam quam tuentur, & Jansenii sententiam.

SUNT inter recentiores Thelogos nonnulli, qui a Jansenio se longius recedere contestantur, quamquam vim & efficaciam gratiæ pariter cum ipso exponant per delectationem relative seu per gradus victricem. De communi principio consentiunt illi quidem, at non easdem inde conclusiones inferri videri volunt: immo quas inde Jansenius deducit quinque Propositiones, aperte damnant ac rejiciunt. Absit ut cujusquam fidem, candorem, ac probitatem hic incusem: verum sic intellexi semper, delectationem illam superiorem ac relativam centrum esse, ex quo quinque Jansenii Propositiones, quasi totidem lineæ fluxu necessario derivantur; adeoque eo retento fundamento, non aliud proferri posse a Janseniana doctrina discrimen, quam aliquorum dumtaxat verborum. Id vero ita esse patebit, expendendo quas illi proferunt caussas & ratione discriminis inter suam & Jansenii sententiam. Nonnullæ ex illis

illis ſpeciatim quinque ſpectant Propoſitiones: aliæ vero univerſim cauſſam & fortunam Janſenianæ doctrinæ; quas omnes ſigillatim qua fieri poterit brevitate referemus ac diſcutiemus.

Circa primam Propoſitionem.

DIcunt 1. Janſenium Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 13. conceptis verbis affirmare, juſtis impoſſibilia eſſe quædam Dei mandata; a qua impia Propoſitione prorſus abhorrere ſe profitentur.

Verum ſi recentiores illi ſola nominis aſperitate offenduntur, mollius non recuſabit ipſemet Yprenſis: quam enim impoſſibilitatem appellat, hoc ipſo citato capitis 13. loco, alibique paſſim, *difficultatem* dicere non gravatur. *Nec illam*, inquit, *implendi talia præcepta difficultatem inde proficiſci*, &c. Et antea, *quam Auguſtinus difficultatem dicit*, *Janſenius per* NON POSSE, quod majuſculis litteris inſcribere affectat, *interpretatur*. Adeo verum eſt, utramque vocem ab illo promiſcue uſurpari.

An vero de ſolo nomine controvertitur, & non potius de re ipſa per nomen ſignificata? Porro in ſyſtemate Janſenii perinde eſt, vel impoſſibilia, vel difficilia dicere juſtis, abſente gratia efficaci, aliqua Dei mandata, quia nempe juxta ipſum, *abſente delectatione ſuperiori*, *actio ſequi non poteſt*. *Et vigente delectatione carnali*, *impoſſibile eſt ut virtutis*, *& honeſtatis conſideratio prævaleat*. Et Lib. 7. cap. 5. *Delectatio eſt vinculum quo liberum .... ita firmiter ligatur & retinetur ... ut actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem.*

At quæſo nonne defenſores delectationis ſuperioris ac relativæ hoc ipſum afferere tenentur? Nonne capitale iſtud eſt apud ipſos principium, *majorem delectationem a minori vici non poſſe*; adeoque juſtum ſola gratia parva inſtructum efficaci abſente, non poſſe relativa potentia ſuperare actualem majorem cupiditatem; ac conſequenter mandatum ipſi relative eſſe impoſſibile? Vertant ſe in quamcumque partem voluerint, nihil, ut ſe expediant, proferent, quod ultro non proferant vel apertiſſimi Janſenii defenſores. Dicant illum juſtum habere perfectiſſimam ac completiſſimam ad obſervandum mandatum potentiam, beneficio gratiæ parvæ: nonne idem aſſerunt Janſeniſtæ verbis expreſſis & clariſſimis quæ initio laudavimus? Dicant ſe eam tantum rejicere potentiam quæ ſit cum actu conjuncta: hoc idem & ipſi conteſtantur. Dicant non veram eſſe impoſſibilitatem, ſed tantum difficultatem: ne ipſe quidem negat Janſenius. Verum in eo utrorumque error eſt, quod illa perfectiſſima potentia ſit revera tantum abſoluta & abſtracta, non relativa; quod ita excludat actum, ut ipſum relative obtinere non poſſit: quod illa difficultas ſimilis ſit ei quam patitur juſtus, vitandi omnia peccata venialia collective ſumpta ſine ſpeciali privilegio; vel ille qui ſanos oculos habens non poteſt videre ſine lumine; vel a morbo convaleſcens, non poteſt longum iter pedibus perficere. An non hujuſmodi difficultatis genus veram importat impotentiam? Mutato igitur ſolo nomine ſenſus idem retinetur.

Dicunt 2. Se non omnem gratiam ſufficientem, ſed ſolam Molinianam; Janſenium vero omnem omnino reſpuere, quam Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 3. revocat ad gratiam Pelagii. Verum profitetur quoque Janſenius cap. 1. ejuſdem Libri, ſe ſolam Molinianam, ut vocant, ſeu verſatilem ac libero voluntatis arbitrio permiſſam rejicere gratiam ſufficientem: nolle vero ſe impugnare gratiam ſenſu Thomiſtico ſufficientem, qualem Alvares, Gumel, Navarreta &c. admittunt; eam ſcilicet, præter quam aliud ex parte Dei auxilium per modum principii neceſſarium eſt ut homo velit & operetur. Immo addit ibidem, quod Auguſtinus *fortaſſe talem gratiam non difficulter admitteret*. Et cap. 3. cum ait gratiam quæ *ab initio lapſus humani generis uſque ad Judicii diem nullum in humana voluntate effectum habuit*, *aut habitura eſt*, *monſtro ſimilem eſſe*. Molinianam ſolam aut incongruam Suareſianam directe & expreſſe explodit: neque diffitendum eſt in textu Janſenii qui objicitur ex cap. 3. Lib. 2. de Gratia Chriſti, eum ſolam Moliniſticam oppugnare gratiam. Cum tamen ab ipſo Thomiſticam ſufficientem gratiam pariter rejici affirmamus, ad principia quæ ubique ſtatuit Janſenius, & quæ cum tali gratia conciliari non poſſunt, attendimus magis, quam ad ejus verba: neque enim expreſſe ac nominatim unquam inſurrexit adverſus illorum Theologorum ſufficientem gratiam. Jam vero cum principia Janſenii circa delectationem eadem ſint quæ a Recentioribus nonnullis propugnantur, ab utriſque non ſolum Molinianam, ſed & Thomiſticam ſufficientem gratiam convelli merito contendimus.

II. Negari certe non poteſt, quin parvam aliquam gratiam admiſerit, quæ de ſe principium eſt boni operis, at ſemper efficax alicujus parvi, & imperfecti effectus, quam Deus voluntate ſua antecedente, quæ a circumſtantiis abſtrahit, ordinat ad bonum opus; ad quod nihilominus per voluntatem conſequentem non tendit, propter majorem cupiditatis reſiſtentiam, cui ſuperandæ impar eſt. *Illud*, ait Paulus Irenæus Diſp. 6. *ex Janſenio concedi poteſt*, *gratiam nonnunquam carere eo effectu*, *ad quem deſtinatur voluntate Dei antecedente*. *Cum enim ea voluntas*

luntas semper feratur in bonum absololute spectatum, consentire autem gratiæ habere rationem boni, utique semper illa voluntate Deus velle censendus est homines suæ gratiæ non resistere, sed illi plane consentire. En gratia parva, sed sufficiens (de nomine nulla quæstio) quam Jansenius cum suis constanter agnoscit. An propterea immunis ab errore circa hujusmodi gratiam? Minime. Quare? Quia gratia hæc relative ac comparate ad superioris actualis concupiscentiæ vires non potest eam superare; ac proinde nomine tenus sufficientem gratiam Jansenianí admittunt, re ipsa vero negant. Quantum enim ad usum & exercitium boni operis, perinde omnino est, ac si nullam agnoscerent; quod quidem nostris locum dedit certe legitimum, accusandi Jansenianos omnis prorsus denegatæ gratiæ sufficientis. Dicant porro Recentiores an re ipsa aliam agnoscant gratiam sufficientem, quam istam Jansenianam? Quid enim ipsis est gratia sufficiens, nisi delectatio inferior ac debilior, quæ non satis habet virium ut oppositam concupiscentiam superare possit; seu quæ necessitatem peccandi non tollit, sed minuit tantum? Cedo si vel unum apicem discriminis invenias, nisi forte quod talem gratiam apte non minus quam vere Jansenius insufficientem appellat, Recentiores vero abusive & ad fucum faciendum, sufficientem.

Dicunt 3. Jansenium Lib. 8. de Gratia Christi cap. 20. docere sub dominante concupiscentia veram esse in voluntate impotentiam operandi bonum. *Firmitas*, inquit, *ardorque voluntatis malæ vehementi delectatione concupiscentiarum adjuta & incitata, parit bene faciendi impotentiam*. Sed qui inter Recentiores systema delectationis superioris tuentur, longe absunt a tali admittenda impotentia; immo, veram & proximam confitentur, ope gratiæ sufficientis, ad bonum opus potentiam.

Respondeo, si de verbis hic tantum agatur, Jansenium ipsum verbo tenus impotentiam illam ita sæpius mitigare ac temperare, ut a Catholicis recedere non videatur, a quibus tamen quoad sensum & rei veritatem plurimum remotus est; quemadmodum & ipsi Recentiores nonnullis verbis a Jansenio dissident, cum quo sensu concordant. Jansenius v. gr. dixit tum Lib. 8. de Gratia Christi cap. 20. tum Lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 25. impotentiam illam esse tantum impropriam, consequentem & ex hypothesi: non negavit per talem impotentiam voluntariam remanere (physicam) ad bonum facultatem, neque etiam illam oriri ex defectu virtutis activæ in gratia tametsi parva; sed ex una cupiditatis resistentia, quæ si minor esset, gratia illa parva plenum ac perfectum effectum consequeretur.

Dixit Lib. 3. de Gratia Christi cap. 13. Lib. 4. cap. 10. impotentiam illam non excludere quamcumque gratiam. Denique sæpius ita loquitur, ut non excludat omnem ad bonum potentiam defectu gratiæ victricis, sed tantum eam neget, quæ cum actu conjuncta est: has porro mitigatas, & in speciem Catholicas Jansenii locutiones summo studio colligunt ac jactantius prædicant ejus defensores, ut ejus doctrinam tamquam orthodoxam censuris Ecclesiæ subducant. Verum inani prorsus ac vano conatu; & ut Clerus Gallicanus in sua ad Alex. VII. scripta ann. 1661. Ep. loquitur, *Verba Jansenii ad aliquem sensum Catholicum subtiliter detorquent;* eumdem enim plane sensum erroneum exprimit, tum durioribus, tum mollioribus verbis.

Dixit equidem Jansenius, impotentiam bene agendi sub dominio ardentioris concupiscentiæ, & male agendi sub motione gratiæ victricis esse impropriam, consequentem & ex hypothesi, non vero antecedentem; quia non alia ipsi est propria & antecedens impotentia, quam quæ rationis & deliberationis seu voluntarii usum antecedit, qualis profecto non est impotentia de qua loquitur, quam Lib. 3. de Gratia Christi c. 15. appellat *voluntariam impotentiam*, & consequenter juxta ipsum liberam. Quia, ut ait ibidem, *nihil est aliud voluntatem esse liberam, quam actum suum habere in sua potestate: & habere in potestate nihil aliud, quam eum facere si voluerit*. Sic autem impotentia hæc juxta Jansenium est voluntaria, & hoc sensu consequens, ut tamen voluntas eam declinare nullo pacto valeat, non quidem absolute, seu relative; *Cum tunc*, ut ipse loquitur Lib. 8. de Gratia Christi c. 20. *facultas impedita ligataque permanent;* vinculo scilicet majoris delectationis, quo fit ut voluntas non tantum actum oppositum non velit, sed nec velle possit. *Firmitas ardorque voluntatis malæ*, inquit loco citato ex c. 20. Lib. 8. de Gratia Christi, *vehementi delectatione concupiscentiarum adjuta & incitata, parit bene faciendi impotentiam, quam sola voluntas superare non potest, quia velle non potest, idque ideo, quia fortiter stabiliterque non vult.*

Non negat pariter cum illa voluntaria impotentia remanere physicam ad bonum facultatem; nec eam impotentiam dicit oriri ex defectu virtutis activæ in gratia parva, sed ex resistentia cupiditatis. Verum mera sunt verba, ad errorem potius involvendum, quam excludendum accommodata. Namque facultas illa physica vel est nudum arbitrium voluntatis, vel quædam gratia tametsi parva: nudum liberum arbitrium est quidem physica facultas capax recipiendi

gra-

gratiam, ſed ſi ſolum fuerit, phyſice incapax eſt actionis bonæ ſupernaturalis: gratia vero illa parva, tametſi in ſe abſolute conſiderata ſit principium effectivum boni operis, relative tamen ad majoris cupiditatis vires, non tantum opus illud bonum nunquam elicit, ſed nec elicere poteſt; atque hæc eſt vera impotentia, quam Janſenius admittit, & a ſyſtemate delectationis ſuperioris inſeparabilis eſt. Nec juvat quod ait Janſenius, impotentiam illam oriri ex reſiſtentia cupiditatis: fateor, ſed voluntas illis circumſtantiis non poteſt non reſiſtere minori gratiæ; nimirum propter delectationem terrenam indeliberatam ſuperiorem, qua tunc rapitur & determinatur ad malum. Ex indeliberata enim illa motione, neceſſario conſequitur deliberatus voluntatis motus, a quo voluntas ſeipſam cohibere non poteſt; neceſſe enim eſt ut agat ſecundum id quod magis delectat.

Dixit etiam, integro errore ſubſiſtente, hac impotentia non excludi quamlibet gratiam. Ita quidem: ſed talis gratia relative ad majorem concupiſcentiam ſatis virium non habet, ut eam ſuperare poſſit.

Innuit denique Lib. 8. de Gratia Chriſti c. 20. ſolam excludi potentiam cum actu conjunctam. At verbo ludit & fallit. Non tantum enim potentia illa non jungitur cum actu, ſed nec poteſt jungi in his circumſtantiis, ſeu relative ad oppoſitam majorem delectationem: atque in hoc poſitus eſt error Janſenii. Dicant porro defenſores ſyſtematis duplicis delectationis relative victricis, an abſente gratia efficaci, cum ſola parva ſeu inferiori gratia juſtus habeat relativam potentiam ad ſuperandam actualem majorem cupiditatem? Si negant, Janſenio plane conſentiunt; aut ſaltem rogo ut aſſignent ſuæ a Janſeniana doctrina diſcrimen: aſſignent in quo præciſe collocandus hic ſit error Janſenii. Si concedunt, explicent qua ſenſu: ut nempe clare intelligatur in quo a ſyſtemate Janſenii recedant; ne forte ſyllabarum & vocum diſcrimen ſit, illudque etiam non ſincerum.

Dicunt 4. ſe gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico plenis manibus amplecti.

Reſp. & ipſum Abbatem de Bourzeis in Scripto quod dicitur, *In nomine Domini*, quod ann. 1646. editum eſt, ſic habere: *Quod identidem advertendum cenſeo, ne qua hic Thomiſtarum gratiæ ſufficienti, quam admitto lubens, fiat injuria*. Arnaldumque qui in Libro inſcripto, *Apologie pour les SS. Peres*, Lib. 7. punct. 4. cap. 1. aſſeruerat Auguſtinianos quos vocat Theologos, in eo a Thomiſticis circa gratiam ſufficientem differre, quod hi gratiam ſaltem nomine tenus ſufficientem admittere conſentirent, illi vero nullam gratiam vocandam eſſe ſufficientem contenderent, præter eam quæ vere & proprie gratia Chriſti efficax eſt: Arnaldum, inquam, qui hæc protulerat annis ſuperioribus, tandem in Scripto ſuo cui titulus, *Diſſertatio de Gratia efficaci*, non ſemel, aut bis, terve, ſed ſæpiſſime profeſſum ſe gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico admittere.

Dicunt 5. Janſenium, & Janſenii diſcipulos impotentiam proprie dictam admittere; ſe vero improprie dictam.

Reſp. Janſenium Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 15. & Lib. 8. cap. 20. alibique: Arnaldum vero in Diſſertatione jam citata parte 3. art. 17. expreſſe aſſerere, ſe proprie dictam impotentiam non admittere. *Tota illorum hominum qui a gratia plane deſerti ſunt, impotentia, nihil aliud eſt quam mala voluntas, malaque cupiditas*. Et paullo inferius: *Non hæc impotentia eſt, ſed pravitas . . . . non ideo innoxia, quia aliquo modo neceſſaria; ſed ideo culpanda, quia voluntaria*.

Dicunt 6. cenſere ſe abſtinendum omnino a voce, *impoſſibili*, dum agitur de præceptis adimplendis.

Reſp. 1. non ita ſincere eos abſtinere, quin eam aliquando uſurpent, licet rariſſime, v. g. auctor Libri cui titulus, *Tradition de l' Egliſe Romaine*, Tomo 3. & alii pauci.

Reſp. 2. mutata tantum vocis hujus ſignificatione, ſed non mutata ſententia, Recentiores ſtatuiſſe abſtinendum vulgo ab uſurpanda ea vocula impoſſibilitatis, ut patet ex Arnaldo Diſſertationis Parte 3. art. 17. qui ſic habet: *Ea quæ voluntate conſtant, nunquam impoſſibilia dici poſſunt: fiunt enim ſemper cum volumus*. Unde licet Recentiores noſtri ſub illo prætextu aut alio ſimili abſtineant ab uſurpanda voce iſta, *impoſſibili*, non tamen a Janſenii, & diſcipulorum ejus ſententia receſſiſſe ullo modo propterea cenſendi ſunt.

Circa ſecundam Propoſitionem.

Dicunt 1. Janſenium Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 24. aſſerere *gratiam tollere omnem voluntatis reſiſtentiam*; eaque loquendi ratione, errorem ſecundæ Propoſitionis manifeſte exprimere: Recentiores porro nihil tale affirmare, immo plane contrarium.

Verum duriorem hunc loquendi modum Janſenius ipſe aliis in locis emollivit, errore non repudiato. Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 27. conceptis verbis aſſerit, *multos divinitus colluſtrari, immo vero & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt*. An putas verba hæc quoad ſenſum pugnare cum prioribus? Minime profecto. Poteſt Janſenius ſine ulla pugna, eodemque ſenſu erroneo dicere, quod voluntas reſiſtat & non reſiſtat gratiæ, reſpecti-

ve ad

ve ad varium ipsius effectum. Non resistit quantum ad effectum proximum & imperfectum, quem gratia etiam parva illorum sensu semper exprimit: resistit autem quantum ad effectum ejusdem remotum ac perfectum, ad quem ex natura sua & voluntate Dei antecedente tendit & ordinatur, sed quem non habet, immo nec habere unquam potest, quando concupiscentiæ opposita delectatio superior est.

Ita seipsum exponit Jansenius in citato c. 27. Libri 2. de Gratia Christi. *Considerandum est*, inquit, *multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus posse vocat; est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent ..... Hæc ergo primus est cælestis istius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundat Deus .... Non enim quævis gratia ad quosvis effectus inferendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, sed potestates operationum difficultati attemperandæ sunt.*

Eodem plane modo discipuli Magistrum interpretantur, Paulus Irenæus Disq. 6. & Dionysius Raymundus 1. p. cap. 3. art. 5. pag. 130.) Prioris verba retulisse sufficiet. *Possunt*, inquit, *allatæ Jansenii locutiones ad illam revocari doctrinam toti Thomistarum Scholæ probatam: omnem gratiam tam efficacem, quam sufficientem esse efficacem respectu proximi istius effectus ad quem ordinatur voluntate Dei absoluta. Sic enim explicari possunt omnes superius allatæ Jansenii locutiones: Gratia tollit omnem resistentiam, nempe quæ impedit proximum effectum, non quæ remotum.* Item, *Nulla gratia effectu caret, nimirum proximo illo ad quem destinatur voluntate absoluta, non remoto ad quem excitat: Gratia omnis agit, & peragit effectum proximum, non remotum.* Item, *Gratia est convertibilis cum effectu: distinguo, proximo, non remoto, sive eo propter quem datur voluntate absoluta, non eo ad quem natura sua tendit, & refertur voluntate Dei antecedente.* Item, *Omnis gratia est efficax, nempe proximi effectus ad quem ordinatur absoluta, non ejus ad quem ex natura sua tendit.* Pariter, *Nulla datur gratia sufficiens nisi sit efficax; distinguo, sufficiens omnibus modis, & ad agendum actu, sive Moliniane, verum est: sufficiens Thomistice, cui semper dissentiatur, nisi adsit efficax, falsum. Hinc clare*, concludit Paulus Irenæus, *omnes istas locutiones boni sensus capaces esse.*

Qui Jansenianorum æquivocationibus parum assueti sunt, adduci facile possunt, ut credant his speciosis Pauli Irenæi verbis excludi errorem secundæ Propositionis: at non ita est. Error enim ille in eo consistit, quod gratia eum omnem semper effectum obtineat, quem permittit opposita concupiscentiæ delectatio. Si hæc superior fuerit, gratia debilem, & imperfectum effectum assequetur: si inferior, plenum ac perfectum; adeoque ei nusquam vere ac proprie resistitur: non ratione effectus proximi, & imperfecti quem semper habet; non ratione effectus ulterioris, ac perfecti, quem supposita majori cupiditate, habere non potest. *Non enim quævis gratia*, ait Jansenius libro 2. de Gratia capite 27. *ad quosvis effectus inferendos sufficit, sed potestates operationum difficultati attemperandæ sunt.* Hunc porro sensum defendere tenentur, qui systemati delectationis superioris, ac relativæ patrocinantur. Dicant num re ipsa non doceant, gratiam quam vocant sufficientem, semper debiles aliquos ad pietatem motus excitare in voluntate, eoque respectu vere efficacem esse, nec ipsi unquam resisti? Dicant an non agnoscant eamdem gratiam in concursu ardentioris cupiditatis, ac relative ad ipsam, non habere satis virium ut eam superare possit; adeoque ipsi sub eo respectu seu relative non resisti? Non enim, ut diximus sæpius, proprie loquendo gratiæ resistitur, nisi quando privatur eo effectu, quem habere potest in iis circumstantiis in quibus datur. Dicant an non existiment, saltem cum gratia sufficienti remanere, ac semper conjunctam esse ad præceptum adimplendum eamdem impotentiam quam patiter homo justus sine speciali privilegio ad vitanda omnia peccata venialia, quæ vitari non posse certe fides docet? unde profecto sequitur eum qui peccat, gratiæ debili, si quam habeat, non resistere, cum eam non privet eo effectu quem habere possit. Ergo vel nullus est in secunda Jansenii Propositione error, quod isti affirmare non audent, vel totus perseverat in systemate, quod tuentur, delectationis relative victricis.

Dicunt 2. in mente ac doctrina Jansenii gratiam hujus status semper esse victricem, quæ, ut loquitur Lib. 2. de Gratia Christi cap. 23. *omnes oppositos obices voluntatum, & affectuum invicta potestate perrumpit.* Et cap. 25. *Gratia & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecuturum inferre solet* (Augustinus), *ita vice versa, ex defectu operis gratiam non esse datam.* Ab ista porro doctrina se alienos plurimum profitentur Recentiores delectationis superioris patroni.

Verum non de quacumque gratia id scripsit Jansenius, sed de illa dumtaxat quam antonomastice *victricem* appellat. Aliam enim esse inefficacem seu non victricem diserte agnoscit Lib. 4. de Gratia Christi capite 10. in fine, ubi ait esse quamdam gratiam *ita inefficacem, ut ex illa operatio ne quidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per a-*

liam

liam suppleatur. Idem docet Lib. 8. capite 2. *Quod si contingat*, inquit, *alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus*. Et Lib. 2. cap. 27. Lib. 3. c. 13. gratias illas inefficaces veras dicit esse Christi gratias. Nihilominus in his ab errore suæ secundæ Propositionis non recedit: quia nempe juxta ipsum, omnis gratia, etiam illa quam inefficacem, & non victricem vocat, semper eum effectum obtinet, quem potest obtinere habita ratione oppositæ concupiscentiæ. *Cum nulla sit ei* (Augustino) *gratia operandi*, inquit Lib. 4. cap. 10. *præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur: sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur.* Suam hic doctrinam recognoscant, quotquot efficaciam gratiæ repetunt ex delectatione ipsius superiori ac relativa.

Dicunt 3. in mente Jansenii Lib: 2. de Gratia Christi c. 27. gratiam omnem semper liberam ad minimum quamdam complacentiam boni in voluntate operari: atqui Recentiores ab hac doctrina longissime recedunt. Quamvis enim asserant gratie mere sufficientem, ut vocant, & ordinarie & vulgo sortiri effectum deliberatum & liberum imperfectum, tamen aliquando, licet rarissime v. gr. perditissimis hominibus, contingere, ut gratia in motu indeliberato sistat, qui a præpollentiori contraria delectatione in ortu suo veluti præfocatur.

Respondet Dionysius Raymundus 1. parte capite 2. de secunda Propositione art. 4. tam parvi referre ad systema Jansenii, an aliquem actum liberum deliberatumve, an tantum indeliberatum semper producere dicatur delectatio inferior cælestis Jansenii, ut nunquam illud primum pro dogmate habuerit Iprensis, sed semel tantum, & ipsi quasi aliud agenti, seu per transennam exciderit. Immo verba Jansenii, pergit idem auctor, de plerisque, non de singulis exponi possent gratiis, quasi id vulgo non semper contingat. Unde nunquam, hanc, quæ Jansenio excidit, Propositionem, tamquam dogma ipsius propugnavere Jansenii discipuli ac defensores. Quosdam consului, addit citatus auctor, nullusque hactenus occurit, qui ad hanc subtiliorem, ut vocant, quæstionem, attenderit. Dionysio Raymundo concinit auctor recens Libri inscripti, *Chimere du Jansenisme*. Ex his duorum, aliorumque quos appelare possem, Jansenii discipulorum testimoniis manifestum est, nullo modo a dogmatibus Jansenii recedere, quin in eo tantum ab eo differunt quod asserant, rarissime seu in perditissimis hominibus aliquando indeliberatum tantum effectum, & non liberum seu deliberatum gratiæ mere, ut vocat, sufficientis comitem esse. Et certe non ita raro resistitur gratiæ actuali interiori voluntatis, nec ad dogma Jansenii multum interest, utrum liber, vel indeliberatus tantum actus ex gratia pure sufficiente, ut vocant, producatur, modo eum omnem semper sortiri dicatur effectum, quem ipsi sortiri permittit delectatio actualis opposita.

Dicunt 4. Jansenius negat inferiorem delectationem cælestem tendere ex natura sua ad ulteriorem effectum, quem non producat, ullaque voluntate Deum intendere ut illum operetur. Unde cum e contra admittant gratiam, quæ ex natura sua nata, & apta est ad illum producendum, Deumque voluntate antecedente beneplaciti id intendere, toto cælo a Jansenio differunt.

Resp. Jansenium non potuisse admittere gratias illas leves quæ ad effectum ulteriorem provocant, & a quarum interna suasione multos dissentire constare ait c. 27. Lib. 2. quin simul sentiat ipsas saltem ex natura sua ordinari ad illum sentiendum effectum, & aliqua potentia posse hunc sortiri, Deumque quadam voluntate velle, ut illum sortiantur, quem tamen nunquam obtinebunt. Iniquum enim est, immo impossibile, gratiam excitare, aut potius ejus beneficio Deum ad opus quodpiam provocare, ad quod nec ex natura sua ordinetur, quod nec possit habere, nec Deus aliqua voluntate velit ut unquam habeat. Unde certe a Jansenio non recedunt patroni delectationis superioris relativæ, si nihil aliud velint. Neque mirari satis possum P. Massoulié, qui Tom. 2. Diss. 4. q. 3. art. 4. & alibi, asserit constanter Jansenium negare talem gratiæ suæ levis ordinationem ad ulteriorem effectum.

Circa tertiam Propositionem.

Dicunt 1. necessitatem agendi sub delectatione superiori, apud Jansenium antecedentem esse, ineluctabilem & physicam: se vero nonnisi consequentem & infallibilitatis ac moralem agnoscere.

Verum pro certo istud affirmamus, nullum ex Jansenio locum proferri posse, quo necessitatem illam vocet antecedentem aut physicam. Et certe discipuli ipsius raro, ut antea observavimus, necessitatis voce, quæ odiosa est, utuntur. Ipse vero Jansenius Libro 6. de Gratia Christi capite 6. & Libro 4. de statu naturæ lapsæ capite 21. & alibi passim contendit, necessitatis vocem delectationi ad unum determinanti adaptari non posse. Capite vero 24. ejusdem Libri 4. de statu naturæ lapsæ, & capite 35. & 37. Libri 6. de Gratia Christi, necessitatem illam *consequentem* appellat. Libro vero 2. de Gratia capite 25. & Libro 8. capite 21. & Libro 9. cap. 16. vim seu efficaciam gratiæ infallibilem

libilem dumtaxat appellat; ſuamque a Calviniana ſententiam in eo differre probat citato cap. 21. Lib. 8. adductis Calvini teſtimoniis, quod Calvino neceſſitans, ſibi vero infallibilis ſit gratiæ victricis operatio.

Quæ quidem non ea mente commemoro, ut Janſenium velim excuſatum ab errore tertiæ Propoſitionis; ſed ut manifeſtum ſit, eum ſub aliis vocibus temperatis ac mitioribus, eumdem plane errorem ſemper obtrudere.

Neceſſitantis quidem delectationis nomine non utitur, at eumdem omnino ſenſum reddit, cum ait, per ſuperiorem delectationem tamquam per vinculum ita voluntatem ligari ac conſtringi, ut impedita & ligata ſit reſpectu actus oppoſiti.

Neceſſitatem illam equidem antecedentem non appellat Janſenius; nomini parcit, ſed rem admittit. Vere quippe antecedens eſt ea neceſſitas, quæ oritur ex motione prævia & indeliberata, cui voluntas in iis, in quibus verſatur, circumſtantiis plane reſiſtere non poteſt: at talis eſt motio delectationis victricis relative. Verum Janſenio antecedens neceſſitas ea eſt, quæ plane eſt involuntaria, ac rationis & deliberationis uſum antecedit.

Pariter neceſſitatem illam nullibi phyſicam appellat, quamquam in ejus principiis vere ſit phyſica, ut ſuperius oſtendimus. Parum vero intereſt, an phyſica, an moralis dicatur, modo talis ſit, cui voluntas ob inæqualitatem virium reſiſtere non poſſit: ſed ad unam contradictionis partem fortius liget potentiam, quam compedibus & catenis ferreis ligari concipiatur vis hominis motrix; quod certe in ſyſtemate delectationis ſuperioris locum habet.

Denique fruſtra Janſenius contenderet neceſſitatem illam eſſe dumtaxat conſequentem. Namque conſequentem ille neceſſitatem intelligit quæ voluntaria eſt, ſeu quæ ſequitur aut ſaltem comitatur voluntatis determinationem tametſi neceſſariam; namque, juxta Janſenium, omne voluntarium deliberatum eo ipſo liberum eſt, tametſi neceſſarium; quippe ſolam ille coactionem, non vero ſimplicem ac voluntariam neceſſitatem a libertate excludit, in quo poſitus eſt error tertiæ Propoſitionis. Nec alia profecto fuit Lutheri ac Calvini ſententia, quam ut coactionem, non ſimplicem neceſſitatem a libertate removerent. *Homo*, inquit Lutherus in Libro de ſervo arbitrio, *cum vacat ſpiritu Dei, non quidem violentia, velut obtorto collo, nolens facit malum, ſed ſponte & libenti voluntate facit* . . . . Et rurſus: *Si Deus*, inquit, *in nobis operatur, mutata & blande afflata per ſpiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia & pronitate, ac ſponte ſua vult & facit, non coacte, pro natura voluntatis, quæ ſi cogeretur, voluntas non eſt*. Calvinus Lib. 2. Inſtitutionis c. 2. n. 7. *Liberi ergo*, inquit, *arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habet boni æque ac mali electionem, ſed quia male voluntate agit, non coactione*. Et c. 3. n. 5. *Porro*, inquit, *quod libertate abdicata voluntatem dico neceſſitate in malum trahi vel duci, mirum eſt ſi cui videatur aſpera locutio* . . . . . *Offendit eos qui inter neceſſitatem & coactionem diſtinguere neſciunt*. Denique Libro 2. de Libero arbitrio contra Pighium, *Si coactio*, inquit, *opponatur libertati, liberum arbitrium eſſe & fateor & conſtanter aſſevero*. Hanc Novatorum circa libertatem doctrinam, ſuam plane fecit Janſenius, quidquid tandem ille, ut hanc a ſe labem depellat, citato capite 21. Libro 8. de Gratia Chriſti moliatur.

Fruſtra pariter diceret Janſenius, neceſſitatem illam eſſe dumtaxat infallibilitatis. Nomen enim infallibilitatis neceſſitatem non excludit, cum nihil ſit magis infallibile, quam quod eſt neceſſarium. Placuit Luthero, Libro citato de ſervo arbitrio, appellare neceſſitatem *immutabilitatis*, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, neceſſitatem *infallibilitatis*, ut nempe exprimat infallibilem certitudinem, ſeu neceſſitatem actionis. *Vocamus*, inquit Lutherus, *neceſſitatem immutabilitatis, quod voluntas ſeſe mutare, & vertere alio non poſſit*. Et Synodus ipſa Dordracena, editionis Hannoniæ ann. 1620. neceſſitatem Calvinianam appellat neceſſitatem *infallibilitatis*. Et certe neceſſitas infallibilitatis, quæ oritur ex delectatione ſuperiori prævia & indeliberata voluntatem inſuperabiliter & invincibiliter ad unum determinante, & applicante, nonne vera eſt ac propria neceſſitas cui voluntas relative ad minorem, quam habet delectationem oppoſitam, non tantum nuſquam reſiſtit, ſed nec poteſt reſiſtere, propter, ut ſæpius diximus, inæqualitatem virium? Porro excrucient ſe quantum voluerint delectationis relative victricis patroni, nuſquam neceſſitatem illam excutient, quocumque tandem nomine eam appellare voluerint.

Dicunt 2. Janſenium in eo maxime jura libertatis humanæ præſentis ſtatus violaſſe, quod voluerit eam ſtare poſſe cum immobili determinatione ad bonum vel malum; ea ipſa ratione, qua docet beatos in cælis liberos eſſe ad bonum, & damnatos in inferis liberos eſſe ad malum. Sic colligunt ex Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24.

Reſp. Equidem Janſenium aſſeruiſſe libertatem in hocce ſtatu cohærere poſſe cum determinatione immobili ad unum, qualis eſt in beatis, & damnatis: verum in eo tantum præciſe poſitum non eſſe errorem tertiæ Propoſitionis. Erravit quippe Janſenius, in eo quod neceſſitatem etiam mutabilem cum libertate ad merendum vel demerendum in

præ-

præsenti statu necessaria conciliari posse existimaverit; & hoc solum doctrinæ ipsius caput ab ejus defensoribus, & discipulis propugnatur. Unde si libertatem a necessitate tantum immutabili propugnent patroni delectationis relative victricis, a Jansenio non omnino recedunt, & cum ejus discipulis penitus consentiunt. Hominem porro liberum esse hac in vita libertate, & indifferentia exercitii, & contradictionis, tum c. 24. citato, tum 25. sequente saltem verbo tenus pr. ohtetur.

Dicunt 3. Jansenium libertatem, & indifferentiam hujus status reponere in sola flexibilitate liberi arbitrii ad bonum & malum; se autem veram agnoscere activam indifferentiam voluntatis.

Verum si propius inspiciatur illa indifferentia activa, nullatenus a flexibilitate Janseniana differre videbitur. Namque in systemate delectationis relative victricis, voluntas sub motione illius non potest actum suspendere; non potest ei delectationi resistere; non est expedita ad actum oppositum: ubi ergo activa ipsius indifferentia? An in eo quod voluntas active seu vitaliter agat? At Jansenius, immo & Calvinus id nunquam negavit. An in eo, quod actus quamquam necessarius, voluntarius sit? Verum hoc ipsum est dogma Jansenii, quod fidei adversum & ab Ecclesia proscriptum fuisse contendimus. An denique eo quod voluntas se movet ac determinat? At non solum id non negavit Iansenius, verum & Libro 8. c. 3. & Libro 6. capite 35. aperte de ipsis beatis id ipsum affirmat, ut alibi notavimus.

Circa quartam Propositionem.

UT gratiæ necessitantis Iansenianæ invidiam a se removeant delectationis superioris ac relativæ patroni, quædam congerunt, quibus sub dominante delectatione sive cælesti sive terrena, ad oppositum potentiam admittere se videri volunt, & a Janseniano errore recedere.

Dicunt 1. Iansenium plane rejecisse indifferentiam sub motione delectationis superioris & potentiam ad oppositum; se vero non ita.

Verum, indifferentia quam negasse Jansenium affirmant, aut est indifferentia æquilibrii, aut illa facilitas ab bonum qua primus homo fruebatur, aut ea indifferentia qua quis non solum non potest non agere, sed etiam in iisdem circumstantiis positus aliquando non agit, aut vis physica sese determinandi movendique vitaliter, modo ad bonum, modo ad malum, aut tandem potestas resistendi delectationi superiori.

I. Non est certe sola indifferentia æquilibrii, & facilitas illa ad bonum, qua Adamus innocens fruebatur; nihil enim dicit Jansenius, quod Catholici omnes cum Augustino libenter non fateantur.

II. Non est etiam indifferentia, ut vocant, Moliniana, quia Thomistæ pariter cum Jansenio ipsam rejiciunt, & quidem noxie.

III. Non est vis physica sese determinandi movendique vitaliter: agnoscit enim Jansenius voluntatem agere, habere dominium in suos actus, & sese determinare. *Se ipsum agere & movere*, ait l. 6. de Gratia Christi cap. 35. *dominium quoddam super actum indicat, ut pro arbitrio sese moveat vel compescat: alioquin enim quantumvis internum sui motus principium habeat, agi & moveri potius, quam se ipsum movere dicitur.* Rursus ibidem: *Necessitas quæ in actu apparet, ab ipsa libertate, & dominii ac libertatis ejus perfectione proficiscitur, quia ipsa sibi necessitatem facit, non per medium naturæ, sed perfectissimæ libertatis movendo & determinando se.*

Restat ergo ut ea indifferentia quam negasse Jansenium affirmant Recentiores, sit potentia dissentiendi delectationi, quæ in voluntate dominatur: sed eamdem indifferentiam, si non verbis, saltem reipsa negare coguntur Recentiores illi; cum major delectatio necessario vincat minorem, potentior debiliorem, superior inferiorem, præsertim ubi virtus agendi ex delectatione repetitur. Quomodo enim si in bilance duo fuerint pondera inæqualia, necesse prorsus est eam bilancis partem deprimi, in qua majus est pondus, nec fieri potest, ut majus a minori inclinetur, quandoquidem nulla est inter ea duo proportio: sic si major fuerit vis gratiæ, quam concupiscentiæ, necesse erit voluntatem bene operari: e contra vero male, si viribus prævaluerit concupiscentia; major est enim tunc resistentia concupiscentiæ, quam virtus gratiæ parvæ; dicebat D. de Sainte Beuve delectationis superioris patronus, seu, ut ipsum appellat Paulus Irenæus, *vir si quis unquam Augustinianus*. Neque vero in eo systemate negari potest minorem a majori necessario vinci delectationem, quandoquidem ne æqualem quidem delectationem ab alia opposita æquali superari unquam posse, potentia etiam ab actu sejuncta, apud hujus systematis patronos pro certo habeatur. Unde in hoc potissimum Semipelagianos errasse contendunt; aut saltem Theologos, quos vocant Congruistas, gratiam Christi penitus evacuare, infirmitatemque inflictæ per peccatum originis voluntatis ignorare prorsus prædicant, quod hi Theologi dicant in æqualitate virium gratiæ, & concupiscentiæ voluntatem superare posse concupiscentiam, & ad bene agendum se ipsam determinare: licet iidem Theologi profiteantur, voluntatem id posse tantum potentia nunquam ad actum reducenda.

Nec est quod vim faciant Recentiores in quibusdam durioribus loquendi formulis, quæ

occurrunt in Libro Janſenii, a quibus dum abſtinent, ſe ab ejus pariter doctrina penitus alienos eſſe habendos contendunt. Namque non deſunt apud eumdem Janſenium plura, quibus ſuos duriores loquendi modos ita emollire videatur, ut niſi ad mentem ejus ac fundamentale principium delectationis ſuperioris, ex quo ad pravum ſenſum neceſſario determinantur, proprius attendatur, in errorem inducere facile poſſint.

Sic I. non aliam indifferentiam removiſſe videri vult, quam eam quæ dicitur æquilibrii, quæque eſt, ut ait ipſe Libro 7. de Gratia Chriſti capite 14. *inſtar bilancis, quæ facillimo motu in alterutram partem impelli poteſt*; qualem indifferentiam Pelagianam, & Semipelagianam ſæpius appellat: neque in præſenti ſtatu periiſſe contendit hanc æquilibrii libertatem, quam, inquit loco mox citato, *minimus motus gratiæ tollit, major minuit, maximus penitus adimit.*

II. Indifferentiam exercitii ad hoc vel illud malum ſub delectatione terreſtri ſuperiori, ad hoc vel illud bonum ſub dominante cæleſti delectatione diſerte profitetur ſe agnoſcere, idque paſſim v. gr. de ſtatu naturæ lapſæ Lib. 2. cap. 3. Lib. 4. cap. 19. 20. 21. 24. &c.

III. Lib. de Gratia Chriſti c. 4. & 20. aſſerit ſe eamdem ſub motione gratiæ victricis libertatem admittere, quam Thomiſtæ ſub præmotione phyſica; omniaque, quæ ad tuendam arbitrii libertatem iſti proferunt, ſe pariter proferre poſſe; ea omnia hic dicta pro ſe vult.

IV. Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 21. & Lib. 6. de Gratia c. 34. affirmat indifferentiam omnes hujus vitæ actiones comitari. Id ipſum quoque legere eſt Lib. 8. c. 20.

V. Sæpius affirmat ſe de libertate generice, & eſſentialiter tantum ſumpta, non vero de libertate hujus ſtatus habere ſermonem, cum ad hanc contendit indifferentiam requiri.

Poſſem & alia bene multa hic proferre quibus Janſenius doctrinam ſuam emollire ac aſperitatem verborum, quæ ipſi aliquando, dum æſtu diſputationis abripitur, excidunt, benigne temperare conatur: ſed hæc ſufficiunt cum iis, quæ ſuperius ex ipſo retulimus.

Ea porro omnia ad fraudem & fucum faciendum a Janſenio prolata ſunt; & quo ſenſu ſint intelligenda, maxime ex ipſius principiis circa delectationem ſupra expoſuimus. Verum, quidni ſuſpicari liceat, a defenſoribus ejuſdem ſyſtematis eadem mente, eodem conſilio, quo a Janſenio, eoſdem aut ſimiles emollitos loquendi modos uſurpari?

Fatendum nihilominus eſt, Janſenium non propter ſolum minus accuratum, & extraneum ſyſtemati ſuo loquendi modum, fuiſſe damnatum; ſed præcipue propter capitale ac fundamentale ſyſtematis ſui principium: unde cum ab eo principio non recedant, ſed tantum in voculis ac ſyllabis a Janſenio diſcrepare ſatagant Recentiores, nullum eſt inter hujus, & illorum doctrinam verum & apertum diſcrimen.

Dicunt 2. Se tantum gratiam efficacem velle aſtruere, ac conari ut ſyſtema Molinianum non latius diffundatur; unde ſe omnem indifferentiam, omnemque potentiam ad oppoſitum, præter Molinianam, admittere. Addunt ſibi exploratum eſſe, quod ſoli Moliniani illud ſyſtema rejiciant, idque ut ſuum obtrudant.

Reſp. Si unum in votis habent Molinianum ſyſtema rejicere, cur inter tot ſyſtemata, quæ illud pariter rejiciunt, unum ſeligunt, ac pro aris, & focis propugnant ſyſtema delectationis ſuperioris? Cur ſyſtema Thomiſticum, vel gratiæ per ſe efficacis, vel delectationis ſimpliciter victricis non amplectuntur? Certe Moliniana hæc non ſunt. Cur tandem uni ſyſtemati Janſeniano, & novo & ante Janſenium in Scholis inaudito addicti videri volunt?

Reſpondent 2. Veterem eſſe Janſenii diſcipulorum cantilenam; nempe ſe unice velle gratiam efficacem propugnare, ac Molinianam excludere. Id ipſum conteſtabantur olim Janſenianorum Romæ Deputati, ſicut expoſuimus alibi.

Reſp. 3. A 60. amplius annis vel aperti ac fervidiores Janſeniani id ipſum profitentur, etiam cum Janſenianum errorem preſſius ac ſignificantius exponunt. Ita Abbas de Bourzeis cap. 28. 1. Collationis, in Libro qui inſcriptus eſt, *Saint Auguſtin victorieux de Calvin & de Molina. Quamlibet*, inquit, *indifferentiam agendi vel non agendi quam libero arbitrio ſub influxu gratiæ tribuant, hanc non negamus, modo vis interior invincibiliſque gratiæ incolumis maneat.* Et c. 26. 1. Collationis. *Hæ voces neceſſarium, neceſſe, aut neceſſitas, nobis ſunt inſuetæ, paratique magis ſumus ab his omnino abſtinere ob pravum ſenſum, quem multi ipſis affingunt, quam eas uſurpare ob bonum, cujus ſunt capaces. Quod ſi quandoque diſcipuli quidam Auguſtini his uſi fuerint, id eo unice conſilio, ac mente fecerunt, ut libertatem Molinianam, quæ gratiam Dei voluntati hominis ſubmittit, excludant.* In libello inſcripto, *Manifeſte des Theologiens diſciples de S. Aug.* inter collactanea de S. Amour. *Solam Molinæ indifferentiam, utpote gratiæ per ſe efficaci contrariam, nec ad libertatem nec ad meritum in hoc naturæ lapſæ ſtatu requiri*, S. Auguſtini diſcipuli contendunt. Et poſtea: *Ex quibus patet, indifferentiam qualemlibet in hoc lapſæ naturæ ſtatu ab Auguſtini diſcipulis in his quæ ad ſalutem, & ad finem ſupernaturalem pertinent, admitti, præter Moliniſticam, quæ gratiæ ad ſingulos pios actus neceſſariæ effica-*

ciam,

ciam, & vim propriam destruit. Paulus Irenæus Disquisit. 1. art. 6. *Hæc una* (Moliniana) *indifferentia dempta, ceteras omnes, quæ gratiæ efficaci non adversantur, semper reperiri in hoc statu naturæ lapsæ, nobis videtur sentire Jansenius*.

Dicunt 3. Jansenii discipulos ipsumque Jansenium, si aliquam potentiam ad oppositum sub delectatione superiori admittant, eam tam debilem ac levem adimttere, ut pro nulla haberi debeat: se vero perfectiorem admittere.

Resp. Jansenium ejusque discipulos eam admittere, saltem si verbis fides habeatur, quæ perfectissima sit. Ita Jansenius Lib. 8. cap. 20. sub gratiæ delectatione victrici affirmat *remanere peccandi potestatem perfectissimam*. D. de Bourzeis collat. 30. c. 4. Collationis sic asserit: *Quamlibet potentiam, quam Congruistæ imaginari possent ad oppositum, quam eam quæ reducitur ad actum iisdem circumstantiis, hanc admittimus, libentissimeque amplectimur*. Paulus Irænæus Disquis. 3. art. 22. *Quamlibet bene agendi potentiam & quibuslibet nominibus ornatam largire, nihil omnino sententiæ nostræ adversaberis*. Et Disquis. 2. *De gradibus illius bene agendi potentiæ ... operose disputare, otiosorum hominum esse videtur. Quamobrem ne quis mihi unquam de illa negotium facessat, profiteor me illam locare in summo gradu*. Denique in Libro, cui titulus, *Defense des Propositions de la seconde Colonne*. art. 16. *Admittimus liberam potentiam resistendi in omni gradu possibili Thomistico*.

Dicunt 4. Jansenium, & Jansenistas textum S. Augustini, *Secundum id quod magis delectat, operemur necesse est*, de necessitate proprie dicta intelligere; se vero de necessitate improprie dicta.

Respondet D. de Lalane in Libro inscripto, *Conformitè des Thomistes avec Jansenius, seconde partie*. *Hæc necessitas impropria tantum est, quæ significat tantum certitudinem effectus, quæque nullo modo excludit potentiam ad oppositum, ut demonstrari potest ex iis, quæ S. Augustinus in Epistola ad Galatas circa hoc placitum suum, Secundum id quod magis delectat, operemur necesse est, exponit*.

Dicunt 5. Jansenii discipulos negare indifferentiam judicii, se vero admittere.

Verum Paulus Irenæus Disquisit. 6. art. 4. *Speciali hujus status & viæ conditione fit*, ait, *ut nihil ipsi* (*homini*) *proponatur ad merendum, & demerendum nisi per judicium indifferens, ut ajunt Thomistæ*.

Dicunt 6. Se hoc unum velle, ut voluntas nunquam agat oppositum delectationis superioris; plura vero Jansenium ejusque discipulos exigere.

Respondet D. de Bourzeis 4. Collatione c. 29. *Quando dicimus non posse dissentiri gratiæ efficaci, tantum volumus intelligi per eam impotentiam, quod nunquam contingat huic dissentiri. Quid in hoc mirandum magis aut incredibile, quam quod asserunt præmotionis physicæ aut gratiæ congruæ patroni?* Id ipsum c. 26. dixerat iisdem pene verbis Paulus Irenæus Disquisition 6. art. 3. sic ait: *Instructa infirmioribus illis gratiis voluntas, etsi nunquam iis plene consentiat, tamen vere potest consentire, nec defectu physicæ potestatis iis non consentit, sed quia mavult alii objecto, quo magis delectatur, consentire .... Ille status animæ creaturam magis quam Deum amantis, recte propterea vocatur infirmitas, imbecillitas & impotentia, quia nunquam contingit ut in eo statu sine ampliori auxilio recte agat*.

Dicunt 7. Tantum absumus a gratia necessitante Janseniana admittenda, ut efficaciam gratiæ in quadam congruitate & contemperatione cum dispositionibus subjecti constituamus; ita ut necesse sit, ut divinæ gratiæ victricis collatio præscientiam, & explorationem Dei circa dispositiones subjecti præsupponat, ne v. g. quem vellet Deus efficaciter convertere, quique puta sex gradus concupiscentiæ haberet, huic conferret gratiam, quæ quatuor tantum gradus cælestis delectationis communicaret, Jansenium vero omnem præscientiam ac cognitionem, ut quid Semipelagianum, a victrici sua gratia excludere.

Resp. congruitatem, & explorationem, de qua in objectione, minime potuisse a Jansenio rejici; quin immo cum ejus systemate necessario connexam. Verum mirari satis non possum fraudem ac fallaciam quorumdam hujusce sententiæ patronorum, qui eo prætextu sub Congruistarum pallio aliquando volunt se tegere. Triplex enim inter utramque sententiam discrimen apertum: 1. In sententia Recentiorum, est connexio infallibilis, & necessaria inter superioritatem delectationis gratiæ, & consensum voluntatis, ex vi & superioritate ipsius gratiæ: nihil simile in sententia Congruistarum reperitur; nulla enim connexio infallibilis in illa sententia, nisi dependenter a scientia media. 2. Deus videt necessitatem connexionis inter delectationem, & consensum per scientiam simplicis intelligentiæ: in sententia Congruistarum, in scientia media videt futuritionem conditionatam consensus. 3. Scientia exploratrix, qua Deus explorat dispositiones subjecti, seu gradus futuros concupiscentiæ, est scientia visionis; scientia vero exploratrix in scientia Congruistarum, est scientia media. Fuse hoc prosequitur P. Massouliè Tom. 2. Dissert. 3. de divina gratia q. 6. art. 2.

Dicunt 8. Se negare prorsus voluntarium idem esse ac liberum; non solum eo sensu quo Jansenius illud negavit, nempe quia motus primo primi, licet aliquo sensu voluntarii, non sunt tamen liberi juxta illum auctorem;

ctorem;

ctorem; sed etiam ex eo, quod liberum sit id quod ita volumus, ut simul stet cum actu volendi potentia ad oppositum.

Resp. Arnaldum in Libello inscripto, *Humanæ libertatis notio delineata*, Causæ Arnaldinæ pag. 100. & 106. pariter distinguere voluntarium a libero; ita tamen ut per potentiam ad oppositum, intelligat dumtaxat exclusionem necessitatis ad unum a natura.

Dicunt 9. Systema Jansenii in eo differre a delectatione superiori qualem Recentiores agnoscunt, quod juxta Jansenium, voluntas æque certo & infallibiliter determinatur ad malum per superiorem delectationem terrenam, quam ad bonum per cælestem: at istud locum non habet in systemate Recentiorum, qui asserunt hominem, etiam sub dominio ardentioris cupiditatis, aliquod opus moraliter bonum internum exercere.

Verum, fictum plane est discrimen istud. In utroque enim systemate, superior delectatio terrena tam certo, & infallibiliter ad malum, quam cælestis ad bonum determinat. Nisi ita foret, qui fieri posset ut Deus certitudine plane infallibili ac metaphysica, ut ajunt, nosset hominem cum sola gratia sufficiente, absente efficaci, nusquam observaturum mandatum? Id quippe certo nosse non potest, nisi quia certissime continget ut superior delectatio minorem superet, ac voluntatem ad agendum seu bene seu male determinet. 2. Possibile non est possibilitate ad actum reducibili, ut dominante delectatione terrena, homo cum sola inferiori gratia sufficiente aliquod opus bonum morale exerceat; quandoquidem voluntas maxima tunc difficultate premitur, ac vera laborat impotentia morali operandi bonum, quæ juxta ipsos nunquam ad actum reducitur. Immo nequidem possibile est ea possibilitate, quæ nusquam ad actum reducatur, ut voluntas ardentiori cupiditate abrepta se ipsam ad aliquod bonum opus morale efficaciter flectat, ac determinet. Absente enim gratia efficaci ac dominante concupiscentia, isti resistere non potest, nec bonum operari, ex vera, propria, & physica impotentia, nempe propter virium depressionem, ac infirmitatem ortam ex peccato: quæ fit, ut non magis possit eo in statu operari bonum, quam ex morbo convalescens, exhaustusque viribus, possit longum iter pedibus perficere. An non iste vera, & physica laborat impotentia? Ergo & ille.

Circa quintam Propositionem.

Dicunt Recentiores agnoscere se veram, & sinceram in Deo esse voluntatem pro salute omnium, ac Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuisse; quod utrumque in suo systemate Jansenius rejicit. *Postquam*, inquit Lib. 3. de Gratia Christi c. 20. *peccata jam ab hominibus inducta considerantur antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nulla quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante, consistere. Quod ex eo manifestissime patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas sive hominum sive Angelorum Deus habet*. Et c. 21. *Illa*, inquit, *extensio* (mortis Christi pro omnibus) *tam vaga modernorum Scriptorum, non alio ex capite quam ex ista generali, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficienti gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam a Semipelagianis introductam repudiavit.*

Verum 1. Systemati Janseniano nullatenus essentiale ac necessarium est negare aliquam esse in Deo antecedentem pro salute omnium voluntatem; ac salvum & integrum stat illud systema, sive negetur sive admittatur hæc Dei voluntas. Hoc unum cum illo necessario connexum est, gratias scilicet parvas, quas Deus omnibus reprobis largiatur, viribus impares ac insufficientes esse relative ad eorum concupiscentiam superandam, adeo ut nullus reprobus salvari possit. Sive autem dicatur voluntas illa Dei antecedens pro salute omnium, beneplaciti, realis & non puræ complacentiæ; sive tantum signi, metaphorica & omnino sterilis, perinde est in systemate Jansenii.

II. Aliis in locis videtur Jansenius temperare, quod durius citato in loco scripsit, & agnoscere voluntatem illam Dei antecedentem non esse plane sterilem & otiosam. Eodem quippe Libro 3. de Gratia Christi capite 17. docet per illam voluntatem Deum paratum esse dare omnibus eam gratiam quam ante peccatum homini innocenti dederat. *Non sufficit*, inquit, *prior gratia quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etiamnum omnibus conferere paratus est, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret*. Porro nonne sufficit, ut voluntas antecedens dicatur activa, quod parata sit omnibus aliqua divinæ gratiæ auxilia impertiri? Ibidem paullo post: *Non est*, inquit, *illusoria Dei vocatio & admonitio, & increpatio, & correctio ... tribuit enim quidquid creaturæ rationali a se conditæ ad audiendam sequendamque vocem suam necessarium fuit*. Capite vero 27. Lib. 2. de Gratia Christi ait: *multos divinæ gratiæ motibus in voluntate percelli, qui tamen ab ejus interna suasione & inclinatione dissentiunt*. Porro Deus haud dubie intendit aliqua voluntate illud opus bonum ad quod provocat interna gratiæ suæ suasione, illa autem voluntas est tantum antecedens, neque tamen omnino sterilis.

Dicere igitur quis posset Jansenium non omnino negasse omnem in Deo pro salute omnium voluntatem aliquo sensu activam? Et certe

cum

cum citatis cap. 20. & 21. Lib. 3. dixit eam antecedentem voluntatem in mera præcisione mentis & nuda velleitate, nihil omnino gratiæ causante tam in hominibus, quam in damnatis Angelis, consistere, intelligi potest de gratia, quæ cum effectu conjungatur, seu quantum ad efficacem, & absolutam salutis assecutionem: quia re ipsa virtute voluntatis hujus antecedentis, non magis salutem assequuntur reprobi in via adhuc constituti, quam damnati in inferis reclusi. Neque enim quantum ad concessionem, seu dispensationem aut præparationem gratiæ alicujus, (ut Dionysius Raymundus observat, simulque Paulus Irenæus) voluntas illa eodem plane sensu iners dici potest erga dæmones, aut homines in inferno jam positos, ac erga reprobos in terris adhuc degentes, quibus gratias aliquas temporales, immo & aliquibus etiam sanctificantem gratiam largitur, quæ (pergit citatus auctor) cum ex se sit gloriæ semen, recte, in mente Yprensis, ortum habere dicitur ex voluntate Dei antecedente salutis illorum reproborum: quod utrumque dici non potest de damnatis, qui non solum nullam omnino gratiam recipiunt, sed nec capaces sunt ipsius accipiendæ.

III. Sic reipsa discipuli Magistrum interpretantur, ac disertis verbis profitentur esse in Deo veram, non otiosam ac sterilem, sed actuosam pro salute omnium voluntatem.

Paulus Irenæus Disquis. 6. art. 8. rem totam his verbis dilucide exponit: *Ista voluntas antecedens non eo solum pertinet, ut Deus abstrahendo ab hominis lapsu, salutem omnium, quatenus homines sunt, optare dicatur; sed generatim antecedens Dei voluntas fertur in id quod rectum, quod justum, quod bonum secundum se est. Ita quia rectum est hominem converti, pœnitentiam agere, bonitatem Dei non contemnere, gratias ejus non respuere, ad sacramenta accedere: hæc omnia antecedente voluntate censetur Deus velle, licet spectatis singulis circumstantiis, non decreverit singulis efficaces gratias conferre, quibus ad salutem certo perveniunt, sine quibus certo ab salute excidunt. Ergo non eo solum nomine antecedenti voluntate Deus omnium hominum salutem optat, quia omnes creaturas rationales ob beatitudinem fecit: sed etiam quia cum permultas gratias vel internas, vel externas in reprobos diffundat, quibus injustum est eas abuti, iisdem aditum ad Ecclesiam suam patere velit, antecedente voluntate velle censetur omnes ad salutem pervenire, quia vellet ipsos obstinatos in malitia non manere.* Lege & Dionysium Raymundum 1. parte cap. 6. art. 6.

Auctores quinque Articulorum art. 5. *Verissimi consentaneum est dicere*, inquiunt, *Christum pro omnibus hominibus mortuum esse ac sanguinem fudisse; tum quia antecedenti voluntate salutem omnium voluit; tum quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falsum autem est, & hæreticum dicere, Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse; cum multis reprobis, omnibusque adeo justificatis gratias, tradita a Thomistis notione, sufficienter meruerit, quibus ad salutem pervenire possent; quamvis nemo illis bene utatur, & in accepta justitia perseveret, nisi uberioribus illis, & efficacibus auxiliis adjuvetur.*

Non immerito igitur diximus Jansenianum systema id necessario non postulare, ut excludatur omnino Dei antecedens voluntas pro salute omnium: ut enim hæc cum ipso systemate defendi potest, ita etiam & negari. Quapropter, nostro quidem judicio, non satis eluitur Jansenismi nota & suspicio, ex eo præcise, quod quis admittat dictam illam in Deo voluntatem antecedentem; quandoquidem apertissimi Jansenii fautores eam quoque agnoscere se profitentur. Nolim tamen Jansenium ea in parte vindicare; immo eo ipso quod docuit parvas illas gratias, quæ reprobis conceduntur, absolute dumtaxat, seu abstracte consideratas, tendere ad eorum salutem, non vero relative ad præsentes eorum dispositiones, id est, majorem concupiscentiam, cui superandæ plane impares, & insufficientes sunt, omnem illam prætensam Dei sinceram voluntatem evertit; ac perinde est ad salutem illorum reproborum, ac si nullatenus Deus vellet eos salvos fieri, nullasque ipsis omnino gratias concederet; quia nullum ex illis, utpote non proportionatis oppositæ cupiditatis gradibus superandis, fructum ac commodum ad salutem referre possunt. Cum enim, juxta Jansenium, voluntas illa Dei antecedens abstrahat ab omnibus particularibus circumstantiis subjecti, consequenter abstrahit a gradibus majoris concupiscentiæ illorum hominum: unde fit quod gratiæ, quas Deus illis decernit, licet ex natura sua & Dei voluntate antecedente, quæ abstrahit a circumstantiis, possint salutem procurare, relative tamen non possunt, quia sunt invalidæ & debiliores, ac gradibus cupiditatis, in quam impingunt, inferiores.

Atque in eo potissimum positus est error quintæ Propositionis, ac Jansenius a doctrina S. Thomæ longius recedit in 1. dist. 46. qu. 1. art. 1. ubi docet, voluntatem antecedentem abstrahere dumtaxat a dissensu personæ cui gratia conceditur; non vero, ut Jansenio placet, a gradibus vehementioris ipsius concupiscentiæ. *Minima enim gratia*, in principiis S. Thomæ, *superare potest quamcumque concupiscentiam, & vitare quodcumque peccatum mortale.*

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS SEPTIMA.

De Deo ultimo fine.

HAnc septimam Institutionum Theologicarum partem duodecim Dissertationes absolvent quibus ea quæ spectant ad finem ultimum, media, quibus potest comparari, aut quibus creatura rationalis potest ab eo averti, virtutes nimirum & peccata, complectemur.

DISSERTATIO PRIMA.

De ultimo fine in communi.

Not. PHILOSOPHI finem definiunt, id cujus gratia aliquid fit. Dividitur in finem medium, qui nempe subordinatur alteri, seu qui via est quæ ad alium perducit, & in ultimum, qui ad alium non refertur. Ille propter se ipsum non amatur, secus vero iste. De hac posteriori finis specie quæri potest. 1. Utrum homo semper propter eum agat. 2. Utrum duplicem simul & semel sibi proponere possit: 3. Quinam sit ultimus finis objectivus creaturæ rationalis: 4. Quinam sit ultimus finis formalis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum homo semper agat propter finem ultimum.

Not. 1. FInis ultimus duplex est, ultimus nimirum *secundum quid*, & ultimus *simpliciter & absolute*. Ille est ultimus in aliquo negotio particulari, v. g. sanitas respectu sumptionis cibi, medicinæ, advocationis medici; ideo enim quis sumit cibum, sumit potionem medicam, advocat medicum, ut suæ sanitati consulat. Iste e contra est finis non alicujus tantum negotii particularis, sed totius vitæ, ita ut omnia totius vitæ opera ad illum referantur, ipseque omnibus dominetur.

Not. 2. Homo tribus modis potest agere propter aliquem finem; formaliter nimirum, virtualiter & interpretative. Agit *formaliter* propter finem, quo operans actu de illo cogitat, & explicitum hunc actum elicit: *Volo finem illum*. Agit *virtualiter*, cum operans, actu quidem de illo non cogitat, nec elicit expressum hunc actum, *Volo finem illum*, sed agit ex vi cogitationis, ex vi actus quo ipsum sibi proposuit. Agit *interpretative*, cum operatur id quod ad eum refertur, sive de eo fine cogitaverit antea, sive non cogitaverit, sive illum sibi expresse proposuerit, sive non proposuerit.

CONCL. 1. Homo semper agit *interpretative* propter finem ultimum simpliciter & absolute.

Probatur. Ultimus finis simpliciter, & absolute, est beatitudo; ad eam enim omnes creaturæ rationalis appetitus referunt; ipsa omnibus illius actibus dominatur: atqui homo semper agit *interpretative* propter beatitudinem: scilicet agere *interpretative* propter finem aliquem, est id operari, quod ad illum finem refertur, sive operans de illo fine antea non cogitaverit actu, sive de illo cogitaverit: sed homo semper id operatur, quod ab beatitudinem, aut veram, aut apparentem refertur: unde si interrogetur, propter quid operatus sit, respondebit extemplo, se non aliud in suis actibus voluisse, quam ut beatus esse posset: ergo, &c.

CONCL. 2. Homo non semper agit actu, seu *formaliter*, propter finem ultimum simpliciter & absolute.

Probatur. Ex observatis, agere *formaliter* propter aliquem finem, est de illo actu cogitare, cumque per explicitum aliquem actum desiderare: atqui homo non semper actu cogitat, etiam cum deliberate agit, de fine ultimo simpliciter, & absolute, nec eum semper desiderat per explicitum aliquem actum, ut experientia compertum est: hoc est, quoties deliberate agit, non semper elicit explicitum hunc actum, *Volo finem ultimum simpliciter & absolute*: ergo, &c.

CONCL. 3. Homo in suis actibus deliberatis, hoc est, qui fiunt ex advertentia rationis, semper agit *virtualiter* propter finem ultimum simpliciter & absolute.

Probatur. Ex observatis, agere *virtualiter* propter aliquem finem, est agere ex illius desiderio, quod præcessit: atqui homo in suis actibus deliberatis semper agit ex desiderio finis ultimi simpliciter & absolute: finis enim ille ultimus est beatitudo: sed homo in suis actibus deliberatis semper agit ex beatitudinis desiderio sibi innato, ac proinde quod præcedat actum illius deliberatum. Nempe

pe innatum illud beatitudinis desiderium efficax est & permanens: ergo ex vi illius desiderii homo semper agit, quoties deliberate operatur: nam ut fert Philosophorum axioma, *Primum in unoquoque genere est caussa caeterorum*: ergo, &c.

Quæres, utrum homo semper virtualiter agat propter finem ultimum determinate sumptum, an vero sumptum tantum in communi.

Resp. hominem semper virtualiter agere propter finem ultimum determinate sumptum, seu propter objectum, in quo posita est beatitudo, vel vera, vel apparens. Ratio est, quia desiderium beatitudinis est efficax in homine, ut jamjam observatum est: atqui desiderium efficax fertur determinate in objectum, in quo posita est beatitudo, vel vera, vel apparens: siquidem beatitudo in communi sumpta, hoc est, prout abstrahit ab objecto, in quo posita est, non movet voluntatem; scilicet id tantum movet voluntatem, quod intellectus judicat comparari posse: ergo, cum intellectus judicet, beatitudinem in communi sumpta non posse comparari, beatitudo sic accepta ad sui desiderium efficax voluntatem non movet.

QUÆSTIO II.

Utrum homo possit agere propter duos fines ultimos.

Not. NEmini dubium est, quin homo possit simul & semel agere propter duos fines ultimos *secundum quid*: potest enim iter aliquod suscipere, tum ut suæ sanitati consulat, tum ut exerceat mercaturam. Tota igitur quæstio est de duobus finibus ultimis simpliciter & absolute.

CONCL. Homo non potest simul & semel agere propter duos fines simpliciter ultimos.

Probatur 1. Ut homo agat propter duos fines simpliciter ultimos, debet illos fines desiderare: atqui id non potest; siquidem tunc tantum homo potest aliquid desiderare, cum illius appetitus non est perfecte satiatus: sed per unum finem simpliciter ultimum, hominis appetitus est perfecte expletus & satiatus; siquidem est de ratione finis, simpliciter ultimi, ut appetitum perfecte satiet, & expleat: ergo, &c. 2. Vel homo unum ex illis finibus referret ad alium, vel non referret. Si primum, finis quem ad alium referret, non esset finis ultimus simpliciter; est enim de ratione finis ultimi simpliciter, ut ad alium finem non referatur. Si secundum, finis ille quem homo ultimo sibi proponeret, non esset quoque finis ultimus simpliciter: scilicet est de essentia finis ultimi simpliciter, ut alii omnes ad illum referantur, ipseque aliis omnibus prædominetur: ergo, &c.

Objicies 1. Ethnici in cultu plurium Deorum multos fines simpliciter ultimos sibi proposuerunt: quilibet enim Deus est finis simpliciter ultimus: ergo, &c.

Resp. 1. neg. ant. Ratio est, quia in ea Deorum multitudine gentiles credebant, unum aliis esse superiorem, Jovem nimirum, quem ob id Deorum Patrem appellabant: unde alii non reipsa, sed nomine tantum, Deos esse arbitrabantur.

Resp. 2. argumentum esse de non supponente: nempe supponit, ethnicos habuisse pro fine ultimo simpliciter Deos, quibus thus adolebant: at id falsum est; siquidem honorem Diis exhibitum ad seipsos ultimo referebant: ideo quippe serviebant eis, ut per eos, vel voluptatibus, vel divitiis, vel mundana gloria fruerentur.

Objicies 2. Justus qui venialiter peccat, habet duos fines simpliciter ultimos; siquidem, 1. per suum peccatum finem suum ultimum in creatura constituit; neque enim eam refert ad Deum, sed illa omnino fruitur: immo nec aliquando hominis justi actio ad Deum referri potest, cum nonnunquam non tantum ex fine operantis, sed etiam ex fine operis, seu ex parte objecti, sit essentialiter mala; ut videre est in levi mendacio. 2. Justus qui peccat, præter creaturam, habet quoque Deum pro fine ultimo simpliciter; alioquin enim esset in statu peccati mortalis, cum peccatum mortale in eo positum sit, quod Dei amor in hominis corde non prædominetur: ergo homo potest agere propter duos fines simpliciter ultimos.

Resp. neg. ant. Ad cujus probationem, dist. ant. Justus per suum peccatum constituit in creatura suum finem ultimum secundum quid, seu actionis particularis, quam operatur, conc. ant. finem ultimum simpliciter, seu totius vitæ, neg. ant. Ratio est, quia cum justus leviter peccat, non ita amat creaturam, ut illam anteponat Creatori: paratus enim esset eamdem creaturam, quam in peccato suo quærit, deserere, si intelligeret, Deum illius amore graviter offendi.

Nec est, quod quis dicat, finem quem homo justus sibi proponit in peccato veniali, esse simpliciter ultimum, utpote qui ad alium non referatur; Nam ut aliquis finis sit simpliciter ultimus, satis non est, ut ad alium ab operante non referatur, sed præterea (ut jam observatum est) necesse est, ut finis ille præ aliis omnibus finibus, creaturæ rationalis cordi prædominetur.

QUÆSTIO III.

De ultimo fine, tum objectivo, tum formali.

Not. 1. PEr finem ultimum objectivum intelligitur objectum, seu res in

qua positus est finis simpliciter ultimus creaturæ rationalis, seu finis qui ita perfecte potest illius appetitum explere, ut in illo perfecte quiescat, nec alterius rei desiderio teneatur.

Not. 2. Nomine finis ultimi formalis intelligitur possessio finis objectivi, seu possessio objecti, quod potest explere creaturæ rationalis appetitum. Non constat inter Theologos, in quo posita sit, seu quid essentialiter includat illa possessio. Nonnullis sita videtur in divinæ substantiæ illapsu in mentem creatam. Thomistæ censent, eam essentialiter positam esse in sola intellectus operatione. Scotistis placeat opinio quæ docet, eam essentialiter complecti duplicem actum, mentis scilicet cognitionem, & voluntatis amorem. Quid nos de duplici illo fine, objectivo & formali sentiamus, subsequentibus conclusionibus aperietur.

CONCLUSIO 1. Ultimus finis objectivus creaturæ rationalis est Deus solus.

Probatur. Ille solus est ultimus finis objectivus creaturæ rationalis, qui solus potest explere totum appetitum, quo fertur in verum & bonum: atqui solus Deus potest explere totum appetitum, quo creatura rationalis fertur in verum & bonum: scilicet appetitus ille est in omne verum, in omne bonum; non enim quiescit in vero aliquo particulari, nec in aliquo bono singulari: Sed Deus solus potest explere illum creaturæ rationalis appetitum ad omne verum, ad omne bonum; ipse nimirum solus continet omne bonum; siquidem verum & bonum quæ in creaturis reperiuntur, sunt verum participatum, bonum receptum; ac proinde verum finitum, bonum finitum: ergo, &c.

Præterea bona creata, quibuscumque sint in gradu, specie, numero, fluxæ sunt ac labentis naturæ; quod quidem ultimo fini objectivo repugnat; si enim caducum esset bonum, in quo positus est ultimus finis, qui bono illo frueretur, timeret, ne ipsum deficeret aliquando, proindeque non expleret omne voluntatis desiderium: voluntas enim summe desiderat perpetuam possessionem boni, in quo sita est voluntatis beatitudo.

Tandem propter eam rationem creatura, quantumcumque perfecta supponatur, non potest esse sibimetipsi finis ultimus: cum enim esse non possit sui ipsius principium, semetipsam conservare non potest, proindeque nec ex seipsa habere esse permanens; quod tamen requiritur in objecto, ut finis, simpliciter ultimi, rationem habeat.

Quæres 1. utrum Deus in se, an vero in creaturis cognoscendus, sit ultimus finis creaturæ rationalis.

Resp. Deum in se, seu possidendum per intuitivam Dei visionem, esse finem simpliciter ultimnm creaturæ rationalis. Ratio est, quia cognitio Dei abstractiva, seu cognitio Dei in suis effectibus, quantumcumque perfecta supponatur, non potest explere appetitum creaturæ, quam Deus ad suam imaginem effinxit; ita nimirum comparata est creatura rationalis, ut visis effectibus, causæ ipsius, ut in se est, cognitionem desideret.

Quæres 2. an Trinitas personarum sit de essentia ultimi finis objectivi: seu utrum Deus, non tantum prout est Unus in natura, sed etiam prout est Trinus in personis, sit objectum, in quo ratio finis ultimi essentialiter posita est.

Resp. contra Scotistas, Trinitatem Personarum Divinarum esse de essentia ultimi finis objectivi. Ratio est 1. quia existentia Essentiæ Divinæ in tribus Personis pertinet ad Deum, ut in se est: at Deus prout est in se, seu a parte rei, est objectum, in quo posita est ultimi finis ratio. 2. Cognita sola Dei essentia, intellectus creatus desideraret cognoscere modum, quo subsistit, ac proinde, cognita tantum essentia, appetitus intellectus perfecte expletus non esset.

CONCLUSIO 2. Finis ultimus formalis non est positus in illapsu substantiæ divinæ in mentem creatam.

Probatur. Explicari non potest, quid sit illapsus ille. Vel enim est substantiæ divinæ indistantia a mente creata, vel aliqua in eam illius operatio: atqui neutrum dici potest. Non primum: quamvis enim illa divinæ substantiæ indistantia in dæmonibus locum habeat, cum Deus, a quo conservantur, illis sit intime præsens; non efficit tamen, ut possideant objectum illud, in quo sita est ultimi finis ratio. Nec secundum dici potest. Siquidem illa Dei in mentem creatam operatio nihil potest efficere in substantia spirituali, quam aliquam illius modificationem: atqui in substantia spirituali, præter justificationem non concipitur, quod alia modificatio fieri possit, quam per immanentes illius actus, cognitionem nimirum & amorem: ergo finis ultimus formalis non est positus in illapsu divinæ substantiæ in substantiam spiritualem creatam.

CONCLUSIO 3. Finis ultimus formalis positus est in actu, seu operatione creaturæ rationalis.

Probatur. Finis ultimus formalis positus est in eo, per quod creatura rationalis fruitur objecto in quo beatitudo consistit: atqui id per quod creatura rationalis fruitur objecto, in quo beatitudo consistit, est operatio ejusdem creaturæ rationalis: fruitio enim est essentialiter fruentis actio; est enim inhæsio rei possessæ: inhæsio autem illa, est operatio possidentis: ergo, &c.

CONCLUSIO 4. Operatio intellectus, seu cognitio objecti, in quo sita est beatitudo, requiritur quidem ad illius possessionem, seu ad ultimum finem formalem: sed

satis

satis non est, si operatio voluntatis, seu si amor illum non comitetur.

Probatur prima pars. Operatio, per quam Scriptura exprimit possessionem ultimi finis objectivi, concurrit ad illum possessionem: atqui Scriptura possessionem ultimi finis objectivi, Dei nimirum, exprimit per operationem intellectus, seu per cognitionem, ut probant hæc verba 1. Joannis 3. *Videbimus*, hoc est, cognoscemus, *eum sicuti est*; nec non hæc alia 1. ad Corinth. 13. *Videbimus facie ad faciem*. Quod & Christus ipse non obscure innuit in oratione quam paullo ante mortem ad Patrem habuit; *Hæc est* (inquit) *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*.

Probatur altera conclusionis pars. Sine amore creatura rationalis non fruitur summo bono: nam vera est hæc Augustini sententia libr. 1. de Doctrina Christiana, cap. 4. *Frui, est amore alicui rei inhærere propter ipsam*: ergo quantumcumque substantia spiritualis Deum, finem ultimum, cognoscat, si illum non amet, eo non fruitur: ergo, &c.

Confirmatur argumentum. Quamvis intuitiva Dei cognitio præsupponatur amori, quo creatura suo Creatori firmiter inhæret, ex se tamen non habet cum illo amore connexionem necessariam; eo quod (inquiunt Scotistæ) absolute loquendo, potest videri Deus absque quod ametur: Idque (addunt) reipsa contingeret, si Deus seipsum conspectui damnatorum objiceret: nimirum damnati (ut supponitur) carerent auxilio supernaturali ad amorem, iis etiam qui Deum clare vident, necessario.

Nec est quod quis cum aliquibus Thomistis dicat, creaturam quæ clare Deum videt, non posse eum odisse, cum nullam in eo rationem mali percipiat; quæ tamen mali alicujus, saltem species, necessaria est, ut quis objectum aliquod oderit: neque enim voluntas ferri potest in malum sub ratione mali. Non est (inquam) quod quis sic ratiocinetur. Nam in casu, de quo est quæstio, damnati Deum in seipsos iratum, & sævientem experirentur; proindeque in damnatis circa Deum remaneret indifferentia judicii; quippe qui malum in Deo, non absolute quidem, sed respective, apprehenderent, hoc est, judicarent, Dei in seipsos sævitiam habere speciem mali; ac proinde illum sub ea ratione consideratum odisse possent.

Objicies 1. Scriptura ipsa, & passim antiqui Patres, cum loquuntur de ultimo fine formali, hoc est, de actu quo Deus possidetur, ipsam exprimunt per operationem intellectus, ajuntque Deum possideri ab iis, a quibus intuitive videtur: ergo ultimus finis formalis positus est in sola operatione intellectus.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo ultimus finis formalis, inadæquate sumptus, positus est in operatione intellectus conc. conseq. adæquate hoc est, secundum totam suam essentiam sumptus, neg. conseq. Cum res aliqua duabus partibus æque essentialibus, & æque specificis constet, solet exprimi modo per unam, modo vero per aliam; ac præsertim per eam, quæ (ut cognitio amorem) secundum nostrum concipiendi modum, præcedit aliam.

Objicies 2. Qui Deum clare videt, non potest non esse perfecte beatus, etiamsi in illo instanti naturæ supponatur, quod Deum nondum diligat: ergo ultimum finem objectivum possidet, saltem possessione essentiali; ac proinde amor ad essentialem ultimi finis possessionem non requiritur.

Resp. neg. ant. Repugnat enim Augustino, qui in libro de Moribus Ecclesiæ, c. 3. sic loquitur: *Beatus, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur, & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; & qui non appetit quod appetendum esset, ægrotat.*

Objicies 3. Possessio Dei posita est solum in operatione, quæ in creatura rationali perfectior est aliis: atqui operatio intellectus, seu cognitio, est in creatura rationali operatio perfectior aliis, ipso etiam amore. Nam 1. cognitio est amore prior: ignoti quippe non est cupido: 2. Modo perfectiore circa suum objectum versatur: objectum scilicet ad seipsam trahit per objecti species seu ideas quas efformat; cum e contra amor ad suum objectum excurrat, ac veluti exeat ex ipsa substantia creata, ut exterius ad objectum amatum tendat, juxta tritum illud axioma: *Anima magis est ubi amat, quam ubi animat*. Ergo ultimus finis formalis in sola cognitione essentialiter positus est.

Resp. 1. Scotistas negare min. Resp. 2. dist. maj. Possessio Dei posita est solum in operatione ceteris perfectiore, si illa operatio habeat connexionem necessariam cum aliis operationibus ad completam & integram beatitudinem spectantibus, conc. maj. non habeat necessariam illam connexionem, neg. maj. Quamvis detur operationem intellectus esse physice perfectiorem operatione voluntatis; inde tamen non sequitur, quod in sola operatione intellectus (ut jam observatum est) essentialis Dei possessio posita sit; neque enim (ut Scotistæ docent) operatio intellectus necessariam habet connexionem cum aliis creaturæ rationalis operationibus, quæ ad beatitudinem, saltem integram, concurrunt.

Quæres, quænam tum animæ, tum corporis dotes futuræ sint iis, qui fine simpliciter ultimo in cælis fruituri sunt.

Resp. 1. ex parte corporis futuram 1. impassibilitatem, juxta hæc Apoc. 7. *Non esurient, neque sitient amplius:* 2. Agilitatem: *Seminatur corpus animale* (inquit Apostolus) *surget spiritale:* 3. Subtilitatem; cujus quidem subtilitatis imago visa est in Christi post resurrectionem corpore: exiit nimirum e tumulo, non reserato lapide, qui ad illius ostium positus fuerat.

Resp. 2. ex parte animæ futuram 1. pacem: cum enim plane explendus sit Beatorum appetitus, nullis omnino desideriis cruciabuntur: 2. Aderit ingens gaudium, quod ex Dei visione & amore resultabit, juxta illud Scripturæ: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Nec mirum, fieri siquidem non potest, ut mens quæ possidet quod summe diligit, quæque certa est se rem illam nusquam amissuram esse, maxima lætitia non afficiatur: 3. Beati donabuntur impeccabilitate, quæ ex duobus illis actibus, cognitione intuitiva, & amore ardentissimo profluet: *A delectatione peccandi* (inquit Aug. lib. 12. de Civ. Dei, c. 3.) *usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem, Beatus liberabitur.*

DISSERTATIO SECUNDA.

De Actibus humanis in genere.

HIC ideo differimus de humanis actibus, quod sint media, quibus Dei, creaturæ rationalis ultimi finis, possessio comparari potest. Quæ vero ad eos spectant, ad quatuor quæstiones reducemus, in quibus eorum Essentiam, Moralitatem, & Regulas exponemus,

QUÆSTIO I.

De Essentia Actuum humanorum.

Not. 1. ACTUUM humanorum essentiam complectitur hæc illorum definitio: *Actus humani sunt ii, qui a voluntate cum advertentia rationis procedunt.* Et in hoc differunt ab actibus quos vocant *actus hominis tantum*: ad istos nimirum ratio nec actu, nec virtualiter attendit.

Not. 2. In actibus qui dicuntur *hominis tantum*, voluntarium non invenitur: e contra est actuum, qui vocantur *humani*, constitutivum essentiale: De voluntario igitur necesse est, ut hic disputemus, & quæramus 1. Quid sit voluntarium, & quot modis res aliqua possit esse voluntaria: 2. Quænam minuant, augeant, aut tollant voluntarium: 3. Quænam sint species actus voluntarii.

CAPUT I.

Quid sit voluntarium, & quot modis res possit esse voluntaria.

CONCL. 1. VOluntarium recte definitur, Actus qui est a principio intrinseco, & ex advertentia saltem virtuali rationis.

Probatur. Allata definitio convenit 1. *omni* voluntario, sive sit necessarium, ut amor Dei in Beatis, sive sit contingens, ut idem Dei amor in viatoribus. In quocumque enim ex iis duobus statibus consideretur, est a principio intrinseco, voluntate nimirum, & ex advertentia rationis: scilicet & Beati & Viatores Deum actu non diligunt, nisi ex advertentia rationis: seu utrique volunt Deum diligere, & advertunt se illum diligere: 2. Convenit *soli* voluntario; per hæc enim definitionis verba, *A principio intrinseco*, a ratione voluntarii excluduntur violentum & artificiale, quorum principia sunt extrinseca. Tandem per hæc alia, *Ex advertentia rationis*, excluduntur omnes motus, qui rationem præveniunt, ut sunt in viris, etiam maxime piis, nonnulla peccati inefficacia desideria, quæ modo peccati velleitates, modo motus primo primi vocantur. Excluduntur pariter brutorum operationes: quæ quidem, aut fiunt sine ulla prorsus cogitatione, in eorum nempe Philosophorum sententia, qui putant, bruta esse mera authomata; vel saltem absque advertentia & reflexione, seu, ut vocant, cognitione finis sub ratione finis, seu finis qui ad mediorum, prout media sunt, electionem moveat.

Objicies. Omissio nonnunquam est voluntaria, cum aliquando sit virtus, ut patet in eo, qui fidem coram tyranno negat; & aliquando peccatum, ut in eo videre est, qui die festo seipsum præsentem non sistit tremendo Missæ sacrificio: atqui omnissio non est a principio intrinseco; neque enim est actus aliquis, sed e contra est privatio cujuslibet actus: ergo non est essentiale voluntario, ut sit a principio intrinseco.

Resp. conc. maj. dist. min. Omissio non est est a principio intrinseco, a quo eliciatur, conc. min. cum enim sit privatio actus, non indiget principio, a quo eliciatur: non est a principio a quo imperetur, neg. min. Omissio voluntaria semper sequitur ex aliquo actu qui sit illius caussa, & a quo imperetur, unde ratione actus a quo est, tanquam a caussa imperante, est voluntaria. Si qui Sacrum die festo non audit, non exercet quidem actum, quo Sacrum auditur: & ideo non exercet, vel quod actum hunc explicitum elicuerit, *Nolo audire Sacrum*; vel quod ludum, aut rem aliam incompossibilem cum Sacro elegerit; vel denique quod per negli-

gar-

gentiam, saltem implicite volitam, oblitus fuerit temporis, quo Sacrum celebratur.

CONCL. 2. Duobus modis, directe nimirum, vel indirecte, aliquid potest esse voluntarium.

Probatur, ac simul explicatur conclusio. Res vel est voluntaria in se & immediate, vel in causa, ex qua secundum prudentium æstimationem sequitur. Si priore modo, est voluntaria directe: si posteriore, est voluntaria indirecte & mediate. Illa autem causa, vel est positiva, vel negativa. Si primum, res est indirecte voluntaria in causa positiva. Sic pollutio quam quis patitur ex eo quod libere pravis cogitationibus immoretur, est voluntaria in causa positiva. Si secundum, res dicitur indirecte voluntaria in causa negativa, seu in actu quo, vel implicite, vel explicite, electa est non ablatio causæ, ex qua secutus est effectus: hujus voluntarii specie, voluntaria est mors infantis respectu hominis illius, qui venenum ex ejusdem infantis manibus non eripuit. Ergo duobus modis, directe nimirum & indirecte, aliquid potest esse voluntarium.

Quæres, quænam conditiones requirantur, ut effectus qui sequitur ex aliqua causa, sive positiva, sive negativa, sit non solum physice, sed etiam moraliter voluntarius; hoc est, ut aut ad demeritum, aut ad meritum imputetur.

Resp. tres requiri 1. Ut operans advertat, vel advertere potuerit, ex causa positiva, aut negativa effectum illum secuturum esse: hujus conditionis defectu reus non est, qui debita cum cautione catapultam explodens, invitus seipsum occidit: 2. Ut effectum illum impedire potuerit auferendo, aut non ponendo causam: sic reus est, qui obscœnam tabellam, quæ est occasio pravarum cogitationum, aut retinet apud se, aut vendit alteri: 3. Ut causam ex qua sequitur effectus, teneatur aut auferre, aut non ponere. Defectu tertiæ hujus conditionis non peccat Parochus, qui, excipiens mulierum confessiones, & debita cum prudentia se gerens in interrogatis, invitus pravas cogitationes & obscenos motus patitur.

CAPUT II.

De iis quæ minuunt, augent, aut tollunt voluntarium.

Not. QUæstio potest esse de concupiscentia, de ignorantia, de metu: hic expendendum est, quid concupiscentia, ignorantia, & metus ad voluntarium conferant.

CONCLUSIO 1. Concupiscentia ex una parte auget voluntarium, & minuit ex altera.

Probatur. Voluntarium duo dicit, nimirum ex parte voluntatis dicit propensionem ad actum, aut ad illius omissionem, & ex parte intellectus, dicit cogitationem saltem virtualem finis, ad quem actus tendit, & circumstantiarum, quæ illum comitantur: atqui concupiscentia auget voluntarium consideratum secundum propensionem voluntatis in actum; quo enim majore concupiscentia objectum aliquod desideratur, eo cum majori propensione voluntas ad illud objectum fertur: Minuit e contra voluntarium consideratum ex parte intellectus, quia concupiscentia, cum in malum est, excæcat intellectum: iste enim plerumque judicat, prout affecta est voluntas: ergo concupiscentia auget ex una parte voluntarium, & minuit ex altera. Verum cum propensio voluntatis in objectum, seu illius volitio ex advertentia rationis, sit id quod principem locum tenet in voluntario, sequitur dicendum esse, concupiscentiam simpliciter & absolute augere voluntarium.

Objicies. Quod non minuit peccatum, non minuit voluntarium: atqui concupiscentia non minuit peccatum; alioquin enim dicendum esset, eos qui mortaliter peccant ex consuetudine, minus esse reos, quam sint ii qui una vice tantum in peccatum labuntur: quod est absurdum.

Resp. neg. maj. Siquidem peccatum præcipue petitur ex inordinato amore, quo voluntas aliquod objectum prosequitur; ac proinde, cum amor ille inordinatus sit intensior in homine, qui cum vehementiori concupiscentia fertur in objectum vetitum, aut omittit præceptum, sequitur necessario, peccatum hominis illius esse gravius peccato, cujus sit reus alius homo, qui cum minore concupiscentia peccat. Nec obstat, quod homo ille præ vehementiore concupiscentia qua ardet, non ita, ac alius, attendat ad malitiam sui operis: Nam 1. ea attentionis debitæ privatio, pœna est ardoris illius, quo quis in actum lege prohibitum fertur, ac præsertim in impiis qui mortaliter peccant ex consuetudine, nimirum per plures præcedentes actus: ergo voluntarie inciderunt in pravum peccandi habitum. Hinc est, quod peccatum ex consuetudine perpetratum, sit gravius eo quod semel tantum perpetratum fuit: sequitur, reum in sacramento Pœnitentiæ teneri declarare peccati sui consuetudinem. Contrarium in hac propositione asseruerant nonnulli: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*; sed Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. coactus, hac censura propositionem illam, cum alia de dimidiate tantum confitentibus, notavit: *Doctrina his propositionibus contenta, falsa est, temeraria, in errorem inducit, sacrilegiis favet, Christianæ simplicitati, ministrorum Christi judiciariæ potestati, confessionis integritati, atque ipsius sacramenti*

institutioni ac fini derogat. 2. Falsum est, quod ut quis peccet, necesse sit, ut actu attendat ad malitiam sui operis, aut ut actu eam cognoscat: Scilicet idem Clerus Gallicanus in iisdem Comitiis anni 1700. hocce de illa propositione: *Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare*: hoc (inquam) tulit judicium: *Hac propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemiat, aliaque peccata excusat, & ut talis a Clero Gallicano* (in Comitiis generalibus anni 1641. die 12. Aprilis) *jam damnata est*.

CONCL. 2. Ignorantia antecedens tollit voluntarium; consequens minuit; concomitans nihil aut augendo, aut minuendo, ad illud confert.

Probatur prima pars. Ignorantia antecedens est illa, quæ non solum antecedit actum, sed & cui voluntas nullum omnino dedit locum, nec directe, nec indirecte; ac proinde quæ est omnino involuntaria tum in se, tum in caussa: atqui ignorantia hujusmodi tollit omnino voluntarium ab actu, cujus est caussa; actus enim ille est omnino contra voluntatis inclinationem, non actualem tantum & virtualem, sed etiam interpretativam, ut patet in filio, qui carissimum patrem occidit, existimans post adhibitam debitam diligentiam, objectum in quod catapultam explodit, esse feram: occisio nimirum illa patris nullo modo est voluntaria aut in se, aut in caussa.

Objicies. Fornicatio quam quis nescit esse prohibitam, est peccatum, etiamsi fiat ex ignorantia antecedente: ergo est voluntaria, cum sit de ratione peccati, ut sit voluntarium, proindeque antecedens ignorantia non tollit omnino voluntarium.

Resp. argumentum esse de non supponente. Scilicet falsum est, fornicationem fieri posse ex ignorantia antecedente. Ratio est, quia ignorantia antecedens non ea est tantum quæ actum præcedit, sed cui præterea operans nullum omnino locum dedit, quamque superare non potest: at ignorantia de prohibitione fornicationis, non est hujusmodi; est enim in iis, quibus reperitur, pœna præcedentis peccati; jugiter enim Deus spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Præterea ignorantia illa vinci potest, saltem cum auxilio gratiæ ordinariæ: ac per consequens nusquam reddit actum etiam quoad malitiam, omnino involuntarium.

Probatur altera conclusionis pars. Ignorantia consequens est ea, quam voluntas vult, non directe quidem, sed indirecte; non adhibendo nimirum debitam diligentiam qua superaretur: atqui illa ignorantia minuit voluntarium; efficit enim, ut actus cujus est caussa, sit contra inefficacem saltem voluntatis inclinationem, ut videre est in eo, qui amicum interficit latitantem in vepribus, existimans (sed vincibiliter) esse cervum.

Probatur tertia pars. Ignorantia quæ nec est antecedens, nec consequens, sed quæ mere actum aliquem comitatur, nullo modo est illius caussa, nulla ratione in illum influit; sed illius respectu impertinenter se habet: atqui ignorantia quæ hujusmodi est, nec minuit, nec auget voluntarium; neque enim voluntarium augetur aut minuitur, nisi a caussa quæ in actum influat. Sic ignorantia hominis qui vehementer exoptans inimici mortem, illum occidit, putans, sed sine ulla culpa, esse feram, nullo modo in occisionem illam influit; ac proinde actum physicum, quo inimicus occisus est, nec voluntarium, nec involuntarium reddidit; quamvis tamen occisor ex eo capite postea peccet, quod advertens cædem inimici, de ea per ignorantiam concomitantem perpetrata lætetur.

CONCLUSIO 3. Metus cadens in constantem virum, minuit quidem voluntarium, sed non tollit.

Probatur prima pars. Illud minuit voluntarium, quod minuit inclinationem & propensionem voluntatis: atqui metus cadens in constantem virum, eam minuit; quæ enim fiunt ex metu cadente in constantem virum, fiunt repugnante, saltem inefficaciter, voluntate, ut patet in mercatore, qui tempestate gravi sæviente, pretiosas merces in mare projicit, ut onere navim liberet, suæque vitæ consulat; revera enim vellet eas servare, si absque propriæ vitæ periculo eas conservare posset; unde implicite huncce actum elicit: Vellem servare merces magno labore conquisitas, nisi ex earum conservatione præsens navi naufragium immineret: ergo, &c.

Probatur altera pars. Illud non omnino tollit voluntarium, quod nec ex parte mentis tollit cognitionem, nec electionem ex parte voluntatis: atqui metus qui cadit in constantem virum, nec ex parte mentis omnino tollit cognitionem, ut supponitur, nec electionem ex parte voluntatis; siquidem mercator qui sæviente tempestate, merces suas metu mortis projicit in mare, cognoscit & pretium suarum mercium, & vitæ periculum in quo versatur, & actionem ipsam, projectionem scilicet mercium; & præterea vult & eligit vitæ suæ conservationem præ mercium suarum pretio & conservatione: ergo, &c.

Objicies 1. Recepta est apud Patres & S. Thomam sententia, ea quæ fiunt ex metu, voluntarie non fieri, sed involuntarie: unde concludunt, eum qui solo pœnæ metu mandata servat, ea re ipsa & vere non servare: ergo supponunt metum qui cadit in virum constantem, tollere omnino voluntarium.

Resp.

Resp. dist. ant. Recepta est apud Patres sententia, ea quæ fiunt ex metu, esse involuntaria secundum quid, conc. ant. esse involuntaria simpliciter & absolute, neg. antec. Mercator v. g. qui, cum imminet tempestas, merces suas projicit, habet quidem voluntatem eas conservandi, sed illa voluntas est inefficax eo quod adsit efficax voluntas contraria vitæ conservandæ, quæ quidem efficax voluntas non stat cum mercium conservatione; unde projectio illa est involuntaria *secundum quid*; at e contra voluntaria est *simpliciter & absolute*: fit nimirum ex deliberatione, prævio rationis judicio, aut saltem quod adesse potuit & debuit, & ex efficaci voluntate qua mercator vult seipsum a morte incolumem servare.

Nec obstat laudata ex Patribus sententia, qua asserunt, cum qui solo metu pœnæ præcepta servat, reipsa ea non servare: intelligitur enim non de ipsa substantia præceptorum, sed de modo, quo servari debent, hoc est, de caritate, ex cujus motivo, generali lege homines in omnibus operibus suis jubentur propter Dei gloriam agere, ad eamque referre omnia opera, quæ ex deliberatione agunt, juxta illud Apostoli: *Omnia in gloriam Dei facite*.

Objicies 2. Qui ex metu mortis præcepta tum juris naturalis, tum positivi, sive divini, sive humani, quibusdam in circumstantiis non servat, excusatur a peccato; sic qui metu presentis mortis parentibus non subvenit, reus non est: sic etiam qui ut vitæ suæ consulat, sabbati legem non observat, immunis est a peccato: atqui non ob aliud id accidit, quam quod eorum officiorum omissio, imminente metu mortis, non fit simpliciter & absolute voluntaria: ergo metus cadens in virum constantem, voluntarium omnino tollit.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia, quod quis in casibus, de quibus argumentum, non peccet, non oritur ex defectu voluntarii, aut sufficientis consensus, cum ille idem consensus satis sit ad peccandum in iis qui negativa Decalogi præcepta metu mortis infringunt, ut patet in eo qui metu mortis falsum fert testimonium, aut pejerat, aut coram tyrannis negat Christi fidem: Sed oritur ex eo, quod præcepta affirmativa juris naturalis, seu quæ actum aliquem præcipiunt, non obligent pro quovis tempore, & quavis in circumstantia; nec mens fuerit Dei aut hominum, sub tanto periculo cogere ad observationem præceptorum affirmantium: nisi tamen eorumdem præceptorum omissio vergat in Religionis aut Fidei contemptum, aut in commune detrimentum Reipublicæ; aut in proximi scandalum; iis enim casibus omissio actuum, qui præceptis affirmativis jubentur, ipso jure naturali prohibita est.

CAPUT III.

De variis voluntarii speciebus.

Not. 1. Certum est, duas esse voluntarii species. Nempe aliud est voluntarium necessarium, aliud voluntarium contingens. Nec mirum: nam ex actibus qui a voluntate cum advertentia rationis procedunt, nonnulli sunt, qui ab ea non possunt non procedere, alii vero possunt. Prioris generis est amor beatitudinis in communi; posterioris vero est viatorum amor in objectum, in quo beatitudo vel vera, vel apparens posita est. Ad prius voluntarii genus reducuntur operationes ad extra.

Not. 2. Certum est quoque, voluntarium quod est necessarium necessitate naturali, id est, quod omne rationis judicium prævenit (ut sunt quidam concupiscentiæ motus, qui ex inclinatione quidem corruptæ per peccatum voluntatis fiunt, sed absque aliqua rationis advertentia) non esse liberum, seu hujusmodi voluntario necessario libertatem non convenire. Nam id expresse docet S. Thomas, q. 6. art. 9. de malo, ubi sic loquitur: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid agendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra: unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti.* &c. *Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agat, quod vitare non possit.* 2. Idem patet ex Pio Papa V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. qui has, quæ Bajo tribuuntur, propositiones damnarunt: *Quod voluntarie fit, etsi necessitate fiat, libere tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, Non concupisces. Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, Non concupisces; quamvis transgressio in peccatum non imputetur.*

Not. 3. Ex constitutione Innocentii X. contra quinque famosas propositiones infertur, voluntarium necessarium, etiam deliberatum, etiam supponens rationis advertentiam, satis non esse ad merendum aut demerendum in statu naturæ lapsæ; hæretica nimirum est hæc propositio, quæ in laudata constitutione reperitur: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione.*

Not. 4.

Not. 4. De iis, quæ hucusque dicta sunt, conveniunt Theologi; sed gravis est inter eos controversia, utrum, concesso, quod voluntarium necessarium, etiam deliberatum, & rationis usum non præveniens, satis non sit ad merendum aut demerendum in statu naturæ lapsæ, sufficiat tamen ad constituendum, non quidem statum libertatis, hoc est, libertatem hominis viatoris; sed illius essentiam, prout nimirum libertas communis est Deo, Beatis, & Viatoribus.

ARTICULUS I.

Utrum indifferentia sit de essentia libertatis.

Not. Circa eam quæstionem duplex est Theologorum Scholasticorum sententia: Prima, quam Lovanienses in suis thesibus passim propugnant, quamque Thomassinus noster in suo tract. de Incarn. defendit, docet, voluntarium necessarium, modo non præveniat usum rationis, modo sit deliberatum, satis esse ad constituendam libertatis essentiam: hoc est, docent illi theologi, ad libertatis essentiam aliud non requiri, quam ut voluntas aliquid ex advertentia rationis, & ex deliberatione velit, quamvis non possit non velle. Hinc vero concludunt, 1. Deum etiam quoad operationes ad intra, generationem nimirum Verbi, productionem Spiritus Sancti, suorum attributorum amorem, esse vere liberum. Concludunt 2. hominem viatorem esse quoque liberum libertate essentiali ad amorem boni in communi, ad beatitudinem in genere sumptam.

Alii e contra Theologi contendunt, voluntarium necessarium, quamvis deliberatum, quamvis per reflexionem elicitum, quamvis rationis advertentiam præsupponat, satis non esse ad constituendam libertatis essentiam: sed præterea requiri indifferentiam, hoc est, potentiam agendi & non agendi. Illi vero Theologi, qui ad libertatis essentiam indifferentiam aliquam requirunt, non conveniunt inter se, an satis sit indifferentia contradictionis, hoc est, positio actus cum potestate ad eum non ponendum, an vero requiratur indifferentia contrarietatis, *servato ordine finis*; id est, utrum ad libertatis essentiam non tantum requiratur potentia ad omittendum actum qui ponitur; sed etiam utrum requiratur potentia ad ponendum contrarium, *servato ordine finis*, seu ad ponendum actum contrarium qui ad ultimum finem referri possit.

CONCLUSIO. Non tantum ad merendum aut demerendum in statu naturæ lapsæ, sed etiam ad libertatis essentiam, vera aliqua indifferentia requiritur.

Probatur 1. Ad id requiritur aliqua indifferentia, ad quod requiritur electio: nam electio non est circa necessaria; sed tantum circa ea, quæ assumi possunt aut omitti: *Cum electio* (inquit S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 2.) *sit praeacceptio unius respectu alterius, necesse est, quod electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt: & ideo in his quæ sunt determinata ad unum, electio locum non habet*: Atqui electio est de essentia libertatis. Nam 1. idea quæ audito hoc nomine, *libertas*, statim se offert menti, est *electio*. 2. Libertas definitur a Sancto Thoma 1. p. qu. 61. art. 8. *Vis electiva mediorum, servato, non prætermisso, ordine finis*.

Probatur 2. Id ad libertatis essentiam requiritur, ratione cujus voluntas habet dominium in suos actus: unde cum Genesis 4. Scriptura libertatis ideam tradit, meminit ejusdem dominii: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Ejus quoque meminit Apostolus 1. ad Cor. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*: atqui voluntas ratione indifferentiæ, seu potestatis agendi, aut non agendi, habet dominium in suos actus. Nam 1. ita censet S. Thomas lib. 1. contra Gentes, cap. 68. ubi sic loquitur: *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis*. 2. Tantum abest, ut voluntas dominium habeat in actum, ad quem non est indifferens, seu quem non potest non velle, quin e contra actus ille dominetur voluntati, ut patet in amore beatitudinis in communi, qui quidem ita voluntati dominatur, ut cum intellectus de beatitudine cogitat, voluntas ita illi amori subjicitur, ut ab eo temperare non possit.

Probatur 3. Id requiritur ad essentiam libertatis, quod requiritur, ut intellectus deliberet: deliberatio enim, saltem virtualis, necessaria est ad libertatem: ideo enim actus, quos vocant actus hominis, non sunt liberi, quod ex deliberatione non procedant: atqui ad deliberationem requiritur indifferentia, seu potestas non agendi: scilicet 1. nemo deliberatione utitur in iis rebus quas non potest omittere: sic nemo deliberat, an velit esse beatus, quia homo non potest non velle esse beatus. 2. S. Thomas 1. 2. qu. 13. art. 2. ad 2. expresse asserit, rationem in iis tantum deliberare, ad quæ voluntas indifferens est, hoc est, quæ a voluntate omitti possunt. *Ex hoc* (inquit) *contingit, quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus: ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest*.

Probatur 4. ex absurdis. 1. Si libertatis essentia staret sine indifferentia, Deus, quantumvis vellet, non posset efficere, ne actus

actus a voluntate elicitus ex advertentia rationis, esset liber; siquidem non posset id efficere per coactionem: nempe voluntas in actibus elicitis cogi minime potest, cum invita velle non possit: alioquin illius volitio esset volitio, & non esset volitio; quod est absurdum. Non posset quoque id efficere auferendo judicii indifferentiam, hoc est, impediendo, ne intellectus perciperet in voluntatis actu rationem, sub qua a voluntate actus ille posset non amari: quia ex adversariis, illa judicii indifferentia libertati non præsupponitur, cum velint voluntatem esse liberam ad eliciendum actum amoris beatitudinis in communi, circa quem amorem non est in intellectu indifferentia judicii. Atqui absurdum dictu videtur DEUM non posse efficere, ne actus a voluntate elicitus ex advertentia rationis, non sit liber; siquidem in hominum voluntates supremum habet dominium: ergo, &c. 2. SS. Patres, & in primis Augustinus, sæpius affirmant: concordiam libertatis cum efficacia gratiæ esse difficillimam, obscurissimam, & a paucissimis intellectam: atqui id falsum esset in adversariorum sententia; siquidem facile concipi potest stare cum efficacia gratiæ actum necessario elicitum a voluntate ex rationis advertentia, hoc est, actum, quem voluntas ita elicit, ut eum non possit non elicere; neque enim gratia efficax, cum in suavi & victrici delectatione posita est, voluntatem cogit, aut tollit rationis advertentiam; ergo &c.

Solvuntur argumenta ex Augustino petita.

Objicies. Datur actus vere liber, quamvis voluntas ad eum non sit indifferens; hoc est, quamvis voluntas eum omittere non possit, seu quamvis sit necessarius: ergo libertatis essentia posita non est in indifferentia. Probatur ant. Actus, quo Beati Deum diligunt, est vere liber quamvis voluntas eum omittere non possit, seu quamvis sit necessarius; id enim variis in locis ab Augustino docetur.

In Enchiridio, c. 105. sic loquitur: *Sic oportebat hominem prius fieri, ut bene velle posset, & male: postea vero sic erit, ut male velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio: multo quippe liberius erit arbitrium quod omnino non potest servire peccato: neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quia beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.*

Idem Sanctus Doctor in 5. de Civitate Dei c. 10. de actu quem ex rationis advertentia facimus, hæc habet: *Si necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis: manifestum est, voluntates nostras quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse: multa enim facimus quæ si nolemus, non utique faceremus, quo primitus pertinet & ipsum velle: nam si volumus, est, si nolumus, non est: non enim vellemus, si nolemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus, Necesse est ut ita sit aliquid, vel ita fiat: nescio, cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Sic etiam paullo post loquitur: *Cum dicimus, Necesse est, ut quod volumus, libero velimus arbitrio: & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem.*

Agens contra Philosophos, idem modo laudatus Sanctus Doctor l. 3. de libero arbitrio, ubi refellens errorem Ciceronis qui censebat, libertatem everti per Dei præscientiam, sic loquitur: *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate: porro quia est in nostra potestate, libera est nobis: non enim est in nobis liberum quod in nostra potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.*

Contra Manichæos scribens, non aliud docet. Scilicet libro 2. de actis cum Felice, cap. 5. cum Manes hac loquendi formula usus fuisset: *Qui sibi legem a Deo datam servare noluerunt*, statim Augustinus subjicit: *Video in his verbis confirmatum, etiam a nesciente quid loqueretur, liberum arbitrium: qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit: non enim dixit, Non potuerunt; sed, Noluerunt: hoc certe quod nolunt servare legem, non a gente tenebrarum coguntur; si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt.*

Contra Pelagianos conferens manus, expresse docet, in homine liberum arbitrium reperiri ad bonum, ex eo quod volentes illud faciamus: *Ubi* (inquit libro de gratia, & libero arbitrio, c. 2.) *ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.*

In libro de Natura & Gratia, cap. 46. Pelagio asserenti: *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*, S. Doctor respondet: *Perquam absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus; cum id omnino nolle non possimus nescio qua bona constrictione naturæ, nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere suæ justitiæ, quia non potest velle peccare.*

Ex iis autem Augustini locis sic argumenta conficiuntur. 1. Actus, quo post hanc vitam ita volumus esse beati, ut id non velle non possimus, est omnino necessarius; & tamen, ex Augustino, futurus est liber: ergo, ex eodem S. Doctore, libertas stat cum necessitate, hoc est, sine indifferentia, seu sine

præ-

potestate ad omittendum actum quem elicimus. 2. Actus ille est liber, qui est in nostra potestate: atqui actus necessarius quem volumus, etiamsi non velle eum non possimus, est in nostra potestate. Id enim, ex Augustino, est in nostra potestate, quod cum volumus, facimus, cum nolumus, non facimus: 3. Nisi actus, quem volumus, sit liber, ridicula erit Augustini contra Pelagium argumentatio: ut quid Pelagio contendenti, quod *quidquid naturali necessitate constringitur, illud privatur voluntatis arbitrio*, reponit Augustinus, necessitatem stare cum voluntate?

Resp. 1. Augustinum, cum egit de libertate, egisse contra duplicis generis Hæreticos, Manichæos nimirum, & Pelagianos. Manichæi contendebant, in homine duplicem esse substantiam; malam unam quæ sit a principio nequam, bonam aliam, quæ esset a principio bono. Hanc, volebant nonnunquam ab illa ad suos actus cogi, ita ut voluntas actus suos eliceret ex coactione; ac proinde eam illos elicere, etiamsi nollet. Mirum igitur non est, quod adversus hæreticos illos disserens, scripserit, voluntatem esse liberam, hoc est, immunem a coactione, eo ipso quod sit voluntas; sed nusquam asseruit, illam immunitatem a coactione satis esse, ut voluntas perfecte sit libera libertate arbitrii, seu electionis: unde ad argumentum ex Augustino contra Manichæos disputante petitum sic in forma respondendum est: Actus est liber libertate inadæquate sumpta, est in nostra potestate imperfecte & inchoate, eo ipso quo volumus, quo est voluntarius, seu cum fit cum volumus, conc. maj. Est liber libertate adæquate sumpta, est in nostra potestate perfecte & integre, neg. maj. Hoc est, Augustinus contra Manichæos disputans, docuit, ad libertatem requiri quidem immunitatem a coactione, & eam immunitatem semper reperiri in actu voluntario, quamvis necessario: sed non docuit, eam immunitatem a coactione, eam actus volitionem satis esse, ut adæquatam libertatis essentiam constituat. Jam vero quod Manichæi vellent, voluntatem a substantia nequam ad actus suos cogi, ostendi potest ex Fortunato Manichæo, qui disputatione secunda Augustino respondens, sic loquitur: *Inviti peccamus, & cogimur a contraria & inimica nobis substantia .... Hoc nos dicimus, quod a contraria natura anima cogitur delinquere*. Contra autem illud Fortunati Principium sic Augustinus arguit: *Ego nunc quæro abs te, quomodo habemus peccatum, si natura contraria nos cogit facere, quod facimus; qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat; qui autem peccat, libero arbitrio peccat*. Id vero eadem disputatione secunda sic probat Sanctus Doctor: *Si quis v. g. ligaretur ab aliqua, ceteris membris & manu ejus falsum scriberetur sine propria ejus voluntate, quæro, si hoc judici patefaceret, possetne hunc hominem falsitatis nomine condemnare?* Unde, ut Augustinus sese Manichæis opponeret, ita definire debuit libertatem inadæquate sumptam, ut externam coactionem, quam Manichæi admittebant, omnino tolleret. Libertas, seu voluntas, est (inquit libro de duabus animabus contra Manichæos, cap. 10.) *motus animi, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum*; cui quidem voluntatis definitioni hanc aliam peccati capite 11. subjicit: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*. Ex duplici illa sive voluntatis, sive peccati definitione Sanctus Doctor concludit, repugnare animas quæ natura (ut Manichæi contendebant) malæ sint: Scilicet repugnat, animas esse malas, si non peccent; at non peccant si cogantur, cum peccatum nihil aliud sit (inquit) quam *voluntas retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*. Unde postquam caput. 13. probavit, utramque sive voluntatis, sive peccati definitionem, ostendit, naturas ex se nullo modo posse esse malas: *Unde (inquit) hoc docemus? de superioribus definitionibus voluntatis, atque peccati, quia dicere animas, & esse malas, & nihil peccare, plenum est dementiæ: dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est; & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt; id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent; si denique iis abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccata earum tenere non possumus*. Ex his postremis verbis patet, Augustinum qui libertatem inadæquate definierat: *Motus animi, cogente nullo, ad aliquid retinendum vel adipiscendum*, eam adæquate definire, cum asserit, requiri præterea, ut voluntas ab eo possit abstinere quod agit.

Resp. 2. Augustinum contra Pelagianos disputantem, aliam circa libertatem viam iniisse ab ea quam contra Manichæos disserens amplexus fuerat. Pelagiani nimirum contendebant requiri ad libertatem indifferentiam contrarietatis, etiam non servato ordine finis; hoc est, docebant, ad libertatem pertinere potentiam ad agendum bonum & malum.

Factum illud evidenter patet ex variis Augustini locis, & præsertim ex libro 1. Operis imperfecti contra Julianum. Posita ea Pelagianorum suppositione, S. Doctor infert sequi, nec Deum, nec Angelos, nec Beatos, esse liberos, nec enim aut Deum, aut Angelos, aut Beatos, aliqua peccata delectare pos-

possunt: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle; id est, bonum & malum*: (ait Augustinus lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum) *liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, Deus nisi justus esse non potest. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?*

Urget idem argumentum Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio, ubi sic ratiocinatur: *Nemo proinde putet, ideo dictum liberum, quod æqua inter bonum & malum potestate aut facilitate versetur, cum cadere quidem per se potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli sancti, cum ita sint boni, ut non possint esse mali; nec prævaricatores item Angeli, cum ita sint mali, ut etiam non valeant esse boni, liberi arbitrii esse dicuntur. Sed & nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alii bonis, alii malis admixti fuerimus.*

Iis vero præmissis, sic in forma ad argumentum, ex Augustino contra Pelagianos dimicante petitum, respondendum est. Ex Augustino, Deus, Angeli, Beati, sunt liberi circa ea quæ non sunt Deus ipse, aut quæ cum eo non habent connexionem necessariam, conc. maj. circa Deum ipsum, aut circa ea quæ cum eo necessariam habent connexionem, neg. maj. Ratio est, quia si Deus, Angeli, Beati, essent liberi libertate arbitrii & electionis circa ea quæ Deus sunt, aut quæ cum eo necessariam habent connexionem, possent non amare Deum, possent temperare ab amore divino: Sed id revera non possunt; alioquin enim (quod negat Augustinus contra Pelagianos) possent peccare, cum potentia peccandi in eo posita sit, ut quis possit a Deo recedere, & agere contra ordinem, quem lex æterna servari jubet; ut nimirum id diligatur, quod summe est diligendum.

Nec obstat, quod Augustinus nonnunquam asserat, Beatos esse liberos circa Dei amorem; Viatores libere velle felices esse: Iis nimirum in locis loquitur de libertate inadæquate sumpta, hoc est, prout est idem cum volitione rei, ad quam inviti non cogimur; quæ quidem volitio minime coacta est pars libertatis, sed totam illius essentiam non constituit.

Solvuntur argumenta ex Bernardo petita.

Objicies. S. Bernardus non aliud docet, nec alia ratione loquitur, quam Augustinus; immo ex ipso & sententias, & verba ipsa, excerpsisse videtur.

In libro de gratia & libro arbitr. c. 1. ubi sic definiit liberum arbitrium: *Habitus animi liber sui*, addit: *Siquidem non cogitur, non extorquetur: est quippe voluntatis, non necessitatis, nec negat se nec præbet cuiquam, nisi ex voluntate: alioquin si compelli valet invitus, violentus est, non voluntarius: ubi autem voluntas non est, nec consensus: non enim est consensus, nisi voluntarius. Ubi ergo consensus, ibi & voluntas: Porro ubi voluntas, ibi libertas, & hoc est quod dici puto liberum arbitrium.*

Ejusdem libri cap. 2. sic loquitur: *Ipsam vero quia impossibile est sibi non obedire de seipsa (nemo quippe aut non vult quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est de sua privari libertate.*

Capite 4. fusius idem docet: *Quomodo* (inquit) *ad bonum conversus per gratiam, humanæ voluntatis consensus eo libere bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur; sic sponte in malum devolutus, in malo nihilominus tam liberum quam spontaneum constituit, sua utique voluntate ductum, non aliunde coactum, ut malus sit. Et sicut cælestis Angelus, aut etiam Deus ipse, permanet libere bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate; sic profecto Diabolus æque libere in malum corruit, & persistit, suo utique voluntatis nutu, non alieno impulsu: manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam sit captivitas mentis; tam plena quidem in malis, quam in bonis; sed in bonis ordinatior.*

Verbis illis hæc alia subjicit Doctor mellifluus: *Quod autem solent homines conqueri, & dicere: Volo habere bonam voluntatem, & non possum: nequaquam huic præscribit voluntatis libertati, ut quasi vim & necessitatem in hac parte patiatur voluntas, sed plane illa libertate, quæ dicitur a peccato, se carere testantur: nam qui vult habere voluntatem bonam, probat se habere voluntatem: non enim vult habere bonam, nisi per voluntatem; quod si per voluntatem, & libertatem, sed libertatem a necessitate, non a peccato. Nimirum ut non valeat, cum velit habere bonum, sentit quidem sibi deesse libertatem, sed profecto libertatem a peccato, quo utique docet premi, non perimi voluntatem.* Et postea, *Cum bonum volumus bona est voluntas, cum malum, mala est voluntas, utrobique voluntas, & ubique libertas; cedit siquidem voluntati necessitas.*

Ejusdem libri cap. 8. sic idem Sanctus Doctor prosequitur: *Neque enim ad liberum arbitrium (quantum in se est) pertinet, aut aliquando pertinuit, posse, vel sapere, sed tantum velle; nec potentem facit creaturam, sed tantum volentem: non ergo si potens, aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit: ubi enim non est voluntas, nec libertas.* Quibus verbis hæc alia subjicit: *Liberum arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitus esse desinat, isto non careat.* Et rursum; *Nec liberum ar bi-*

arbitrium destruere, sive, quantum in se est, aliquatenus imminuere poterit quæcumque adversitas, vel necessitas.

Cap. 11. hæc in eumdem scopum scribit: *Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo, æque liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens: tali jam ratione non incongrue dicitur, ad bonum se & ad malum habere æqualiter, quod utrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas.*

Capite 12. sic iterum loquitur: *Quid ergo forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis, quia nimirum inventa est cogi potuisse voluntas? Et plane: sed si cogi ab alio potuit, quam a seipsa: quod si seipsa cogi compulsa & compellens, ubi amittere, ibi recipere visa est libertatem; vim quippe, quam ipsa sibi intulit, a se pertulit: porro quod a se voluntas pertulit, ex voluntate fuit; quod ex voluntate fuit, jam non ex necessitate; sed voluntarium fuit: si autem voluntarium, & liberum.* Et postea: *Gemina compulsio, secundum quod aut pati aliquid aut agere contra propriam cogimur voluntatem, quarum passiva quidem (sic enim prior illa recte nominatur) potest nonnunquam fieri absque consensu voluntario facientis; sed activa, nunquam: proinde malum quod fit in nobis sine nobis, non est imputandum nobis, si tamen invitis: Ceterum quod fit & a nobis, jam non sine culpa est voluntatis, velle plane convincimur, quod non fieret, si nollemus. Est ergo compulsio quædam etiam activa, sed non habet excusationem, cum sit & voluntaria.*

S. Bernardus sermone 81, in Cantica, eadem docet, quæ in libro de gratia & libero arbitrio fuse jam docuerat; sic enim loquitur: *Hanc vim a natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia liber, & tamen, interveniente peccato, patitur quamdam vim & ipse, sed a voluntate, non a natura, ut ne sit quidem ingenita libertate privetur: quod enim voluntarium, & liberum.* Et postea: *Ita nescio, quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit, ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem: est enim necessitas hæc quodam modo voluntaria.*

Hæc rursum ibidem scribit: *Ubinam quæso hanc necessitatem sentis? nonne in voluntate? nonne ergo parum firmiter vis quod & necessario vis? multum vis quod nolle nequeas, nec multum objectans. Porro ubi voluntas, & libertas: quod tamen dico de naturali, non de spirituali, qua libertate (ut ait Apostolus) Christus nos liberavit: nam de illa idem ipse dicit, Ubi Spiritus Domini, ibi libertas: ita anima miro quodam & malo modo sub hac voluntaria quadam & male libera necessitate, & ancilla tenetur & libera, ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea quo libera, eoque ancilla quo rea, ac per hoc ancilla, quo libera:* Et postea: *Non enim quod volo hoc ago, sed me, non alio, prohibente; & quod odi illud facio, sed me, non alio compellente; atque utinam prohibitio hæc, & hæc compulsio ita esset violenta, ut non esset voluntaria; forsitan enim hic possem excusari; aut certe ita esset voluntaria, ut non violenta; profecto enim sic possem corrigi: nunc vero nusquam exitus misero patet, quem & voluntas (ut dixi) inexcusabilem, & incorregibilem necessitas facit.*

Ex textibus, qui hucusque ex Bernardo prolati sunt, sic conficitur argumentum: Ille sensit ad libertatem non requiri indifferentiam, qui docuit, ibi esse libertatem, ubi est voluntas, seu consensus; Qui scripsit voluntatem in eo quod vult non posse privari sua libertate; Qui asseruit voluntatem non magis in amore boni, aut mali, amittere suam libertatem, quam Deus in amore suæ justitiæ, quam Angelus in amore Dei, quem videt intuitive; Qui contendit hominem per hoc habere libertatem, per quod habet voluntatem; Qui affirmavit in ea tantum suppositione voluntatem suam amittere libertatem, in qua desinit velle; libertatem non destrui per necessitatem quæ non est ab extrinseco; Qui dixit voluntatem se ad bonum & malum habere æqualiter, quod utrumque velit; Necessitatem, quam voluntas patitur, non tollere liberum, quia illa necessitas est voluntaria; Omne quod est voluntarium, esse liberum: Atqui ea omnia docuit, asseruit, affirmavit Bernardus, ut ex laudatis textibus patet: ergo Bernardo persuasum fuit, libertatis essentiam non esse positam in indifferentia, sed tantum in actu quem voluntas ex advertentia rationis elicit, sive ille actus sit necessarius, ut est amor Dei in beatis, sive non sit necessarius, ut revera non est in viatoribus.

Resp. eamdem ad loca ex Bernardo petita adhibendam esse responsionem, quam quæ ad Augustini textus adhibita est; Scilicet dicendum est, loqui ipsum de libertate inadæquate, non autem de libertate adæquate sumpta: hoc est, velle eum, voluntatem, seu immunitatem a coactione, requiri quidem ad libertatem, sed ad eam satis non esse: unde postea definiens liberum, asserit, illud *voluntatis* esse, non vero *necessitatis*: ex quo patet, eum libertatem opponere necessitati; ac proinde censere eum, illud non esse liberum libertate adæquate sumpta quod est necessarium, seu quod ita ponitur, ut poni non possit.

Nec

Nec obstat, quod Bernardus in illo suo opere passim definiat liberum per immunitatem a coactione, per lubentiam, quæ sit ex rationis advertentia. Nam in hoc imitatus est Augustinum, qui simili loquendi more unam quidem, primam nimirum libertatis conditionem, definiit, non autem aliam quæ non minus illi essentialis est, indifferentiam nempe seu potentiam ad non ponendum actum, ad quem voluntas per efficacem Dei motionem determinatur.

Solvuntur argumenta quæ ex S. Thoma petuntur.

S. Thomas in quæstionibus disputatis, q. 3. de potentia, art. 7. ad 14. argumentum, libertatem in sola incogibilitate constituit: *Dicendum* (inquit) *quod non qualibet caussa excludit libertatem, sed solum caussa cogens; sic autem non est Deus caussa operationis nostræ.*

Quæstione 10. art. 2. ad 5. *Dicendum* (ait) *quod naturalis necessitas, secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut docet Augustinus in 5. de Civ. Dei; libertas enim violentiæ aut coactioni opponitur: non est autem violentia, vel coactio in hoc, quod aliquid secundum naturæ suæ ordinem movetur; sed magis in hoc quod naturalis motus impeditur sicut cum impeditur grave, ne descendat ad medium: unde libere voluntas appetit felicitatem, licet necessario appetat illam; sic autem Deus sua voluntate libere amat seipsum, licet de necessitate amet seipsum, & necessarium est, quod tantum amet seipsum quantum bonus est, sicut tantum intelligit seipsum, quantum est. Libere ergo Spiritus sanctus procedit a Patre, nec tamen possibiliter, sed ex necessitate.*

Quæstione 22. de veritate, art. 1. ad 3. *Dicendum, quod libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis. Ad 4. dicendum, quod necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis. Ad 7. hoc est proprium voluntatis, in quantum est voluntas, quod sit domina suorum actuum.*

Quæstione 14. art. 4. in corpore. *Respectu illius principalis voliti, quod est sua bonitas, voluntas divina necessitatem habet, non quidem coactionis, sed naturalis ordinis, quæ libertati non repugnat, secundum Augustinum in 5. de Civit. Dei.*

Quæst. 24. art. 1. ad 7. huic argumento: *Servitus opponitur libertati: sed in homine invenitur servitus peccati, quia qui facit peccatum, servus est peccati: ergo in homine non est liberum arbitrium:* illi (inquam) argumento hisce verbis respondet: *Dicendum quod servitus peccati non dicit coactionem, sed vel inclinationem, in quantum peccatum præcedens aliquo modo inducit ad sequentia, vel per defectum naturalis virtutis, quæ non potest se a peccati macula eripere, cui semel se subdidit; & ideo semper in homine remanet libertas a coactione, per quam naturaliter est liberi arbitrii.*

In lib. tertium Sent. Dist. 18. art. 2. ad 5. *Dicendum, quod etiam liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest: tamen in hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.*

Ex laudatis hactenus S. Thomæ textibus sic argumentum conficitur. Ille non censuit, indifferentiam, seu potestatem agendi, aut non agendi, pertinere ad libertatis essentiam, qui docuit ideo Dei operationem tollere libertatem hominis, quod eum ad agendum non cogit; necessitatem ei similem, per quam volumus esse beati, libertati non repugnare; libertatem opponi soli necessitati coactionis; Deum esse liberum respectu principalis voliti, licet respectu illius habeat necessitatem, non quidem coactionis, sed naturæ propriæ; Christum fuisse liberum ad amandum Patrem, quamvis ad illius amorem esset ita determinatus, ut non posset non amare Patrem: Atqui ea omnia (ut ex laudatis ex eo textibus patet) docuit S. Thomas: ergo non censuit, indifferentiam, seu potestatem agendi, aut non agendi pertinere ad libertatis essentiam.

Resp. S. Thomam locis, quæ nobis objecta sunt, loqui de libertate *voluntatis*, quæ coactionem excludit, non loqui vero de libertate *arbitrii*, seu de libertate quæ includit electionem: unde mirum non est, quod dixerit, actum, quo volumus esse beati, esse liberum; libertatem opponi soli coactioni; Christum fuisse liberum ad amandum Patrem, quamvis non potuerit eum non amare, quamvis ad unum determinatus; ideo fuisse liberum, quod sponte & non coacte Patrem diligeret.

Nititur ea responsio ipsomet S. Thoma, quæst. 24. de veritate: siquidem laudatæ quæstionis art. 1. quærit, *utrum homo sit liberi arbitrii*. Post plurima, quæ sibi objicit, argumenta, tandem sibi illud opponit: *Liberum necessitati opponitur, sed respectu quorumdam voluntas hominis necessitatem habet; de necessitate enim vult beatitudinem: ergo non habet respectu omnium libertatem, & ita non est liberum arbitrium quantum ad omnia.*

Ad illud autem argumentum S. Doctor respondens, distinguit duplicem libertatem; libertatem nimirum *voluntatis*, quæ fini adhæret, & libertatem *arbitrii*, vel *judicii*, quæ circa media versatur, & ea quæ sub electione cadunt: Hanc contendit excludere, illam vero stare cum necessitate

quæ tamen a coactione sit immunis; sic enim loquitur: *Dicendum, quod cum electio sit quoddam judicium de agendis, vel judicium consequatur, de hoc potest electio, quod sub judicio nostro cadit: judicium autem in agendis sumitur ex fine, sicut de conclusionibus, ex principiis. Unde sicut de principiis non judicamus, ea examinantes, sed naturaliter eis assentimur, & secundum ea, omnia alia examinamus; ita & in appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio discussionis, vel examinationis, sed naturaliter approbamus, propter quod* DE EO NON EST ELECTIO, *SED VOLUNTAS*. *Habemus ergo respectu ejus*, LIBERAM *VOLUNTATEM cum necessitate naturalis inclinationis libertati non repugnare secundum Augustinum 5. de Civit. Dei, non autem* LIBERUM JUDICIUM *proprie loquendo, cum non cadat sub electione.*

Eadem distinctione libertatis, quæ *voluntatis* dicitur, & libertatis quæ proprie dicitur libertas *arbitrii*, seu electionis, utitur idem S. Doctor quæstione 22. de veritate art. 5. ut tria vel quatuor solvat argumenta. Cum enim statuisset, voluntatem necessario ferri in beatitudinem, eamque necessario velle, numero primo has sibi objectiones opponit: *Secundum Augustinum in 5. de Civit. Dei, si aliquid est voluntarium, non est necessarium: Sed omne quod volumus, est voluntarium: Ergo nihil est necessario volitum, & voluntas non vult aliquid ex necessitate*. Numero 3. *Libertas opponitur necessitati, sed voluntas est libera: ergo non de necessitate aliquid vult*. Numero 4. *Præterea Bernardus dicit, quod liberum arbitrium ex ingenita voluntate, nulla necessitate movetur: sed dignitas voluntatis auferri non potest: ergo non potest voluntas aliquid de necessitate velle*. Numero 5. *Præterea potestates naturales se habent ad opposita secundum Philosophum: sed voluntas rationalis est potentia: est enim in ratione, ut dictum est in 3. de anima: ergo se habet ad opposita, & ita non est determinata ad unum.*

Ad eas autem objectiones S. Thomas respondet eadem, quæ supra, adhibita distinctione, scilicet libertati voluntatis, prout natura quædam est, necessitatem minime repugnare, quamvis repugnet voluntati, prout est potentia rationalis, regiturque rationis judicio & arbitrio.

Unde ad 1. respondet, quod auctoritas illa Augustini, *est intelligenda de necessitate coactionis, quæ repugnat voluntati; non autem de necessitate naturalis inclinationis, quæ secundum Augustinum in 5. de Civitate, voluntati non repugnat*. Numero 3. *Dicendum* (inquit) *quod libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturali inclinationi*. Ad ultimam denique objectionem sic respondet: *Dicendum quod voluntas, in quantum est rationalis, ad opposita se habet: hoc enim est considerare ipsum secundum quod est ei proprium; sed prout est natura quædam, nihil prohibet, eam determinari ad unum*. Quibus ex verbis patet, S. Doctorem censere, duplicem respectum in voluntate distinguendum esse, primum prout voluntas natura quædam est, & communis appetitus; sub quo quidem respectu potest cum necessitate, & cum determinatione ad unum stare, nec de ea intelligitur esse ad opposita. Sed præterea considerari potest secundum id quod est ei proprium & peculiare, seu prout est appetitus rationalis, hoc est, qui ratione, judicio, arbitrio, regitur: sub quo respectu voluntas est rationalis potentia, quæ verti potest ad opposita, & est immunis a necessitate & determinatione ad unum: sicque dicitur libertas arbitrii, quæ licet non in alia, quam in voluntate, potentia, sedem habeat, non est tamen ea libertas quæ *voluntatis* dicitur, quæque ad finem sponte sua fertur, sed est libertas quæ *arbitrii* dicitur, quæ circa media versatur, & ratione judice & arbitra, unum medium præ ceteris mediis eligit.

Præter loca quæ hucusque retulimus, alius est locus apud eumdem S. Doctorem, in quo eamdem distinctionem libertatis in libertatem *voluntatis*, & in libertatem *arbitrii*, supponit.

Scilicet, q. 10. de Potentia, art. 2. quærit: utrum in divinis sit una tantum Processio, vel plures. Num. 5. objicit sibi, *quod voluntas libera est; quod ergo procedit per modum voluntatis, procedit etiam per modum libertatis. Si ergo Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis, oportet, quod procedat per modum libertatis: quod autem procedit per modum libertatis, potest procedere & non procedere.*

Ad illud autem argumentum hisce verbis respondet: *Dicendum, quod naturalis necessitas, secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem,* LIBERTATI VOLUNTATIS *non repugnat, ut S. Augustinus docet l. 5. de Civit. Dei. Libertas enim voluntatis, violentiæ vel coactioni opponitur: Non est autem violentia, vel coactio in hoc, quod aliquid secundum ordinem naturæ suæ moveatur; sed magis in hoc, quod naturalis motus impeditur, sicut cum impeditur grave, ne descendat ad medium. Unde voluntas libere appetit felicitatem, licet necessario appetat illam. Sic autem & Deus sua voluntate libere amat seipsum, licet de necessitate seipsum amet quantum bonus est. Libere ergo Spiritus sanctus procedit a Patre, non tamen possibiliter, sed ex necessitate.*

Ex quibus verbis patet, S. Doctorem eo loci agere de libertate voluntatis, prout ve-

Lu-

luntas est, hoc est prout ad ultimum finem fertur, sicut per simplicem intelligentiam intellectus fertur ad prima principia; non autem de voluntate, ut est liberi arbitrii, seu prout est voluntas rationalis, quæ ratione judice & arbitra circa objectum aliquod versatur; neque enim vel unum apicem in illo aut similibus aliis locis scripsit S. Thomas, quo significaret, voluntatem, ut est liberi arbitrii, stare cum necessitate; e contra semper docuit esse ad opposita.

Nec explicationibus, quæ hucusque a nobis allatæ sunt, obstat, quod S. Doctor, Augustinum imitatus, non semel asseruerit, libertatem esse positam in immunitate a coactione: siquidem in locis, ubi eum loquendi modum usurpat, loquitur de libertate secundum id, quod primum tanquam principium includit, non autem de libertate secundum id, quod secundo loco dicit. Ratio est, quia S. Thomas comparat libertatem cum cognitione primorum principiorum; quemadmodum ergo cognitio primorum principiorum requiritur ad discursum, sed non est totus discursus; ita & libertas requirit amorem finis tanquam principium, sed ille amor finis non est tota ipsa libertas: idque ostenditur ex 1. parte, q. 60. art. 2. ubi S. Doctor expresse asserit, actus liberos a necessariis oriri, sicut motus omnis oritur ab immobili, & in ipsis etiam Angelis asserit, *naturalem dilectionem esse principium electivæ, quia id quod pertinet ad prius, habet rationem principii. Unde cum natura sit primum quod est in unoquoque, oportet, quod id quod ad naturam pertinet, sit principium in quolibet.*

Idem repetit ejusdem 1. par. q. 62. art. 1. *Necessitas naturalis* (inquit) *non repugnat voluntati, quinimmo necesse est, quod sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principiis, ita & voluntas ex necessitate inhæreat ultimo fini, qui est beatitudo; finis enim se habet in operativis, sicut principium in speculativis, ut dicitur in 2. Physicorum. Oportet enim, quod illud quod naturaliter alicui convenit, & immobiliter, sit fundamentum & principium omnium alterum, quia natura rei est primum in unoquoque, & omnis motus fundatur in immobili.*

ARTICULUS II.

Quæ indifferentia ad libertatem requiratur.

Not. 1. Indifferentia dividitur in indifferentiam contradictionis, & in indifferentiam contrarietatis. Prima, posita est in potentia agendi aut non agendi, seu in positione actus cum potentia ad non ponendum illum actum: & hæc passim vocatur indifferentia exercitii. Secunda e contra consistit in potentia agendi, & ponendi actum contrarium, hoc est, in positione actus alicujus cum potentia ad actum contrarium: & hanc vocant indifferentiam specificationis, ut est ea, quæ versatur circa odium v. g. & amorem.

Not. 2. Indifferentia contrarietatis quæ versatur circa actus specie diversos, vel est servato & non prætermisso ordine finis, vel non servato & prætermisso ordine finis. Sic homo qui in ordine ad debitum ultimum finem potest eligere duos actus specie diversos, jejunium v. gr. vel eleemosynam, dicitur indifferens indifferentia contrarietatis, servato & non prætermisso ordine finis: E contra homo, qui volens occidere alium, potest eligere venenum, aut pugionem, dicitur indifferens indifferentia contrarietatis, non servato ordine finis; malum enim finem, hominis scilicet occisionem, sibi proponit.

Not. 3. Indifferentia contradictionis iterum dividitur in suspensivam & activam. Prior, est inactio quædam sine ulla determinatione ad unum potius quam ad aliud; posterior e contra est positio actus cum potentia ad non ponendum illum actum.

CONCL. 1. Indifferentia, quæ essentialis est libertati, non est indifferentia contrarietatis, non servato & prætermisso ordine finis.

Probatur. Indifferentia quæ est essentialis libertati, non est potentia ad bonum & malum: atqui indifferentia contrarietatis, non servato & prætermisso ordine finis, est potentia ad bonum & malum: ergo non est essentialis libertati. Major propositio est evidens; quotiescumque enim eliguntur aliqua quæ ad debitum finem non referuntur, est peccatum: in omnibus enim homo qui deliberate agit, debet sibi debitum & rectum finem proponere.

Minor propositio ostenditur 1. ex Augustino, qui expresse contra Pelagianos probavit, potentiam peccandi non esse de essentia, immo summam esse libertatis imperfectionem: *Liberum non est* (inquit Augustinus l. 1. operis imperfecti contra Julianum) *nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum: liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle? de quo etiam ipse dixisti, Deus nisi justus esse non potest. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* 2. Ex Bernardo in libro de gratia & libero arbitrio, quem laudavimus exponentes Augustini de libertate contra Pelagianos differentis sententiam. 3. Ex S. Thoma, qui in 1. Sent. dist. 25. q. 1. art. 2. ad 2. sic loquitur: *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum, vel ad malum, quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cum bonum sit objectum voluntatis; nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, quem apprehendit ut bonum, cum non sit voluntas, aut electio, nisi boni, aut apparentis boni: Et*

ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest, quia imperfectum esse non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit: & hoc Deo convenit, bona enim quæ facit, potest non facere; nec tamen malum facere potest.

CONCLUSIO 2. Indifferentia contrarietatis, servato & non prætermisso debito fine, reperitur in libertate; hoc est libertas se extendit ad media contraria, quæ ordinem dicunt ad debitum finem.

Probatur 1. Indifferentia contrarietatis est potentia eligendi duo media sibi invicem opposita in ordine ad debitum finem ultimum: atqui ea potentia nonnunquam reperitur in libertate, ut patet in homine, qui potest aut per virginitatem, aut per castitatem conjugalem, seipsum ad debitum finem ultimum dirigere: ergo indifferentia contrarietatis, servato & non prætermisso debito fine, nonnunquam reperitur in libertate. Idque expresse S. Thomas docuit 1. par. q. 61. art. 8. ubi sic definit libertatem: *Libertas est vis electiva mediorum, servato & non prætermisso ordine finis.*

Addita est vox ista, *Nonnunquam*, eo quod aliquando unum sit medium, quo homo seipsum ad debitum ultimum finem dirigere potest, ut patet in eo qui martyrio damnatur in odium Christianæ fidei: ea nimirum in circumstantia homini illi non suppetit aliud medium, quo æternæ suæ saluti consulere valeat.

Probatur 2. auctoritate & ratione S. Thomæ, quæst. 22. de veritate, art. 6. Sanctus Doctor quærit: *Utrum voluntas de necessitate velit quicquid vult.* Triplicem autem distinguit voluntatis & libertatis indifferentiam; primam, *quantum ad actum*, in eo positam, quod voluntas possit agere & non agere; secundam, *quantum ad objectum*, quæ quidem in eo consistit, quod voluntas plura & diversa quæ ad ultimum finem perducere possunt, eligere valeat; tertiam, *quantum ad ordinem finis*, in quantum scilicet voluntas potest velle aut bonum aut malum.

Sed antequam Sanctus Doctor explicet triplicem illam indifferentiam, proponit principium, ex quo tanquam a primo fonte oritur omnis motus voluntatis; appetitum nempe finis ultimi. *Respondeo* (inquit) *dicendum, quod ex hoc aliquid dicitur esse necessarium, quod est immobiliter determinatum ad unum: Unde quod voluntas indeterminate se habeat respectu multorum, non habet respectu omnium necessitatem, sed respectu eorum tantum, ad quæ naturali inclinatione determinatur, ut dictum est: & quia omne mobile reducitur ad immobile, & indeterminatum ad determinatum, sicut ad principium; ideo oportet, quod id ad quod voluntas est determinata, sit principium appetendi ea ad quæ non est determinata, & hoc est ultimus finis.*

Posito constanti illo principio, S. Thomas sic explicat, qua ratione voluntas non appetat necessario ea quæ sunt ad finem: *Invenitur autem indeterminatio voluntatis respectu trium, scilicet respectu objecti, respectu actus, & respectu ordinis ad finem. Respectu objecti quidem, est indeterminata voluntas quantum ad ea quæ sunt ad finem ipsum ultimum, ut dictum est: quod ideo contingit, quia ad finem ultimum multis viis perveniri potest, & diversis diversæ viæ competunt perveniendi in ipsum. Et ideo non potuit esse appetitus voluntatis determinatus in ea quæ sunt ad finem, sicut est in rebus naturalibus, quæ ad certum finem, & determinatum, non habent nisi certam & determinatam viam. Et sic patet, quod res naturales, sicut de necessitate appetunt finem, ita & ea quæ sunt ad finem, ut nihil sit in eis quod possint appetere, vel non appetere. Sed voluntas de necessitate appetit ultimum finem, ut non possit ipsum non appetere: sed non de necessitate appetit aliquid eorum quæ sunt ad finem. Unde respectu hujus est in potestate ejus appetere hoc vel illud.*

Explicata illa voluntatis indeterminatione respectu variorum objectorum, quæ sunt ad finem, idem S. Doctor exponit indeterminationem respectu actus, seu respectu exercitii. *Secundo* (inquit) *est voluntas indeterminata respectu actus, quia circa objectum determinatum potest uti actu suo, cum voluerit, vel non uti. Potest tamen exire in actum volendi respectu cujuslibet, & non exire, quod in rebus naturalibus non contingit. Grave enim semper descendit deorsum in actu, nisi aliquid prohibeat: quod exinde contingit, quod res inanimatæ non sunt motæ a seipsis, sed ab aliis; unde non est in eis moveri & non moveri. Res autem inanimatæ moventur a seipsis; & inde est, quod voluntas potest velle, & non velle.*

Tandem sic idem S. Thomas proponit tertiam indeterminationis speciem, quæ est respectu ordinis ad finem: *Tertio* (ait) *indeterminatio voluntatis est respectu ordinis in finem, in quantum voluntas potest appetere id quod secundum veritatem in finem debitum ordinatur, vel secundum apparentiam tantum; & hæc indeterminatio ex duobus contingit, scilicet ex indeterminatione circa objectum, in his quæ sunt ad finem; & iterum ex indeterminatione apprehensionis, quæ potest esse recta, & non recta. Sicut enim ex aliquo principio vero dato non sequitur falsa conclusio, nisi per aliquam falsitatem rationis assumentis aliquam falsam, vel falso ordinantis principium in conclusionem; Ita ex quo inest appetitus rectus ultimi finis, non posset sequi, quod aliquis aliquid inordinate appeteret, nisi ratio acciperet aliquid inordinate in finem, quod non est ordinabile in finem; sicut qui appetit beatitu-*

dinem

dinem appetitu recto, nunquam deducetur in appetendam fornicationem, nisi in quantum apprehendit eam ut quoddam hominis bonum, in quantum est quoddam delectabile bonum, & sic ordinabile in beatitudinem, velut quamdam imaginem ejus. Et ex hoc sequitur indeterminatio voluntatis, quæ potest bonum vel malum appetere.

Tribus illius indeterminationis speciebus eo, quo dictum est, modo explicatis, idem Sanctus Doctor eas omnes ad se invicem comparat, aperitque, quænam libertati conveniat, quæve ejusdem libertatis sit defectus: *Cum autem voluntas dicatur libera, in quantum necessitatem non habet, libertas in tribus considerabitur, scilicet quantum ad actum, in quantum potest velle & non velle; & quantum ad objectum, in quantum potest velle hoc vel illud, vel ejus oppositum; & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum vel malum.*

Quæ vero ex iis indifferentiis per se libertati competat, ipsamque in omni statu consequatur, vel quæ ab ea, ratione status, sejungi possit, hisce verbis fuse tradit: *Sed quantum ad primum bonum inest libertas voluntatis in quolibet statu naturæ, respectu cujuslibet objecti: Secundum vero bonum est respectu quorumdam objectorum, scilicet respectu eorum, quæ sunt ad finem, & non ipsius finis; & etiam secundum quemlibet statum naturæ. Tertium vero non est respectu omnium objectorum, sed quorumdam: eorum scilicet quæ sunt ad finem; nec vero cujuslibet status naturæ, sed illius tantum, in quo natura deficere potest. Nam ubi non est defectus in apprehendendo & conferendo, non potest esse voluntas mali in his quæ sunt ad finem, sicut patet in beatis; & pro tanto dicitur, quod velle malum nec est libertatis, nec pars libertatis, quamvis sit libertatis signum.*

Ex his quæ hucusque dicta sunt, evidenter patet, S. Thomam docuisse 1. indifferentiam quoad actum, quam & exercitii vocant, essentialem esse libertati in omni statu: 2. indifferentiam quoad diversa objecta, seu quam vocant contrarietatis, vel (ut alii loquuntur) specificationis, servato tamen ordine finis, pertinere etiam ad libertatem, quoties diversa illa objecta, servato ordine finis, occurrunt: 3. nec in Deo, nec in Angelis, nec in beatis reperiri indifferentiam quoad amorem terminatum ad Deum; nec in viatoribus respectu beatitudinis in communi, reperiri indifferentiam aliquam; ac proinde nec libertatem arbitrii: 4. indifferentiam contrarietatis, seu specificationis, non servato, aut prætermisso ordine finis, non esse essentialem libertati; sed summum illius defectum, ortum ex ex statu viatoris, & naturæ per peccatum corruptæ.

Ex iisdem S. Thomæ principiis, evidenter sequitur, majorem esse libertatem in Deo, quam in Angelis & in Beatis; majorem quoque in Angelis & Beatis, quam fuerit in Adamo innocente; majorem tandem in Adamo innocente, quam fuerit postea in Adamo per peccatum lapso. Ratio est, quia eo major est libertas, quo major est indifferentia; indifferentia enim (ut ostendimus) est ipsa libertatis essentia: atqui circa creaturas circa quas solum versatur Dei, Angelorum, & Beatorum libertas, major est indifferentia in Deo, quam in Angelis & Beatis; major quoque in Angelis & Beatis, quam fuerit in Adamo innocente: major etiam in Adamo innocente quam fuerit postea in Adamo per peccatum lapso: Eo nimirum est major indifferentia circa aliquem actum, circa aliquod objectum, quo major est independentia ab illo actu, ab illo objecto: Sed in Deo major est independentia a creaturis, quæ sunt objectum libertatis, quam in Angelis & Beatis: major in Angelis & Beatis, quam in Adamo innocente: major etiam in Adamo innocente, quam fuerit postea in Adamo per peccatum lapso; tanto siquidem major est a creaturis independentia, quo major est adhæsio ultimo fini determinate sumpto, hoc est, Deo ipsi, in quo sita est objectiva beatitudo: atqui (ut patet) major est illa adhæsio in Deo quam in Angelis & Beatis: major in Angelis & Beatis, quam fuerit in Adamo innocente: major etiam in Adamo innocente, quam fuerit postea in Adamo per peccatum lapso: ergo &c.

CONCLUSIO 2. Indifferentia suspensiva nec est essentialis libertati, nec illius aut perfectio aut conditio.

Probatur. Indifferentia suspensiva est privatio cujuslibet actus; ideo enim aliquis dicitur in suspenso esse, quod sit sine ullo actu, sine ulla determinatione ad unum potius, quam ad aliud; atqui privatio cujuslibet actus, nec est essentia, nec perfectio, nec conditio libertatis; nam alioquin dicendum esset 1. Deum qui circa creaturas agit, non esse liberum: 2. hominem sub gratia efficaci constitutum, non esse quoque liberum, cum in eo statu agit & operetur: sed absurdum est consequens: ergo &c.

Confirmatur 1. Eo perfectior est potentia, quo propior est suo actui; potentia enim est propter actum: atqui per determinationem ortam ex divina motione voluntas est propior suo actui: scilicet est cum ipso actu conjuncta, cum motio, sit ut efficax, voluntatem infallibiliter applicet ad actum: ergo &c. 2. Eo perfectior est libertas quo voluntas remotior est a peccato; potentia enim peccandi est defectus libertatis: sed voluntas per gratiæ efficacis motionem est remotior a pec-

cato; per eam enim voluntas ad bonum determinatur: hinc merito hæc habet Augustinus in libro de Correptione & Gratia, c. 8. *Voluntas non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem*. Hinc etiam merito scribit epistola 108. falso existimare eos gratia oppugnari libertatem, cum e contra per eam perficiatur: *Quomodo* (inquit) *dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur hominem, quisquis suo corde credit in Deum, nonnisi sua libera credere voluntate? imo potius ipsi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant gratiam Dei, qua vere ad bona eligenda, & agenda fit liberum.*

ARTICULUS III.

De radice libertatis.

Not. Hic quærendum est 1. utrum indifferentia judicii sit radix libertatis; 2. utrum stante indifferentia judicii circa aliquod objectum, vel circa aliquem actum, fieri possit, ut voluntas circa illud objectum, aut circa illum actum non sit libera.

CONCL. 1. Indifferentia judicii circa aliquod objectum, aut circa aliquem actum, est radix libertatis.

Probatur. Illud est radix libertatis, ratione cujus voluntas est indifferens circa aliquod objectum, aut circa aliquem actum; indifferentia nimirum (ut superius probatum fuit) est ipsamet libertatis arbitrii essentia: atqui ratione indifferentiæ judicii circa aliquod objectum, vel circa aliquem actum, voluntas est indifferens circa objectum, vel actum; siquidem tunc voluntas est indifferens circa objectum aliquod, vel circa actum aliquem, cum motivum habet, propter quod objectum illud, actum illum, amet, aut non amet: sed ratione indifferentiæ judicii, voluntas motivum habet, propter quod amet objectum, aut actum; nempe indifferentia judicii in eo posita est, quod intellectus aut in objecto, aut in actu, apprehendat speciem boni, aut speciem mali; at quotiescumque intellectus in eodem objecto, in eodem actu, apprehendit speciem boni, aut speciem mali, voluntas motivum habet, propter quod illud objectum, illum actum amet, aut non amet, eligat, aut non eligat: ergo ratione ejusdem indifferentiæ judicii voluntas est indifferens circa aliquod objectum, circa aliquem actum.

Hinc vero patet 1. libertatem arbitrii ad amandum Deum non esse in Beatis; neque enim eorum intellectus, cum in eo statu judicet de rebus, ut sunt, in Deo apprehendit aliquam speciem mali, ratione cujus voluntas beatorum possit non amare Deum. Patet e contra 2. libertatem arbitrii circa quamcumque creaturam, in Beatis reperiri: scilicet intellectus Beatorum multos defectus apprehendit in creaturis, ratione quorum potest eorum voluntas eas, servato ordine finis, aut prosequi, aut non prosequi. Patet 3. in viatoribus circa Dei amorem reperiri libertatem arbitrii; Scilicet intellectus viatoris in illo amore apprehendit speciem mali in quantum amor ille impedit, ne homo viator suis passionibus obtemperet, & seipso (ut ad id corrupta per peccatum voluntate fertur) fruatur.

Confirmatur argumentum auctoritate Sancti Thomæ, qui in 2. Sent. dist. 25. q. 1. art. 2. ex ea judicii indifferentia repetit originem & radicem libertatis, hoc est, asserit, ideo libertatem arbitrii circa aliqua reperiri, quod circa illa judicium sit indifferens, seu quod in illis quamdam speciem boni, & quamdam mali speciem apprehendat; sic enim loquitur: *Quantumcumque aliquid in creatis ostendatur bonum, potestati ejus* (voluntatis) *remanet eligere illud, vel non eligere. Cujus ratio est, quia objectum intellectus est verum, objectum autem voluntatis est bonum. Invenitur autem aliquod verum, in quo nulla falsitatis apparentia admisceri potest, ut patet in dignitatibus. Unde intellectus non potest subterfugere, quin illis assentiat. Similiter etiam invenitur aliquod falsum, quod nullam veri apparentiam habet, ut patet in oppositis dignitatum: unde illis intellectus nullatenus assentire potest. Similiter etiam si proponatur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habeat, ut ultimus finis, propter quem omnia appetuntur, non potest voluntas hoc non velle: unde nullus potest non velle esse felix, aut velle esse miser: In his autem quæ ad finem ultimum ordinantur, nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat, nec aliquid adeo bonum, quod in omnibus sufficiat. Unde quantumcumque ostendatur bonum vel malum, semper potest adhærere, & fugere in contrarium, ratione alterius quod in ipso est: ex quo accipitur, si malum est simpliciter, ut apparens malum: & inde est, quod in omnibus quæ sub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quod felicitatem naturaliter appetit, & non determinate in hoc vel illa*. Hactenus S. Thomas.

CONCL. 2. Stante indifferentia judicii, fieri non potest, ut voluntas non remaneat libera.

Probatur. 1. Stante indifferentia judicii circa aliquod objectum, aut circa aliquem actum, fieri non potest, ut voluntas non remaneat circa illud objectum, aut circa illum actum indifferens: ergo fieri quoque non potest, ut non remaneat libera, cum libertas arbitrii essentialiter in indifferentia posita sit. Probatur ant. Stante indifferentia judi-

judicii, nihil est, per quod voluntas necessitetur ad objectum, aut ad actum; e contra est aliquid vere vel apparenter in objecto, aut in actu, quod amare possit, aut non amare: ergo nihil est quo voluntas necessitetur; neque enim ei necessitas circa actum aut objectum imponitur, nisi quia nihil vel vere vel apparenter est in objecto, vel in actu, ratione cujus aut objectum, aut actum amare, vel non amare possit.

Probatur 2. Voluntas remanet libera, quamdiu ad unum non determinatur necessario; sola enim necessitas opponitur libertati, quæ quidem (ut dictum fuit) est indifferens ad actum, aut ad non actum, ad aliquod objectum, aut ad oppositum, servato ordine finis: atqui stante indifferentia judicii, voluntas necessario non determinatur ad unum; si enim ad unum necessario determinaretur, ea determinatio oriretur aut ex parte subjecti, aut ex parte objecti: sed neutrum dici potest. Non primum, nempe voluntas quæ est subjectum libertatis, ad unum necessario non determinatur, nisi vel quia prohibetur, ac impeditur, ne actum eliciat, vel quia ad eum eliciendum compellitur: at id dici non potest: siquidem voluntas non impeditur, nisi per subtractionem concursus, qui quidem (ut supponitur) non subtraheretur: non compelleretur quoque, quia compulsio est coactio, quæ inferri quidem potest potentiis quæ organis affixæ sunt, ut est potentia visiva; sed non infertur potentiis, quæ sunt ab organis extrinsecis independentes, ut est revera voluntas respectu actuum quos elicitos vocant, hoc est, respectu velle & non velle. Non potest quoque dici secundum: Siquidem fieri non potest, ut voluntas necessario ad unum determinetur ab objecto, quod ei indifferenter amandum, aut non amandum proponitur. Scilicet voluntas non magis necessario determinatur ad amandum, aut non amandum objectum, quod ei indifferenter proponitur, quam intellectus necessario determinetur ad assentiendum veritati, quæ tanquam dubia ab illo apprehenditur; atqui intellectus necessario non determinatur ad assentiendum veritati, quæ tanquam dubia ab illo apprehenditur: ergo pariter voluntas non determinatur necessario ad amandum, aut ad non amandum objectum, quod ei indifferenter ab intellectu proponitur amandum, aut non amandum.

Probatur 3. Tota & adæquata ratio libertatis dependet ex modo, quo intellectus aliquid apprehendit: ergo impossibile est, ut stante integra indifferentia judicii, non stet quoque integra indifferentia voluntatis. Probatur ant. ex Sancto Thoma. Scilicet S. Doctor quæst. 24. de veritate art. 2. quærit: *Utrum liberum arbitrium sit in Beatis?* Eam vero quæstionem ut solvat, hæc præmittit. *Sciendum, quod cum ad operationem nostram tria concurrant, scilicet cognitio, appetitus, & ipsa operatio, tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet: Appetitus enim cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur....* Addit: *Totius libertatis radix est in ratione constituta; unde secundum quod aliquid se habet ad rationem, ita se habet ad liberum arbitrium.* Tandem inde concludit, liberum arbitrium in brutis reperiri non posse. *Quamvis bruta habeant quamdam similitudinem rationis, in quantum participant quamdam prudentiam naturalem, secundum quod natura inferior attingit aliqualiter ad illud, quod est naturæ superioris: quæ quidem similitudo est secundum quod habet judicium ordinatum de aliquibus: sed hoc judicium est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione, cum rationem sui judicii ignorent: propter quod hujusmodi judicium non se extendit ad omnia, sicut judicium rationis, sed ad quædam determinata.*

Ex iis S. Thomæ verbis sic argumenta conficiuntur, quibus demonstratur antecedens, quod erat probandum. 1. Appetitus, seu voluntas, cognitionem sequitur: ergo quando cognitio est indifferens, necesse est, ut voluntas quoque sit indifferens. 2. Se habet voluntas respectu objecti, sicut intellectus: ergo quando intellectus est indifferens respectu objecti, voluntas quoque est circa illud indifferens. 3. Ideo appetitus brutorum non est indifferens, quod illorum judicium non sit indifferens, immo determinatum est ad unum: ergo e contra appetitus seu voluntas creaturæ rationalis est indifferens, ex eo quod illius judicium sit indifferens.

Dices 1. intelligi ea S. Thomæ principia de modo naturali agendi creaturæ, non autem de modo extraordinario: hoc est, velle quidem S. Thomam, voluntatem ordinarie non esse determinatam ad unum, cum intellectus ad unum non est determinatus; non velle vero, voluntatem non esse determinatam ad unum, cum, etiam stante indifferentia judicii, Deus modo extraordinario, per efficacem nimirum motionem, in voluntate creaturæ rationalis operatur.

Verum admitti non potest illa responsio. Nam 1. in q. 22. de veritate, de qua hic agitur, S. Thomas quærit, utrum voluntas cogi possit: at ea quæstio intelligitur in casu, quo Deus modo extraordinario in voluntate creaturæ rationalis operetur: neque enim fingi potest, voluntatem ab alio posse cogi, quam a Deo qui modo extraordinario, hoc est, adhibita tota sua omnipotentia, operetur in voluntate. 2. S. Doctor nequaquam excipit divinæ omnipotentiæ operationem, sed e contra eam supponit, cum sic loqui-

loquitur : *Quantumcumque aliquid ostendatur esse bonum* (nisi tamen sit summum bonum) *potestati ejus remanet eligere, vel non eligere*. 3. Idem S. Thomas expresse asserit, voluntatem, remanente indifferentia judicii, a Deo cogi non posse; ubi enim hoc sibi argumentum objecit: *Videtur, quod liberum arbitrium cogi possit : quod enim immutatur ab aliquo agente, cogitur ab illo : sed (ut dicit glossa ad Romanos) Deus potest immutare voluntatem hominum in quodcumque voluerit : ergo videtur, quod voluntas a Deo cogi possit :* Ubi (inquam) sibi illud argumentum objecit, respondet, voluntatem a Deo moveri secundum illius exigentiam naturalem, hoc est, modo conveniente, seu ita ut voluntas sit indifferens, seu possit velle aut non velle, cum ratio objectum illi indifferenter proponit : *Dicendum* (inquit) *quod Deus operatur in voluntate, & libero arbitrio, secundum ejus exigentiam. Unde si voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, ut illud, in quo mutatur, voluntarie, id est libere, velit.*

Dices 2. supposito præsenti rerum ordine, voluntatem remanere indifferentem circa objectum, quod tanquam indifferens apprehenditur ab intellectu : sed Deum posse alium ordinem statuere, & in eo casu per suam omnipotentiam tollere indifferentiam a voluntate creaturæ rationalis.

Sed inanis est illa responsio: siquidem non est hic quæstio de alio rerum ordine, sed de præsenti; scilicet quæritur, utrum Deus, stante præsenti rerum ordine, stante indifferentia judicii, possit voluntati necessitatem imponere. 2. Si Deus alium ordinem statueret, esset præsertim iste, quod voluntas non sequeretur ductum rationis, & ageret more brutorum : at ea suppositio perridicula est; nempe Dei sapientiam dedecet, ut eum statuat ordinem, qui creaturæ a se conditæ minime conveniat.

Dices. 3. Stante judicii indifferentia, Deus voluntati potest suum concursum negare: ergo verum non est, quod ea indifferentia stante, voluntas remaneat libera.

Verum non est ad rem illa responsio; eo enim in casu voluntas impeditur, ne agat, ac proinde non erit libera; scilicet quæstio est, utrum voluntas non impedita, stante indifferentia judicii, libera remaneat : affirmat Sanctus Thomas, quantumcumque sit efficax divina motio, idque (inquit Sanctus Doctor) oritur ex natura voluntatis motæ, *quæ indifferenter se habet ad diversa : unde non inducitur necessitas, sed remanet libertas.*

Dices 4. vera esse ea omnia S. Thomæ principia, si Deus, indifferentia judicii, nihil imprimat voluntati, quo illius indifferentia, seu potentia agendi, vel non agendi, tollatur : at non stant ea principia, si Deus imprimat motionem physicam, voluntatemque ad actum secundum physice determinet, ut revera sic eam in sententia Thomistarum determinat, ita ut indeclinabiliter, & insuperabiliter operetur.

Sed 1. illa responsio non est ad rem : quæritur enim, utrum Deus, stante indifferentia judicii, per omnipotentiæ suæ operationem, eam ita immutare possit, ut ab ea tollere possit indifferentiam, seu potentiam agendi aut non agendi : negat id S. Thomas, ut multis jam argumentis ostensum est.

Dices 5. equidem, stante judicii indifferentia staré libertatem; sed impossibile esse, ut cum præmotione physica stet illa indifferentia judicii; ac proinde ut stet ipsa libertas.

Sed id omnino falsum est. Nam 1. quantumcumque Deus efficaciter & physice voluntatem ad bonum præmoveat, ac prædeterminet, non efficit, ut intellectus bonum illud apprehendat tanquam summum bonum; ac proinde ab eo non tollit indifferentiam judicii. 2. Illa responsio repugnat Augustino : nempe S. Doctor in Enchiridio cap. 98. sic loquitur : *Quis ita desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum convertere non posse?* quod quidem adeo verum censet, ut velit pertinere principium illud ad prima fidei rudimenta : *Perculitatur* (inquit ibidem) *nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum omnipotentem credere profitemur.* Ergo stante indifferentia judicii, Deus, ex Augustino, potest, ubi & quomodo voluerit, etiam per motionem physice prædeterminantem, voluntatem ad bonum movere. Nec obstat, quod adversarii reponunt, illum movendi voluntatem modum esse contra ipsius voluntatis naturam. Illam enim repugnantiam nec Augustinus, nec S. Thomas adverterunt: scilicet hæc habet S. Thomas de electione humana q. 6. art. unico ad 3. *Deus voluntatem movet immutabiliter propter efficaciam divinæ virtutis, quæ deficere non potest; sed tamen propter naturam voluntatis motæ, quæ* (propter judicium indifferens intellectus) *indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed remanet libertas.*

Sed de libertate hæc satis sint. Qui plura scire voluerit, adeat opus, quod de eo argumento sic inscripsit, *S. Thomas sui interpres*, doctissimus Antoninus Massoulié Prædicator.

QUÆSTIO II.

De Moralitate actuum humanorum.

Nu. 1. Certum est, moralitatem in actibus humanis reperiri : nempe moralitas (ut nomen sonat) est id, quod

ad

ad mores pertinet: atqui in actibus humanis nonnihil est, quod ad mores pertinet; in eis enim est aliquid, per quod homo fit honestus, vel inhonestus, bonus aut malus, secundum prudentum æstimationem.

Not. 2. Certum est quoque, essentiam moralitatis positam esse in relatione ad regulas morum. Nam 1. non est ipsa libertas actus, quem voluntas elicit, cum actus concipiatur liber, antequam sit moralis. 2. Non est quoque physicus amor objecti, circumstantiarum, aut finis; siquidem ille amor, non minus quam libertas, moralitati præsupponitur. Moralitas igitur est ad regulas morum relatio vel conformitatis, vel difformitatis, vel indifferentiæ objectivæ. Unde actus Moralis recte definiri potest, *Actus conformis, vel difformis regulis morum, aut ab eis permissus.*

Not. 3. De moralitate sic explicata quæri potest 1. quænam sint illius principia; 2. quænam variæ illius species. Utrumque, sci., & principia moralitatis, & varias illius species, necesse est, ut in hac quæstione exponamus.

CAPUT PRIMUM.

De Principiis Moralitatis.

Not. Nomine principiorum moralitatis intelliguntur ea omnia, per quæ, actus humanus fit bonus, vel malus, vel indifferens. Ea vero sunt tria tantum, objectum, circumstantiæ, finis. Nimirum ex ordine, quem actus humani ad objectum, circumstantias, & finem dicunt, sunt morales, hoc est, aut boni, aut mali, aut indifferentes. De singulis illis moralitatis principiis in hoc capite differemus, quæremusque, utrum specifica moralitas actuum humanorum sumatur ab objecto, ex circumstantiis, ex fine, seu intentione operantis.

CONCL. 1. Specifica humanorum actuum moralitas sumitur ab objecto.

Probatur 1. Ab eo sumitur specifica moralitas actuum humanorum, ratione cujus quædam virtutes, & quædam vitia a se invicem specie differant: atqui quædam virtutes, quædam vitia, a se invicem specie differunt ratione objecti circa quod versantur: sic virtutes theologicæ specie differunt a virtutibus moralibus, quod istæ habeant objectum specie diversum ab objecto, circa quod theologicæ versantur: sic etiam homicidium & furtum specie differunt, quod illorum objecta specie differant: ergo specifica moralitas actuum humanorum sumitur ex objecto.

Probatur 2. Receptum est apud Philosophos axioma, quod relationes a suo termino speciem sumant: sed moralitas actuum humanorum est relatio ad objectum, circa quod versantur, & illud objectum est eorum terminus: ergo moralitas specifica actuum humanorum sumitur ex objecto, circa quod versantur.

Objicies 1. Moralitas specifica non sumitur ab eo quod nullam habet moralitatem: nemo enim dat, quod non habet: atqui sunt quædam objecta, quæ nullam habent moralitatem, cum dentur quædam objecta, quæ sunt omnino indifferentia; ut videre est in deambulatione, quæ quidem secundum speciem sumpta, nec honesta est, nec inhonesta: ergo &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem, fatemur dari objecta quædam, quæ secundum speciem sunt indifferentia; sed contendimus, illam indifferentiam esse moralitatis speciem; siquidem illud est species moralitatis, quod subjicitur legi: atqui indifferentia subjicitur legi, permittenti nimirum. Unde ideo vir frugi objectum ex se indifferens eligit, quod hujusmodi objectum a lege permittatur.

Confirmatur responsio ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 92. asserit legem, ut sic, habere triplicem actum, prohibere scilicet, præcipere & permittere: ergo indifferentia a lege permittitur: *Sunt* (inquit S. Doctor) *tres differentiæ humanorum actuum. Quidam sunt boni ex genere suo, & respectu horum, ponitur legis actus præcipere, seu imperare. Quidam actus sunt mali ex genere suo, sicut actus vitiosi, & respectu horum, lex habet prohibere. Quidam vero ex genere suo indifferentes, & respectu horum, lex habet permittere.*

Objicies 3. Moralitas specifica sumitur ex solo fine operantis; ergo non sumitur ab objecto.

Probatur ant. Ab eo solum sumitur specifica moralitas actuum, quod per se appetitur ab operante: atqui finis solus propter se appetitur ab operante; siquidem objectum non appetitur ab operante, nisi in ordine ad finem quem operans sibi proponit: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Moralitas nimirum actus humani, licet a fine operantis extrinsece sumatur, ut dicetur inferius; sumitur tamen intrinsece ex ordine intrinseco, quem actus dicit ad objectum.

CONCL. 2. Moralitas specifica actuum humanorum sumitur a fine operantis, seu ab intentione, quam sibi operans proponit.

Probatur. Moralitas specifica ex eo sumitur, ad quod actus tendit tanquam ad terminum: moralitas enim est relatio; relationes autem (ut superius observatum est) a suo termino speciem suam sumunt: atqui finis operantis est terminus, ad quem tendit actus humanus; ideo enim operans, hunc vel illum actum operatur, ut finem, quem sibi proponit, assequatur: ergo &c.

Quæres 1. an moralitas actus humani, quæ sumitur ex fine operantis, sit actui humano intrinseca; an vero ea tantum quæ ex objecto sumitur.

Resp. 1. moralitatem actus humani petitam ex fine operantis, esse essentialem actui reduplicative prout actus est imperatus a voluntate. Ratio est, quia actus consideratus prout est imperatus a voluntate, præcipue respicit finem operantis; siquidem voluntas ex efficacia finis ab operante intenti movetur ad objectum. Resp. 2. moralitatem desumptam ex fine operantis, non esse essentialem actui, prout actus est elicitus a voluntate, quia sic acceptus solum objectum essentialiter respicit: Illi enim in esse specifico jam constituto advenit finis extinsecus operantis.

Ex illa responsione infertur 1. unicum actum posse pertinere ad virtutes specie diversas; potest enim ab una elici, & imperari ab altera: Idque patet in eleemosyna, quæ quidem habet rationem & speciem justitiæ, cum quis eam clargitur, ut Deo peccatis satisfaciat; habet vero rationem misericordiæ, prout ad sublevandam inopis miseriam ordinatur. Infertur 2. posse in uno eodemque actu reperiri duplicem moralitatem; unam quidem ex parte operis, seu ex parte objecti; alteram autem ex parte operantis. Illa magis est præcipua, si actus, prout est externus, consideretur; ista vero principem locum tenet, si actus, prout est internus, perpendatur.

Quæres 1. utrum finis, seu intentio operantis, excuset a peccato?

Resp. 1. finem, quem operans sibi proponit, quantumcumque supponatur rectus, non excusare a peccato in iis quæ per se mala sunt: siquidem bonum, ut fert tritum axioma, ex integra caussa; malum ex quolibet defectu: ergo si sit defectus ex parte objecti, hoc est, si objectum quod voluntas eligit, sit per se malum, operans a peccato non excusatur. Hinc ii qui Apostolos persecuti sunt, non fuerunt immunes a peccato, quamvis (ut ait Scriptura) arbitrarentur se obsequium præstare Deo. Hinc Paulus reus fuit, cum in incredulitate, zelo Mosaicæ legis, vexavit Ecclesiam Dei: & ita de ceteris.

Resp. 2. finem operantis, si rectus sit, operantem excusare a peccato in iis quæ secundum speciem sunt indifferentia; immo efficit, ut actus qui ex parte objecti sunt indifferentes, sint recti & boni: sic deambulatio, quæ a pio viro suscipitur animi relaxandi caussa, ut liberius postea suo officio, quod in Dei gloriam ultimo refert, perfungatur.

Dictum est, finem operantis, ut excuset a peccato, aut ut reddat actum bonum, debere esse rectum; idque ut excluderetur finis quem operans sibi proponit, ut vel avaritiæ, vel ambitioni, vel voluptati serviat.

Hincque concluditur 1. ad mutandum beneficium satis non esse Clerico, quod beneficium, quod ambit, sit pinguius eo quod ab eo dimittitur: tota nimirum traditio docet, tunc tantum licitum esse ab uno titulo in alium transire, cum id Ecclesiæ utilitati confert: quod quidem an conferat, necne, non est hominum particularium judicare, sed superiorum tantum, & eorum quibus jus est particulares ad aliud titulum vocare.

Concluditur 2. reum esse qui hominem, percussus alapa, occidit, *ut* (inquiunt recentiores quidam casuum arbitri) *ostendat excellentiæ signa*, *& æstimationem apud homines sibi conciliet*: Præter quam quod enim res est per se mala, actus ille fit etiam malus ex fine; nempe velle æstimationem apud homines captare, non est finis rectus, seu qui sanæ & non corruptæ rationi consentaneus fit.

Concluditur 3. peccare tum qui comedit, bibit, utitur matrimonio solius voluptatis caussa, eaque solum ductus ratione, quod licite possit appetitus naturalis suis actibus frui: scilicet voluptas non est finis, qui homini rationi prædito conveniat.

Concluditur 4. graviter peccare cauponarium qui die jejunii hospites, quos scit teneri jejunii lege, provocat ad cœnandum, ut ex majoribus eorum expensis emolumentum majus percipiat. Reus est pariter mercator, qui mulieri divendit ornamenta, quæ ad lasciviam provocent, eo fine ductus, ut conquisitis magno pretio mercibus se liberet. Peccat quoque, qui domum suam elocat meretrici, quod alii, quibus eam elocet, minime se offerant. Rei sunt quoque qui proximas peccati mortalis occasiones non deserunt: qui herorum iniquitati serviunt, ne alioquin pauperem vitam agere cogantur; aut ne torvis oculis ab heris suis aspiciantur; aut tandem ex eorum domo dimittantur. Nam præter quam quod ea omnia, mala sunt ex objecto, rectus non est finis, quem ultimo cauponarius, mercator, famuli sibi proponunt: Divinæ nimirum legi suam cupiditatem anteponunt.

Concluditur 5. eum qui ex mutuo lucrum accipit, reum esse furti, quamvis lucrum illud non tanquam ex justitia debitum, sed ex gratitudine tantum accipiat. Hinc falsissima & erronea est hæc cujusdam recentioris regula: *Intenditur lucrum ex mutuo, tamquam debitum ex justitia: est ne usura? Ita plane. At si tanquam ex benevolentia, seu gratitudine, nequaquam.* Falsa est quoque & erronea hæc alia ejusdem auctoris regula: *Idem etiam affirmo de pacto, ut conferat officium vel beneficium: si enim* (mutuum) *inducat solum obligationem ex amicitia vel gratitudine, licitum est; secus si ex justitia obligationem addat: nec tale donum ex tali obligatione exigere, est usura realis.*

CONCLUSIO 3. Moralitas actuum humanorum sumitur, non tantum ex objecto, non

non tantum ex fine, seu intentione operantis; sed etiam ex circumstantiis.

Probatur. Nomine circumstantiarum intelliguntur accidentia quædam humano actui in suo esse tum physico, tum morali jam constituto, advenientia: Sed ab illis accidentibus actus humani quamdam moralitatem desumunt: idque patet 1. eorum comparatione cum accidentibus physicis, quæ quamdam integritatem, aut corruptionem enti physico conferunt. 2. Circumstantiæ subjacent regulis morum: vel enim ab eis præcipiuntur, vel prohibentur, vel permittuntur: atqui quæ subjacent regulis morum, actibus humanis moralitatem conferunt: ergo, &c.

Quæres 1. An moralitas quæ ex circumstantiis advenit actui humano, sit ipsi essentialis, an accidentalis tantum.

Resp. cum distinctione. Est accidentalis, quando circumstantiæ primario & per se non intenduntur ab operante: e contra, est essentialis, cum primario & per se ab operante appetuntur; tunc enim transeunt in ipsum objectum, seu sunt præcipuum operantis objectum; ut patet in eo qui determinatus ad sacrilegium, in loco sacro furatur, ut impium consilium mandet executioni: eo enim in casu malitia quæ ex loci sacri circumstantia oritur, est actui essentialis.

Quæres 2. Quotuplicis generis sint circumstantiæ actuum humanorum?

Resp. circumstantias illas duplicis esse generis. Nonnullæ siquidem dicuntur mutantes speciem actus; aliæ vero intra eamdem speciem dicuntur aggravantes. Ut Theologiæ candidati istas ab illis facilius discernant, subsequentes regulas observent oportet.

Prima Regula. Quando circumstantia efficit, ut actus opponatur alicui virtuti, cui alioquin non opponeretur, aut efficit, ut ei sit conformis, mutat speciem actus humani, ut patet in furto, quod quis in loco sacro perpetrarit: illa nimirum circumstantia ideo mutat speciem actus (qui ex se, seu, ex objecto, est contra justitiam,) quod efficiat, ut virtuti speciei diversæ a justitia, religioni scilicet, opponatur.

Secunda Regula. Circumstantia potest aliquando mutare speciem actus quoad malitiam, quamvis non reddat actum speciali virtuti contrarium, cum scilicet duplex recessus ab una eademque virtute est hujusmodi, ut unus recessus ab altero recessu specie differat. Illius regulæ veritatem videre est in prodigalitate & avaritia respectu liberalitatis, cui illa, hoc est, prodigalitas, per excessum opponitur; ista vero, id est, avaritia, per defectum.

Tertia Regula. Quantitas autem ipsius objecti, ut decem aurei in furto, vel quantitas actus, ut sunt intensio, duratio, est circumstantia, quæ non mutat speciem actus ex parte conversionis ad creaturam; mutat vero ex parte aversionis, sive recessus a fine ultimo simpliciter, vel secundum quid; per quem quidem recessum actus constituitur in ratione peccati mortalis, vel venialis. Illius regulæ veritas patet in furto, cujus magna quantitas non efficit, ut ingentis pecuniæ furtum differat ab exiguæ pecuniæ furto ex parte objecti, seu conversionis ad creaturam: eadem enim est specie pecunia, quæ invito domino subripitur; sed tantum ex parte aversionis a fine ultimo; scilicet reddit mortale, quod alias veniale tantum esset.

CAPUT II.

De variis Speciebus Moralitatis.

Not. Tres vulgo distinguuntur Moralitatis species, indifferentia, bonitas, & malitia. Primam lex permittit: alteram imperat; tertiam prohibet. Circa primam quæri potest, utrum in actibus humanis reperiatur: circa alteram, an per actum extrinsecum augeatur: tandem circa tertiam, utrum illius essentia in aliquo positivo, an vero in aliquo tantum privativo consistat. Tres illæ quæstiones subsequentibus capitibus seorsim expendendæ sunt.

ARTICULUS I.

Utrum dentur actus indifferentes.

Not. Actus humani possunt considerari vel in specie, vel in individuo. Priori modo perpenduntur in ordine ad solum objectum, ad quod ex se tendunt. Posteriori vero, in ordine non solum ad objectum, sed etiam in ordine ad circumstantias & ad finem operantis.

Not. 2. Thomistæ fatentur quidem, nonnullos esse actus humanos, qui secundum objectum, ac proinde ex se, & secundum speciem, sint indifferentes; sed contendunt, habita ratione ad finem operantis, seu, in individuo, nullum esse qui sit indifferens, sive qui non sit bonus, vel malus. Quid nos sentiamus, subsequentibus conclusionibus aperietur.

CONCLUSIO I. Dantur actus humani indifferentes in specie.

Probatur. Actus humani in specie, sunt actus considerati secundum objectum, ad quod ex se tendunt: siquidem (ut superius dictum est) actus speciem suam ab objecto sumit: atqui nonnulli actus humani, habita ratione ad objectum ad quod ex se tendunt, sunt indifferentes. Scilicet dantur quædam objecta, quæ intrinsece nec bona sunt, nec mala; sed plane indifferentia ad bonitatem, & ad malitiam: hujusmodi vero sunt levare festucam, colligere rosas, & alia quæ ejusdem sunt generis: nec mirum; neque enim ii actus lege aut prohibentur, aut præcipiuntur, sed permittuntur tantum.

CON-

CONCL. 2. Nulli dantur actus indifferentes in individuo.

Probatur. Actus humani sumpti in individuo, includunt non tantum objectum, ad quod proxime tendunt, sed etiam finem, quem operans sibi proponit; atque ille finis, cum habeat rationem boni (quippi qui appetatur a voluntate, quæ nonnisi in bonum tendit) vel est utilis vel jucundus, vel honestus; ergo non est indifferens, sed bonus, aut malus. Probatur minor. 1. Bonum utile, cum propter se non desideretur, sed propter honestum, aut jucundum, non est indifferens: siquidem utile inducit rationem finis, ad quem ordinatur. 2. Bonum jucundum convenit quidem homini, prout homo est animal, seu, prout est sensibus donatus, sed ei non convenit, prout est ratione præditus: ergo voluntas creaturæ rationalis illud sibi pro fine licite proponere non potest: scilicet in omnibus suis operibus deliberatis debet agere, prout est voluntas, hoc est, prout est ratione prædita, & consequenter operari debet propter finem, qui rectæ rationi conveniat. 3. Bonum honestum, cum sit ipsa justitia, ipsamet æquitas, maxime decet creaturam rationalem; proindeque bonum honestum est finis in se, & absolute bonus.

Confirmatur illa ratio auctoritate S. Augustini, qui lib. 2. de peccat. meritis, c. 18. sic loquitur: *Voluntas mirum si potest in media quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: aut enim justitiam diligimus, & bona est . . . . . aut si omnino non diligimus, non bona est*, Loqui S. Doctorem de voluntate sumpta, non secundum habitum, sed secundum actum, evincitur ex eo quod agat contra Pelagianos, qui contendebant voluntatem bonam, seu opera bona, a nobis esse: unde, ut eos impugnet, utitur hisce Apostoli verbis ad Philippenses 2. quæ haud dubie intelliguntur de voluntate actuali: *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Evincitur iterum ex eo, quod idem S. Doctor in exemplum bonæ voluntatis, de qua loquitur, afferat conversionem ad bonum incommutabile, quod est Deus; & in exemplum malæ voluntatis proponat aversionem a bono incommutabili: atqui conversio & aversio actum dicunt, non habitum. Evincitur denique 3. ex ejusdem libri cap. 10. ubi ipsemet Augustinus voluntatem interpretatur actum, non autem habitum: *Voluntas* (inquit) *est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum*.

Confirmatur 2. eadem ratio auctoritate S. Thomæ, qui in librum 1. Sent. dist. 1. c. 3. sic loquitur: *Secundum Theologos nullus actus procedens a voluntate deliberata, est indifferens, quia, si refertur ad Deum supposita gratia, meritorius est. Si autem non est referibilis, peccatum est; si vero est referibilis, & non refertur, vanus est & otiosus. Otiosum autem apud Theologos inter peccata computatur*: Et quidem merito; dicit enim Christus Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddet rationem de eo in die judicii*.

Probatur iterum nostra conclusio. Creatura rationalis tenetur omnia opera quæ ex deliberatione agit, ad Deum ultimum finem, saltem virtualiter, referre: ergo nulli dantur actus indifferentes in individuo. Antecedens ostenditur ex Apostolo, qui 1. ad Corinthios 10. sic loquitur: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Sic iterum ad Colossenses c. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite*. Sic tandem 1. ad Corinthios 16. *Omnia vestra in caritate fiant*.

Nec audiendi sunt, qui respondent, eas Apostoli sententias intelligi debere de consilio, non autem de præcepto, hoc est, Apostolum hortari quidem fideles, ut omnia in gloriam Dei referant, sed id officii eis minime præcipere. Non sunt (inquam) audiendi. Nam 1. verbum illud Apostoli, *facite*, præceptum sonat, non autem merum consilium: siquidem si Apostolus præceptum significare voluisset, vix alio termino, qui præceptum expressisset magis, uti potuisset. 2. Repugnat illa responsio Augustino: in libro enim de Corrept. & Gratia, c. 5. sic loquitur: *Præcipit Apostolus dicens: Omnia vestra in caritate fiant*. Repugnat 3. Angelico Doctori, qui exponens laudatum ex Epistola ad Colossenses textum, hæc habet: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum*. Repugnat 4. Ambrosio, qui Serm. super verba Malachiæ hæc scribit: *Qui est Christianus, semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait beatus Apostolus: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Repugnat 5. S. Bernardo, qui Serm. 3. de diversis sic loquitur: *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei*.

Non audiendi sunt quoque qui respondent, Apostoli verba intelligi quidem de præcepto stricte sumpto; sed illud præceptum esse solius juris divini positivi, non autem juris naturalis; ac proinde fideles eo quidem teneri, non autem gentiles, qui de Evangelio nihil unquam audierunt.

Non sunt (inquam) audiendi; nam præceptum illud Apostolicum nihil aliud est, quam declaratio & explicatio juris naturalis. Nempe 1. debitum omnia ad Dei gloriam referendi, omnibus omnino hominibus imponitur per primum Decalogi mandatum,

quandi

quod quidem sicut & cetera Decalogi mandata, juris est naturalis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. In quæ verba sic loquitur Augustinus in lib. 1. de Doctrina Christiana, c. 22. *Cum autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui* (id est, propter se ultimo diligere;) *sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*: 2. Jure naturali Deus est non tantum principium, sed etiam ultimus finis creaturæ rationalis, Alpha nimirum & Omega: ex quo consequitur quod sicut jure naturali, omnia ab ipso procedant tanquam a principio: ita jure naturali, omnia ad ipsum tanquam ad finem ultimum referenda sint.

Ex iis quæ dicta sunt, patet 1. quam merito Illustrissimus TUSSANUS DE FOURBAIN DE JANSON, Episcopus Digniensis, nunc vero Episcopus Bellovacensis, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Eminentissimus, propter varia opinionum portenta, & eo etiam nomine, quod negaretur homini incumbere debitum omnia in Dei gloriam referendi, proscripserit librum, cui titulus: *Apologie des Casuistes*.

Patet 2. quam merito Illustrissimus & Reverendissimus JACOBUS NICOLAUS COLBERT, Archiepiscopus Rothomagensis, die 28. Martii ann. 1697. cuidam suæ Diœcesis theologiæ professori, cujus instituto & nomini parcimus, injunxerit, ut huic propositioni, quam edito libello impugnaverat, subscriberet: *L'obligation d'aimer Dieu est le premier, & le principal devoir de l'homme, & nulle part de la vie ne doit estre exempte de l'amour de Dieu, au moins habituel*. hoc est, *Debitum amandi Deum est primum & præcipuum officium hominis, nec ulla pars vitæ ab amore Dei, saltem habituali*, id est, virtuali, *vacare debet*.

Patet 3. quam merito idem Illustrissimus Archiepiscopus suæ Diœceseos Pastoribus præceperit, ut gregem sibi creditum doceant, unumquemque hominem teneri ad Deum, tanquam ultimum finem, omnes suas actiones deliberatas referre: *Les seules lumieres naturelles* (inquit Doctissimus Archipræsul in accuratissima, & solidissima Instructione Pastorali, quam idiomate patrio, ann. 1697. promulgavit) *apprennent à l'homme que l'amour est le culte continuel & la juste reconnoissance qu'il doit au premier Estre, pour qui il a été créé, & de qui il a tout reçu. Le desir d'estre heureux, qui est le principe de tous ses mouvemens, le porte sans cesse à aimer le seul bien capable de remplir son cœur; & un ordre immuable, dont il ne peut s'écarter sans injustice, lui prescrit de tendre à Dieu dans toutes ses actions, comme à sa fin derniere. Enfin toute la suite des Ecritures n'ordonne que l'amour de Dieu. C'est le precepte qui comprend la loy & les Prophetes; & nous trouvons en Jesus-Christ les motifs les plus pressans, & les moyens les plus efficaces pour l'accomplir*. Quid vero ex parte creaturæ rationalis requiratur, ut faciat satis debito requiritur, ut faciat satis debito referendi suas omnes actiones ad Deum, dicetur in Tractatu de Caritate.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Objicies 1. In Concilio Constantiensi proscripta fuit hæc Joannis Huss propositio: *Divisio immediata humanorum operum, est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa*: atqui si non darentur actus indifferentes in individuo, illa propositio immerito proscripta fuisset; si enim non sunt actus aliqui indifferentes in individuo, quælibet humana opera erunt vel virtuosa, vel vitiosa in individuo: ergo &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem dist. ant. Quælibet opera humana erunt vel virtuosa, vel vitiosa in individuo, in sensu Joannis Huss, conc. ant. in sensu Concilii Constantiensis, neg. ant. Propositio de qua agitur, in se, & absolute a Concilio Constantiensi proscripta non fuit, sed tantum relative ad sensum Joannis Huss, qui contendebat, omnia, quæ fiunt a peccatore, hoc est, ab homine jacente in statu peccati mortalis, esse peccata; quæ vero a justo, esse virtutis actus. Patet responsionis veritas ex his verbis, quæ propositioni de qua est quæstio, tanquam ratio Joannis Huss in laudata Constantiensi Synodo subjiciuntur: *Quia* (inquiebat Joannes Huss) *si homo est vitiosus, & agit quidpiam, tunc agit vitiose, quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi*. Continet illa Joannis Huss ratio hæresim apertam, cum fide Catholica certum sit, justum non amissa justitia peccare venialiter, & impium in statu peccati remanentem, actus informes fidei, spei, & caritatis elicere posse: merito igitur damnata fuit relata novatoris illius propositio: at locum non habet in eorum sententia, qui contendunt, nullos dari actus humanos indifferentes in individuo; siquidem fatentur, hominem qui jacet in statu peccati mortalis, posse, & revera componere actus aliquos in individuo bonos cum statu peccati mortalis, si concupiscentiæ non obsequatur, & eos ad rectum & debitum finem referat; sicut justus potest componere, & revera componit actus aliquos venialiter malos cum statu justitiæ, si ex motu concupiscentiæ operetur, aut si rectum & debitum finem in actibus secundum speciem indifferentibus sibi non proponat.

Obji-

Objicies 2. Sanitas est finis indifferens; potest enim aut malo, aut bono usui esse: atqui licitum est homini ultimo agere propter sanitatem: ergo etiam & propter finem indifferentem.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est 1. quia qui ultimo propter sanitatem operatur, seipso fruitur: frui enim, ex Augustino, est inhærere alicui objecto propter ipsum: at is qui seipso fruitur, peccat; cum, ex eodem Augustino, una res tantum sit, Deus nimirum, qua frui licite possumus, ac debemus; & aliunde humanæ sit perversitatis, ex eodem S. Doctore, uti velle fruendis, & frui utendis. 2. Qui ultimo propter suam sanitatem operatur, agit contra rectam rationem; siquidem recta ratio præscribit creaturæ, ut seipsam in virtutis bonum referat: *Hoc ipsum* (inquit S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 9.) *quod aliquis agit ordinate ad sustentationem, quietem sui corporis, bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis.*

Objicies 3. Ideo dicitur, nullum dari actum indifferentem in individuo, quod finis cujuslibet actus humani debeat esse finis honestus: at id falsum est: voluptas enim non est finis honestus, & tamen potest esse finis actus, qui ob id malus non sit: nimirum licitum est propter voluptatem operari; ad eam quippe natura hominem inclinat; DEUS voluit, ut voluptas quosdam actus, esum v. g. & potum, comitetur: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. seu nego, licitum esse propter voluptatem operari. Ratio est 1. quia hoc axioma: *Licitum est propter voluptatem operari*, ipsissimam Pelagianorum doctrinam ab Ecclesia in Juliano damnatam continet. Pelagiani nimirum, a quibus Julianus stetit, contendebant, concupiscentiam seu amorem boni sensibus convenientis, non esse malam, ac proinde ex ea concludi non posse existentiam peccati originalis. 2. Si liceret propter voluptatem agere, vera esset hæc cujusdam recentioris Casuistæ propositio: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*: at vera non est; ei enim jam ab Innocentio Papa XI. damnatæ hanc specialem censuram inussit Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. adunatus; *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, & ad Epicuri scholam ablegända.* Ad allatas vero rationes ad probationem ejusdem antecedentis, dicendum est, naturam, non sanam, sed corruptam tantum, inclinare hominem ad voluptatem sensuum. Dicendum est iterum, Deum ideo voluisse, ut quædam voluptas demulceret hominis sensus, ut quorumdam actuum, qui alioquin aut ad vitæ conservationem, aut ad propagationem pro-lis, necessarii sunt, exercitio subserviret, non vero ut actus propter illam voluptatem exercerentur. Unde contra naturæ sanæ inclinationem, contra Dei ordinationem agit, qui in actibus deliberatis sensuum delectationem, tanquam sui operis finem sibi proponit.

Objicies 4. Dantur actus indifferentes in specie: ergo dantur pariter in individuo; siquidem nulla datur species sine individuo.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia species actuum humanorum reperitur quidem in individuo, cum voluntas operans amplectitur aliquod objectum individuale, a quo actus suam desumit speciem: at actus humani præter speciem quæ ex objecto petitur, includunt in individuo, hoc est, cum reipsa eliciuntur, finem operantis, a quo malitiam aut bonitatem, quas non habent ex objecto indifferente, desumunt.

Objicies 5. Ideo a Theologis asseritur, non dari actus indifferentes in individuo, quod quilibet homo jure naturali teneatur omnia deliberata sua opera ad DEUM tanquam ad ultimum finem referre: atqui ad id homo non tenetur: ergo &c.

Probatur min. 1. Id naturæ nostræ fragili, & per peccatum corruptæ est omnino impossibile; idque non ab homine viatore, sed tantum a possessore fieri potest; quis enim semper ac quovis momento de Deo cogitare potest, nisi is qui jam Deo fruitur? 3. Præceptum referendi ad Dei gloriam omnes actus deliberatos, est præceptum affirmativum: ergo non obligat pro semper, cum juxta Theologos, illud sit discrimen inter præcepta affirmativa & negativa, quod ista obligent pro semper, non autem illa.

Resp. 1. etiam supposito, quod homo non teneretur omnes suos actus deliberatos in Deum referre, non sequi, quod dentur actus indifferentes in individuo. Ratio est, quia in ea suppositione (quæ tamen falsa est) homo teneretur agere propter finem honestum, seu propter operis honestatem, hoc est, propter conformitatem quam opus habet cum recta ratione; ac proinde actus hominis non essent indifferentes in individuo.

Resp. 2. conc. maj. neg. min. Ad cujus priorem probationem, dist. ant. Id naturæ fragili est impossibile, si teneatur omnia sua opera actu ad Deum referre, conc. ant. si teneatur referre tantum virtualiter, neg. ant. At isto tantum modo, non autem illo, homo dum existit in via, tenetur omnia sua deliberata ad Deum referre, hoc est, tenetur referre per relationem virtualem, quæ procedat ex actuali præcedente, quæ moraliter perdurare censeatur, sicque in opus influat; quamvis operans de Deo actu non cogitet. Scilicet (ut ait eruditus quidam re-

cen-

centior) opus semel directum in Deum, jam de se quasi in ipsum, sicut emissa sagitta in scopum, tendit: neque exigitur, ut quovis momento directio repetatur, sed sufficit, si intentio abrupta non fuerit. Scilicet voluntas se habet aliquo sensu, sicut rota icta movente pulsata, quæ, otiante etiam manu, quæ illi motum impressit, cursum absolvit suum. Verum ne deficiat tandem, etiam virtualiter, actualis directio in Deum, monent S. Bonaventura in librum 2. Sentent. dist. 41. art. 1. q. 3. Cardinalis Bellarminus lib. 5. de justificatione cap. 15. actualem illam directionem sæpius renovari debere. Iis auctoribus subscribit Estius in 1. ad Corinthios 10. ubi sic loquitur: *Quo magis autem hujusmodi intentio virtute maneat in actionibus nostris quotidianis, frequenter actu renovanda est.*

Ad alteram antecedentis, de quo agitur, probationem, dicendum est, præcepta affirmativa non obligare quidem pro semper, aut quando perpetuam illam obligationem non imponunt, aut quando non continent, saltem implicite, præceptum aliquod negativum; at præceptum affirmativum, quo Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligere jubemur, perpetuam illam obligationem omnia deliberata opera ad Deum saltem virtualiter referendi continet; ac proinde obligat pro semper. 2. Continet, saltem implicite, præceptum negativum, quo scilicet prohibemur, ne in aliquo actu creaturis amore inhæreamus, hoc est, ne creaturis fruamur: unde in primo Decalogi mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. continetur hoc aliud quod est negativum: *Non sistes ultimate in aliqua creatura; eamque si diligas, amorem illius in Dei dilectionem referes.*

Dices. S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. videtur docere sequi ex eo, quod præceptum omnia in Deum referendi sit affirmativum, illud pro semper, ne quidem virtualiter obligare. Ubi enim objecit sibi textum Apostoli primæ ad Corint. 10. sic respondet: *Dicendum, quod illud præceptum Apostoli est affirmativum: unde non obligat ad semper; & sic non facit contra hoc præceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit; sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat se & omnia ad Deum.*

Resp. 1. S. Thomam per vocem illam, *habitualiter*, intelligere idem ac per *virtualiter*. Ratio est, quia 3. p. q. 68. art. 8. ad 3. *habitualiter* sumit pro *virtualiter*; eo nimirum loci scribit, intentionem *habitualem* ministri sufficere, ut valide Sacramentum conficiatur.

Resp. 2. dist. verba Sancti Thomæ. Sufficit ad non peccandum mortaliter contra hoc præceptum, quod aliquis habitualiter referat se & omnia ad Deum, conc. ant. sufficit ad non peccandum venialiter, neg. ant. Ratio est, quia in loco qui nobis objectus est, S. Doctor agit de distinctione peccati venialis a peccato mortali, asseritque, peccatum veniale non tollere caritatem, sed relinquere hominem habitualiter, hoc est, per habitum caritatis sanctificantis, conversum ad Deum; indeque concludit non referre omnia in Deum, non esse *contra*, sed *præter* Apostoli mandatum: quemadmodum de aliis omnibus peccatis venialibus asserit, quorum naturam contendit in eo esse positam, quod non sint *contra*, sed *præter* legem: sic enim ibidem loquitur: *Sufficit ergo quod aliquis habitualiter referat se & omnia ad Deum, ad hoc quod non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter*: unde & addit: *Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem.*

Jam vero quod Doctor Angelicus censuerit hominem teneri omnia sua deliberata opera ad Deum, saltem virtualiter, referre, evidenter colligitur ex quæstione de Caritate, art. 11. ad 2. q. disp. sic enim loquitur: *Dicendum, quod omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut nec est possibile; quod semper de Deo cogitetur: sed quod omnia referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut in caussis efficientibus virtus primæ caussæ manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis, virtute manet in omnibus finibus secundariis. Unde quicumque intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem. Sicut medicus dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortasse de sanitate cogitans; virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis se ordinat ad Deum, sicut in finem, in omnibus quæ propter ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est; unde in omnibus mereri potest, si caritatem habet; hoc igitur modo Apostolus præcipit, quod omnia in Dei gloriam referantur.* Hactenus S. Thomas.

Idem S. Doctor ibidem in responsione ad 3. sic mentem aperit suam: *Aliud est referre habitualiter in Deum, aliud virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum, qui nihil agit, nec qui actualiter intendit, ut dormiens; sed virtualiter aliquid referre in Deum, cadit sub præcepto caritatis, cum hoc non aliud sit, quam habere* DEUM, *ultimum finem.*

Ubi pius & eruditus Contensonius, ex inclypto Dominicanorum Ordine, ea S. Thomæ verba retulit, hanc infert conclusionem: *Ergo manifeste, immo insulse, & crasse mentian-*

tiuntur, qui dicunt S. Thomam ejus fuisse sententiæ, habitum caritatis, non actum, præcipi. Nullus enim unquam Theologiæ Moralis error vel fuit, vel esse potest, qui capitalius S. Doctori adversetur.

ARTICULUS II.

Utrum actus exterior, interioris bonitatem aut malitiam augeat.

CONCLUSIO. Actus exterior *per se* non auget bonitatem, aut malitiam actus interni efficacis; sed auget *per accidens*.

Probatur prima pars 1. ex Scriptura. *Si voluntas prompta est* (inquit Paulus 2. ad Corinth. 8.) *secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet*: id est, æque grata est Deo voluntas sincera, & efficax dandi aliquid, quod non habetur, ac si actu & de facto datum fuisset. Unde sic arguitur. Si actus exterior *per se* augeret bonitatem moralem actus humani, voluntas efficax dandi aliquid quod non habetur, non esset æque grata Deo, ac si reipsa datum fuisset; id enim Deo minus gratum esse debet, quod minorem habet bonitatem moralem: sed falsum est consequens: ergo &c.

Probatur 2. ex Patribus. Cyprianus in Epistola ad Lucium Papam sic loquitur: *In Confessoribus Christi dilata martyria non meritum confessionis minuunt*: minuerent tamen, si actus exterior quidpiam bonitatis *per se* adderet martyrii efficaci voto. Sic enim Augustinus l. 1. de libero arbitrio, c. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen sit id eum cupere, & si potestas daretur, facturum esse; non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur*. Sic etiam Bernardus Epist. 77. *Quid planius, quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas?*

Probatur 3. ratione theologica. Illud *per se* non auget bonitatem aut malitiam actus interni, quod *per se* nullam habet bonitatem, nullam malitiam: atqui actus exterior *per se* nullam habet bonitatem, nullam malitiam; cum enim ex seipso nulla libertate gaudeat, nullam habet moralitatem, sed totam sive libertatem, sive moralitatem habet ab actu interno efficaci: ergo &c.

Probatur altera conclusionis pars. Illud *per accidens* auget malitiam actus interni, quod nonnunquam actum internum reddit intensiorem; aut diuturniorem; quod est occasio scandali; quod proximo detrimentum infert; quod restitutionis debitum inducit; quod irregularitatem parit; per quod nonnunquam ipsa excommunicatio incurritur: atqui ea omnia nonnunquam efficit actus externus: ergo *per accidens*, ratione scilicet malorum quæ ex eo nonnunquam sequuntur, auget malitiam actus mere interni, licet efficacis.

Objicies 1. Augustinus in lib. 13. de Trinitate, cap. 5. asserit, quemque sola voluntatis iniquitate miserum quidem fieri, *sed* (addit) *miseriorem potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur*: at non ob aliud fit miserior per actum externum, quam quod actus externus augeat malitiam actus interni: ergo &c.

Resp. dist. min. Non ob aliud fit miserior, quam quod per actum externum augeatur *per accidens* malitia actus interni, conc. min. quam quod augeatur *per se*, neg. min. Nec mirum: præter ea enim quæ (ut observatum est) ex actu externo in interiorem redundant, efficitur, ut exteriores potentiæ magis ad malum propendeant, ut ingenii acumen obtundatur, & mens magis inepta reddatur ad rerum spiritualium saporem.

Objicies 2. Si eadem, & non alia esset actus externi, & interni malitia, duo illi actus præceptis distinctis prohiberi non debuissent: at prohibiti sunt tamen duobus distinctis præceptis; siquidem nono & decimo præcepto Decalogi soli actus interni, uxoris nimirum, & rei alienæ concupiscentia, prohibentur; & tamen adulterium & furtum, quæ actibus internis in nono & decimo præcepto vetitis correspondent, sexto & septimo præcepto prohibentur: ergo &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia uxoris & rei cujuscumque alienæ concupiscentia ideo specialibus præceptis vetita fuit, quia periculum erat, ne homines carnales (ut erant Judæi, quibus Decalogus scripto datus est) legem observasse sibi viderentur, si a solis actibus externis temperarent, quamvis interioribus præberent consensum. Scilicet Pharisæos in eum errorem quondam lapsos fuisse, probant hæc Christi verba: *Audistis quia dictum est, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

ARTICULUS III.

In quo posita sit malitia moralis.

Not. NOnnulli recentiores Thomistæ censent, malitiam moralem in peccato commissionis esse quidpiam positivum. Alii vero scholastici docent, esse meram privationem rectitudinis, quæ cuilibet actui humano debetur; in quam nos partem propendemus, subsequens conclusio declarabit.

CONCLUSIO. Malitia moralis non consistit in aliquo positivo, sed in sola debitæ rectitudinis privatione; quæ quidem rectitudo non aliud est, quam actus humani cum lege conformitas.

Probatur 1. Evidens est, malitiam moralem

lem, quæ in peccato omissionis reperitur, esse meram privationem; siquidem cum peccatum omissionis dicat privationem actus etiam physice sumpti, a fortiori ejus malitia non aliud dicit, quam rectitudinis debitæ, seu conformitatis cum lege privationem]. 2. Non aliud quoque dicere malitiam peccati commissionis, variis momentis ostenditur.

Primo, S. Augustinus agens contra Manichæos, probat, Deum ideo non esse auctorem mali, quod malum nihil sit physicum, & nihil fiant homines, cum peccant; at corrueret illa ratio, si malum morale esset quidpiam physicum & positivum.

Secundo, S. Thomas aperte eamdem sententiam tradit; sic enim loquitur 1. 2. quæst. 17. art. 6. *Peccatum nihil est aliud, quam actus humanus malus: Quod sit humanus, habet ex hoc quod sit voluntarius: quod vero sit malus, ex hoc quod caret debita commensuratione*; 2. 2. quæst. 10. art. 3. hæc etiam scribit: *Omne peccatum formaliter consistit in aversione a Deo*: at aversio a Deo, simpliciter prout est aversio, non aliud est, quam privatio conversionis ad Deum.

Tertio, Malum physicum, & malum artificiale consistunt in privatione perfectionis debitæ vel secundum naturam, vel secundum artem: ergo a pari malum morale positum est in sola privatione rectitudinis, quæ secundum regulas morum debetur actui humano.

Quarto, Malitia moralis, si consisteret in positivo, non esset peccatum; non enim esset peccatum, nisi in quantum esset ens positivum: sed id falsum est: siquidem nullum ens, prout est ens, est malum aliquod, sed bonum; cum ens & bonum, ex Metaphysicis, convertantur.

Quinto, Deus esset caussa, non permissiva tantum, sed etiam caussa efficiens malitiæ moralis, cum primum ens sit caussa efficiens omnium entium positivorum; receptum est enim apud omnes axioma: *Primum in unoquoque genere est caussa ceterorum*.

Objicies 1. Si malitia moralis in peccato commissionis posita esset in sola privatione rectitudinis, nullum prorsus esset discrimen inter peccatum commissionis, & peccatum omissionis: utrumque enim in privatione consisteret. 2. Peccata extreme posita, ut sunt prodigalitas & avaritia, specie non differrent: nec enim includunt privationes specie diversas, sed unam & eamdem, nempe privationem rectitudinis, quæ ex liberalitate oritur: atqui absurdum est consequens: ergo & ant.

Resp. ad 1. neg. sequelam majoris. Ratio est, quia quamvis peccatum commissionis & peccatum omissionis penes formale non differant, differunt tamen in materiali; scilicet peccatum omissionis dicit privationem actus physici, & rectitudinis moralis; cum e contra peccatum commissionis dicat actum physicum, qui regulis morum nequaquam conformis est.

Resp. ad 2. non requiri privationem rectitudinis, quæ specie diversa sit, ad distinctionem specificam peccatorum, licet peccata illa extreme opposita sint; ad hoc quippe satis est privatio modi specie diversi, quo voluntas attingit eamdem rectitudinem virtutis, cui diversa peccata opponuntur. Unde cum prodigalitas dicat privationem justæ pecuniarum conservationis; &, ex alio capite, cum avaritia dicat privationem prudentis pecuniarum effusionis, debent differre specie, quamvis importent privationem unius ac ejusdem rectitudinis, privationem nimirum medii illius, in quo liberalitas consistit.

Objicies 1. Dantur aliqua peccata, quorum malitia moralis non consistit in privatione debitæ rectitudinis: ergo &c. Probatur ant. Privatio est carentia formæ quæ debetur subjecto, & in eo potest esse; alioquin enim esset negatio, non autem privatio: atqui dantur quædam peccata, quorum malitia moralis non consistit in carentia formæ, seu rectitudinis quæ debeatur subjecto, & quæ in eo esse possit; siquidem odium Dei, quod quidem maximum est peccatum, non est capax alicujus rectitudinis: est enim ita essentialiter malum, ut nusquam, & quacumque facta suppositione, possit esse bonum: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. ant. Odium Dei specifice acceptum, hoc est, reduplicative prout est odium Dei, non est capax rectitudinis moralis, conc. ant. sic enim acceptum, dicit actum humanum oppositum regulis morum. Odium Dei generice sumptum, hoc est, prout est actus humanus simpliciter, neg. ant. nempe sic acceptum, subjacet morum regulis, & capax est rectitudinis, quæ cuilibet actui humano debetur: at ut actus humanus sit capax rectitudinis, satis est, ut generice sumptus eam habere possit; nec requiritur, ut sumptus secundum speciem actus humani, illam recipere valeat.

Quæsitum notatu dignum.

Quæres, utrum ad malitiam moralem actus humani requirantur ex parte operantis, aut actualis cognitio malitiæ, aut dubium de malitia, aut reflexio ad malitiam.

Resp. nec actualem illam cognitionem, nec dubium illud, nec reflexionem illam requiri.

1. Non requiritur actualis cognitio malitiæ: alioquin enim nulla darentur ignorantiæ peccata; in eo enim posita est natura peccatorum ignorantiæ, quod eorum malitia actu ab operante non cognoscatur: at hæreticum est asserere nulla dari ignorantiæ peccata: Scilicet revera dari, expresse tum in Scriptura, tum in Traditione asseritur, ut probabimus inferius

rius in nostra de peccatis dissertatione, ubi de peccatorum divisione tractabimus.

2. Non requiritur dubium de malitia actus humani, qui ab operante aut elicitur interius, aut exterius perpetratur: alioquin enim non peccasset Paulus, dum in incredulitate Ecclesiam Christi persequebatur: tantum enim abest, ut dubitaret de malitia persecutionis, quam inferebat Ecclesiæ, quin potius certo putaret, obsequium se præstare Deo.

3. Non requiritur reflexio actualis ad malitiam operis, quod agitur: alioquin enim peccatores excæcati & indurati, & alii qui (ut ait Scriptura) in profundum venerunt, rei non fierent, quamvis omnia Decalogi mandata infringerent; neque enim perditi illi homines, qui (ut ajunt Patres) scelera tanquam aquam ebibunt, de Deo, aut de malitia sui operis toties cogitant, quoties flagitiis aut facinoribus se dedunt. Vide quæ de ea quæstione diximus in tractatu de gratia, in locis ubi quæsivimus, utrum gratia sufficiens detur omnibus obcæcatis & induratis.

Confirmatur responsio nostra 1. auctoritate Facultatis Theologicæ Lovaniensis, quæ anno 1656. propositionem hanc: *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine qui cognoscit & percipit, quid boni malive in ea sit: & antequam id videat, aut animam reflectat, actio neque bona est, neque mala*: hac censura notavit; *Est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera, etiam immanissima, hominum peccata excusat cum pernicie animarum.*

Confirmatur 2. auctoritate Facultatis Theologicæ Parisiensis, quæ quidem anno 1641. de hac propositione: *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur*, hocce tulit ex unanimi Magistrorum consensu doctrinale judicium: *Falsa est, & viam aperit ad excusandas excusationes in peccatis.*

Confirmatur 3. auctoritate Cleri Gallicani ad Comitia Generalia anno 1700. congregati. Scilicet delata est ad eum hæc propositio: *Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare.* Illi vero delatæ propositioni Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus hanc censuram inussit: *Hæc propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias, aliaque peccata excusat, & ut talis a Clero Gallicano jam damnata est.*

Confirmatur denique 4. ex eo quod doctrina, quæ asserit, nusquam peccari, nisi adsit actualis cognitio malitiæ operis quod agitur, aut actualis ad illam malitiam reflexio, non multum discrepare videatur ab hac Libertinorum sententia; *Nihil est peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant.* Non satis etiam recedit ab impio hoc antiquorum Gnosticorum axiomate, apud Irenæum libro 1. cap. 29. *Sola humana opinione differunt negotia bona, & mala.* Non multum pariter discrepat ab iniqua hac aliorum Gnosticorum, apud eumdem Irenæum, doctrina: *Qui aliquod facinus exultante perpetravit audacia, velut credens se facere ex fide, quod male facit, evasit culpam.*

QUÆSTIO III.

De Regula actuum humanorum.

Not. Regula actuum humanorum duplex est, externa nimirum, & interna. Externa idem est cum lege, sive divina sit, sive humana; interna, est conscientia operantis. De Lege, Tomo III. actum est; superest igitur, ut hic de conscientia disseramus. De ea autem quæremus 1. quid & quotuplex sit: 2. utrum sit morum regula: 3. an liceat operari ex opinione, seu conscientia probabili.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit conscientia.

CONCLUSIO 1. Conscientia recte definitur, *Actus quo intellectus judicat de bonitate aut malitia eorum, quæ hic, & nunc agenda sunt.*

Explicatur definitio. Conscientia dicitur 1. *Actus*: non enim est habitus, ut placuit Scoto, cum habitui non conveniant conscientiæ proprietates, testificari nimirum, arguere, movere. Nec obstat, quod conscientia remaneat in dormientibus: Non obstat (inquam) quia non solis habitibus convenit permanere sed etiam actibus, saltem virtualiter, cum nempe per actus contrarios revocati non fuerunt.

Dicitur 2. *Actus intellectus*, eo quod sit judicium de agendis, quod quidem non a voluntate, sed a solo intellectu, cujus objectum est verum, ferri potest. Nec obstat, quod conscientia nonnunquam dicatur bona vel mala: Non obstat (inquam) quia non dicitur bona (ut loquuntur) formaliter, sed directive tantum: habere autem bonitatem aut malitiam directive, ad intellectum, non autem ad voluntatem pertinet.

Dicitur 3. de iis esse, *quæ hic & nunc agenda sunt*, & in hoc differt a Synderesi quæ est de agendis aut vitandis in genere: nempe Synderesis versatur circa prima morum principia, *Bonum est faciendum; Malum est fugiendum.* Hinc vero patet, conscientiam esse syndereseos applicationem ad hoc aut illud agendum in particulari. Syndere-

deresis v. g. dictat, bonum esse faciendum: lex docet, hunc vel illum actum esse bonum: conscientia ex duplici illa præmissa concludit, hunc actum hic & nunc esse agendum.

CONCL. 2. Multiplex est conscientiæ divisio.

Probatur enumeratione. Conscientia dividitur 1. in certam, & dubiam. Illa est judicium certum, seu firmum, de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi; sic Jacob accedens ad Liam, quam prudenter judicabat esse suam uxorem, habuit conscientiam certam de bonitate actus conjugalis cum Lia habendi. Ista est suspensio judicii circa bonitatem, aut malitiam operis hic & nunc agendi: Sic qui aut caret rationibus, quibus judicet contractum aliquem non esse usurarium, aut qui habet quidem, sed ex alia parte habet non minus graves, quibus judicet esse usurarium, dubiam de illius contractus bonitate conscientiam habet: suspendit nimirum suum judicium circa bonitatem aut malitiam contractus ejusmodi. Illud autem dubium vel est juris vel est facti; Dubium juris versatur circa jus aliquod, v. g. an hæc actio sit licita, aut illicita; e contra dubium facti versatur circa factum aliquod, v. gr. an Petrus occiderit Joannem, an vero eum non occiderit.

Dividitur 2. in veram, & erroneam. Prior est judicium de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi, & quidem conforme legi; seu, est judicium quod de aliquo particulari actu fertur, sicut fertur ab ipsa lege; v. g. Lex jubet ut quisque proximo suo laboranti & egenti consulat; si conscientia idem hic & nunc judicet, dicitur conscientia vera. Erronea e contra, est judicium de bonitate aut malitia operis, quod legi conforme non est; sicut si quis judicaret, non esse orandum hic & nunc, cum urget tentatio, haberet conscientiam erroneam. Error autem ille vel est juris, vel facti. Ille versatur circa jus, an nimirum hæc actio sit licita, aut illicita: Iste vero circa factum aliquod, v. g. an id quod in vepribus latitat, sit homo vel fera. Duplex ille error dividitur in vincibilem, & in invincibilem: invincibilis est qui, quæcumque adhibeatur diligentia, superari non potest: vincibilis vero qui diligenti, & morali adhibita diligentia, seu, servatis servandis, superari potest.

Dividitur 3. in scrupulosam, & latam. Scrupulosa est judicium de malitia operis, sed levibus rationibus nixum. Sic scrupulosa laborat conscientia Sacerdos, qui cum attente Canonem recitaverit, in Communione angitur, an recitaverit Orationem Dominicam, quæ ante in Canone continetur. Lata conscientia est judicium de bonitate operis ex levissimis, & quidem cupiditati faventibus, argumentis. Sic latam habet conscientiam Sacerdos, qui levissimis ductus rationibus, v. g. auctoritate quorumdam e schola theologorum, judicat non esse injungendas pro qualitate criminum convenientes satisfactiones. Latam habet conscientiam dives, qui superflua non erogat pauperibus, nixus imperiti sui Confessarii consilio; creditque se posse ea in vanos & minime statui aut conditioni suæ necessarios sumptus impendere.

Dividitur 4. in probabilem, & non probabilem. Conscientia probabilis definitur, judicium de bonitate, aut malitia operis, fultum quidem gravibus rationibus, seu aptis ad determinandum viros pios, & prudentes ad assensum; sed tamen non sine formidine partis oppositæ. Conscientia non probabilis est judicium de bonitate aut malitia operis, sed nullis, aut levibus fultum rationibus. Conscientiam probabilem habet de contractu usurario, qui gravibus rationibus nititur, ut judicet, contractum illum esse usurarium, aut non esse usurarium. Conscientiam vero improbabilem, qui nullis aut levis momenti rationibus ductus, temerario judicat, illum esse aut usurarium, aut non usurarium.

CAPUT II.

Utrum Conscientia sit regula morum.

CONCL. 1. Aliqua conscientia est regula morum. Ita omnes omnino Theologi.

Probatur. Illud est regula morum, quod est debita, & recta tum synderesis, tum legis, sive naturalis, sive positivæ, applicatio ad actum aliquem singularem: cum enim synderesis quæ versatur circa prima morum principia, & lex tum naturalis, tum positiva; quæ versatur circa aliqua opera in genere, sint morum regula, necesse est, ut id quod est recta tum syndereseos, tum legis, sive naturalis, sive positivæ applicatio ad actum hic & nunc agendum; necesse est, (inquam) ut illa applicatio sit morum regula. Atqui aliqua conscientia, recta nimirum, est debita tum synderescos, tum legis, sive naturalis, sive positivæ applicatio ad actum particularem hic & nunc agendum; in ea enim applicatione posita est essentia conscientiæ rectæ, ut capite præcedente dictum est: ergo aliqua conscientia est morum regula.

CONCLUSIO 2. Non omnis conscientia est morum regula.

Probatur 1. Nec conscientia scrupulosa, nec conscientia lata, sunt morum regula: siquidem regula morum includit prudentiam atqui nec conscientia scrupulosa, nec lata prudentiam includunt; scilicet prudentia vetat, ne ex levibus tantum rationibus de alicujus momenti negotio judicium feratur; sed conscientia scrupulosa, & lata ferunt ju-

dicium

dicium ex levibus rationibus: ergo non includunt prudentiam: unde tantum abest ut judicium, quod ab ea duplici conscientiæ specie fertur, sit judicium prudens, quin e contra sit multum imprudens.

II. Conscientia dubia non potest quoque esse morum regula; siquidem morum regula debet assensum determinare, seu efficere, ut quis judicet, actum particularem, qui hic & nunc agendus est, esse conformem, aut difformem legi: atqui conscientia dubia non determinat ad assensum; est enim (ut superius dictum est) suspensio judicii de bonitate aut malitia operis, quod hic & nunc agendum est: ergo non est morum regula.

III. Conscientia erronea non potest *per se* esse morum regula, cum non sit primarum regularum, synderesis nimirum, & legis, debita ad actum particularem applicatio; immo falsa sit omnino. Præterea se habet conscientia erronea circa synderesim & legem, sicut error in speculativis respectu applicationis primorum principiorum ad conclusionem aliquam particularem: ergo quemadmodum error non est in speculativis regula ratiocinationis; ita nec error est in practicis regula agendorum.

IV. Conscientia probabilis, reduplicative ut probabilis, non est regula morum: Siquidem quod est indifferens ad veritatem aut falsitatem, seu quod potest esse verum aut falsum, non est regula morum: scilicet sola veritas *per se* est morum regula, & *per accidens*, id quod inculpate & firmiter, hoc est, sine formidine partis oppositæ, existimatur veritas; unde est illud Scripturæ, Ecclesiastici 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te; ante omnem actum, consilium stabile*: Atqui conscientia probabilis, reduplicative ut probabilis, est indifferens ad veritatem, aut falsitatem; potest enim esse vera, potest esse falsa: seu potest esse recta tum syndereseos, tum legis applicatio; potest quoque esse erronea, & falsa tum synderefeos, tum legis applicatio: ergo conscientia probabilis, prout probabilis est, non est morum regula.

Quæres 1. an liceat agere contra conscientiam erroneam minime depositam.

Resp. non licere. Ratio est 1. quia hæc Apostoli verba, *Omne quod non est ex fide peccatum est*, intelliguntur a pluribus theologis de conscientia: ergo quod est contra fidem, seu conscientiam, est peccatum. 2. Ille peccat qui eligit objectum, quod tanquam malum apprehenditur ab intellectu; nempe voluntas amat objectum, aut non amat, secundum rationem quæ ei ab intellectu proponitur: atqui qui agit contra conscientiam erroneam minime depositam, fertur in objectum, quod ab intellectu proponitur tanquam malum: ergo peccat. Igitur antequam vir prudens agat, tenetur adhibere moralem diligentiam, & [illegible] confugere, per quam [illegible], quo error quo laborat depe[illegible].

Quæres 2. utrum liceat operari contra conscientiam scrupulosam, & contra conscientiam latam.

Resp. 1. non tantum licere, sed oportere etiam operari contra conscientiam latam: eo quod conscientia lata, levibus ducta rationibus, in præjudicium legis cupiditati favet. Resp. 2. expedire, ut sæpius agatur contra conscientiam scrupulosam: tum quod virum prudentem movere non possit ad assensum; tum etiam quod anima vanis scrupulis inhærens, interna illa pace, spirituali illo gaudio, frustretur, quæ plurimum conferunt ad virtutis augmentum, & ad sinceræ pietatis perfectionem.

Quæres 3. qua ratione gerere se debeat is, cui adest conscientia dubia.

Resp. eum cui adest conscientia dubia circa rem aliquam, seu, eum qui dubitat, an actus aliquis, contractus v. gr. sit licitus, aut illicitus, debere abstinere ab illo actu, si tamen aliqua agendi necessitate non urgeatur. Si vero instet necessitas operandi, tenetur sub pœna peccati, partem eligere tutiorem: nam qui dubitans, minus tutam eligit, plus suum opus amare censetur quam Dei legem, & ipsum Deum legis auctorem: scilicet amore sui operis se se exponit periculo legislatorem offendendi, sicque lubens exponit se periculo peccandi: quod quidem periculum qui amat, dicente Scriptura, in illo peribit. Si nulla sit pars tutior, sed utraque sit periculosa, hoc est, si conscientia æquale periculum infringendi Dei legem advertat aut in actu, aut in omissione actus, voluntas in iis angustiis constituta, eligere debet actum, qui proximi juri favet: sic mulier quæ de matrimonii sui validitate dubitat, non potest quidem debitum petere, sed illud reddere tenetur viro, cui persuasum est valere hujusmodi matrimonium, seu qui de illius validitate nullo modo dubitat. Ita enim definitum est in jure Canonico, locis quæ capite proxime sequenti referemus, laudantes quæ Pontifices Romani de probabilitatis doctrina sanxerunt.

CAPUT III.

De Conscientia Probabili.

Not. 3. Conscientia probabilis, est (ut superius jam observatum fuit) judicium de bonitate aut malitia alicujus operis, nixum rationibus gravibus, seu quæ per se aptæ sunt viros pios & prudentes ad assensum determinare, cum formidine tamen partis oppositæ; hoc est, ita ut qui ad assensum iis rationibus determinatur, cum

cum fundamento timeat, ne falsa sit conscientia, quam in praxi sequitur.

Not. 2. Certum est, quovis in casu licere sequi opinionem, seu conscientiam probabilem quæ favet præcepto, seu quæ asserit, actum aliquam esse vetitum, quamvis sit minus probabilis opposita, quæ libertati favet, hoc est; quæ asserit, actum esse licitum. Ratio est, quia quamvis in casu de quo agitur, sit periculum erroris, cum opinio quæ stat pro præcepto, seu quæ asserit actum aliquem, illum v. g. contractum, esse illicitum, sit minus probabilis; tamen qui ex illius opinionis dictamine ab actu illo temperat, nullo se peccandi periculo exponit; ut videre est in homine, qui abstinet a contractu, quem probabiliter quidem, sed falso (ut supponitur) judicat esse usurarium.

Not. 3. Opinio seu conscientia probabilior, non est semper idem cum opinione tutiore, seu cum ea quæ magis est remota a peccandi periculo; nempe opinio tutior potest esse minus probabilis, quam ea quæ non est æque tuta: sic opinio quæ docet, hominem qui mortaliter peccavit, teneri statim elicere actum contritionis, & confiteri, tutior est negativa; sed a S. Thoma judicatur minus probabilis.

Not. 4. Opinio, seu conscientia probabilis, sub triplici respectu considerari potest: 1. in concursu alterius contrariæ, quæ sit æque probabilis; 2. in concursu alterius, quæ minus sit probabilis; 3. in concursu alterius, quæ sit probabilior. Is qui graves habet rationes, ut judicet hunc contractum v. g. esse usurarium, & qui ex alia parte habet rationes alias æque graves, ut judicet contractum illum non esse usurarium, habet de eodem duas opiniones contrarias æque probabiles, quarum una favet legi, ea nimirum quæ judicat contractum illum esse usurarium; & altera favet hominis libertati, ea nempe quæ asserit illum contractum esse licitum. Is e contra qui majoris ponderis rationes habet, ut judicet, contractum illum esse usurarium, quam sint eæ, quibus nixus judicat eum non esse usurarium; de eodem actu habet duas opiniones contrarias probabiles; quarum una, quæ stat pro præcepto, est probabilior, altera vero, quæ favet hominis libertati, est minus probabilis. Tandem is qui habet quidem rationes graves, quibus judicet, actum aliquem esse illicitum, sed ex alia parte habet graviores, ut judicet, eumdem actum esse licitum; de eodem habet opinionem probabiliorem, quæ favet libertati, & minus probabilem, quæ stat pro præcepto.

Not. 5. Iis quæ hucusque dicta sunt, præmissis, quærendum est hic 1. utrum liceat sequi opinionem probabilem, quæ favet hominis libertati, in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto. 2. Utrum licitum sit sequi opinionem minus probabilem, quæ favet hominis libertati, in concursu alterius probabilioris, quæ stat pro præcepto. 3. utrum liceat sequi opinionem probabiliorem, quæ favet libertati, in concursu alterius minus probabilis, quæ stat pro præcepto.

ARTICULUS I.

An liceat sequi opinionem probabilem, quæ favet hominis libertati, in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto.

Not. Circa propositam quæstionem duplex est sententia: Prima, quæ est aliquorum recentiorum Casuistarum, docet, licitum esse sequi opinionem probabilem, quæ favet hominis libertati, in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto: e contra omnes discipuli S. Thomæ contendunt, non licere eam sequi. Mentem nostram conclusio subsequens aperiet.

CONCLUSIO. Non licet sequi opinionem, seu conscientiam probabilem quæ favet hominis libertati, in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto.

Nostra conclusio probari potest 1. ex novitate sententiæ quæ contrarium docet; 2. ex Patribus; 3. ex Romanis Pontificibus; 4. ex S. Thoma; 5. ex absurdis quæ sequuntur ex adversa sententia.

Profertur argumentum ex novitate petitum.

Sententia, quæ docet, licitum esse sequi opinionem probabilem, quæ favet hominis libertati, seu quæ asserit, actum aliquem esse licitum, in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto, seu quæ asserit, actum aliquem non esse permissum, est nova: ergo admitti non debet.

Consequens est evidens. Cum enim, asserentibus adversariis, sententia quæ docet licere sequi in eo casu opinionem probabilem, sit scientiæ moralis principium, Apostolis, Discipulis Domini, Episcopis quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, perspecta, ac cognita esse debuit: Scilicet asseri non potest, Apostolos & Ecclesiam veterem latuisse aliquod fidei, aut morum principium. Si autem ea, de qua agitur, doctrina Apostolis, eorumque in Episcopatu successoribus explorata fuit, eam fideles ab iis docendi fuerunt: alioquin enim Apostoli, ceterique sancti Præsules, qui antiquitus ubique terrarum rexerunt Ecclesias, veritatem, populorum saluti in primis utilem, in injustitia detinuissent, immeritoque Paulus sic Ephesios Act. 20. allocutus fuisset: *Scitis quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publice, &*

per domos. Praeterea Concilium Tridentinum, sess. 13. in Salvo conductu Lutheranis concesso, conceptis terminis asserit controversias *secundum sacram Scripturam, & Apostolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicae Ecclesiae consensum, Patrum auctoritates tractari debere*. Ex iis itaque constat, doctrinam novam, in rebus ad fidem aut mores spectantibus, falsam esse.

Unde probatur ant. seu ostenditur, doctrinam quae asserit, licitum esse sequi opinionem probabilem, quae favet libertati, in concursu alterius aeque probabilis, quae stat pro praecepto, esse novam. 1. Ea doctrina nullo aut Apostolorum, aut Patrum, aut Scholasticorum, qui per quindecim priora saecula floruerunt, testimonio nititur: quippe quod adversarii nullum ex iis veteribus textum in suae sententiae defensionem, licet saepius provocati, laudare potuerint. 2. Corduba qui circa annum 1571. scribebat, asserit, Theologos omnes qui sua aetate viverent, asserere, hominem in concursu opinionum, quae ad mores spectant, teneri eligere probabiliorem: *Et in hoc* (inquit) *omnes Theologi consentiunt*. Ergo doctrina, de qua agitur, est nova.

Dices 1. In rebus ad scientiam Moralem spectantibus, juniores sunt antiquis praeferendi; accuratius enim quam antiqui, res morales expenderunt: Ergo doctrina probabilitatis non ex eo capite rejicienda est, quod in veteribus non reperiatur.

Verum falsa est omnino illa responsio, cum (ut superius probatum est) sola Scriptura & Traditio sint Moralis scientiae principia. Confirmatur ex auctoritate Cleri Gallicani, qui anno 1700. ad Comitia Generalia congregatus, damnavit hanc propositionem quae in Amadaeo Guimenio legitur: *Puto omnia hodie melius examinata; & hanc ob rem in omni materia, & praecipue in Morali, libentius juniores, quam antiquiores lego, & sequor.... Doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda*. Censura autem, quam Clerus Gallicanus illi propositioni inussit, sic habet: *Haec propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus & antiquis doctoribus contumeliosa, spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum ac Traditionis auctoritate & interpretatione, Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas*.

Dices 2. ideo Patres nusquam probabilitatis meminisse 1. quod cernerent, ejus auctoritatem ab omnibus admitti, & a nemine impugnari: 2. quod nulla se obtulerit occasio, quae Patres ad sermonem de ea instituendum compulerit; ac proinde non ideo rejici debere, quod in veteribus non reperiatur.

Sed adversariorum, qui sic ratiocinantur, pace dixerim, priori responsione, si valeat, enervari omnino argumentum, quod ex novitate petitur, quo tamen saepius Patres usi sunt; scilicet Novatores, quos impugnabant, dicere potuissent, suarum adinventionum vestigia ideo apud eos, qui praecesserant, non reperiri, quod (ut in sua caussa reponunt adversarii) cernerent eas ab omnibus admitti, & a nemine impugnari. Praeterea gratis supponitur, quod veteres adverterint, ab omnibus suae aetatis Christianis probabilitatem tanquam morum regulam admissam fuisse: siquidem facti illius nullum omnino in ecclesiasticis monumentis vestigium reperire est.

Non plus soliditatis habet altera responsio. Nam 1. quamvis supponatur, nullam se dedisse Patribus occasionem de probabilitatis dogmate loquendi; tacere tamen de eo non debuit Ecclesia quindecim priorum saeculorum, quia Episcopi tenebantur docere fideles omnia principia fidei & morum, quae ab Apostolis didicerant, sicut Episcopos Apostoli ea quae acceperant a Christo. 2. Falsum est, Patres nullam nactos fuisse occasionem, sermonem de probabilitate instituendi: patet enim ex Decreto Gratiani, & ex Decretalibus Gregorii IX. nec non ex Epistolis Cypriani, Hieronymi, Augustini, & aliorum veterum operibus, eos consultos saepius fuisse de rebus dubiis, & de quibus erant contradictoriae opiniones probabiles.

Profertur argumentum ex Patribus petitum.

Sententia quae asserit, licitum esse sequi opinionem probabilem quae favet libertati, in concursu alterius aeque probabilis quae stat pro praecepto, SS. Patribus, & Augustino in primis, adversatur: ergo rejicienda est.

Antecedens sic ostenditur. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. asserit, graviter eum peccare, qui in rebus ad salutem pertinentibus, incerta certis anteponit: sic enim respondet de quodam Donatista, qui ad Catholicam Ecclesiam redire meditabatur, quique licet fateretur valere datum in Ecclesia Catholica Baptismum, recteque ipsum in ea suscipi, dubitabat, an recte seu licite apud Donatistas susciperetur: *Si* (inquit) *dubium haberet, non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus; vel eo solo, quod certis incerta praeponeret*. Id sic iterum urget c. 5. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?*

Atqui is qui sequitur opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius aeque probabilis, quae stat pro praecepto, incerta certis anteponit in rebus ad salutem

spectantibus: incertum est quippe, utpote probabile tantum, non esse peccatum in actu qui eligitur: *Intellectus* (verba sunt S. Bernardi lib. 5. de Consideratione, c. 5.) *rationi innititur, fides auctoritati, opinio sola se verisimilitudine tuetur*: ex quo concludit, quod cum scientia & fides certitudinem habeant, opinio e contra omnino sit incerta: *Habent illa duo certam veritatem, opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit, potius quam apprehendit*: Ergo ex Augustino, qui sequitur opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto, graviter peccat.

Dices 1. Donatistam, de quo Augustinus loquitur, dubitasse absque probabilitate, an liceret a ministro Donatista baptismum recipere: e contra vero eum, in concursu alterius opinionis æque probabilis sequitur eam, quæ libertati favet, de sui actus malitia, aut bonitate dubitare nixum rationibus probabilibus.

Sed falsa est illa suppositio. Nam 1. nusquam intellectus dubitat de malitia, aut bonitate operis, quin ad illud dubium argumentis probabilibus moveatur: scilicet id quod nulla verisimilitudine nititur, non dubium, sed certo falsum apparet. 2. Sive illi Donatistæ argumenta probabilia adfuerint, quibus judicarit, eum eximi a peccato, qui a ministro Donatista baptismum reciperet, sive non adfuerint; immotum manet principium, quo S. August. casum sibi propositum solvit; hominem nimirum, de quo interrogatus fuerat, peccaturum fuisse, præcise eo quod incerta certis præpositurus esset: siquidem (ut jam observatum est) probabilia argumenta non determinant intellectum, ut certo de re aliqua judicet, sed tantum cum formidine partis oppositæ; præsertim si utrimque æqualia sint argumenta illa probabilia.

Dices 2. casum Augustino propositum intelligi debere de sola Baptismatis validitate. Donatista, de quo S. Augustinus loquitur, dubitabat (inquiunt) an valeret Sacramentum in schismate receptum, non autem, an licitum esset baptismum recipere a ministris in schismate versantibus. Addunt responsionis auctores opinionem probabilem in priore casu, hoc est, cum agitur de validitate alicujus sacramenti, præsertim si characterem imprimat, non excusare eum qui certis incerta præponit: secus vero in posteriore casu, hoc est, cum agitur tantum de licita, non de valida, sacramenti receptione.

Sed nullius est ponderis responsum illud; falsum quippe supponit. Nam illi Donatistæ suum ad Ecclesiam reditum meditanti certum erat, valere baptisma extra Ecclesiam datum: Igitur casus Augustino propositus de præcepto intelligitur, nempe, an exstet divinum aliquod præceptum, quod prohibeat, ne baptismus extra Ecclesiam recipiatur; ergo, cum in hujus præcepti interpretatione Augustinus definiit, certis incerta sine peccato præferri non posse, id generatim de aliis omnibus præceptis intelligi voluit; præsertim, cum ratio, qua utitur, ad omnia sine exceptione præcepta pertineat: in rebus (inquit) ad salutem animæ pertinentibus (ut sunt, non tantum valida receptio quorumdam sacramentorum, sed etiam omnium divinorum mandatorum observatio) *graviter peccat, qui certis incerta præponit*; proindeque & is qui in praxi sequitur opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto.

Profertur primum argumentum ex Summis Pontificibus petitum.

Summi Pontifices hoc axioma Juri Canonico insertum, & rationi naturaliter cognitum, *In dubiis tutior pars est eligenda*, divinitus accepta potestate confirmarunt. Capite *Ad audientiam*, Capite *Significasti*, Clemens III. & Innocentius III. decernunt, Sacerdotem non posse fungi suo officio in casu hominis ab ipso vulnerati, & deinde mortui cum dubio, an vulnus illatum mortis caussa fuerit. Capite *Juvenis de sponsalibus*, viro qui matrimonium contraxerat cum puella septenni, de qua dubitabatur, an esset viripotens, præcipitur ab Honorio III. ut discedat a puellæ illius consobrina, quam, mortua illa septenni puella, in matrimonium duxerat. Capite *Illud, De Clerico excommunicato*, mox laudatus Innocentius III. deponit Episcopum, qui in dubio, an esset excommunicatus, ab Episcopali ministerio non abstinuerat. Singuli illi Romani Pontifices datæ in relatis casibus definitionis proferunt hanc rationem, quam tanquam certissimum principium supponunt, *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*.

Ex iis locis sic argumentum conficitur. Qui in concursu duarum opinionum æque probabilium sequitur opinionem quæ suæ libertati favet, non eligit in dubio partem tutiorem, seu eam quæ magis recedit a peccandi periculo: ergo, si verum sit laudatum ex Summis Pontificibus axioma, graviter peccat.

Dices 1. ideo Summos Pontifices declarasse, peccasse eos de quibus consulti fuerant, quod in dubio, an licite possent agere, egissent tamen: sed qui habet probabiles utrimque opiniones, non est in dubio, proindeque non peccat contra hanc Summorum Pontificum regulam, *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*.

Verum inanis est, ac de non supponente illa responsio: Scilicet tunc est dubium proprie dictum, cum non est potior ratio, cur intellectum judicet, unam opinionem esse veram,

ram, quam alteram; tunc est dubium, cum intellectus in suspenso remanet inter veritatem & falsitatem: Sed in concursu duarum, quæ contrariæ sint, opinionum probabilium, non est potior ratio, cur intellectus judicet unam opinionem esse veram, quam alteram; hæret in suspenso inter veritatem & falsitatem. Unde si quis ab homine in eo opinionum conflictu constituto quærat, quænam ex duabus illis opinionibus sit vera, respondebit, si ingenuus sit, se id nescire.

Dices 2. hoc inter intellectum dubium, & inter intellectum opinantem discrimen reperiri, quod intellectui dubio nullæ ex utraque parte rationes obversentur; opinativo e contra plures occurrant.

Sed fictitium est discrimen illud, quod inter intellectum dubium, & intellectum opinativum adversarii statuunt; Scilicet intellectus æque fit suspensus inter veritatem & falsitatem, cum illi occurrunt æquales pro veritate, aut falsitate rationes, ac cum ei nulla ratio pro una, aut altera parte obversatur. Nam 1. non minus in æquilibrio remanent lances in libra, vel si nullum neutri, vel si æquale utrique pondus imponatur. 2. Si quis Judex inter duos de inventa crumena litigantes sedat, numquid æque dubius erit, ad quem ex duobus illis litigantibus crumena pertineat, postquam æquales pro utroque rationes audierit, ac si nullam omnino audisset? ergo intellectus constitutus inter duas opinines æque probabiles, non minus est dubius, quam si nulla ex iis duabus opinionibus esset probabilis.

Dices 3. illud esse discrimen inter intellectum dubium & opinativum, quod intellectus dubius nulli parti adhæreat; e contra vero intellectus opinativus uni adhæreat; licet cum formidine partis oppositæ.

At non solvit argumentum ex Summis Pontificibus petitum illa responsio. Enim vero intellectum uni parti adhærere cum formidine partis oppositæ, est, ipsum certo judicare, incertam esse ac dubiam partem, cui assentitur; siquidem partis oppositæ formido includit essentialiter incertitudinem partis alterius, cum rationes quibus illa pars opposita nititur, simul cum alterius partis, cui intellectus adhæreat, rationibus, menti obversentur: at certo judicare, partem aliquam esse incertam & dubiam, non liberat mentem a dubio, quo laborabat: nisi tamen quis velit asserere, ideo quempiam eximi ex dubitantium numero, quod advertat se dubitare: ergo cum adversarii affirment, hominem qui assentitur uni parti cum formidine partis oppositæ, non teneri in dubiis partem tutiorem eligere, reipsa asserunt, cum qui certus est, & advertit se dubitare, non teneri partem eligere tutiorem: quod quidem perabsurdum esse, nemo non videt.

Dices 4. Regulam hanc a Summis Pontificibus traditam: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem* veram esse in dubiis practicis, non autem in dubiis speculativis: at intellectus inter duas æquales probabilitates constitutus, *speculative* tantum est dubius, non autem *practice*, tum quia ad unam partem seipsum determinat, tum quia sibi certitudinem conciliat per hunc actum reflexum. Dubium quidem est, an contractus iste v. gr. sit licitus, an illicitus; sed cum intellectus reflectit ad dogma de opinione probabili, hoc est, licitum esse sequi opinionem certo probabilem, omni se dubio in praxi liberat, certoque judicat, contractum illum, quamvis speculative dubium, in praxi tamen esse licitum.

Verum ea adversariorum responsio, qua velut fundamentali machina totum eorum de probabilitate dogma nititur, facile dirui potest.

Nam 1. necesse est, ut intellectus *speculative* dubius sit etiam dubius *practice*, cum in praxi nulla occurrit circumstantia, quæ dubium speculativum tollat: siquidem non tollitur præcise ex determinatione, & electione voluntatis; cum nec illa determinatio, nec illa electio minuant pondus rationum, propter quas intellectus erat speculative dubius.

II. Adversarii thesim ipsam supponunt, cum asserunt, intellectum *speculative* dubitantem de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi, per hunc actum reflexum, *Licitum est sequi opinionem certo probabilem*, fieri practice certum non quidem de objecti, contractus v. g. alicujus, bonitate, aut malitia, sed de bonitate actus, quo voluntas unam probabilitatis partem præ alia amplectitur.

III. Thesis illa, quam adversarii supponunt tanquam certam, multum etiam adversariis ipsis videri debet incerta, cum opinio quæ illius theseos contrarium asserit, ab iis multum probabilis judicari debeat: quippe quæ nitatur rationibus, quæ doctissimos Episcopos, insignes Facultates Theologicas, primi nominis Scholasticos, ita ad assensum determinarunt, ut contrariam omnino rejecerint; immo (ut infra dicemus) gravissimis censuris perstrinxerint.

IV. Tandem, si per hunc actum reflexum: *Licitum est sequi opinionem certo probabilem*, operans (ut adversarii supponunt) certus fiat de bonitate sui actus, *licere v. g. hunc contractum, de quo, an licitus sit, speculative dubitat*: si (inquam) certus fiat, nullus unquam occurret casus, in quo hanc juris regulam, *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, ad praxim redigere teneatur; Nempe, quotiescumque propter æqualis ponderis contradictorias rationes dubium erit, an aliquis actus sit licitus, necne, voluntas, quæ probabilitatis arcanum docta fuerit, poterit tuto illum eumdem actum eligere: poterit nimirum intel-

intellectui jubere, ut hunc reflexum actum eliciat: *Licitum est sequi opinionem certo probabilem.*

Dices 5. hanc juris regulam, *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, locum habere tantum in dubio *facti*, non autem in dubio *juris*. Dubitat quis, an actum fecerit, per quem incurritur irregularitas; tenetur partem eligere tutiorem, hoc est, abstinere ab exercitio suorum ordinum. Dubitat e contra aliquis, an contractus sit licitus, necne, hoc est, an jure prohibeatur, aut non prohibeatur; non tenetur partem eligere tutiorem, hoc est, temperare non tenetur ab ineundo illo contractu, quia in eo casu est dubium *juris*, in alio vero est dubium *facti*.

Sed vana est illa distinctio. Nam 1. sine ullo prorsus fundamento profertur: nempe nullum illius reperire est vestigium, aut in summis Pontificibus, aut in Patribus, aut in jure Canonico. 2. Repugnat Capiti *de Cler. excom. ministrant.* ubi in dubio juris, *An sententia a Delegato, non præmissa monitione, & ante intimationem liget, necne*, deciditur, partem tutiorem esse eligendam. Scilicet Episcopus aliquis crediderat, se non fuisse ligatum excommunicatione Delegati Apostolici, eo quod sententia lata fuerat, non præmissa monitione, & ad illius notitiam non nisi per famam pervenerat; ac propterea probabiliter opinatus fuit licere sibi Sacris, etiam sollemniter, perfungi: & tamen decisum est, eum vi juris esse deponendum. *Quia* (ait textus) *cum in dubiis via tutior sit eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare, licet cum ipso tanquam non omnino culpabili propter hujusmodi probabilitatem misericorditer dispensetur.* Repugnat 3. Clement. Extr. §. *Item præterea, de verborum significat.* Nempe in quæstione meri juris, *an Fratres Minores teneantur sub præcepto mortalis peccati ad ea observanda, quæ in regula verbo imperativi modi, negative, vel affirmative apposito, inseruntur?* Pontifex utitur eodem axiomate: *Nos itaque* (ait) *attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graviores remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.*

Repugnat 4. S. Augustino, qui quidem (ut superius observatum est) consultus de Donatista, qui suum in Ecclesiam reditum meditabatur, & cui tamen probabile erat licere extra casum extremæ necessitatis, propter aliquas causas, recipere Baptismum a Ministro schismatico, respondit, Donatistam peccaturum fuisse, si in schismate sacramentum reciperet, eo quod in rebus ad salutem pertinentibus certa incertis præpositurus fuisset. Repugnat denique 5. scopo regulæ de qua agitur: siquidem non minus in dubio juris, quam in dubio facti, qui semitam non eligit tutiorem, se se peccandi periculo exponit: cui tamen periculo jus per regulam *In dubiis*, &c. consultum voluit.

Dices 6. hanc juris regulam, *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem. Certa incertis præponenda sunt. Pars securior est tenenda*: locum habere quidem & in quæstionibus juris, & in quæstionibus facti, sed continere eam consilium, non autem præceptum stricte sumptum; ac proinde ex ea colligi non posse, hominem cui adsunt duæ opiniones æque probabiles, teneri eam eligere & in praxi sequi, quæ stat pro præcepto, quæque ob id securior est.

Sed falsa est ea regulæ, de qua agitur, explicatio. Nam repugnat 1. Augustino, qui (ut superius dictum est) asserit, eum qui incerta certis præponit, certum admittere peccatum. Repugnat 2. Canonibus, in quibus illa regula refertur; constant enim terminis qui per se, non merum consilium, sed strictum præceptum important; sic enim habent: *Via est tutior eligenda. Pars securior est tenenda. Semitam debemus eligere tutiorem.* 3. Sacri Canones, vi illius regulæ, pœnam infligunt iis, qui in dubio partem non elegerint tutiorem: siquidem Caput, *Illud de Cler. excomm. ministrante*, deponit Episcopum, qui in dubio, an esset excommunicatus, Sacris operam dederat. Caput, *Sicut nobis, de sent. excomm.* jubet Episcopo, ut excommunicatum devitet, quamdiu dubia est illius absolutio. Caput, *Juvenis, de Sponsalibus*, jubet viro, ut a secunda uxore discedat eo quod dubium esset, an esset consobrina puellæ nondum septennis, quam vir ille prius duxerat.

Profertur argumentum ex S. Thoma petitum.

S. Thomas conceptis terminis asserit, teneri quemque sequi opinionem, quæ stat pro præcepto, in concursu alterius probabilis, quæ favet libertati: Scilicet S. Doctor proponit sibi casum de eo, cui probabile est licere habere simul plures præbendas, definitque peccare eum, si eas retineat, existimans probabiliter id minime licitum esse.

Sed ut mens S. Doctoris clarius pateat, subjicienda sunt illius verba: sic igitur Quodlibeto 8. art. 13. loquitur: *Dicendum, quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam.*

Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem: & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam: sic enim contra legem Dei facit.

Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod vere licet habere plures præbendas: & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de con-

trario; & sic iterum peccat, contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem: sed tamen in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum; & sic, si, manente dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit; & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic nec committit se crimini, nec peccat. Hactenus S. Doctor.

Eo in loco Doctor Angelicus contendit 1. peccare eum qui contra legem agit, quamvis secundum conscientiam operetur, *Et sic* (inquit) *cum faciat contra legem Dei, non excusatur a peccato.* Contendit 2. reum pariter fieri eum, qui veram sententiam eligens, ex contrariis opinionibus in quamdam dubitationem inducitur: *Sed tamen* (inquit) *in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum; & sic, si, manente dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit*: Ergo S. Thomas docuit, eum, qui in praxi sequitur opinionem falsam, quæ hominis libertati favet, in concursu alterius æque probabilis stantis pro præcepto, revera peccare, tum quod agat contra legem, tum quod ex contrarietate opinionum dubius sit, an actus, quem eligit, licitus sit, an illicitus.

Dices S. Thomam de eo loqui qui dubitat, sumendo dubium proprie, & stricte, non autem de eo qui dubitat, sumendo dubium late & improprie, seu pro opinione probabili; quæ quidem infert aliquod dubium late sumptum; hoc est, non excludit omnem omnino formidinem partis oppositæ, seu an illicitus sit actus, qui eligitur in praxi.

Sed facile præcluditur illud effugium. Nam is cui obversantur duæ opiniones contradictoriæ æque probabiles circa bonitatem aut malitiam alicujus operis, proprie & stricte dubitat: an opus illud sit bonum, aut malum: ita nimirum docet insita cuilibet homini dubitationis idea: ita etiam docuerunt Summi Pontifices in casibus quos solverunt per hanc juris regulam, *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*: ita etiam censuerunt Theologi omnes, qui scripserunt, antequam in Christianorum mores doctrina de probabilitate invecta fuisset.

Audiendus est S. Antoninus, quem adversarii sibi favere, quamvis immerito, contendunt: *Qui agit scienter id, de quo dubitat* (inquit 1. p. tit. 3.) *permanente dubitatione, moraliter peccat, sumendo proprie & stricte dubitationem, prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quam ad aliam.* Hæc de S. Thomæ circa probabilitatem doctrina satis sint.

Profertur argumentum ex absurdis petitum.

Admisso hoc principio: *Licitum est sequi opinionem certe probabilem quæ libertati favet, in concursu alterius æque probabilis quæ stat pro lege*, innumera sequuntur absurda quæ (ut credimus) ne ipsi quidem adversarii auderent defendere.

Sequitur nimirum 1. immunes fuisse a peccato gentes, quæ thus quondam, & nunc etiam, deorum simulacris adolent; non peccasse veteres Gallos & antiquos Carthaginienses, apud quos religioni ac pietati ducebatur consuetudo homines offerendi in sacrificium; non peccasse pariter Græcos, quod occiderent infantes, quibus alendis satis opum non suppetebat; non peccare hisce temporibus Indos, qui parentes senio confectos morti tradunt, sub eo impiæ pietatis obtentu, quod morbis quibus cruciantur, per mortem liberentur; non peccare Turcas, apud quos simplex fornicatio pro peccato non habetur; nec tandem peccasse eos, apud quos latrocinia laudi ducebantur, apud quos, quamvis ceteris sapientiores vulgo habitos (ut ii erant, qui inhærebant Platonis doctrinæ,) uxorum communitas, id est, adulteria, publicis legibus ac statutis permittebantur; apud quos denique innumera in Deum, in seipsos, in proximum facinora & flagitia admittebantur, & nunc etiam apud plures Americanos admittuntur. Sequitur (inquam) Gentes illas, de quibus hactenus, & quas ob ea impia facta Apostolus ad Romanos 1. æternis cruciatibus addicit, nullum omnino commisisse scelus: Siquidem ii populi, adducti eorum avita consuetudine, qui illis sapientes videbantur, exemplo hominum illorum persuasi, judicabant, ea omnia sibi licere, & nonnulla etiam esse eximiæ pietatis actus.

Scimus, adversarios, eas, quas mox ex probabilitatis dogmate deduximus, conclusiones pernegare: Sed advertant, quæso, num ex principio, de quo agitur, necessaria illatione colligantur. Neque enim respondere possunt, Gentes de quibus in nostro argumento, errasse in judicio quod quod de iniquis suis operibus tulerunt. Scilicet opinionis, seu judicii falsitas, non destruit ejusdem opinionis, ejusdem judicii probabilitatem. Nec enim obest, quod quibusdam aliis Gentibus ea opera probabiliter licita non viderentur: nimirum alienum probabile, nisi & ipsimet operanti sit probabile, non est (fatentibus etiam adversariis) morum regula: nec mirum; nam id quod operanti non est probabile, pugnat contra illius conscientiam.

Vim illationis, quam urgemus, vidit olim Augustinus, præclusitque effugia mox relata, quibus nunc utuntur adversarii, & quibus Academici, primi probabilitatis defensores, olim usi sunt, ut illationis invidiam declinarent.

S. Do-

S. Doctor libro 3. contra Academicos c. 16. hocce Philosophorum illorum axioma palmarium in moribus, hisce verbis describit: *Cum agit quisque quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Deinde se illud impetit, sicut & nos impetimus: *In igitur audiens adolescens, insidiabatur pudori uxoris alienæ.* Hanc vero ad illud argumentum refert dari solitam ab Academicis responsionem: *Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens?* Eam responsionem confutat eadem ratione, qua & nos eam in adversariis usurpari in casu confutamus: *At illi probabile est. Nam si alieno probabili vivimus; nec tu* (Tullium, qui Academicæ sectæ dederat nomen, alloquitur) *debuisti administrare rempublicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit ergo juvenis ille conjugem alienam. Sed vos* (Academicis loquitur *me jocari arbitramini? Libet dejerare per omne divinum, nescire me prorsus, quomodo iste* (adolescens adulter) *peccaverit, si quisquis id egerit quod probabile videtur, non peccat.*

Argumentum quod, admisso probabilitatis dogmate, Augustinus circa adulterium urget adversus Academicos, urget etiam de aliis omnibus facinoribus & flagitiis; *Taceo* (inquit) *de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri, aut cogitari possunt, flagitiis & facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur: quomodo enim non facerent, quod probabile visum est?* Sic iterum ad non loquendi metas redigit suos adversarios: *Qui non putant ista probabiliter persuaderi posse, legant orationem Catilinæ, quæ patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit.*

Ex eodem de probabilitatis dogmate, quod hic confutamus, sequitur 2. gravissimum aliud absurdum; nempe Christianum qui omnia, a primo ad ultimum, præcepta Decalogi infregerit, ex justitia in baptismate recepta nequaquam excidisse.

Patiantur, quæso, adversarii, ut ad formam academicam reducatur argumentum. Ille haud dubie omnia & singula Decalogi præcepta infregisset, qui proscriptas ab Inquisitoribus Romanis coram Alexandro Papa VII. & Innocentio XI. propositiones ad praxim reduxisset: Atqui in earum propositionum praxi, homo ille ne levis quidem peccati reus factus fuisset; nempe secutus fuisset opiniones certo probabiles. Nam eæ opiniones sunt certo probabiles, quæ (ut loquantur ii quos impugnamus) fundamentis (ut cum adversariis loquamur) certo gravibus nituntur: siquidem illa fundamenta ab ipsismet adversariis certo gravia dicuntur, quæ viros, alioquin pios, doctos, & prudentes, movere possunt ad assensum: Atqui fundamenta, quibus illæ propositiones nituntur, viros, alioquin pios, doctos, & prudentes, ad assensum movere possunt: atqui fundamenta, quibus illæ propositiones nituntur, viros, alioquin pios, doctos, & prudentes, ad assensum movere possunt: Ab actu enim ad posse valet argumentum: atqui de facto & actu hujusmodi fundamenta viros, alioquin pios, doctos, & prudentes, moverunt, & determinarunt ad assensum: nimirum propositiones coram Alexandro VII. & Innocentio XI. proscriptæ, a plerisque hujusce ævi casuum arbitris, quorum nomini & instituto ut parcamus, non ægre (ut opinamur) ferent adversarii, propugnatæ sunt, & propositæ tanquam morum regulæ, ad quas si quis vitam suam exigeret, ne levis quidem peccati fieret reus.

Dices 1. propositiones aut ab Alexandro VII. aut ab Innocentio XI. proscriptas, non esse probabiles, cum sit de ratione opinionis probabilis, ut non pugnet, saltem aperte, contra Decreta Summorum Pontificum; ac proinde ex dogmate de probabilitate non sequitur, cum a peccato immunem fore, qui illarum propositionum doctrinam ad praxim reduceret.

Sed argumenti vim non enervat illa responsio. Nam 1. saltem antequam illæ propositiones a Romanis Pontificibus proscriptæ fuissent, Christianus, cui persuasum fuisset, eas esse probabiles, potuisset earum doctrinam tuta conscientia ad praxim reducere. 2. Idem dici deberet de Christiano, qui apud gentiles agens invincibiliter ignoraret Romanorum Pontificum decreta, quibus proscriptæ sunt. Scriptores qui docuerunt illarum propositionum doctrinam, eamque populis in operibus suis tradiderunt, judicarunt, eam doctrinam esse probabilem: ergo ii saltem scriptores, si verum sit probabilitatis dogma, licite potuerunt illarum propositionum doctrinam, antequam a Romanis Pontificibus damnata fuisset, ad praxim redigere, & ad illius normam populorum mores dirigere.

Nec obstat 1. quod illi scriptores errarint, cum judicarunt probabilem esse illarum propositionum doctrinam. Nam (ut fuit observatum superius) error, seu falsitas, probabilitatem non destruit. Nec obstat 2. quod doctrina quæ in illis propositionibus continetur, opposita sit Scripturæ & Traditioni. Siquidem materialis oppositio doctrinæ alicujus cum Scriptura & traditione non impedit probabilitatem: cum, ex adversariis, opinio falsa possit esse probabilis, idque actu contingat; cum circa eumdem actum occurrunt duæ opiniones contradictoriæ probabiles. Præterea auctores qui illas propositiones suis in libris scripto reliquerant, licet alioquin pro doctis & prudentibus habiti,

judicarunt, eas nec Scripturæ, nec Traditioni propositas esse.

ARTICULUS II.

De opinione minus probabili in concursu probabilioris.

CONCL. Non licet sequi opinionem minus probabilem, quæ favet libertati, in concursu alterius probabilioris, quæ stat pro præcepto.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ. Ecclesiast. 32. hæc habentur: *Ante omnia, verbum verax præcedat te*: quibus quidem verbis veritatem, dum nobis innotescit, sequi jubemur; aut saltem, cum ea non cognoscimus, ab opere tenemur abstinere; aut, si agendi necessitas incumbat, tutiorem in partem eligere in iis, in quibus periculum est, ne ignorantia sit invincibilis, aut in iis, in quibus ignorantia invincibilis potest habere locum (ut, fatentibus omnibus in jure positivo potest contingere) eam amplecti partem, quæ ad veritatem propius accedere judicatur: Atqui contrario modo se gerit is, qui adhæret opinioni, quam judicat minus probabilem, quæque libertati favet, in concursu alterius magis probabilis, quæ stat pro præcepto. Tantum enim abest, ut in eo casu eligat opinionem, quam judicat ad veritatem propius accedere, quin e contra eligat illam, quam longius ab ea recedere judicat.

Probatur 2. auctoritate multarum, & quidem amplissimarum Ecclesiarum, quæ proscripserunt doctrinam, qua asseritur eum non peccare, qui in praxi sequitur opinionem quæ favet libertati, seu cupiditati, in concursu alterius probabilioris, quæ stat pro præcepto.

I. Circa annum 1652. Parochi Parisienses, Rothomagenses, Senonenses, Bellovacenses, Ambianenses, quibus non multo post alii ex singulis fere Galliarum urbibus accesserunt, oblatis supplicibus libellis, ab Illustrissimis regni Episcopis postularunt, ut servata Juris forma, dogma de quo agitur, censuris suis notarent: *Judicium autem* (inquit Prosper Fagnanus in Caput, Ne innitaris) *tam magni cœtus Presbyterorum, qui in urbibus regni præcipui animas regunt, & conscientias dirigunt, parvi non est faciendum.*

II. Parochorum votis annuerunt Illustrissimi Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi; Scilicet censuram inusserunt doctrinæ qua asseritur, licitum esse sequi opinionem minus probabilem, quæ libertati favet, in concursu alterius probabilioris, quæ stat pro præcepto: declararuntque in Mandatis (ut vocant) quæ promulgarunt, dogma de quo agitur, *Temerarium & periculosum esse; omnem perturbare morum disciplinam; avocare mentem a [illegible] & [illegible] veritatis; corruptæ naturæ cupiditatibus obsequi; alienum esse a simplicitate christiana; pugnare cum tradita ab Apostolis doctrina; ac tandem postremis hisce temporibus a mendacii patentis consilio inventum fuisse, ut omnia Evangelii præcepta eluderet, & carnalibus ingeniis, Christianæ doctrinæ, propriæque salutis supremum arbitrium permitteret.* Illustrissimorum Episcoporum censuras Contensonius, de probabilitate agens, describit. Pium illum ac eruditorum auctorem lector adire poterit.

III. Dogma de opinione minus probabili in concursu probabilioris, elapso proxime sæculo, nuper in Galliis recruduerat: sed itum est ipsi obviam a Clero Gallicano, ad Comitia Generalia anno 1700. coacto. Vide descriptam inferius Cleri Gallicani de eo argumento Censuram, seu Declarationem.

IV. Romæ, item de dogmate, de quo est hic quæstio, latum est judicium, quod Episcopi Gallicani prius tulerant. Proscripta est nimirum hæc ab Innocentio XI. propositio: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Ex illius autem propositionis damnatione hæc contradictoria elici debet, nempe, *eum semper prudenter non agere, qui probabiliter agit:* siquidem qui tenui probabilitate nititur, probabiliter tamen (ut fert damnata propositio) operatur: ex quo sequitur, probabilitatem non esse regulam morum. Elici quoque debet hæc alia: *Non licet sequi opinionem minus probabilem quæ libertati favet, in concursu probabilioris, quæ stat pro præcepto:* nempe minus probabilis comparata cum probabiliore, tenuiter tantum probabilis est.

Hanc quoque aliam propositionem idem Innocentius Papa XI. proscripsit: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*: Ergo contradictoria est vera; nempe: *Infidelem, qui non credit, ductus opinione minus probabili, excusatum iri ab infidelitate.* At si opinio minus probabilis infideli non patrocinetur, hoc est, si eum non excuset a peccato infidelitatis; nec patrocinatur etiam, seu non excusat eos qui contra alias a fide virtutes peccant; non enim potior est ratio de præcepto fidei, quam de præcepto aliarum virtutum.

Tandem ab eodem Innocentio XI. damnata est hæc alia propositio: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem*: Hinc autem, seu ex illius propositionis censura sequitur, Confessarium qui judicis & medici personam gerit, non posse pœnitentem absolvere secundum opinionem minus probabilem; proindeque nec ipsi dare consilium, ut secundum opinionem minus probabilem operetur.

Probatur 3. nostra conclusio ratione. Ex

duabus

duabus opinionibus æqualis probabilitatis non licet (ut superius ostensum est) eam amplecti, quæ libertati favet, eo quod (ut ibidem dictum est) eo in casu utraque opinio fiat dubia: ergo a fortiori non licet ei adhærere, quæ minus tuta, minusque probabilis est, in concursu alterius quæ magis est tuta, magisque probabilis: siquidem minus probabilis in concursu probabilioris, est magis dubia, quam probabilis in concursu alterius æque probabilis.

Confirmatur ea ratio. Intellectus in concursu duarum opinionum ejusdem probabilitatis, neutri parti assentitur, impeditus æqualibus ex utraque parte momentis: e contra cum ex duabus opinionibus altera est probabilior, intellectus illi suum consensum necessario præbet, licet cum aliqua formidine partis oppositæ: cum enim intellectus sit potentia necessaria, non potest non determinari ad assensum gravioribus rationibus, quæ illi pro una parte observantur: e contra vero formaliter dissentit a minus probabili; scilicet dissensum illum extorquet assensus, quem probabiliori præbet: Sed opinio, cui intellectus formaliter dissentit, magis est illi dubia, quam illa cui assensum nec præbet, nec negat.

Confirmatur 2. eadem ratio. Qui, auditis doctoribus, propter æqualia ex utraque parte argumenta dubitat, an sibi liceat plures præbendas retinere, non potest, fatentibus etiam adversariis, eis simul frui: ergo a fortiori ei non licet, cum postea ei occurrunt graviores rationes pro sententia quæ docet, illicitum esse plura simul possidere beneficia: siquidem rationes quæ de novo prioribus adduntur, dubium augent, quo Clericus circa plurium beneficiorum simultaneum possessionem prius tenebatur.

Probatur 4. conclusio ex absurdis, quæ sequuntur ex doctrina quæ nostræ conclusioni adversatur.

Sequitur nimirum 1. licitum esse reducere ad praxim illa opinionum moralium portenta, quæ elapso proximo sæculo docuerunt recentiores quidam casuum arbitri, quæque & Romæ & in Galliis (ut superius ostensum est) tanquam erronea, perniciosa, & scandalosa, damnata sunt: dato enim quod illæ opiniones non essent æque probabiles ac contrariæ, ad minus visæ sunt tanquam minus probabiles, ac proinde tutæ in praxi auctoribus, quos vocant ita graves, ut opinioni probabilitatem conciliare possint.

Sequitur 2. licere Theologo dare consilium juxta opinionem, quæ gravibus (ut vocant) auctoribus probabilis videtur, quamvis sit altera minus probabilis, & quamvis ipse eam falsam putet. Nam licitum est Theologo id consulere quod ipsemet potest licite sequi: potest autem (etiam ex adversariis) in praxi sequi opinionem gravibus auctoribus probatam, quamvis eam ipse falsam putet. At id perabsurdum est: is enim qui consulitur, ac præsertim si Pastor sit, cum ipsiusmet Christi vices gerat, tenetur respondere, non quæ falsa, sed quæ vera sunt, aut saltem quæ ad veritatem propius accedere videantur: nempe non poterit alioquin usurpare illud Apostoli Actorum 20. *Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

Sequeretur 3. licitum esse cuique fideli varios adire Casuistas, donec unum repererit, qui secundum petentis desideria respondeat. Unum enim Casuistam posse opinioni, quam tuetur, probabilitatem conciliare, quatuor supra viginti Theologi recentiores docuerunt. Sed hoc plusquam falsum est: Nempe Christianus qui varios adit casuum arbitros, donec unum aut alterum invenerit, qui aliqua opinione minus probabili suis cupiditatibus faveat, juste a Deo permittitur decipi, sicut æquissimo Dei judicio Balaam Propheta deceptus est. Narrant sacri codices, Balac Moabitarum Regem misisse viros qui Prophetam illum conducerent, ut Dei populo malediceret. Balaam monetur divinitus, ne impio Regi obtemperet; sed victus muneribus, ad sui cupiditatem divinum imperium inflectere tentavit: unde æquissimo Dei judicio decipi meruit: *Balaam* (inquit Augustinus) *se victum cupiditate monstravit, qui loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam, devictamque muneribus, permisit eum ire, hoc ipso confundens illius amentiam, quod prohibitionem Dei transgredi asina non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eamdem cupiditatem timore supprimeret . . . . Cur post istam permissionem Dominum non consuluit, & post istam prohibitionem iterum consulendum putavit? nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur.*

Sequeretur 4. Presbyterum audiendis confessionibus præpositum, teneri absolutionem impendere pœnitenti, qui nollet in praxi deponere opinionem suam minus probabilem, quæ favet libertati, quamque Confessarius falsam judicat: siquidem, ex adversariis, opinio minus probabilis est in praxi tuta. Admittitur quidem a nonnullis illud consectarium: sed quam falsum sit ex eo colligitur, quod Confessarius & judicis & medici officio in suum pœnitentem fungatur: ergo sicut medicus non potest ægroto porrigere medicamentum, quod judicat illi noxium fore, quamvis ægrotus illud sibi utile censeat, ductus opinione aliquorum medicorum, qui ægrotis lenocinari solent: ita nec Confessarius potest infirmo, qui suis genibus advolvitur, mederi remediis, quæ grata quidem sunt infirmo, sed quæ noxia ab ipso Con-

Confessario judicantur. Sicut judex non debet a reo discere sententiam, quam in eum ferre debet; ita nec Confessarius eam a confitente doceri debet, quam servato juris ordine in ipsum proferre jubetur.

ARTICULUS III.

De opinione probabiliori in concursu minus probabilis.

Not. Quæstio est, utrum liceat sequi in praxi opinionem probabiliorem, quæ favet libertati, in concursu minus probabilis, quæ stat pro præcepto.

Not. 2. Circa eam quæstionem triplex est sententia. Prima docet, in casu de quo agitur licitum non esse sequi in praxi opinionem probabiliorem, quæ favet libertati, in concursu alterius minus probabilis, quæ stat pro præcepto, ac proinde quæ tutior est. Secunda e contra docet licere eo in casu sequi opinionem probabiliorem. Tertia distinguit materiam, seu asserit licere quidem, cum agitur de jure positivo, sequi opinionem probabiliorem minus tutam; non licere vero in jure naturali. Ratio discriminis est, quia in jure positivo, sive divino, sive humano, dari potest ignorantia invicibilis; ac proinde immunis est a peccato, qui in eo jure sequitur opinionem falsam, modo sit altera longe probabilior: e contra (ajunt auctores tertiæ hujus sententiæ) non datur ignorantia invincibilis in jure naturali; ac proinde (addunt) qui in eo jure sequitur opinionem probabiliorem, si falsa sit, non excusatur a peccato: eo quod illius ignorantia non sit simpliciter & absolute invincibilis.

CONCLUSIO 1. Qui probabilitatem haurit tantum, aut ex præjudicio, aut ex recentioribus casuum arbitris, aut ex ratione per peccatum corrupta, non potest licite sequi in jure naturali opinionem, quam judicat probabiliorem, quæque favet libertati.

Probatur 1. Præjudicia debitam primorum principiorum ad casus particulares applicationem impediunt. 2. Recentiores casuum arbitri, nullius sunt ponderis, nisi in quantum cum antiquis Patribus cohærent. 3. Corrupta per peccatum ratio, non est morum regula: ergo qui probabilitatem ex iis solis capitibus haurit, non potest in jure naturali sequi opinionem quam judicat probabiliorem, quæ favet libertati, in concursu alterius quam ex iisdem principiis judicat minus probabilem, & quæ stat pro præcepto.

Confirmatur ex Sancto Thoma, qui 1. 2. q. 94. art. 6. sic loquitur: *Quantum vero ad alia principia secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, eodem modo quo etiam in speculativis contingunt errores circa conclusiones necessarias; vel etiam propter consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia, peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut Apostolus dicit ad Romanos.*

CONCLUSIO 2. Qui probabilitatem haurit ex Scriptura, & Traditione, licite potest, etiam in jure naturali, sequi opinionem probabiliorem, quæ favet libertati, relicta minus probabili, quæ stat pro præcepto, seu quæ asserit, actum aliquem particularem esse licitum.

Probatur: Sumendo probabilitatem ex Scriptura & Traditione, opinio probabilior est ea quæ judicio Sanctorum, & Ecclesiæ Præpositorum est conformis Scripturæ & Traditioni: atqui licitum est sequi opinionem, quæ judicio Sanctorum & Ecclesiæ Propositorum, est conformis Scripturæ & Traditioni; cum enim Scriptura & Traditio sint morum regula, & præterea sancti Doctores, & Ecclesiæ Præpositi, sint divina ordinatione eorumdem Scripturæ & Traditionis interpretes, opinio quæ in eo casu est probabilior, est opinio vera: ergo licitum est eam sequi relicta minus probabili quæ stare videtur pro præcepto. Ita censuit Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. congregatus, ut articulo proxime sequenti dicetur: ita etiam judicavit Alexander papa VIII. a quo damnata est hæc propositio, quam idem Clerus erroneam esse judicavit: *Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam.*

Confirmatur argumentum ex S. Thoma, qui expresse asserit, eum, qui agit contra legem naturalem, licet agat ex conscientia, non esse immunem a peccato. *Respondeo dicendum* (inquit Quodlib. 8. art. 13.) *quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: Uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem, ut si conscientia dictet alicui, quod levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem aliquis obligatur ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem* (naturalem; nam Sanctus Doctor adducit in exemplum peccatum fornicationis) *semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam. Et similiter quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum.* Ratio autem, cur peccet, qui contra legem naturalem agit, licet agat ex conscientia, est, quia suam conscientiam non format ex Scripturæ & Traditionis principiis, quæ a sanctis Doctoribus ab Ecclesia probatis, & ab ejusdem Ecclesiæ Præ-

positis

poſitis explicata ſunt. Defectu attentionis ad illa principia recentiores quidam Caſuiſtæ innumera contra legem naturalem opinionum portenta, tanquam regulas morum, protulerunt in medium.

ARTICULUS IV.

Quænam ſit Eccleſiæ Gallicanæ de Probabilitate doctrina.

Not. QUænam ſit Eccleſiæ Gallicanæ de Probabilitate doctrina, ex puriori & certiori fonte hauriri non poteſt, quam ex ejuſdem Eccleſiæ Comitiis Generalibus in Palatio Regio San Germano anno milleſimo ſeptingenteſimo celebratis. Iis autem in Comitiis, duo acta ſunt ad cauſam, de qua agitur, ſpectantia. Primo, quædam propoſitiones a quibuſdam auctoribus promulgatæ, ſpeciali cenſura notatæ ſunt: 2. Certæ ac veræ de probabilium uſu regulæ populis fidelibus, & animarum rectoribus præfixæ ſunt. Licet ſuperius plures ex iis propoſitionibus jam retulerimus, placet eas omnes ſimul lectorum oculis ſubjicere.

Propoſitiones Cenſura notatæ.

Prima Propoſitio. *Puto, omnia eſſe hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipue in morali, libentius juniores quam antiquiores lego & ſequor . . . . Doctrina fidei a veteribus: doctrina morum magis a junioribus petenda.*

Cenſura. *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, SS. Patribus & antiquis Doctoribus contumelioſa: Spreta in moribus Chriſtianorum componendis neceſſaria Scripturarum ac traditionis auctoritate, & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas, Chriſto prohibente, ſtabiliendas.*

Secunda Propoſitio. *Ex auctoritate unius tantum, poteſt quis opinionem in praxi amplecti, licet a principiis intrinſecis falſam & improbabilem exiſtimet.*

Tertia Propoſitio. *Hæc propoſitio, ſexdecim ad probabilitatem requiruntur, non eſt probabilis. Si ſufficiunt ſexdecim, ſufficiunt quatuor; ſi ſufficiunt quatuor, ſufficit unus . . . Ad probabilitatem ſufficiunt quatuor: ſed quatuor, immo viginti & ſupra teſtantur unum ſufficere; ergo ſufficit unus.*

Cenſura. *Hæ propoſitiones, falſæ ſunt, ſcandaloſæ, pernicioſæ: ſpreta veritate, quæſtiones morum ad numerum auctorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.*

Quarta Propoſitio. *Si liber ſit alicujus junioris ac moderni, debet opinio cenſeri probabilis, cum non conſtet rejectum eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.*

Quinta Propoſitio, *Non ſunt ſcandaloſæ, aut erroneæ opiniones, quas Eccleſia non corrigit.*

Cenſura. *Hæ propoſitiones, quatenus ſilentium & tolerantiam pro Eccleſiæ, vel Sedis Apoſtolicæ approbatione ſtatuunt, falſæ ſunt, ſcandaloſæ, ſaluti animarum noxiæ, patrocinantur peſſimis opinionibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam, viam parant.*

Sexta Propoſitio. *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

Cenſura. *Hæc propoſitio, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum, aut traditionis fundamento, cum magno animarum periculo ſtatuit.*

Septima Propoſitio. *Si quis vult ſibi conſuli ſecundum eam opinionem, quæ ſit faventiſſima, peccat qui non ſecundum eam conſulit.*

Cenſura. *Hæc propoſitio, quæ docet, blanda & adulatoria conſilia, contra jus exquirere, & contra conſcientiam dare, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, in praxi pernicioſa, viamque deceptionibus aperit.*

Octava Propoſitio. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

Nona Propoſitio. *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Decima Propoſitio. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

Undecima Propoſitio. *In morte mortaliter non peccas, ſi cum attritione tantum Sacramentum ſuſcipias, quamvis actum contritionis tunc omittas libere: licet enim unicuique ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore.*

Cenſura. *Doctrina his propoſitionibus contenta, eſt reſpective falſa, abſurda, pernicioſa, erronea, probabilitatis peſſimus fructus.*

Regula Cleri Gallicani de probabilium uſu.

Abſit vero (inquiunt Gallicani Patres) *ut probemus eorum errorem, qui negant,* licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam, *ſed ad rectum uſum probabilium opinionum has regulas a jure præſcriptas agnoſcimus.*

Primum, ut in dubio de ſalutis negotio, ubi æqualia utrinque animo ſe ſe offerunt ratio-

rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est in eo casu unice tutum: neque id consilii, sed praecepti loco habeamus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit; *hac prima regula.*

Altera, Ut circa probabiles de Christiana Doctrina sententias, sequamur id, quod Viennense OEcumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis; Nos hanc opinionem .... tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem duximus eligendam. *Quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas ac salus pendet.*

Ex hac igitur regula fit consequens; primum ut in rebus theologicis ad fidei & morum dogmata spectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas sanctis Patribus tradant sententias. Deinde, ut si ab iis recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique, ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit.

Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis, ac notis auctoribus postremo demum sæculo proditum, & ab iisdem pro morum regula positum, repugnat huic effato a Patribus (Vincentio Lirinensi, Commonitorio 1. c. 3.) *celebrato*: Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus; *nec habere potest christianæ regulæ securitatem.*

Hoc initium malorum esse, atque omnium ante dictarum corruptelarum caput, & doctrinæ confusio, & series temporum ostendit. Hoc (in Censuris Apologiæ Casuistarum) *ab Antecessoribus nostris, viris fortibus ac religiosis, censorie notatum, hoc sæpe reprehensum, bonisque reprehendi nullo incusante, immo bonis plaudentibus diffiteri non potest.*

Nos quoque iis de caussis, has novas sententias, in salutis negotio periculosas, re diligenter inspecta, summa ope caveri, ac prohiberi oportere censuimus, ac censemus.

Placet autem illa prudentia: ut ante omnia custodiamus, & in tuto collocemus, id quod unum est necessarium, *atque illud Dominicum*, Estote prudentes sicut serpentes, *qui profecto, quod præcipuum est, capite, sibi consulunt: neque quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deposito, dicente Scriptura*: Rationabile obsequium vestrum: & *iterum*: Sapiens timet & declinat a malo, stultus transilit & confidit: *Postremo audiamus Apostolicum illud*: Omnia probate; quod bonum est, tenete: & *iterum*: Omne quod non est ex fide, *id est, ex conscientia, sive ex persuasione*, peccatum est: *Denique*, Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, *non aliorum utique, sed ipsorum & sua.*

Admonitio & Conclusio.

Admonemus autem Compresbyteros nostros, sive Sæculares, sive Regulares, quicumque Episcoporum auctoritate, vel verbum Dei prædicant, vel Sacramenta administrant, Ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu, verius, perverti sinant, plebemque christianam ab ejusmodi spatiosa lataque, per quam itur ad perditionem, via, in rectam semitam evocent. *Quæ Christi verba ab Alexandro VII.* (in Præfatione Decreti 24. Sept. 1665.) *inculcata, alte animis insistere optamus, & oramus, speramusque in Domino fore, ut quicumque hactenus laxiores illas sententias, nulla certa ratione, sed alii alios secuti docuerunt, docere ipsas desinant, quippe quas & Episcopi, ipsique Romani Pontifices, reprehendant. Hæretici vero, immerito illi quidem, sed tamen pro more suo, Ecclesiæ imputent, atque in iniuriam vertant; filii quoque sæculi ut vanas rideant. Quare inanem illam, Deoque & hominibus exosam Sophisticen aliquando aversati, auctore S. Hieronymo* (in Mich. c. 3. ad illa verba, Hæc dicit Dominus) *ad recta se conferant*: Ut qui prius populum blandimentis decipiebant, postea vero annuntiando deterreant, & ad rectam revocent viam, & qui caussa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus, quæ intulerant, & esse occasio sanitatis. *Hactenus Clerus Gallicanus ad Comitia Generalia anno 1700. congregatus.* Verissimis illis; ac tanta cum sapientia traditis regulis, theologi omnes (ut speramus) adhærebunt, exsulabitque a scholis Christianis decantatum illud axioma: *Id omne licitum est, quod est probabile.*

ARTICULUS V.

Solvuntur argumenta, quæ in Probabilitatis defensionem afferuntur.

Not. ARgumenta, quæ a Probabilitatis defensoribus objiciuntur, reducuntur ad hæc capita; 1. ad quædam quæ ex ratione petuntur; 2. ad quædam Patrum verba; 3. ad quasdam Juris Canonici regulas; 4. ad nonnulla absurda, quæ ex opposita doctrina sequi videntur. Ea vero argumenta, ne quid nostræ de Probabilitate quæstioni desit, sigillatim solvenda sunt.

Sol-

Solvuntur argumenta ex ratione petita.

Objicies 1. Opinio probabilis, prout a recentioribus defenditur, duas debet habere dotes, quæ eam ab omni plane invidia liberant: Oportet enim 1. ut gravibus rationibus nixa sit, id est, quæ tam proprie ad veritatem accedant, ut licite ad assensum non cogant; satisfaciant tamen viro sapienti, & prudenti, & ita solidæ sint, ut demonstrari non possit, quod sint falsæ. Oportet 2. ut opinio probabilis nec rationi evidenti, nec Scripturæ, nec traditioni opposita sit: Atqui in moralibus licitum est sequi opinionem, quam eæ dotes comitantur, ut comitantur revera, etiamsi opinio sit minus probabilis: ergo in praxi licitum est sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, in concursu alterius, sive æque probabilis, sive probabilioris, quæ stat pro præcepto.

Respondeo, probabilitatis defensores, nomine *rationum gravium*, non intelligere rationes, quæ a parte rei & absolute veræ sint, cum fateantur opinionem probabilem posse esse falsam; falsam autem nunquam veritate nitatur. Oportet igitur, ut *gravium rationum* nomine, intelligant rationes, quæ quamvis falsæ, a viris maturi judicii censeantur veræ. Propter eamdem rationem, per hæc verba: *Oportet ut opinio probabilis, nec traditioni, nec rectæ rationi contraria sit*, non intelligitur, quod opinio probabilis realem habeat cum Scriptura, traditione, & recta ratione conformitatem: cum (ut jam observatum est) opinio probabilis, prout probabilis, possit esse falsa, & necessario id contingat in alterutra ex propositionibus probabilibus sibi invicem contradictorie oppositis: necesse est igitur, ut intelligatur eo sensu, quod opinio, quæ a parte rei potest esse, & est nonnunquam contra Scripturam, traditionem, & rectam rationem, ab opinante tamen hujusmodi non judicetur.

His præmissis, seu, detecto adversariorum fuco, in forma ad argumentum, quod nobis objectum est, respondemus negando min. nempe negando, licitum esse sequi quamcumque opinionem probabilem, quæ ab operante, viro alioquin sapiente, judicatur non esse contra Scripturam, aut traditionem, aut rectam rationem. Id enim nequaquam licet in concursu alterius opinionis probabilioris, aut æque probabilis, quæ stat pro præcepto. Argumenta, quibus duplex ea responsio nititur, supra fuse prosecuti sumus.

Objicies 2. Qui sequitur opinionem probabilem, sive præcepto, sive libertati faveat, prudenter agit: ergo non peccat. Probatur ant. Ille prudenter agit, qui agit, prout dictat recta ratio: sed qui sequitur opinionem probabilem, agit, prout dictat recta ratio, cum agat ductus argumentis, quæ viros pios, & doctos ad assensum determinare possunt: non enim aliis argumentis fulciri debet opinio, ut certo sit probabilis: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. ant. Agit ductus argumentis, qui viros pios, & doctos determinare possunt ad assensum, cum non opponitur opinioni aut probabiliori, aut saltem æque probabili, transeat ant. cum opponitur opinioni aut probabiliori, aut saltem æque probabili, neg. ant.

Et sane quis eum prudentem dixerit, qui, licet ex neutra parte veritas affulgeat, immo æqualia sint ex utraque parte momenta, in nullam dubitationem inducitur; aut qui cum dubio agit, vel qui, si dubium deponere, aut ab operare abstinere non possit, non eligit tutius, seu, id quod eo in casu est unice tutum?

Imprudentissimus est is, qui affirmantibus aliis aliquam escam veneno infectam, aliis cum æquali rationum pondere negantibus, absque ulla dubitatione judicat, escam illam esse integram, ac expertem veneni cujuslibet. Majoris imprudentiæ ac temeritatis reus est, qui dubitans & hærens, nec sciens, utra verior sit sententia, eam tamen escam, quasi sinceram ac puram sumit. Jam si is non modo incertus sit, sed magis in alteram partem propendeat, probabiliusque putet escam vitiatam, quam incorruptam, eam tamen ex altera parte judicet sanam, eamque manducet, non imprudentissimus modo, sed etiam stultissimus ab omnibus omnino sapientibus censebitur. Quid enim aliud est in rebus humanis imprudentia, quam minus probabilia, seu ea quæ judicamus minus vera, magis probabilibus, hoc est, quæ magis vera judicamus, præponere?

Placet id exemplis confirmare. Si quis exercitus alicujus dux eo tempore prælium committat, quo probabilius putat, se victum iri, quam victurum esse: si mercator iis conditionibus societatem contrahat, quæ noxias magis, quam utiles, probabilius judicet, numquid illi apud homines non modo imprudentes habebuntur, sed etiam in stultitiæ exemplum ab omnibus sapientibus, sive ducibus, sive mercatoribus, proferentur?

Objicies 3. Innumeri fere omnium Ordinum, omniumque Gentium theologi docent, eum non peccare, qui sequitur opinionem probabilem, immo & minus probabilem, quæ libertati favet, in concursu alterius, aut æque probabilis, aut probabilioris, quæ stet pro præcepto legis tum naturalis, tum positivæ. Tot tantorumque Scriptorum in unam eamdemque sententiam consensus, ipsum præsentis Ecclesiæ sensum exprimere videtur: Ergo &c.

Resp. 1. expungendos esse ex eo numero, qui tanti fit ab adversariis, 1. omnes germanos Doctorum Angelici & Subtilis discipulos; 2. variarum orbis Academiarum Magistros

giſtros omni exceptione majores; 3. Eccleſias particulares, quæ (ut ſuperius oſtenſum eſt) Paſtorum ſuorum ore declararunt, probabilitatem non eſſe morum regulam: 4. Totam Eccleſiam Gallicanam, quæ (ut hujuſce capitis articulo quarto narratum eſt) ad Comitia Generalia anno 1700. congregata, recentiorum probabilitatis dogma proſcripſit, præfixitque regulas, quæ illi opponuntur e diametro.

Reſp. 2. multorum recentiorum Scriptorum, quantus quantuſque fingatur eorum numerus, unanimem Eccleſiæ præſentis ſententiam non exprimere; eluceſcit nimirum præſentis Eccleſiæ ſenſus in Scriptura ſacra, & Patrum traditione, a quibus piaculum eſt aſſerere diſceſſiſſe quæ nunc per totum orbem floret Eccleſia. Eluceſcit quoque in Eccleſiæ Paſtoribus, Epiſcopos dico & Pontificem Maximum, quos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei: *Theologos quidem* (inquit Clerus Gallicanus) *etiam moderno audiamus, ſi tamen conſonas ſanctis Patribus tradant ſententias. Verùm, ut ſi ab eis recedant* (ut in hoc capite re dum quàm maxime) *harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut eis ulla tribuatur auctoritas.*

Confirmatur illa reſponſio ex eo, quod ſi Scriptorum recentiorum ſententia, præſentis Eccleſiæ doctrinam exprimeret, grave ſequeretur abſurdum, quod & importune & immerito nobis objiciunt heterodoxi: nempe Eccleſiam Catholicam, quæ firmamentum eſt, ac columna veritatis, probare ac docere illa contra Decalogum opinionum portenta, quæ nuper ab Alexandro Papa VII. Innocentio XI. & ab Eccleſia Gallicana in Comitiis Generalibus proſcripta ſunt. Ea enim omnia & ſingula (quod & flentes dicimus) in plurium recentiorum libris reſpective continentur; contineríque demonſtravit oculatiſſimus cæcus Proſper Fagnanus in Caput: *Ne innitaris*, ubi ſingulorum illorum Scriptorum appellatis nominibus, portentoſa eorum dogmata, probabilitatis fructum (ut loquitur Clerus Gallicanus) peſſimum, ſigillatim recenſet.

Objicies 4. Licitum eſt ſequi opinionem tutam in concurſu tutioris: ergo & probabilem, quæ libertati favet, in concurſu alterius, aut æque probabilis, aut probabilioris, quæ ſtat pro præcepto. Probatur ant. Quamvis tutius ſit caſtitatem, paupertatem, & obedientiam in Monaſterio, ubi monaſtica diſciplina viget, profiteri; non peccat tamen is, qui matrimonium contrahit, ſuique juris eſt in ſæculo.

Confirmatur 1. ex S. Antonino, qui 1. part. Titul. 3. cap. 10, §. 10. expreſſe docet, conſilii eſſe, non autem præcepti viam eligere tutiorem. Confirmatur 2. ex S. Thoma, qui aſſerit, hominem qui in peccatum mortale lapſus eſt, non teneri ſub pœna peccati ſtatim poſt admiſſum ſcelus confiteri, quamvis contrarium tutius ſit; immo, ex S. Bonaventura, præceptum: ergo &c.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt 1. quia licet opinio minus tuta, non ſit tutiore remotior a peccandi periculo; eſt tamen verior, ſeu magis ad veritatem accedit. E contra opinio minus probabilis quæ favet libertati, a veritate remotior judicatur, ac proximior peccandi periculo. 2. Opinio minus tuta in concurſu tutioris, tuta eſt, ac certa; neque enim ei intellectus adhærere poteſt cum formidine partis oppoſitæ: at opinio probabilis in concurſu alterius æque probabilis, aut probabilioris, nec tuta eſt, nec certa, cum ei non ſine juſta formidine partis oppoſitæ, intellectus aſſentiatur.

Eo nixus principio S. Antoninus, jure ac merito docuit, profeſſionem caſtitatis, obedientiæ, ac paupertatis in approbata religione, conſilii eſſe, non autem præcepti: Conveniunt enim omnes, vitam in ſæculo actam, in ſe & abſolute ſumptam, tutam eſſe, nec per ſe peccandi periculo quemquam ad eam vocatum exponere.

Eodem principio nititur S. Thomas, cum docet, impium ſtatim ad confeſſionem non teneri: ſiquidem in brevis temporis ſpatio, ad quod ſuam confeſſionem protrahere poteſt, non eſt morale vitæ, ac proinde nec ſalutis periculum. Præterea non libertati peccatoris favet illa S. Thomæ doctrina, ſed legi quæ vetat, ne quis fictus accedat ad pœnitentiæ ſacramentum: fictionis enim periculum eſt, cum quis ſatis temporis non impendit, ut prævio examine ſuam conſcientiam excitet, ac jugi oratione a Deo contritionis donum obtineat.

Præterea, opinio quam circa confeſſionem mox a peccato mortali faciendam, nonnulli, quamvis immerito, S. Bonaventuræ tribuunt (licet enim religioſos ratione ſtatus perfecti in quo vivunt, confeſſionem protrahi non poſſe crediderit; indulſit tamen laicis, ut ad Quadrageſimam uſque illam differant, ut oſtendimus in noſtro Commentario Hiſtorico & Dogmatico de Sacramentis) opinio (inquam) illa omni prorſus probabilitate caret, tum quod oppoſita ſit totius antiquæ Eccleſiæ praxi, quæ quoſdam lapſos ſtatim abſolutione non donabat, tum quod ferant etiam nunc Eccleſiaſticæ leges, ut impius, qui mortaliter peccavit ex conſuetudine, non abſolvatur, niſi præviis ac conſtantibus pietatis operibus emendationem, ac contritionem probaverit.

Solvitur argumentum ex Leone Magno petitum.

Objicies. Leo Magnus docuit, eum non peccare, qui opinionem probabilem ſequitur: ſive

sive sit vera, sive sit falsa, sive minus probabilis: sic enim loquitur in Epistola ad Rusticum Narbonensem: *In iis quæ vel dubia sunt, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum*: atqui sic se habet opinio probabilis: ergo, ex Leone Magno, licitum est sequi opinionem probabilem.

Resp. 1. neg. min. Nam 1. opinio minus probabilis, tantum abest, ut judicetur cohærere cum præceptis Evangelicis, & sanctorum Patrum decretis, quin e contra verisimilius judicetur ab iis dissentire. 2. Praxis opinionis probabilis in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto, adversatur Patribus: scilicet inter opiniones æque probabiles dubius hæret intellectus: at Patres definiunt, non licere in eo casu sequi alterutram ex opinionibus probabilibus, sed eam tantum quæ tutior sit. *In dubiis* (inquit) *semitam debemus eligere tutiorem*.

Resp. 2. dist. maj. Id noverimus sequendum tanquam conditionem requisitam, conc. maj. tanquam conditionem sufficientem, neg. maj. Hoc est, Leo Magnus docuit requiri quidem, ut res quæ fit, non sit contraria præceptis Evangelicis, aut sanctorum Patrum decretis; sed non docuit, id satis esse: siquidem præterea requiritur, ut cum dictamine conscientiæ, quæ de bonitate operis moralem habeat certitudinem, & cum legibus civilibus cohæreat: at in casu de quo agitur (ut jam sæpius observatum est) conscientia nec habet, nec habere potest certitudinem illam.

Solvuntur argumenta ex S. Thoma petita.

Objicies. S. Thomas Quodlib. 8. art. 13. sic de eo loquitur, qui plures simul titulos Ecclesiasticos habet: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat*: atqui (ut supponunt defensores probabilitatis) qui ex duabus opinionibus probabilibus eligit, aut minus probabilem, aut æque probabilem, quæ asserit, actum esse licitum, ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur: ergo, &c.

Resp. 1. dist. maj. Ex S. Thoma, qui ex duabus opinionibus contrariis in nullam dubitationem inducitur, non committit se discrimini, nec peccat, si opinionem a parte rei veram eligat, conc. maj. si opinionem a parte rei veram non eligat, neg. maj. Eum autem esse Angelici Doctoris sensum, probatur ex eo, quod verbis istis, quæ nobis objiciuntur: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur*, hæc alia præmittantur: *Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod vere liceat habere plures prabendas*.

Itaque privatio dubii, de qua loquitur S. Thomas, non intelligitur de homine qui eligit opinionem falsam, sed de eo tantum qui eligit veram: hoc est, S. Doctor docuit, hominem qui eligit opinionem veram, nec dubitat, non agere aut contra legem, aut contra conscientiam; ac proinde non peccare: cum peccatum sit id quod est aut contra legem, aut contra conscientiam.

Resp. 2. conc. maj. neg. min. Hoc est, nego eum, cui simul obversantur duæ de eodem actu opiniones æque probabiles, non dubitare de bonitate morali ejusmodi actus; cum enim intellectus non sit potentia libera, sed necessaria, oportet, ut suspensus ac dubius hæreat, quando non est majus rationum pondus pro una parte, quam pro alia: unde probabilitatis defensores immerito supponunt, intellectum eo in casu non esse dubium, sed firmiter uni parti potius quam alteri assentiri. Rationes, quibus ea responsio nititur, fuse superius pertractatæ sunt.

Solvitur argumentum ex S. Antonino petitum.

Objicies. S. Antoninus fertur sic cuidam, a quo consultus fuerat, respondisse: *Ex responsis quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod Frater simplex, vel quislibet homo, cum salute potest sequi in consilio quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem sequatur*. Ergo, ex S. Antonino, licitum est sequi opinionem, etiam minus probabilem: ergo ex eodem S. Doctore, vel unus Magister, qui magni sit nominis, potest alicui opinioni eam probabilitatem conferre, quæ operantem in tuto constituat.

Resp. 1. consilium illud S. Antonini (quod tamen illius non est, cum, ut mox dicetur, ipse contrarium doceat) non tanquam ex Alberti Magni scriptis haustum referri, sed ex auditu tantum, cui non raro falsum subesse solet.

Resp. 2. laudatum illud ex Alberto Magno consilium (si tamen ejus sit, quod probari non potest) de iis rebus intelligi, quæ ex se quidem sunt indifferentes, sed tamen scrupuloso cuidam (ut erat frater ille, cui fertur datum fuisse consilium) ex levissimis argumentis malæ videntur; quo quidem in casu nemo dubitat, quin scrupulosus viri magni nominis consilio stare debeat; at id verum non est in rebus quæ magni sunt momenti, & circa quas variant Doctorum sententiæ: tunc enim quisque aut ab actu temperare debet, aut partem eligere tutiorem.

Resp. 3. evidens esse ex ipso S. Antonino, consilium illud intelligi non posse de iis hominibus, quibus opiniones contrariæ, aut æque probabiles, aut quarum una probabilior est, obversantur: sic enim loquitur 1. part. Titul. 3. §. 10. *Potest aliquis tenere*

unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quando etiam ex contrarietate opinionum non inducitur ad dubitandum; sed bonam conscientiam & credulitatem format de eo quod credit tanquam PROBABILIORI *parte.*

Confirmatur nostra responsio judicio doctrinali Facultatis Theologicæ Parisiensis, cui ita persuasum fuit, doctrinam, quæ nobis objicitur, non esse Alberti Magni, aut S. Antonini, ut eam proscripserit in Amadæo Guimenio, a quo in probabilitatis patrocinium laudata fuerat: sic autem se habet damnata in eo auctore propositio: *Dicit idem, quod Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus magni Doctoris opinionem sequatur. Sic ille, & merito: nam unicum gravem Doctorem constituere opinionem extrinsece probabilem, docent quatuor super viginti Doctores.* Vide etiam censuram latam a Clero Gallicano, anno 1700. ad Comitia Generalia coacto, quam hujusce Tomi pag. 301. & aliis de verbo ad verbum descripsimus.

Solvuntur argumenta petita ex quibusdam Juris regulis.

Objicies 1. Ex Jure Canonico, cum æquales sunt pro utraque parte rationes, Judex tenetur ferre sententiam in illius favorem, pro quo stat possessio: *In pari caussa melior est conditio possidentis.* Unde sic arguitur: Eodem modo quisque in agendis se se gerere potest, quo Judex in ferendis sententiis: atqui Judex in ferendis sententiis debet sententiam ferre in favorem illius, pro quo stat possessio: ergo quisque privatus potest quoque in agendis sequi opinionem, quæ favet possessioni suæ libertatis, hoc est, eam opinionem, quæ docet actum esse licitum.

Resp. 1. dato, quod allatum juris axioma valeat etiam in foro conscientiæ (quod tamen, ut in responsione secunda demonstrabitur, falsum est) non sequi, cuivis licitum esse eligere in praxi opinionem, quæ docet, actum esse licitum: siquidem possessio in eo casu non stat pro illius libertate, sed pro lege, sive sit æterna, sive naturalis, sive positiva divina, sive positiva humana: leges enim illæ latæ fuerunt, & vim habuerunt, antequam is, cui duæ opiniones probabiles obversantur, suæ libertatis possessione frueretur. Vasquesii est illa responsio, qui in 1. 2. disp. 65. c. 3. sic loquitur: *Nec potest quis contra Deum opponere, quod melior sit conditio possidentis. Et sane quis imaginari unquam poterit Deum litigare, & contendere nobiscum de anterioritate, & potioritate possessionis, quinimmo & succumbere in caussa, si nostra possessio anterior est?*

Resp. 2. neg. maj. Ratio est, quia Judex fert sententiam dumtaxat in foro exteriori: e contra vero operans, eam fert in foro interiori: ea vero quæ locum habent in foro exteriori, non semper eum habent in interiori: unde par non est ratio inter Judicem qui judicat, & hominem qui operatur.

Confirmatur responsio ex eo quod laudatum juris axioma locum habeat tantum in foro exteriori, & quidem in materia justitiæ, quæ quidem est virtus quæ est ad alterum. Idque evidenter demonstrant plures textus juris canonici. In Capite, *Illud, de Cler. excomm. ministr.* deponitur Episcopus, quamvis esset in possessione suæ libertatis communicandi cum fidelibus, eo quod in dubio partem tutiorem non elegisset. In Capite, *Dominus, de secundis nuptiis*, declaratur mulierem quæ de morte prioris conjugis dubitabat, non potuisse pergere in possessione debitum a secundo marito exigendi. In Capite, *Inquisitioni, de sent. excomm.* conjux dubitans probabiliter de impedimento dirimente, similiter prohibetur debitum exigere, non obstante exigendi possessione. In Capite, *significasti, de homicidio*, non obstante ratione adducta, quod in dubio nemo se debeat judicare culpabilem, & seipsum sua possessione spoliare, statuitur, ut si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interierit, Sacerdos in hoc dubio tanquam homicida haberi debeat, etsi forte homicida non sit. Favent & textus omnes in quibus declaratur, Sacerdotes in dubiis debere seipsos tanquam irregulares habere, & temperare ab altaris ministerio, nulla habita ratione possessionis libertatis propriæ. Et quidem merito: si enim possessio illa esset attendenda, nunquam daretur casus, in quo quis in dubio tutiorem partem eligere teneretur; & hoc præceptum toties in jure Canonico inculcatum, nunquam executioni mandari deberet. Ex iis quæ hucusque dicta sunt, evidenter patet, illam juris regulam quæ nobis objicitur, *In pari caussa melior est conditio possidentis*, locum non habere in foro interiori, & in aliis a justitia virtutibus; sed tantum in foro exteriori, & in sola materia justitiæ, quæ est ad alterum.

Objicies 2. Ex jure Canonico, de regulis juris in Sexto, *Favores sunt ampliandi, & odia restringenda*, seu, *In pœnis benignior est interpretatio facienda*: atqui opinio quæ libertati favet, licet minus sit probabilis, est benignior, ac minus est odiosa, quam aut æque probabilis, aut probabilior, quæ stat pro præcepto: ergo &c.

Resp. 1. dist. maj. Favores sunt ampliandi, & odia restringenda, cum non agitur de licito, aut illicito, conc. maj. cum agitur de licito, aut illicito, neg. maj. idque ex ipsius regulæ terminis evidens est: nempe termini regulæ de solis pœnis loquuntur; id

est,

est, hoc unum præscribitur, ut Judex in pœnis, quas jus in crimen decernit, minorem infligat, cum dubium est, an hæc aut illa pœna actui debeatur: sic cum expresse non constat ex juris textu, irregularitatem, aut suspensionem infligi debere, tunc a Judice in reum decerni minime possunt. Ex his patet, quod cum opinio probabilis sit de licito, aut illicito, in ea locum habere non debeat laudatum ex jure axioma: *Favores sunt ampliandi, & odia restringenda.*

Resp. data majore propositione, neg. min. Scilicet adversarii immerito supponunt, opiniones quæ concupiscentiæ favent, benigniores esse. E contra quæ stant pro præcepto, cum in lucrum spirituale, & in veram operantis utilitatem cedant, dicendæ sunt benigniores, & favere veræ & Christianæ libertati, quæ quidem in mandatorum observatione posita est.

Petita est ea responsio ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 147. art. 2. ad 3. sic loquitur: *Præcepta divina non sunt contra libertatem populi fidelis, sed magis sunt utilia ad impediendam servitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galatas 5. Vos enim, fratres, vocati estis in libertatem, tamen ne libertatem detis in occasionem carnis.*

Solvitur argumentum ex Alexandro Papa III. petitum.

Objicies. Alexander Papa III. in libr. 4. Decretal. *De Cognatione spirituali*, Titul. 11. cap. 2. quæsitus, utrum quoad thorum separanda esset mulier, cujus maritus, vel præ malitia, vel per ignorantiam, proprium filium de sacro fonte levaverat, respondet, quod quamvis nonnulli mulierem illam separandam esse censerent, sibi tamen aliud videri, ac se benigniori opinioni adhærere: sic habebat casus laudato Pontifici propositus: *Si vir, vel mulier scienter, vel ignoranter, filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant.* Antequam idem Summus Pontifex casum solvat, duas circa eam quæstionem Auctorum sententias recenset: *Quamvis* (inquit) *generaliter sit constitutum, ut debeat separari; quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt.* Utraque Auctorum illorum sententia erat probabilis; una rigidior, quæ legi favebat, *Quamvis sit generaliter constitutum, ut debeant separari:* altera benignior, quæ favebat libertati: *Quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt.* Recensita duplici illa, sive rigidiori, sive benigniori opinione, idem Pontifex Maximus benigniorem, seu eam quæ libertati favebat, amplectitur: *Ideoque* (ait ibidem) *nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debitum debet subtrahere.*

Ex eo Alexandri III. responso sic argumentum conficitur. Id licitum est, quod eo in casu egit Alexander Papa III. atqui in concursu duarum opinionum, quarum una legi favebat, altera libertati, elegit istam, non autem aliam; ergo in concursu duarum opinionum probabilium, licitum est utramque in praxi sequi & eligere.

Resp. 1. conc. maj. neg. min. seu, neg. humaniorem opinionem, ad quam Alexander casum sibi propositum resolvit, conjugum libertati favisse: e contra favebat legi matrimonii, per quam conjuges ad thorum jus mutuum habent, & per quam uterque conjux tenetur alteri debitum petenti, illud non subtrahere: hæc autem lex, cum juris sit naturalis ac divini, major est ea, quam Ecclesia circa spiritualem cognationem instituit.

Resp. 2. neg. iterum eamdem min. seu, neg. opinionem, ad quam Alexander solvit casum, fuisse minus probabilem, quam opposita.

Ratio est 1. quia tota ratio, qua nituntur adversarii, est, quod opinio, quam Papa secutus est, dicatur humanior: *Quidam tamen humanius sentientes*: Sed nulla est illa ratio; nam alioquin sic Alexander pessime ratiocinatus fuisset: *Opinio urgens conjuges illos debere quoad thorum separari, minus est probabilis, & minus tuta, quam opinio affirmans: ergo alteri est a me præferenda:* causalem enim arguunt hæc verba; *Ideoque nobis videtur quod non sunt ab invicem separandi.*

Ratio est 2. quia falsum est, adverbium, *humanius*, quo Papa utitur, significare opinionis cui adhæret, aut minorem, aut saltem æqualem probabilitatem cum opposita. Immo significat majorem probabilitatem, cum proferatur per modum caussæ Resolutionis, quam Alexander tradit: *Quidam humanius sentientes, aliter statuerunt*: IDEOQUE, &c. Unde Ostiensis, multique alii insignes Canonistæ idem adverbium, *humanius*, vertunt per, *æquius*, *rationabilius*. Nec immerito, cum (ut jam observatum est) Pontifex inferat, se judicare conjuges, de quibus erat quæstio, non esse ab invicem separandos, quod opinio quæ asserebat separari non debere, esset humanior.

Solvitur argumentum petitum ex Innocentio III.

Objicies. Innocentius Papa III. consultus de muliere, quæ contendens, se intra consanguinitatis gradus lege prohibitos viro conjunctam fuisse, non expectato judicis ecclesiastici judicio, sese ab eo separaverat; duas oppositas sententias refert, quarum altera ferebat, ut illa mulier redderetur marito, antequam ad consanguinitatis probationem admitteretur; altera vero ferebat ut quæstio

de gradu consanguinitatis dirimi deberet, antequam mulier viro eam petenti redderetur. Innocentius nulla ex iis opinionibus rejecta, tertiam inter duas oppositas mediam eligit: *Nos autem* (inquit lib. 2. Decretalium de restitutione Spoliat. Tit. 13. c. 13.) *ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus; nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari.*

Ex his autem sic arguitur. Ille censuit, licitum esse sequi opinionem probabilem quæ libertati favet, in concursu alterius æque probabilis quæ stat pro præcepto, qui asseruit, se nullum præjudicium inferre velle alicui ex contrariis opinionibus quas recenset; & quarum una favebat libertati, & altera præcepto: scilicet qui asserit, se nullum aliquibus opinionibus præjudicium inferre, utramque in praxi tutam esse censet: Atqui Innocentius III. asseruit, se nullum præjudicium inferre velle opinioni probabili, sive affirmanti, sive neganti, mulierem de qua consultus fuerat, viro suo ante consanguinitatis probationem restitui debere: ergo utramque illam opinionem probabilem censuit esse tutam in praxi: sed quod eo in casu judicavit Innocentius locum habere, habet pro omni alio: ergo in quocumque casu licitum est sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, in concursu alterius quæ stat pro præcepto, sive sit æque probabilis, sive sit probabilior.

Resp. neg. maj. Ratio est 1. quia major illa propositio supponit falsum, unam nimirum ex opinionibus quas Innocentius Papa III. recenset, favere libertati conjugum, alteram autem stare pro præcepto: at id falsum est; utraque enim ex iis opinionibus, quæ ab Innocentio recensentur, stabat pro lege; affirmans quidem, seu, quæ asserebat, mulierem, ante judicium de caussa consanguinitatis, quam obtendebat, debere reddi viro, a quo, non expectata Judicis ecclesiastici sententia, discesserat, stabat pro lege de indissolubilitate matrimonii; negans vero, seu quæ contendebat, mulierem illam, ante latum de consanguinitate judicium, viro reddi non debere, stabat pro lege matrimonium inter consanguineos prohibente. Immerito igitur profertur altera ex iis opinionibus, ut probetur, Innocentium censuisse licere in praxi sequi opinionem probabilem, quæ libertati faveat, in concursu alterius aut æque probabilis, aut probabilioris, quæ stet pro præcepto. Ratio est 2. quia vitiosa est hæc adversariorum argumentatio (*Innocentius Papa III. neutrum e duabus oppositis propositionibus proscripsit: ergo credidit, utriusque usum licere.*) hæc (inquam) argumentatio est vitiosa; nam ex eo quod Innocentius neutri præjudicium inferri voluerit, non sequitur, quod utramque in praxi approbaverit. Pace adversariorum dixerim, similem esse quam ex Innocentio III. desumunt argumentationem, isti propositioni, quam (ut superius fuit observatum) Clerus Gallicanus post Alexandrum Papam II. proscripsit: *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

Ratio est 3. quia Innocentius III. in capite, *Litteras*, qui nobis objectus est, non potuit probare, quod aliis in locis expresse rejecit: at rejecit doctrinam quæ docet, licitum esse sequi opinionem probabilem quæ libertati favet, in concursu alterius aut æque probabilis, aut probabilioris, quæ stat pro lege.

Scilicet lib. 5. Decret. *De Sentent. Excommunic.* Titul. 39. c. 44. quod incipit, *Inquisitioni*, Innocentius Papa III. consultus de muliere cui dubium erat, an ratione alicujus impedimenti dirimentis, matrimonium a se initum valeret, respondit 1. mulierem illam, si dubium illius esset ex credulitate levi, posse reddere & exigere debitum conjugale: 2. teneri eam reddere debitum, sed exigere non posse, si dubium sit ex credulitate probabili & discreta, *Distinguimus* (inquit) *utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & discreta: Et quidem ad sui Pastoris consilium (conscientia levis & temerariæ credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

Ex eo Innocentii Papæ III. responso sic arguitur: Ille non censuit licitum esse sequi opinionem probabilem quæ libertati favet, in concursu alterius, aut æque probabilis, aut probabilioris, quæ stat pro præcepto, qui mulieri probabiliter & discrete opinanti de validitate & de invaliditate matrimonii, non permisit petere conjugale debitum; siquidem debiti petitio favebat mulieris libertati: atqui (ut ex laudato textu patet) Innocentius mulieri, de qua agitur, non permisit petere conjugale debitum: ergo non censuit licitum esse sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, in concursu æque probabilis, aut probabilioris quæ stat pro præcepto.

Dices 1. mulierem de qua agitur, non habuisse de validitate sui matrimonii opinionem multum probabilem, sed tantum leviter probabilem: unde mirum non est, quod Innocentius ei non fecerit facultatem petendi debitum conjugale.

Sed textui aperte repugnat illa responsio: simpli-

ſiquidem Innocentius duplicem diſtinguit conſcientiam dubiam, unam nimirum ex credulitate levi, & temeraria, alteram ex credulitate probabili & diſcreta, aſſeritque, mulierem, licet illa credulitas diſcreta & probabilis adſit, non poſſe exigere conjugale debitum: at credulitas probabilis & diſcreta, non eſt levis probabilitas: alioquin enim eſſet idem cum credulitate temeraria, in qua Innocentius docet, licitum eſſe & reddere & petere debitum conjugale.

Dices 2. Innocentius docet, mulierem diſcrete & probabiliter opinantem valere initum a ſe matrimonium, poſſe conjugale debitum reddere, ſtante etiam propter contrariam opinionem dubio de ſui matrimonii valore: ergo cenſuit, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem.

Reſp. conc. ant. diſt. conſeq. Ergo Innocentius cenſuit licitum eſſe ſequi opinionem probabilem quæ legi faveat, conc. conſeq. quæ faveat libertati, neg. conſeq. Redditio debiti conjugalis in caſu de quo agitur, libertati non favet; ſiquidem id libertati non favet, quod præcipitur; at reddere debitum in caſu de quo eſt quæſtio, illi mulieri tanquam liberum non indulgetur, ſed præcipitur, ita ut graviter peccet, ſi in iis circumſtantiis debitum viro petenti denegaverit: e contra redditio debiti in caſu illo, favet legi, quæ quidem præcipit, ut mulier viro debitum reddat: unde Innocentius expreſſe aſſerit, ſe ideo in illo caſu præcipere debiti redditionem, ne mulier illa probabiliter & diſcrete de ſui matrimonii validitate dubitans, contra legem peccet: *Ne* (inquit) *vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam*. Vide Proſperi Fagnani Commentarium in eam Innocentii Papæ III. Decretalem.

Solvuntur argumenta quæ ex abſurdis petuntur.

Objicies 1. Sententia, qua aſſeritur, eum, cui neceſſitas agendi incumbit, teneri in concurſu duarum opinionum æque probabilium ſequi tutiorem, viros frugi innumeris ſcrupulis & anxietatibus exponit; ſcilicet periculum erit ſemper, ne non probabiliorem elegerint; non ex cupiditate aliqua mentis oculos excæcante, eam probabiliorem judicaverint, quæ leviſſimis tantum argumentis nititur. E contra vero ſententia oppoſita ſcrupulos abigit omnes, efficitque, ut illud Chriſti in Evangelio, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, locum habeat: nempe hoc unum ſatagit, ut quis obfirmata conſcientia probabilia ſectetur, non curans, an falſa ſint, an vera; an contra legem æternam, aut poſitivam; an minus probabilia ſint, aut probabiliora: ergo &c.

Reſp. ex adverſariorum ſententia majorem, quam ex noſtra, conſequi in viris frugi anxietatem; idque ſubſequentibus momentis facile demonſtratur.

I. Affirmant adverſarii, & quidem ſine ulla Scriptoris, qui ante centum ab hinc annis vixerit, auctoritate, licitum eſſe in praxi ſequi quamcumque opinionem certo probabilem: negant e contra antiqui omnes Theologi; nec non hujuſce ætatis innumeri alii. Igitur vir frugi, cui proponitur adverſariorum doctrina, timere debet, ne falſa ſit; & ne (ut alii contendunt) probabilitatem, quæ cupiditati faveat, ſecutus, æternis in altera vita cruciatibus addicatur.

II. Vir, cui ſalus cordi eſt, & cui agendi neceſſitas non incumbit, ut ſe ſcrupulis liberet, ab actu, quem poſt diligens examen neſcit, an licitus ſit, necne, abſtineat oportet. Quod ſi agendi neceſſitas urgeat, executioni mandet illud Jacobi monitum: *Si quis indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*. Exequatur ſalubre hoc Sancti Antonini de probabilitate agentis conſilium: *Se ad gratiam præparet quantum poteſt, ut ſapientiam invocet per orationem, ut Scripturas* (non recentiores Caſuiſtas) *diligenter inveſtiget, ut quærat eam quaſi pecuniam, ut adhibeat diligentiam in inquirendo*. Adeat Doctores, quos novit cupiditati non favere. Præmiſſa ea diligentia, quietus quidem operabitur, ſed tamen non ita ſecurus erit, quin cum Propheta pro ſuis ignorantiis Deum humillime deprecari non debeat; quin cum S. Job omnia ſua opera non vereatur; quin tandem (ut Apoſtolus monet) cum metu ac tremore ſuam ſalutem operetur.

Objicies 2. Ex doctrina qua aſſeritur, probabilitatem non eſſe regulam morum, ſequitur peccare ruſticum, qui bona fide & ex conſilio ſui Paſtoris contractum init uſurarium: Sed falſum eſt illud conſequens, cum ille ruſticus alia via, quam per ſui Paſtoris miniſterium, veritatem detegere non poſſit: ergo &c.

Reſp. 1. illi ruſtico (ut ſupponimus) non occurrere opinionem aut æque probabilem, aut probabiliorem de malitia contractus, quem init ex Paſtoris ſui judicio: unde argumentum ex illo exemplo petitum non pugnat contra concluſiones, quibus aſſertum fuit, nemini licere ſequi opinionem probabilem, quæ favet libertati, in concurſu alterius, aut æque probabilis, aut probabilioris, quæ ſtat pro præcepto.

II. Plerumque periculum eſt, ne ruſticus ille aut quivis ſimilis homo, occulta quadam cupiditate occaſionem dederit errori, quo ductus, contractum init uſurarium: *Pluit enim, & ſuperpluit Deus ſuper peccatores laqueos* (inquit Auguſtinus) *& lege infatigabili ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*.

III. Auctores qui quemque asserunt immunem a culpa, dum Confessario suo obsequitur, & ad praescriptas ab eo regulas mores suos componit, suum illud effatum concilient, si possint, cum hac Christi sententia: *Si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* Concilient cum his Sancti Thomae verbis, Quodlib. 3. art. 3. *Respondeo dicendum, quod diversae opiniones Doctorum, si quidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque partem sequi possunt; tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit ad Rom. 4. Unusquisque in suo sensu abundet: in his vero quae pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri: in talibus enim ignorantia non excusat.*

IV. Detur, quaeso, rustico illi, cujus exemplo adversarii abutuntur, detur, inquam, Confessarius, cui vera videatur recentiorum Casuistarum de moribus doctrina, quique consilia, quae dat ovibus sibi creditis, haurit ex illorum Casuistarum libris. Facta autem illa suppositione, quaero, an rusticus ille immunis futurus sit a peccato, si ad Confessarii illius consilia mores suos componat? Si affirment adversarii, asserant & oportet, rusticum illum per infractionem omnium & singulorum Decalogi mandatorum, nullum peccatum contrahere, aut saltem ratione cujus excidat a justitia: nullum enim est ferme Decalogi mandatum, quod recentiorum Casuistarum placita intactum ac integrum reliquerint. Vide Decreta Alexandri VII. Innocentii XI. & Censuram a Clero Gallicano in Comitiis Generalibus latam anno 1700.

DISSERTATIO TERTIA.

De Virtutibus in communi.

Not. Quae ad virtutes in communi spectant, ad earum essentiam, subjectum, proprietates & divisionem reducemus: unde duae erunt, & quidem brevissimae, hujusce Dissertationis quaestiones.

QUAESTIO PRIMA.

De essentia & subjecto virtutis.

CONCL. 1. Essentia virtutis hac illius definitione continetur, *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur.*

Explicatur definitio. Virtus dicitur 1. *Qualitas*, quia advenit subjecto, quod in suo esse jam constitutum est. 2. Est qualitas *bona*: siquidem essentialiter versatur circa objectum & finem, quae morum legibus consentanea sunt. 3. Adduntur haec verba, *Qua recte vivitur*, quia virtus non est qualitas tantum afficiens subjectum, cui inhaeret, sed ipsum praeterea ad opus rationi conforme inclinat. 4. Per has voces, *Qua nullus male utitur*, virtus differt ab aliis qualitatibus: iis enim creatura bene vel male uti potest, ut videre est in opinione, caractere, scientia, aliisque hujusmodi animae & corporis dotibus. Nec mirum: si quis enim in pravum usum, & in malum finem utatur virtute, desinet esse virtus, eritque vitium; unde Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 4. merito sic loquitur, *Non officiis, sed finibus, a vitiis discernendae sunt virtutes. Officium autem est, quod faciendum est; finis autem propter quod faciendum. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

Quaeres, quid sentiendum sit de duabus hisce Aristotelicis virtutum definitionibus: *Virtus est habitus, qui bonum* (saltem secundum quid) *facit habentem, & opus ejus reddit bonum. Virtus est habitus electivus, in mediocritate consistens, prout sapiens & prudens dictaverit.*

Resp. priorem definitionem convenire omnibus virtutum speciebus; posteriorem vero virtutibus moralibus tantum, non autem Theologicis, & intellectualibus: nec enim contra virtutes theologicas aut intellectuales peccari potest per excessum; scilicet aliquis non potest DEO loquenti nimis credere, nimis eum diligere, nimis in eo sperare, nimium esse prudens.

CONCL. 2. Subjectum virtutis, est sola substantia spiritualis, & quidem creata.

Probatur prima pars ex eo, quod sola substantia spiritualis fruatur cognitione & libertate quae ad virtutis exercitium necessariae sunt.

Probatur altera pars. Virtus est qualitas, quae realiter advenit substantiae jam in suo esse constitutae; atqui soli substantiae spirituali creatae potest ea qualitas sic advenire; cum enim Deus sit actus purissimus, nihil ei physicum de novo potest accidere.

QUAESTIO II.

De proprietatibus & divisione virtutis.

Not. Non dicemus hic de omnibus virtutis proprietatibus, sed de duabus tantum, mediocritate nimirum & connexione: seu quaeremus, utrum virtutes in mediocritate consistant, & utrum ita sint inter se connexae, ut qui unam habuerit, habeat omnes.

CONCL. 1. Non omnes virtutes, sed aliquae tantum in mediocritate consistunt.

Probatur prior pars. Illi habitus in mediocritate non consistunt, qui non sunt inter

duo extrema, quorum unum sit per excessum, & aliud per defectum: atqui virtutes omnes non sunt inter duo extrema, quorum unum sit per excessum, & aliud per defectum: nam per excessum peccari non potest contra virtutes theologicas, & contra virtutes intellectuales: neque enim (ut jam superius observatum est) potest quis Deo loquenti nimis credere, nimis eum amare, nimis in eum sperare, nimis esse prudens, &c.

Probatur altera pars. Contra virtutes, quæ nec sunt theologicæ, nec intellectuales, peccari potest per excessum, & per defectum: ergo in mediocritate consistunt. Probatur ant. Potest excedi in aliis a theologicis & intellectualibus virtutibus regula, cui virtutes eam mensurari debent, ut patet in prodigo; vel quis potest a regula deficere, ut in avaro videre est.

Quæres, quotuplex sit medium virtutis.

Resp. esse duplex, nimirum medium Rationis & medium Rei. Illud definitur ratione, juxta propriam subjecti dispositionem, ut patet in temperantia; mediocritas enim illa, in qua consistit, non est eadem in omnibus, sed diversa pro diversitate dispositionum, quæ in hominibus temperantibus reperiuntur: sic poterit esse quis intemperans, si sex carnis uncias comedat, licet alius, propter stomachi dispositionem, sit temperans etiam in majori ciborum quantitate. Hinc patet, medium rationis non esse positum in indivisibili, sed esse majus vel minus ad judicium viri prudentis. E contra medium rei positum est in æqualitate, quantitatis quidem ad quantitatem in justitia commutativa; qui enim centum dupliones debet, centum debet solvere; in æqualitate vero proportionis ad proportionem in justitia distributiva, quæ ad personarum statum, & meritum attendit.

CONCLUSIO 2. Virtutes morales consideratæ in statu imperfecto non sunt inter se connexæ; secus vero si in statu perfecto considerentur.

Probatur prima pars. Experientia compertum est, aliquem posse esse temperantem, quamvis non sit liberalis; unde sic arguitur: illi habitus non sunt inter se connexi, quorum unus potest haberi sine alio: atqui una virtus saltem in statu imperfecto potest haberi sine alia, ut mox ostensum est: ergo virtutes morales, si in statu imperfecto considerentur, non sunt inter se connexæ.

Probatur altera pars. Virtus in statu perfecto considerata includit perfectam prudentiam: atqui perfecta prudentia non est, ubi aliqua virtus moralis defuerit: siquidem prudentia perfecta dicit appetitum rectum circa omnia, quæ quis potest agere; unusquisque enim judicare solet prout affectus est, ita prout illius voluntas est recta, aut non recta: sed si desit vel una virtus, appetitus non erit rectus circa omnia; ac proinde nec prudentia erit tunc perfecta prudentia.

Præterea virtus quæ est in statu perfecto, efficit, ut quis lubenter, ac sine mora, in propria virtutis illius materia operetur: at nemo, qui vel una virtute destitutus fuerit, sic se gerit; idque videre est in muliere casta, sed avara, & meticulosa: si enim ingens illi offeratur pecuniæ quantitas, vel minæ mortis ei intententur, haud difficili negotio patietur castitatis detrimentum.

Objicies 1. Unius virtutis productio non pendet ab actibus aliarum virtutum: ergo neque illius conservatio: non major enim vis ad rei conservationem, quam ad illius productionem requiritur.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo virtus sumpta in statu imperfecto in sui conservatione non pendet ab aliis virtutibus, conc. conseq. per unam quippe virtutem appetitus fit, & remanet debite ordinatus circa materiam aliquam particularem. Sumpta in statu perfecto, neg. conseq. Ratio est, quia virtus sic accepta dicit rectitudinem, quæ circa aliquam materiam particularem firma sit ac constans, seu quæ difficillime amitti possit: atqui sine omnium & singularum virtutum consortio firma illa & constans rectitudo, vel circa unam materiam, non habetur, ut superius ostensum est.

Objicies 2. Conjugatus potest esse castus etiam sumendo castitatem in statu perfecto, quamvis habere non possit virginitatem: hæc enim virtus in eo posita est, quod quis nec in conjugio, nec extra conjugium voluptati operam dederit: ergo &c.

Resp. dist. ant. Quamvis virginitatem habere non possit, quantum ad actus externos, defectu nimirum materiæ, conc. ant. quantum ad affectum, & internam mentis dispositionem, in quibus virtutum essentia posita est, neg. ant.

Præterea dicendum est, theologos, cum docent, unam virtutem in statu perfecto sumptam non posse reperiri sine aliarum omnium virtutum consortio, supponere, quod subjectum sit capax omnium virtutum: ac proinde ad rem non est argumentum, quod nobis objectum est.

CONCL. 3. Multiplex est virtutum divisio, seu variæ sunt illarum species.

Probatur enumeratione singularum virtutis specierum; Scilicet virtutum aliæ sunt Intellectuales, aliæ Morales, aliæ Theologicæ.

Virtutes intellectuales eæ sunt, quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri: subdividunturque in Intelligentiam, quæ sine discursu versatur circa prima morum principia, *Bonum est faciendum, & malum fugiendum. Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis. Id fac aliis, quod tibi factum velis:*

in Sapientiam, quæ res attingit per universales & necessarias caussas; in Scientiam, quæ objecta cognoscit per caussas, necessarias quidem & infallibiles, sed proximas & singulares; in Artem, quæ tota occupatur in singularibus per potentias extrinsecas factibilibus; & tandem in Prudentiam, quæ versatur quoque circa singularia, sed prout sunt hic & nunc independenter a potentiis extrinsecis agenda.

Virtutes Morales voluntatem perficiunt in ordine ad bonum honestum, cujuscumque sit generis, & in quacumque materia consideretur. Quatuor sunt præcipuæ, quæ ob id dicuntur Cardinales, Prudentia nimirum, Fortitudo, Temperantia, & Justitia.

Virtutes Theologicæ definiuntur, virtutes quæ circa Deum immediate versantur, eæque sunt tres tantum, Fides, Spes, Caritas. Religio non est ex virtutibus theologicis, eo quod immediate circa Deum non versetur, sed tantum circa cultum ei debitum. De duabus illis virtutum speciebus, seu de Virtutibus Theologicis & Moralibus proxime sequentibus dissertationibus nobis agendum incumbit.

DISSERTATIO QUARTA.

De Virtutibus Theologicis.

VIrtutes Theologicæ sunt (ut superius observatum est) eæ quæ circa Deum immediate versantur. Eæ vero sunt tantum numero tres, Fides nimirum, Spes, & Caritas. In his tribus virtutibus Dei cultum positum esse docetur ab Augustino, Enchiridii c. 3. ubi sic loquitur: *An hoc ipsum tibi fortasse desideras breviter aperiri, quonam modo sit colendus Deus? Hic si respondero, fide, spe, caritate colendum Deum, profecto dicturus es, brevius hoc dictum esse, quam velles.* Sed licet tres illæ virtutes in Dei cultu suas partes habeant, præcipuum tamen in eo locum tenet caritas, ita ut si, saltem inchoata, desit, sincere non colatur: *Porro* (ait idem Augustinus Epist. 120. veteris editionis) *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille, nisi amando.* De tribus virtutibus proxime sequentibus quæstionibus est nobis agendum.

QUÆSTIO PRIMA.

De virtute Fidei.

Not. ÆQuivoca est fidei vox apud scriptores sacros. Joannes Apocalypseos c. 2. eam sumit pro doctrina, quam vera religio profitetur: *Non negasti* (ait ibidem Deus) *fidem meam.* Eadem voce Paulus utitur, ut significet conscientiam, quam, ut interpretatur Augustinus, divina revelatio dirigit: *Omne quod non est ex fide* (ait ad Romanos 14.) *peccatum est.* A Jacobo, Epistolæ Canonicæ c. 2. usurpatur pro humili fiducia, quæ cristianorum orationes comitari debet: *Postulet* (inquit) *in fide nihil hæsitans.* Eamdem vocem adhibet Apostolus, ut exprimat fidelitatem, seu in promissis servandis constantiam: *Nunquid* (ait ad Romanos c. 3.) *incredulitas eorum, fidem Dei evacuabit?* Tandem fidei vox accipitur pro assensu, quem intellectus ex imperio voluntatis præbet veritatibus quibusdam propter auctoritatem Dei revelantis. Fidei in eo ultimo sensu acceptæ hic exponemus 1. Essentiam; 2. Divisionem; 3. Objectum; 4. Subjectum; 5. Regulas; 6. Tandem varias illius proprietates.

CAPUT PRIMUM.

De Essentia & divisione fidei.

CONCL. 1. Fidei, prout est virtus theologica, essentia, hac illius definitione continetur: *Fides est virtus divinitus infusa, per quam creatura rationalis firmiter assentitur iis quæ a Deo revelata sunt.*

Probatur, ac simul explicatur conclusio. Continet tradita definitio genus & differentiam fidei: ergo est admittenda. Probatur ant. Primo, verba ista, *fides est virtus*, continent id quod fides habet commune cum ceteris omnibus virtutibus; suum scilicet subjectum (quod cuique virtuti proprium est) perficit; tum quod intellectum creatum elevet ad multarum rerum cognitionem, quas lumine naturali non posset attingere; tum quod voluntatem ad bonum agendum dirigat, ostendens, quem in finem tendere debeamus, quæve media usurpare, ut finem illum consequatur. 2. Fides convenit cum nonnullis virtutibus moralibus, quod istæ, sicut & illa, divinitus infusæ sint. 3. Habet id commune cum reliquis virtutibus theologicis, quod, sicut istæ, circa Deum immediate versetur, illi nimirum revelanti assentiendo. 4. Differt ab aliis virtutibus theologicis, quod Deum tanquam veritatis fontem respiciat, cum e contra reliquæ eum tanquam summum bonum intueantur.

Quæres 1. an essentialis, an vero descriptiva tantum sit hæc fidei definitio ab Apostolo tradita in Epistola ad Hebræos, c. 11. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Resp. traditam ab Apostolo definitionem non esse essentialem, sed descriptivam tantum. Scilicet est per effectus; exponit enim duplex fidei attributum, firmitatem, & obscuritatem: siquidem pro hac voce, *Substantia*, legitur in græco textu, *Hypostasis*, quæ subsistentiam, seu existentiam significat; & loco istius *Argumentum* habetur hæc alia, *Elenchos*, qua idem est ac *Convictio*. Unde

Apo-

Apostolicæ definitionis hæc est sententia: *Fides adeo certa est, ut bona quæ speramus, & cælitus cognoscimus, perinde menti nostræ præsentia reddat, ac si jam eis frueremur, & ea ipsis oculis conspiceremur.* Eam de rebus quas speramus certitudinem ibidem Apostolus in Moyse commendat: *Invisibilem enim* (inquit) *tanquam videns sustinuit.*

Quæres 1. cur allatæ definitioni fidei nonnulli factam ab Ecclesia revelatorum propositionem addant; asserentes, fidem esse assensum revelatis & ab Ecclesia propositis datum.

Resp. eam revelatorum per Ecclesiam propositionem a nonnullis addi, quod Ecclesia plerumque revelata proponat, hoc est, declaret ea a Deo revelata fuisse; unde Augustinus Epistolam Fundamenti impugnans, ait se non crediturum Evangelio, nisi eum Ecclesiæ commoveret auctoritas: Sed ideo propositionem illam non addant, quod non sit fidei essentialis. Ratio est, quia vera fuit fides theologica in Adamo, & in Abrahamo, quamvis articulorum, quos credebant, revelatio illis per Ecclesiam proposita non fuisset. 2. Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 16. contra Lutheranos definiit, neminem in hac vita posse scire certitudine fidei, cui falsum subesse non possit, se magnum usque in finem perseverantiæ donum habiturum esse, *nisi hoc ex speciali revelatione didicerit*: supponit igitur, id conditionate sciri posse certitudine fidei, si nimirum specialis revelatio præcesserit; ac proinde alicujus rei fidem absolute stare posse absque eo, quod Ecclesia factam revelationem proposuerit.

CONCLUSIO 2. Fides, prout est virtus theologica, multipliciter dividitur.

Probatur enumeratione variorum membrorum, in quæ dividitur fides.

Dividitur scilicet 1. in actualem & habitualem. Prior est actus, quo intellectus imperio voluntatis excitatæ per gratiæ auxilium, assentitur alicui veritati propter auctoritatem Dei revelantis. Posterior, est adhæsio revelatis permanenter inhærens animæ: hujusmodi est ea, quæ in fidelibus dormientibus reperitur.

Dividitur 2. in explicitam & implicitam; per illam, intellectus adhæret speciatim alicui articulo, v. g. quod Deus sit trinus in personis; per istam vero idem intellectus generaliter ea credit, quæ Ecclesia credenda proponit; hoc est, non determinando hunc vel illum articulum in specie; seu non cogitando de aliquo articulo in particulari.

Dividitur 3. in adquisitam, quæ nimirum nascitur ex multis actibus circa res revelatas ex auxilio gratiæ elicitis, & in infusam, quam nempe Deus infundit sine prævio aliquo actu ad eam concurrente per modum causæ efficientis, ut patet in adultis & parvulis, quibus (ex Concilio Tridentino sess. 6.) dum Sacramenta recipiunt, Deus fidem, spem, & caritatem infundit.

Dividitur 4. in fidem informem, & formatam: Informis, est ea quæ reperitur in subjecto destituto gratia sanctificante: quæ quidem est forma, qua virtutes perficiuntur. Formata econtra in eodem subjecto cum gratia sanctificante conjungitur. Divisionem illam excogitarunt Scholastici, qui duodecimo, & decimotertio sæculo scripserunt.

Dividitur denique 5. in Vivam, cui scilicet correspondet mandatorum observatio, & in Mortuam, quam mandatorum observatio non comitatur. Priorem Apostolus vocat fidem quæ per dilectionem operatur; de posteriori vero loquitur Jacobus in Epistola canonica c. 2. *Fides* (inquit) *sine operibus mortua est.*

CAPUT II.

De Objecto materiali fidei.

Not. Objectum materiale alicujus virtutis definitur, res ipsa, circa quam virtus versatur; sic abstinentia a cibis est objectum materiale temperantiæ.

Not. 2. De objecto materiali fidei quærendum est hic 1. quodnam sit; 2. quibus ex articulis constet; 3. quænam sint fidei symbola, in quibus illi articuli continentur; 4. quis sit sensus singulorum in specie articulorum, qui symbolo, quod Apostolorum dicunt, continentur.

ARTICULUS I.

Quodnam sit objectum materiale fidei.

CONCLUSIO 1. Præcipuum objectum materiale fidei, quod & Logici objectum attributionis appellant, est Deus.

Probatur. Præcipuum virtutis alicujus objectum, est illud, ad quod omnia, quæ virtus illa respicit, referuntur: Sed Deus, vel in se ipso consideratus, hoc est, prout est unus in natura, & trinus in personis; vel in ordine ad creaturas, id est, prout est earum aut creator, aut ultimus finis, aut redemptor, aut sanctificator, est id ad quod referuntur omnia quæ fides respicit, ut patet ex symbolo, in quo (ut mox dicetur) præcipua fidei capita continentur.

Objicies. Illud non est objectum materiale fidei, quod est objectum theologiæ: atqui Deus, & in se ipso, & in ordine ad creaturas consideratus, est objectum theologiæ; scilicet theologia agit de Deo, Uno in natura, Trino in personis, Creatore, ultimo fine, Redemptore, & Sanctificatore creaturarum; ergo Deus non est objectum materiale fidei.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia, cum (ut tom. 1. dictum est) fides sit principium scien-

tiæ theologicæ; theologica enim scientia non aliud est quam conclusiones quas ratio creata ex fide deducit, idem cum illa debet habere objectum materiale; licet non habeat idem objectum formale, *Sub quo*, hoc est, licet sub eodem motivo Deum non consideret. Vide quæ suo loco dicta sunt de objecto theologiæ.

CONCL. 2. Objectum secundarium, seu minus præcipuum, fidei, est quilibet articulus revelatus.

Probatur. Objectum materiale secundarium alicujus virtutis, est illud, circa quod, præter primarium, virtus aliqua versatur: atqui præter Deum, fides versatur circa plures articulos, qui tamen ad Deum ipsum referuntur; versatur nimirum v. g. circa resurrectionem mortuorum, vitam æternam, & quoscumque alios articulos, qui Deus ipse non sunt, revelatos: ergo objectum materiale secundarium fidei est quilibet articulus revelatus.

ARTICULUS II.

Quibus ex articulis constet objectum materiale fidei.

Not. 1. THeologi Articulos definiunt, Propositiones Catholicas, quæ primario ad fidem spectantes, specialem præ aliis ad credendum veritatem complectuntur. Sic caput de Incarnatione Verbi, est articulus distinctus a capite de Trinitate, quia præter difficultatem, quam Trinitas ad credendum includit, aliam specialem creditu difficilem includit.

Not. 2. De iis articulis quæri potest, 1. utrum eis successu temporis, aliquod augmentum accesserit: 2. quinam in specie sint, qui principem in eis locum tenent.

CONCLUSIO 1. Nullum articulis fidei secundum substantiam, sed tantum secundum explicationem sumptis, augmentum, successu temporis, accessit.

Probatur prima pars. Iis articulis augmentum secundum substantiam non accessit, qui iidem semper numero in Ecclesia Christiana fuerunt: atqui articuli fidei semper iidem numero fuerunt in Ecclesia Christiana; siquidem non alii numero articuli sunt in Ecclesia Christiana, quam quos Apostoli per revelationem, aut ab ipso Domino immediate, aut a Spiritu Sancto in die sacra Pentecostes, acceperunt: Omnia enim capita quæ aut ad fidem, aut ad mores pertinent, Apostoli a Spiritu Sancto didicerunt, juxta illud Christi apud Joannem c. 16. *Cum venerit ille* Spiritus veritatis, *docebit vos OMNEM veritatem*. Nec aliud jam credit Ecclesia, quam quod Apostoli aut viva voce, aut scripto tradiderunt. Vide quæ harum institutionum t. 1. de Traditione agentes diximus.

Probatur altera conclusionis pars. Iis articulis successu temporis, quoad explicationem, augmentum accessit, qui uberius, clarius, expressius ab Ecclesia in Conciliis explicati sunt: atqui plures articuli uberius, clarius, ab Ecclesia in Conciliis, successu temporis, explicati sunt. Scilicet occasione hæreticorum, qui novas quæstiones variis temporibus circa fidem, aut mores moverunt, Ecclesia ex Christi, & Apostolorum sententiis quæ in Scriptura aut Traditione quoad substantiam, & implicite continebantur, varias propositiones collegit, quas hæreticorum novitatibus opposuit, declaravitque, eas Apostolis a Christo, aut a Spiritu sancto revelatas fuisse. Sic cum Arius Scripturam & Traditionem in alienos sensus detorquens, Verbi cum Patre consubstantialitatem impugnavit, primum Concilium Nicænum, libratis in utramque partem Scripturarum & Traditionis momentis, ex peculiari Spiritus sancti auxilio, quod Christus ipse Ecclesiæ suæ ad Concilia congregatæ, ad sæculorum usque consummationem pollicitus est, declaravit, Scripturarum & Traditionis sententias, in quibus Verbi fit mentio, veram ejusdem Verbi cum Patre consubstantialitatem innuere ac tradere. Ad majorem hujusce argumenti lucem vide quæ Tom. 1. de Traditione diximus, & quæ de fide in Christum asseruimus ad calcem Tomi II. qui est de Incarnatione.

CONCL. 2. Præcipua fidei capita in Symbolo, & morum principia in Decalogo continentur.

Probatur prima pars. Præcipua fidei capita sunt ea quæ ad Dei Unitatem, Trinitatem personarum, Verbi incarnationem, Christi mortem, nostrumque post hanc vitam statum pertinent: sed ea omnia in symbolo continentur, ut patebit ex singulorum, ex quibus constat, articulorum expositione, quam hujusce capitis articulo quarto lectorum ponemus ob oculos. Ex tribus illis præcipuis fidei capitibus plures alii deducuntur, ex Incarnatione v. gr. colligitur existentia peccati originalis, ad quod tollendum præcipue venisse Christum ostendimus tomo secundo, qui est de Incarnatione. Ex Christi morte colligitur necessitas gratiæ ad bonum operandum: si enim (ut Augustinus adversus Pelagianos argumentatur) ex nobis est justitia, gratis mortuus est Christus.

Probatur altera pars. Omnia præcepta legis naturalis ex Decalogo colliguntur, ut in hocce Tomo de lege naturali differentes, ostendimus: ergo omnia morum principia in Decalogo, implicite saltem & virtualiter, continentur. Vide de hoc argumento Augustinum in Enchiridio ad Laurentium de fide, spe, & caritate: Vide etiam ejusdem Sermonem de symbolo ad Catechumenos.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Symbolis in quibus fidei articuli continentur.

Symboli nomine intelligitur Summa continens explicite præcipuos fidei christianæ articulos. Sic appellatur ea Summa 1. quod sit nota & tessera quædam utilis ad internoscendum veros fideles a subintroductis fratribus, hoc est, ab iis qui christiano nomine gloriantur quidem, sed veritatem ejus, adulterantes Evangelium, abnegarunt: 2. Quod sit Summa collationis quam plures de præcipuis fidei capitibus inter se habuerunt. Utramque eam symboli etymologiam tradit Rufinus in sua symboli expositione, quam legere est ad calcem operum S. Cypriani, editionis Parisiensis, opera Pamelii adornatæ.

Quatuor præcipua numerantur fidei Symbola, Apostolorum vulgo dictum, Nicænum, Constantinopolitanum, & Athanasianum. De iis seorsim hic agendum nobis incumbit.

§. I. *De Symbolo Apostolorum.*

Symbolum Apostolorum illud est, quod in Ecclesia Romana a cunctis fidelibus in oratione quotidiana recitatur, sicque incipit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ; & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum*, &c.

Fide catholica certum est, Apostolos eo sensu esse auctores symboli, eorum nomine inscripti, quod doctrinam, quæ in illo continetur, Ecclesiis quibus prædicarunt, tum scripto, tum viva voce, tradiderint; immo recepta est apud Patres sententia, eo etiam sensu Apostolos esse auctores symboli, quod ipsimet articulos, ex quibus constat, in eum ordinem, quo eos nunc legimus, redegerint: Qua autem ratione, quo præcise tempore id factum fuerit, non est unanimis eorumdem Patrum opinio.

Leo Magnus sensisse videtur, quemque Apostolum caput aliquod, sive articulum contulisse. *Ipsius* (inquit epistola 96. quæ est ad Pulcheriam Augustam) *Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quæ* DUODECIM APOSTOLORUM TOTIDEM *est signata* SENTENTIIS, *tam instructa sit in munitione cælesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo possint gladio detruncari.*

Auctor Sermonis 115. de Tempore, qui in Augustini operibus legitur, in specie profert quemque articulum, quem quisque singularis Apostolus symbolo contulerit: *Quod* (inquit) *græce symbolum dicitur, latine collatio nominatur: Collatio ideo, quia collata in unum totius catholicæ legis fides, symboli colligitur brevitate: cujus textum vobis modo, Deo annuente, dicemus. Petrus dixit, Credo in Deum Patrem omnipotentem. Joannes dixit: Creatorem cæli & terræ. Jacobus dixit: Credo & in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum. Andreas dixit: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Bartholomæus dixit: Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Jacobus Alphæi: Credo & in Spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Judas Jacobi: Carnis resurrectionem. Matthias complevit: Vitam æternam, Amen.*

Optandum esset, ut scriptor ille, qui haud dubie non est Augustinus, retulisset auctores qui ante eum, eam de modo condendi symbolum historiam narrassent. Hinc, id est, quod nulli pro ea laudari possint, factum est, ut alii scriptores qui ipsum ordinem Apostolis tribuerunt, asseruerint, Apostolos inter se invicem contulisse, & habita mutua collatione, communi consensu symbolum in eum ordinem, quo nunc legitur, redegisse, ea ferme ratione, qua decreta, canones in Episcoporum Conciliis disponi, ac redigi solent. Ita sensit Ratbertus Paschasius, qui medio sæculo nono vixit; sic enim loquitur in Præfatione libri de Spiritu sancto: *Hanc* (fidem catholicam;) *Apostolica sollicitudo, atque perfectio, sicut per sanctas paginas dilataverat, ita per symboli salutare mira brevitate collegit, & tanquam per diversas remediorum species dispofuit in corpus unum, ac velus ex innumeris aromatibus pretiosum confecit unguentum.*

Scriptores qui ipsum etiam ordinem symboli Apostolis tribuunt, inter se dissentiunt de tempore, quo symbolum ab eis conditum est. Rufinus in adornata a se symboli expositione docet, illud eo ipso anno, quo Christus passus est, ab Apostolis conditum fuisse: *Tradunt* (inquit) *Majores, quod post Ascensionem Domini, cum per adventum Sancti Spiritus, super singulos quosque Apostolos ignitæ linguæ sedissent .... ab invicem normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt.*

Baronius e contra id factum refert ad annum Claudii secundum, qui decimus est a passione Dominica: hincque occasionem natam fuisse conjectat, quod abituri essent in gentes ad vitandam Herodis persecutionem, quia Jacobum Majorem jam affecerat capitis supplicio, & Petrum in vincula conjecerat: quibus tamen (ut habetur Actorum 10.) divinitus liberatus est.

Dissentiunt adhuc iidem qui supra auctores, de fine propter quem Apostoli symbolum condiderunt. Nonnulli volunt, illud prædicatorum, qui deinceps annuntiaturi essent Evan-

Evangelium, caussa conditum fuisse; ne scilicet alii aliam doctrinam gentes docerent. *Discessuri itaque ab invicem* (inquit Rufinus) *normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt; ne forte alius ab alio abducti, diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent*. Volunt alii, non tantum prædicatorum, sed etiam Ecclesiæ caussa confectum fuisse, ut nimirum certam haberet formulam, quam baptizandis exponeret, & per cujus professionem fideles ab hæreticis discerni possent. Eam rationem tradit Rufinus: *Indicium autem* (inquit) *vel signum, quia illo tempore* (*sicut & Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur*) *multi ex circumcisis Judæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus, vel ventris gratia, ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum litteris nunciantes. Idcirco ergo istud indicium posuere, per quod cognosceretur is qui Christum vere secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis civilibus hoc observari ferunt, quoniam & armorum habitus par, sonus vocis idem, & mos unus est, atque eadem instituta bellandi, ne qua doli subreptio fiat, symbola discreta unusquisque dux suis militibus tradit, quæ latine vel signa, vel indicia nominantur, ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si hostis, an socius*.

Symbolum Apostolorum Ecclesia Romana integrum, hoc est, sine additione, aut detractione semper servavit, cum e contra in aliis Ecclesiis, propter natas in eis hæreses, nonnullæ mutationes factæ fuerint; *Commonendum puto*, inquit Rufinus, *quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis*, Credo in Deum Patrem omnipotentem, *inveniuntur adjecta: in Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum; quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publice, id est, fidelium populo adiente, symbolum reddere, & utique adjectionem unius saltem sermonis eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditus. In ceteris autem locis* (*quantum intelligi datur*) *propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi*.

Symbola, Orientale, Aquilejense, & Romanum, hoc est, symbola, quibus Orientales Ecclesiæ, Aquilejensis, & Romana utebantur, in quibusdam minutioribus sillabis quarto Ecclesiæ sæculo a se invicem discrepabant.

Et sane sic habet Romanum symbolum in primo capite: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ*; sic vero illud, quo quarto sæculo Orientales utebantur: *Credo in UNUM Deum Patrem omnipotentem*. In eo, quod Rufini tempore apud Aquilejenses erat in usu, post hæc verba: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, duo hæc alia legebantur: *Invisibilem & impassibilem*: Id nimirum testatur Rufinus in sua symboli Apostolorum expositione: *Orientis Ecclesiæ omnes* (inquit) *ita tradunt, Credo in UNUM Deum Patrem omnipotentem*. Addit: *Sciendum, quod duo isti sermones, nimirum invisibilem & impassibilem, in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habentur. Constat autem apud Nos* (Aquilejenses) *additos hæreseos caussa Sabellii, illius profecto quæ a nostris Patripassiana appellatur, id est, quæ Patrem ipsum vel ex Virgine natum dicit, & visibilem factum, vel passum affirmat in carne: Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse Majores, & invisibilem Patrem atque impassibilem dixisse*.

In secundo capite nonnullum pariter erat olim in Ecclesiis discrimen. Romana & Aquilejensis legebant: *Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum*: Orientales vero Ecclesiæ sic, Rufino teste, legebant: *Et in Dominum nostrum Jesum Christum, unicum Filium ejus*.

In tertio capite, loco horum verborum: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*, quæ in nostro vulgari symbolo leguntur, ista: *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine*, in Aquilejensi legebatur.

Quartum caput sic exprimitur in nostro vulgari symbolo: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus; descendit ad inferos*: sic vero in Aquilejensi: *Crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus, descendit ad inferna*: omittuntur igitur duo hæc verba: *Passus*, *Mortuus*. Monet Rufinus, in symbolo, quod in aliquibus Ecclesiis erat in usu, hæc verba: *Descendit ad inferos*, defuisse: *Sciendum sane est* (inquit Rufinus) *quod in Ecclesiæ Romanæ symbolum non habetur additum*: Descendit ad inferna, *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbis eadem videtur esse*, (quod nos non probamus, aliud enim significat: *Descendit ad inferos*, quam verbum, *Sepultus*) *in eo quod sepultus dicitur*.

Caput quintum sic in Aquilejensi symbolo exprimitur, *Tertia die resurrexit a mortuis*: in nostro vero vulgari idem caput quintum laudatis de resurrectione verbis præmittitur articulus de descensu ad inferos: *Descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis*.

In sexto capite: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Patris*, nullum in symbolis Romano, Orientali, Aquilejensi discrimen Rufinus observat; sed in nostro vulgari post vocem hanc, *Patris*, additur hæc alia, *Omnipo-*

nipotentis, quæ jam eidem voci in primo articulo addita fuerat.

Septimum caput est : *Inde venturus est judicare vivos & mortuos* : Ubi nullum discrimen aperit Rufinus.

Octavum caput sic habet in nostro vulgari symbolo : *Credo in Spiritum sanctum* : in Aquilejensi vero, Rufini tempore, omisso verbo, *Credo*, simpliciter erat : *Et in Spiritum sanctum* ; idque tum ne per repetitionem verbi, *Credo*, novum aliquod symbolum incipere videretur ; tum quia verbum *Credo*, ex initio symboli satis intelligitur : *Ceterum* (ait Rufinus) *si solius divinitatis ratio habeatur, eo modo quo in principio dicitur, Credo in Deum Patrem omnipotentem, & post hæc, in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, ita jungitur : Et in Spiritum Sanctum*.

Nonum caput sic affertur in vulgari nostro symbolo : *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*. In Aquilejensi omittuntur hæc verba, *Sanctorum communionem* : nimirum Rufinus huic sententiæ, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, hanc aliam, *Remissionem peccatorum*, immediate conjungit.

Decimum caput quod est de credenda remissione peccatorum, *Remissionem peccatorum*, eodem modo in omnibus Symbolis, Vulgari, Romano, Orientali, & Aquilejensi legitur.

Caput undecimum sic habet in Vulgari, Romano, & Orientali : *Carnis resurrectionem* : in Aquilejensi vero pronomen, *Hujus*, additur in hunc modum ; *Hujus carnis resurrectionem* : De ea autem pronominis additione Rufinus in Apologia sua adversus Hieronymum, sic loquitur : *Cum omnes Ecclesiæ ita sacramentum Symboli tradant, ut postquam dixerunt, Peccatorum remissionem, addant, Carnis resurrectionem, addit unius pronominis syllabam : & pro eo quod ceteri dicunt, Carnis resurrectionem, nos dicimus, Hujus carnis resurrectionem : quo scilicet frontem, ut mos est, in fine Symboli signaculo contingentes, & ore carnis hujus, quam videlicet contingimus, resurrectionem fatentes, omnem venenatæ adversum nos linguæ calumniandi aditum præstruamus*.

Caput duodecimum quod sic habet in nostro vulgari Symbolo, *Vitam æternam*, deerat in Aquilejensi, Rufini tempore : Nam 1. Rufinus testatur, symbolum suo tempore fuisse hoc articulo, *Carnis resurrectionem*, conclusum ; asserit enim (ut ad caput undecimum jam observavimus), fideles in fine symboli solitos fuisse frontem crucis signaculo terere : at, ex eodem Rufino terebant, cum dicerent : *Carnis hujus resurrectionem*. 2. Ab eodem Rufino in edita symboli expositione altum est de hocce articulo, *Vitam æternam*, silentium. 3. Idem Rufinus in mox laudata symboli expositione sic loquitur : *Sed & ulterius iste sermo, qui resurrectionem carnis pronuntiat, summam totius perfectionis, succincta brevitate concludit*. In quæ quidem Rufini verba notandum est, plures editiones loco vocis istius, *Ulterius*, ferre hanc aliam, *Ultimus*. Priorem tamen Pamelius retinuit : *Sed & ulterius* (inquit). *Sic vetus editio, pro eo quod alii : Sed ultimus. Et videtur illud castigatius, quia sequitur in Symbolo, Et vitam æternam. Quod tamen, nisi forte tacite, non explicat auctor*.

Symbolum vulgare, non quidem quoad omnes voces, sed quoad sententias, ex quibus constat, describit Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 2. Describit quoque Tertullianus in libro de præscriptionibus adversus hæreticos, & quidem additis quibusdam articulorum explicationibus : *Regula est* (inquit) *fidei, ut jam hinc quid credamus, profiteamur, illa scilicet qua creditur : Unum omnino Deum esse ; nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum primo omnium emissum. Id Verbum filium ejus appellatum, in nomine Dei varie visum Patriarchis, & in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex spiritu Dei Patris & Virtute in Virginem Mariam, carnem factam in utero ejus, & ex ea natum hominem, & esse Jesum Christum : exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cælorum ; virtutes fecisse ; fixum cruci ; tertia die resurrexisse ; in cælo receptum, sedere ad dexteram Patris ; misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat : venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ, & promissorum cælestium fructum, & ad prophanos judicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione. Hæc regula a Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt*.

Idem fidei symbolum in libro de Virginibus velandis paulo contractius hisce verbis a mox laudato Tertulliano describitur : *Regula quidem fidei, una omnino est, sola, immobilis & irreformabilis : credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem ; & filium ejus Jesum Christum ; natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis ; receptum in cælis ; sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem*.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, colligendum est 1. Symbolum quod Apostolorum nomine

mine

mine inscribitur, ab ipsius Ecclesiæ nascentis exordio in usu ubique fuisse: illius nimirum meminerunt antiquiores Ecclesiastici Scriptores, Irenæus, Tertullianus, Augustinus in libro 1. de Symbolo ad Catechumenos, & plures alii. Colligendum est 2. idem Symbolum (pauculis vocibus exceptis) ubique *eodem modo*, a fidelibus recitatum fuisse. Colligendum est 3. quod cum nusquam aut in Conciliis, aut in aliquibus Pontificum Romanorum decretis prima illius institutio reperiatur, ipsum ab ipsis Apostolis conditum sit, & in ordinem, in quo nunc legitur, dispositum fuerit.

Singuli articuli Symboli Apostolorum explicantur.

Symboli, quod Apostolorum dicitur, triplex est præcipua pars. In priore ea recensentur quæ ad primam SS. Trinitatis personam, & Universi creationem pertinent. In altera, proponuntur ea quæ spectant ad secundam personam, & ad humanæ redemptionis mysterium. Tertia tandem pars continet ea, quæ Spiritui Sancto sanctitatis fonti tribuuntur.

Hocce Symboli expositioni procemium apponit Augustinus in Sermone, alias libro 1. de Symbolo ad Catechumenos: *Accipite, filii, regulam fidei, quod Symbolum dicitur: & cum acceperitis, in corde scribite; & quotidie dicite apud vos: Antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro Symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit: sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. Quod audituri estis, hoc credituri; & quod credideritis, hoc etiam lingua reddituri. Ait enim Apostolus.* Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: *Hoc est enim Symbolum quod recensuri estis & reddituri. Ista verba, quæ audistis, per divinas Scripturas sparsa sunt; sed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret; ut omnis homo possit dicere, possit tenere, quod credit. Numquid enim modo solummodo audistis, quia Deus omnipotens est? Sed incipitis eum habere patrem, quando nati fueritis per Ecclesiam matrem.*

I. Prioris articuli: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ*, hæc est sententia: Certo interius credo, ac exterius profiteor, Deum patrem, primam, ratione originis, Trinitatis personam, esse omnipotentem, ac cælum & terram, & omnia quæ eorum ambitu continentur, ex nihilo eduxisse. In eum quoque tanquam ad ultimum omnium finem, & summum bonum, totis viribus contendo.

Itaque priore Symboli articulo profitemur 1. *nos credere, seu assentiri Deo*, sive in Scripturis, sive in Traditione, sive in Conciliis œcumenicis facta aliqua, aut dogmata revelanti. Profitemur 2. nos credere *ipsum*, seu illum existere unum in natura, & trinum in personis; illum esse omnipotentem, seu facere eum posse, quidquid voluerit: *Facit* (inquit Augustinus) *quidquid vult, ipsa est omnipotentia*; illum eduxisse, non quidem ex præsupposita aliqua materia, sed ex nihilo sui & subjecti, entia omnia, sive spiritualia sint, sive corporea; illumque omnia illa entia jugiter conservare, & movere ad fines sibi debitos. Profitemur 3. nos credere *In ipsum*, hoc est, declaramus nostram nos in eo spem collocare, tanquam in summo bono, tanquam in ultimo fine, ad cujus possessionem conditi sumus: *Fecit* (ait Augustinus Sermone de Symbolo ad Catechum.) *& hominem ad imaginem & similitudinem suam in mente; ubi est enim imago Dei, ideo mens ipsa non potest comprehendi, nec a seipsa, ubi est imago Dei. Ad hoc facti sumus, ut creaturis dominemur: sed per peccatum in primo homine lapsi sumus, & in mortis hereditatem omnes devenimus.*

II. Altero Symboli articulo: *Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum*, profitemur 1. credere nos existere in divinis secundam personam, in qua, sicut & in prima, spem nostram collocemus. Illa secunda persona dicitur *Filius*, eo quod procedat ab æterno Patre per generationem, in similitudinem nimirum naturæ, hoc est, per communicationem ejusdem specie & numero naturæ, quæ est in Patre a quo generatur: Dicitur præterea filius *Unicus*, naturalis, nimirum, non autem adoptivus; ac proinde qui non minus, quam Pater, sit Deus: *Quando autem* (inquit Augustinus in Sermone de Symbolo ad Catechumenos) *audis, Unicum Dei filium, agnosce Deum. Non enim filius Dei unicus posset esse non Deus*. Ille filius, post suam cum humana natura unionem, dicitur *Jesus*, eo quod sit non unius gentis (ut olim Jesus filius Nave) sed omnium hominum salvator. Dicitur quoque *Christus*, id est, *Unctus*, unctione scilicet spirituali, in Sacerdotem, qui pro nobis, ut homo est, apud Patrem interpellet; in Prophetam, qui Dei legem nos doceat; & in Regem qui Ecclesiæ per universum orbem diffusæ præsit.

Profitemur 2. credere nos, illum Jesum Christum, filium Dei unicum, *nostrum esse Dominum* tum jure redemptionis, quippe qui nos exemerit a captivitate diaboli, cui Adamus per suum peccatum totum genus humanum mancipaverat; tum etiam ratione personæ, cui in illo Christo humana natura est substantialiter unita: Ratione nimirum personæ Christus easdem habet virtutes, easdem perfectiones quæ in Patre reperiuntur: *Habet*

bet (quæstio est Augustini in Serm. de Symbolo ad Catechumenos) *aliquid Pater, quod non habet Filius? Hoc Ariani haeretici blasphemi dicunt, non ego. Sed ego quid dico? Si habet aliquid Pater, quod non habet Filius; mentitur Filius, qui dicit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt.*

III. In tertio Symboli articulo, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*, profitemur 1. credere nos, Christum non ex virili semine conceptum fuisse, sed virtute Spiritus sancti, cui, utpote per amorem a Patre & Filio procedenti, opera externa quæ ad caritatem referuntur, tribui solent per modum loquendi, quam theologi *appropriationem* vocant; quamvis alioquin toti Trinitati communia sint.

Profitemur 2. Mariam, quæ orta est ex semine Abrahæ (cui quidem promissio a Messia facta fuerat, *in semine tuo benedicentur omnes gentes*) vere esse matrem Jesu Christi, & vere Deiparam, cum ex illius sanguine efformatum sit Jesu Christi corpus, cui eodem temporis articulo infusa fuit anima rationalis, & utrique, corpori & animæ, unita hypostatice divinitas; ita tamen (sic disponente Spiritu Sancto) ut Maria nullum passa fuerit Virginitatis detrimentum, aut in conceptione, aut in partu; ex illius nimirum sinu Verbum incarnatum exiit non reserato Virginitatis claustro, sicut exiit postea ex sepulcro non revoluto lapide, sicut cœnaculum januis clausis subiisse legitur in Evangelio. *Manum Deus* (inquit Augustinus in sermone de Symbolo ad Catechumenos) *homini jacenti porrexit. Nos cecidimus, ille descendit: nos jacebamus, ille se inclinavit; Prendamus & surgamus, ut non in pœnam cadamus. Ergo inclinatio ipsius hæc est. Natus est de Spiritu Sancto & Virgine Maria. En ipsa nativitas humana, humilis & excelsa. Unde humilis? Quia homo natus est ex hominibus. Unde excelsa? Quia de Virgine Virgo concepit, virgo peperit, & post partum virgo permansit.*

IV. His articuli quarti verbis: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*, declaramus nos credere 1. Jesum Christum pertulisse irrisiones, flagella, contumelias, præside in Judæa Pontio Pilato: easque irrisiones, ea flagella, eas contumelias, eos cruciatus, vero cum dolore affecisse, juxta hanc ipsiusmet Christi in Evangelio sententiam: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Declaramus 2. per hanc vocem, *Crucifixus*, credere nos, Christum actum fuisse in crucem; supplicii genus non apud Gentiles modo, sed & apud Judæos turpissimum, juxta illud Moysis in Deuteronomio: *Maledictus qui pendet in ligno.*

Declaramus 3. per hanc aliam vocem, *Mortuus*, credere nos, animam Christi ab illius corpore revera fuisse separatam: scilicet Evangelium fidem facit, ipsum, dum in cruce penderet, emisisse spiritum: Id tamen non impediit, quin Verbum cum utroque, anima nimirum & corpore, hypostatice unitum permanserit.

Declaramus 4. per hanc aliam vocem, *Sepultus*, credere nos, corpus Jesu mandatum fuisse sepulturæ: idque ut veritas mortis, quam in cruce passus fuerat, comprobaretur. Monitum hic volumus Theologiæ candidatum, omnes & singulas articuli quarti partes Christo ut homini, non autem ut Deo convenire. Nam pati & mori, in creatam tantum naturam cadunt, quamvis ipsimet Deo tribuantur per idiomatum communicationem, quæ quidem (ut Tomo secundo diximus) ex unione substantiali humanitatis cum Verbo oritur.

In eum, quem hucusque exposuimus articulum, hæc habet Augustinus Sermone de Symbolo ad Catechumenos: *Crucifixus, Mortuus, & Sepultus. Quid? Quid? Pro quibus? Quis? Filius Dei unicus, Dominus noster. Quid? Crucifixus, mortuus, & sepultus. Pro quibus? Pro impiis & peccatoribus. Magna dignatio, magna gratia! Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

V. Hisce vocibus, *Descendit ad inferos: Tertia die resurrexit a mortuis*, constat quintus Symboli articulus. Priori parte, *Descendit ad inferos*, testamur, credere nos, Christum, non tantum secundum divinitatis virtutem, sed substantialiter, non quidem secundum corpus quod jacebat in sepulcro, sed secundum animam Verbo hypostatice conjunctam, descendisse ad inferos, non ad tetrum illum carcerem, quo dæmones cum hominibus reprobis concluduntur; non ad locum purgatorium, quo detinentur animæ, quibus Deo pro peccatis aliquid superest persolvendum: sed ad receptaculum illud, in quo animæ Patriarcharum, aliorumque Sanctorum, qui Deo plane satisfecerant, expectabant Salvatoris mortem, per quam regni cælestis portæ, illuc usque hominibus clausæ, reserarentur. Eas justorum hominum animas summa lætitia affecit præsentia Christi, a quo mox donatæ sunt visione beatifica: quo quidem facto id Christus probavit, quod Latroni, dum penderet in cruce, hisce verbis promiserat: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Altera ejusdem articuli quinti parte, *Tertia die resurrexit a mortuis*, profitemur, credere nos Christi resurrectionem, seu confitemur, post elapsum Veneris diem, qua Christus obiit, elapsum quoque diem Sabbati, per quam integram corpus illius in sepulcro remansit, ineunte die, qui apud Romanos *Solis* dicebatur, apud Judæos *Prima Sabbati*, apud Christianos *Dominica*, animam iterum unitam fuisse ejus corpori, vitamque,

que, qua prius fruebatur, illi impertitam fuisse. Idque factum non aliena virtute, ut in Lazaro quem Christus a mortuis suscitaverat, sed vi propria, utpote divinitate animæ & corpori Christi hypostatice conjuncta. Unde Paulus profert Christi resurrectionem tanquam argumentum efficacissimum, quo confirmetur veritas eorum omnium, quæ Christus ipse ante suam mortem docuerat: profertur quoque ad erigendam & corroborandam nostrum omnium spem: si enim Christus vere resurrexit, certa spe nitimur, fore ut nos etiam resurgamus.

VI. Hic articulus: *Ascendit ad cælos: Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, docet 1. Christum non tantum divina virtute, sed & beata, hoc est, Beatis propria, qua scilicet anima corpus gloriosum transfert, quocumque libuerit, e terris in cælum conscendisse, non quidem ut Deus est, sic enim e cælis absuit nunquam; sed prout homo, seu secundum corpus & animam. Debebatur nimirum corpori glorioso cælestis ille locus, necesseque erat, ut eo Salvator ascenderet, tum ut probaret, regnum suum non esse de hoc mundo, tum etiam ut caussam nostram coram Deo Patre tanquam advocatus ageret.

2. Tropica hac loquendi ratione: *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, docemur, Christi, ut persona est, æqualitatem cum Deo Patre; nulli enim Angelorum (inquit Apostolus) Deus Pater dixit aliquando, *Sede a dextris meis*.

3. Eadem loquendi ratione docemur præterea, summam Christo, ut homo est, concessam fuisse a Patre potestatem: unde & ipse post resurrectionem Apostolos sic allocutus est: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Idem tropus monet nos firmam & constantem semper fore gloriam, qua Christus in cælis fruitur.

De articulo quem hucusque exposuimus, sic Augustinus loquitur Sermone de Symbolo ad Catechumenos: *Ascendit in cælum: credite. Sedet ad dexteram Patris: credite. Sedere, intelligite habitare, quemodo dicimus de quocumque homine: In illa patria sedit per tres annos ... Beatus est, & a beatitudine, quæ dextera Patris vocatur, ipsius beatitudinis nomen est dextera Patris. Nam si carnaliter acceperimus, quia sedet ad dexteram, ille erit ad sinistram. Numquid fas est, ut sic illos componamus, Filium ad dexteram, Patrem ad sinistram? Ibi omnis dextera est, quia nulla ibi miseria. Hactenus S. Doctor*.

VII. Hæc est articuli septimi, *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*, sententia, Christum post consummationem sæculorum, post completum prædestinatorum numerum, e cælis, quo post mortem ascendit, descensurum esse, ut judicet de universo genere humano.

Christus judiciaria illa potestate fruetur 1. ut homo est, cum (ut ipse ait in Evangelio) Pater dederit ei judicium facere, quia filius hominis est. 2. Judicabit quoque ut Deum, cum, prout est Verbum, sit ipsamet Patris Sapientia. Judicabunt pariter cum eo aliæ SS. Trinitatis personæ: sed prout est homo, exterius proferet latam a se, & aliis personis, condemnationis, aut justificationis sententiam.

Operæ pretium est, ut Augustinum, septimum illum articulum exponentem, audiamus: *Inde* (inquit Serm. de Symbolo ad Cathecumenos) venturus est judicare vivos & mortuos: *Vivos qui superfuerint; mortuos qui præcesserint. Potest & sic intelligi*, Vivos, *justos*: Mortuos, *injustos*. *Utrosque enim judicat, sua cuique retribuens. Justis dicturus est in judicio*: Venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi. *Sinistris quid?* Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

VIII. Is octavi articuli, *Credo in Spiritum Sanctum*, germanus sensus est. Credimus 1. tertiam esse in Divinis personam, quæ dicitur Spiritus Sanctus, non quod aliæ non sint pariter Spiritus, sed quod illius a Patre & Filio emanationi per amorem, nomen proprium tribuere non possimus; nulla quippe in creatis similis est emanatio: unde ut personam illam designemus, cogimur usurpare nomen commune.

Credimus 2. illam tertiam personam Deum esse, utpote Patri & Filio consubstantialem: idque exprimitur per præpositionem, *In*. Credere nimirum in aliquem, est (ut jam superius observatum est) in eo spem ponere suam, ad eumque tanquam ad finem ultimum totis viribus contendere: at non in alio, quam in Deo, spem nostram ultimo collocare possumus; ipse solus est ultimus rationalis creaturæ finis.

Credimus 3. explicitam tertiæ personæ cognitionem esse ad salutem necessariam necessitate medii. Unde (ut habetur Actorum 19.) Spiritum Sanctum Apostolus ignorare non permisit Ephesios, a quibus cum quæsiisset, an Spiritum Sanctum accepissent, illique, ne si Spiritus Sanctus quidem esset, se scire respondissent, statim interrogavit: *In quo ergo baptizati estis?* Quibus verbis (ait Catechismus Romanus) distinctam hujus articuli notitiam fidelibus absolute necessariam esse docuit.

Audiendus est de octavo illo articulo Rufinus in edita a se Symboli expositione: sic ergo loquitur: *Ceterum si solius divinitatis ratio habeatur, eo modo quo in principio dicitur*; Credo in Deum Patrem omnipotentem, & *post hæc*: in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum: *ita jungitur*: Et in Spiritum Sanctum; *Ut autem una eademque in Trinitate divinitas doceatur; sicut dictum est*,

in

in Deum Patrem credi adjecta prepositione, In, *ita & in Christum Filium ejus, ita & in Spiritum Sanctum memoratur.*

IX. Hoc articulo qui ordine nonus est in Apostolorum Symbolo. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam Sanctorum communionem*, credimus 1. extare congregationem fidelium sub uno invisibili capite Christo, & visibili ejus Vicario Romano Pontifice, & Episcopis, quos sub eodem Pontifice Romano Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo.

Credimus 2. eam fidelium congregationem esse *sanctam*, non solum quod Deo sanctitatis fonti consecrata sit per baptismum, quo initiata sunt singula ejus membra, & conjuncta cum capite Christo; sed etiam quod *sanctam*, id est, ab omni errore immunem doctrinam profiteatur; quod legitimum habeat Sacramentorum usum; quod piæ sint cæremoniæ, quibus Deo externum exhibet cultum; quod a Spiritu Sancto regatur, unde in judicio rerum quæ ad fidem aut mores spectant, infallibilis est; quod in multis ejus membris, licet non omnibus, habitet Spiritus sanctus, a quo sanctificantur.

Credimus 3. illam eamdem Ecclesiam esse *Catholicam* seu *Universalem*, ubique nimirum diffusam: qua quidem ejus dote prædicta a Prophetis, expressa in Evangelio, usus est olim Augustinus, ut Donatistas, aliosque tum schismaticos, tum hæreticos in orbis angulo latitantes, in Ecclesia non esse, demonstraret.

Credimus 4. Ecclesiam esse *Unam*, unitate capitis, unitate fidei, unitate Sacramentorum, unitate gratiæ, quam Christus sicut vitis in palmites, in sua viva membra jugiter infundit, quamque per passionem suam promeritus est. Concilium Nicænum in suo Symbolo (ut inferius observabitur) eamdem Ecclesiam vocavit *Apostolicam*, id est, ædificatam supra doctrinam Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

Vide quæ ad eas Ecclesiæ dotes pertinent, Cyprianum & Augustinum in libris quos exararunt *de Unitate Ecclesiæ*. Vide etiam tractatum nostrum de Ecclesia, quem harum Institutionum Tom. 1. inseruimus.

De articulo nono quem mox exposuimus, hæc habet Augustinus in Sermone de Symbolo ad Catechumenos: *Sequitur post Trinitatis commendationem*, Sanctam Ecclesiam. *Demonstratus est Deus, & templum ipsius*: Templum enim Dei sanctum est (*ait Apostolus*) quod estis vos. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua. Portæ inferi non vincent eam.*

Audiendus est de eodem articulo Rufinus in sua Symboli expositione: *Sanctam Ecclesiam Catholicam* (inquit) *Non dixit*: in *sanctam Ecclesiam . . . Si enim addidisset*, in, *præpositionem, una eademque vis fuisset cum superioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis, ubi de divinitate fidei ordinatur, in Deum Patrem dicitur, & in Jesum Christum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum; in ceteris vero ubi non de Divinitate, sed de creaturis ac mysteriis sermo est*, in, *præpositio non additur, in sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam credendam esse: non ut in Deum, sed ut Ecclesiam Deo congregatam.*

Altera articuli noni parte, quæ hisce verbis constat: *Sanctorum communionem*, profitemur credere nos, varia ac multiplicia dona, quibus Ecclesia ornata est, communia esse, quoad fructum, singulis fidelibus: ita ut licet omnes gratiam sanctificantem non habeant, nec instructi sint donis gratuitis, quæ passim gratiæ gratis datæ nominantur; ea tamen dona, ad cujusque membri Ecclesiæ salutem conferant; singula per Sacramentorum receptionem sanctificari possint; unicuique, suo modo, prosint justorum orationes: Nimirum conversionis donum, quod Deus pluribus impiis in Ecclesiæ sinu existentibus largitur, effectus sint casti gemitus columbæ, seu Ecclesiæ prout justis pluribus constat, in quibus Spiritus Sanctus postulat (ut Paulus loquitur) pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

De hac articuli noni parte, *Sanctorum communionem*, nihil (ut jam superius fuit observatum) legitur in Symbolo, quod Rufinus commentatus est. Nihil quoque, saltem quod explicitum sit, reperitur in Augustini Sermone de Symbolo ad Catechumenos.

X. Hic articulus, *Remissionem peccatorum*, definit 1. peccata vere remitti in Ecclesia Catholica: nec immerito, cum nemo ad eam admittatur, nisi per baptismum, quo omnia scelera parvulis per fidem Ecclesiæ, a qua offeruntur, & adultis debite ad illum recipiendum dispositis dimittuntur.

Definit 2. esse in eadem Ecclesia potestatem remittendi peccata, quæ post baptismum a fidelibus committuntur. Apostolos nimirum & eorum in Sacerdotio successores, ea facultate Christus ipse post suam e mortuis resurrectionem hisce verbis donavit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

De decimo Symboli articulo eadem habet Augustinus, quæ & nos de eo tradidimus. Nimirum exponens in Sermone de Symbolo ad Catechumenos verba hæc, *Remissionem peccatorum*, docet, intelligi ipsa de remissione quæ in baptismo conceditur: *Habetis Symbolum perfecte in vobis quando baptizamini. Nemo dicat, illud feci, forte non mi-*

bi dimittitur. Quid fecisti? quantum fecisti? Dic immane aliquod quod commisisti, grave, horrendum, quod etiam cogitare horres: quidquid vis feceris, numquid Christum occidisti? Non est isto facto aliquod pejus, quia & Christo nihil est melius. Quantum nefas est, occidere Christum? Judæi tamen eum occiderunt, & multi in eum postea crediderunt, & biberunt ejus sanguinem (bibitur autem ex Augustino in baptismate) *dimissum est illis peccatum quod commiserunt.*

Docet iterum, venialia fidelibus dimitti in oratione Dominica: *Propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio?* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: *Semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione.*

Docet tandem, peccata *pro quibus necesse est ut a Christi corpore*, id est, Eucharistia, fideles *separentur*, hoc est, peccata lethalia dimitti pœnitentiæ sacramento: *Illi enim quos videtis* (Catechumenos alloquitur) *agere pœnitentiam, scelera commiserunt.*

Eam de peccatorum remissione doctrinam hisce verbis idem Augustinus concludit: *Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in baptismate, in oratione, in humilitate majore, aut* (ut ferunt aliqua manuscripta) *majoris pœnitentiæ: tamen Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis.*

XI. Hac sententia, *Carnis resurrectionem*, ex qua constat undecimus Symboli articulus, testamur, credere nos, animam quæ per mortem a corpore separata fuerat, iterum illi conjugendam esse, idque ut referat unusquisque, prout gessit in suo corpore, sive bonum sive malum.

Hinc vero sequitur, omnes prorsus homines esse morituros: mors enim resurrectioni, quæ omnibus concederetur, præsupponitur necessaria. Nec contrarium probant hæc Apostoli verba 1. ad Thessal. 4. *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera.* Nam (ut Ambrosius exponit) mors electos, qui usque ad adventum Domini in terris superstites fuerint, in ipso ad aera raptu præveniet. Symbolum Aquilejense (ut superius observatum est ex Ruffino) legit, *Hujus carnis resurrectionem*, quo doceamur, unumquemque resurrecturum esse in ea carne, in qua diem extremam concluserit.

De articulo, quo carnis resurrectionem profitemur, hæc habet Augustinus in Sermone de Symbolo ad Catechumenos: *Credimus etiam resurrectionem carnis, quæ præcessit in Christo, ut hoc etiam speret corpus, quod præcessit in capite. Caput Ecclesiæ Christus, Ecclesia Corpus Christi. Caput nostrum surrexit, ascendit in cælum: ubi caput, illic & membra.*

Ruffinus plura habet de eo articulo, quo (ut observat) Symbolum Aquilejense conclusum erat. Docet nimirum, christianos propter illius articuli fidem, a paganis & hæreticis irrideri. *Quamvis* (inquit) *etiam ae ea non solum a gentibus, sed etiam ab hæreticis fides impugnetur Ecclesiæ. Nam Valentinus resurrectionem carnis omnimode negat, & Manichæus, sicut superius ostendimus.* Docet iterum, carnis resurrectionem probari posse pluribus tum veteris, tum novi Testamenti sententiis, quas in sua Symboli expositione sigillatim describit.

XII. His terminis, *Vitam æternam*, quæ vulgare nostrum symbolum claudunt, quæque in Aquilejensi (Ruffino teste) non legebantur, credimus, homines, qui divina mandata servaverint, consecuturos esse beatitudinem, quæ divinæ essentiæ intuitivam (ut vocant) visionem, amorem, & consequentem ex duplici illo actu delectationem & quietem includit.

Beatitudinem illam ipsum *vitæ æternæ* nomen exprimit, sicque docemur, beatitudinem illam fore spiritualem, nec positam esse in rebus fluxæ ac labentis naturæ.

Fides *de vita æterna* symbolum claudit, tum quod post resurrectionem nihil sit aliud a fidelibus expectandum, nisi æternæ vitæ præmium, tum etiam ut perfecta illa felicitas nostris semper oculis obversetur, ac in ea mentem & cogitationes omnes defigendas esse doceamur.

Cur articulus de vita æterna sequatur arculum de carnis resurrectione, hisce verbis aperit Augustinus in sermone de symbolo ad Catechumenos: *Quomodo carnis resurrectionem? Ne forte putet aliquis, quomodo Lazari, ut scias non sic esse, additum est:* VITAM ÆTERNAM.

§. II. *De Symbolo Nicæno.*

Not. De symbolo Nicæno quæremus 1. quibus verbis constet: 2. cur a Nicænis Patribus editum sit: 3. cujus sit auctoritatis: 4. quinam sit illius sensus.

Describitur Nicænum Symbolum.

Nicænum symbolum, hoc est, editum in primo Nicæno Concilio, quod, ut harum Institut. Tom. 1. dictum est, anno 325. habitum est, hisce verbis constat.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium.

Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum, unigenitum, id est, ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, & quæ in terra.

Qui propter nos homines, & propter nostram salu-

salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die.

Et ascendit in caelos, & iterum venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum.

Eos autem qui dicunt, erat aliquando, quando non erat: & quia ex iis quae non sunt, factus est, aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem filium Dei, anathematizat Catholica Apostolica Ecclesia.

Cur editum sit, & cujus sit auctoritatis Nicaenum Symbolum.

I. Symbolum in Nicæno primo Concilio editum est occasione impietatis Arii, qui blasphemarat, Dei Verbum non esse Deum, sed creaturam, factam quidem ante omnes alias, sed tamen, ut aliæ, ex nihilo eductam.

II. Antequam blasphemiam illam Arius evomuisset, Ecclesia Catholica ubique gentium non aliud in usu habebat symbolum, quam vulgare nostrum, quod Apostolorum dicitur. Verum ut Ario occurreret, symbolo inseruit, quæ ad Verbi divinitatem pertinent, unde Gregorius Nazianzenus in Encomio Heronis Philosophi hæc scribit: *Nicaena synodus certis finibus ac verbis divinitatis doctrinam circumscripsit.*

III. Quantæ sit auctoritatis Nicænum symbolum, liquet ex relatione Synodi Chalcedonensis ad Martianum Augustum, ubi hæc habentur: *Unam esse, veluti principali loco, trecentorum decem & octo Patrum doctrinae confessionem, lex nobis Ecclesiae praescribit, quam velut commune Sanctorum decretum, ad eorum qui vocantur in adoptionem filiorum, tradimus firmitatem.*

In secunda ejusdem Chalcedonensis Synodi actione, post recitatum Nicænum Symbolum, hæc habentur: *Reverendissimi Episcopi clamaverunt, Haec Catholicorum fides, huic omnes credimus, in hac baptizati sumus, in hac baptizamus.*

Patres quintæ Synodi generalis idem senserunt quod Patres quartæ: sic enim, de Nicæno symbolo loquentes, exclamaverunt: *In hoc omnes baptizati sumus, & nos in hoc baptizamus.*

Mox a Nicæna Synodo omnes Græcorum Ecclesiæ in usu quotidiano assumpserunt symbolum in ea editum synodo, illudque Catechumenis suis tradidere: *Patres qui sanctum Concilium Chalcedonense celebrarunt* (ait Basilius Seleuciensis Episcopus, in synodica Concilii Seleuciæ habiti, ad Leonem Augustum) *symbolum Patrum Nicaenorum pro lapide sumentes, ubique hoc solum circumferri & praedicari ad illuminationem fidelium, sanxiverunt.* Quæ tamen verba ita intelligi non debent, ut in Oriente plane omissum sit Apostolorum symbolum: neque enim credere fas est, Ecclesiam Orientalem aliquando omisisse Catechumenis tradere articulos de Sancta Ecclesia, Sanctorum communione, remissione peccatorum, carnis resurrectione, & vita æterna; sed ita intelligenda sunt, ut ii articuli, qui in Apostolorum symbolo continentur, inserti postea fuerint Nicæno, donec Constantinopolitanum symbolum omnibus numeris absolutum prodiit.

IV. Tantam vim habuit apud Orientales Nicænum symbolum, ut ubi Constantinopolitanum illius loco suffectum est, Nicæni tamen symboli nomine inscriptum fuerit: ita ut omnes Constantinopolitano Concilio posteriores synodi, quoties Nicænum symbolum nominant, Constantinopolitanum intelligant.

V. Etiam post edita Nicænum, & Constantinopolitanum symbola, Ecclesiæ Occidentales vulgare symbolum, quod Apostolorum dicitur, integrum, hoc est, sine additione aut detractione alicujus rei quæ momenti sit cujusdam, retinuerunt in usu quotidiano. Idque patet ex eo quod Augustinus, Petrus Chrysologus, Maximus Taurinensis, aliique Latini Episcopi, solum symbolum Apostolorum Catechumenis tradiderint, & exposuerint. Una tamen excipienda est Hispaniarum Ecclesia, quam cum Gothi, VVandali, aliique Ariani pervasissent, Apostolorum symbolo, Constantinopolitanum, retento Nicæni symboli nomine, substituerunt, ut patet ex tertia Toletana synodo.

Nec mirum est, quod nostrates Ecclesiæ integrum Apostolorum symbolum, hoc est, sine additionibus, sive in Nicæno Concilio, sive in Constantinopolitano editis, retinuerint; Id enim contigit, quod hæretici quos Nicænum Concilium & Constantinopolitanum in suis additionibus præ oculis habuerunt, nostrates Ecclesias nusquam pervaserit; ac proinde opus illi non fuit nova professionis tessera. Vide quæ superius ex Ruffino ea de re exscripsimus.

Exponitur Nicaenum Symbolum.

Not. Plura Nicæni symboli capita, hujusce articuli paragrapho primo, agentes de symbolo quod passim Apostolorum dicitur, jam explicuimus: Multa alia exponentur paragrapho tertio, cum de symbolo Constantinopolitano dicemus. Hic autem de iis tantum agemus, quæ adversus hæresim Arii tunc primum a Nicænis Patribus addita sunt.

Primum istud est: *Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei ex Patre natum, unigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Ut Lectoris ob oculos ponamus rationes quæ Nicænum Concilium moverunt, ut, quæ relata sunt, verba symbolo insereret, monemus, proscriptos fuisse iis verbis varios lo-

quendi modos, quibus Ariani variis temporibus usi fuerant.

Ariani, cum nihil timebant, sibique omnino permittebantur, asserebant, *Verbum esse ex nihilo.* Illi blasphemiæ Nicæna synodus opposuit: *Ex Patre.* Dicebant, Verbum *more nostro factum & creatum*, synodus vero, *Natum.* Asserebant, ipsum more nostro esse filium Dei, adoptivum nimirum & per gratiam; synodus e contra, *Unigenitum*, ac proinde non gratia, sed natura filium. *Eusebius* Nicomediensis, *& ejus fautores* (inquit Athanasius in Epistola ad Episcopos Africanos) *perversa sua opinione a vero abducti, dixere inter se: Hisce consentiamus, etenim nos quoque ex Deo sumus: Unus nempe Deus, ex quo omnia.* Quo sensu vocem, *Unigenitus*, interpretarentur, docet idem Athanasius in epistola de Nicæno decreto: *Per summam impudentiam dixerunt* (ait) *se ad istum modum putare, filium prærogativam præ aliis habere, Unigenitumque appellari, eo quod unus ille a solo Deo conditus sit: cetera vero omnia a Deo per ipsum.* Pergit idem Athanasius: *Episcopi, eorum astutia cognita, plenius explicarunt illud*, EX DEO ESSE, *scripseruntque, filium esse ex essentia Dei, hoc est, substantia Patris, ita ostendentes, longe aliter Verbum, aliter creaturas esse ex Patre.* Addideruntque, *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri*: Sicque Arianis omnes, in quos se se recipere conati fuerant, cuniculos præcluserunt.

Alterum, quod Nicænum Concilium adversus Arianos statuit, hisce verbis, quæ symbolo post articulum de Spiritu sancto leguntur, continetur: *Eos autem qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat, & quia ex iis quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia vel essentia, dicunt esse vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem filium Dei, anathematizat Catholica Ecclesia.* Ea autem verba, quæ damnantur a Concilio, ipsam continent hæresim Arii: cum enim contenderet, Verbum esse meram creaturam, licet ceteris perfectiorem, & ante alias omnes conditam, necesse erat, ut assereret, fuisse tempus, quo Verbum nondum erat, ipsum ex iis quæ non sunt, hoc est, ex nihilo factum fuisse, non autem natum ex essentia, seu substantia Patris.

Concilii definitione, qua damnati sunt ii qui dicerent, *filium esse ex alia substantia, vel essentia*, abusi sunt, qui tunc in humanis erant, Sabellii sectatores, nimirum, supponentes, essentiam, substantiam, esse idem cum hypostasi, seu persona, contendebant, Concilium definiisse, Verbum ab alia non esse persona, ac proinde non esse tres personas, sed unam tantum, sicut unica est essentia, unica substantia. Verum rejiciuntur a Basilio in professione Eustathiana; contendit enim, essentiam & hypostasim duo esse diversa; unde concludit, unam esse in divinis essentiam, & tres hypostases: Latini non nisi post quartum sæculum voce *hypostasis* usi sunt, ut personam significarent, adhibuerunt nimirum tunc vocem, *subsistentia*, & tandem ipsam hypostasis vocem, ubi certiores facti sunt, quod Græci per hypostasim intelligerent idem, quod ipsi per subsistentiam & personam. Vide quæ de ea Latinos inter & Græcos controversia scripsimus harum Institutionum Tom. II.

§. III. *De Symbolo Constantinopolitano.*

Not. Describemus hic 1. totius Symboli Constantinopolitani tenorem: 2. singulos ex ordine articulos, ex quibus constat, exponemus: 3. dicendum est de tempore, quo in Ecclesiis Occidentalibus publice decantari cœpit, nec non de additione particulæ, *Filioque*, quæ pluribus post Concilium Constantinopolitanum annis inserta fuit symbolo: sed ambas illas quæstiones fuse pertractavimus harum Institutionum Tom. II. iis locis, ubi disseruimus de divinitate Spiritus sancti.

Describitur Symbolum Constantinopolitanum.

Not. Symbolum Constantinopolitanum multo amplius est quam symbolum Apostolorum, & symbolum Nicænum. Constantinopolitanos Patres, ut fidem prolixius explicarent, coegerunt hæreses variæ, quæ in Oriente antea grassatæ fuerant, & quarum plurimæ eo etiam tempore, quo celebratum est, grassabantur. Sic autem habet.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium conditorem.

Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, & quæ in terra.

Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis; & incarnatus est ex Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus ac sepultus. Et tertia die resurrexit, secundum Scripturas.

Ascendit ad cælos: sedet ad dexteram Dei Patris. Inde venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis.

Credimus in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per Prophetas.

Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Explicatur Symbolum Constantinopolitanum.

Not. Fuse Christianus Lupus singulos symboli, de quo agitur, articulos exponit in suis scholiis, & notis in canones Constantinopolitanos, pag. 257. sed ea methodo ut appellet hæreticos, qui fidem illis articulis contrariam invehere conati sunt.

Credimus. A fide symbolum incipit, eo quod non ratione & philosophia, sed fide, seu revelatione, intelligantur religionis mysteria, juxta illud Isaiæ: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

In Deum. Propositio IN, apponitur, ut doceamur, satis non esse credere Dei existentiam, aut illum vera loqui; sed præterea (ut jam monuimus superius exponentes Apostolorum symbolum) ut in eo spem collocemus nostram, eumque super omnia diligamus; unde est illud Augustini in sermone de verbis Domini: *Multum interest utrum quisque credat ipsum esse Christum, & utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe & sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit.* Itaque tribus illis vocibus: *Credimus in Deum,* qui symbolum recitat: elicit actus fidei, spei, & caritatis.

In unum Deum. Vox *Unum*, Marcionitas, Encratitas, Manichæos, aliosque duplicis divinitatis fabulatores, impetit. Unde prima synodus Toletana hocce Symbolum exponens, Priscillianistas ejusdem cum prioribus illis hæreticis impietatis hisce verbis proscribit: *Si quis dixerit, vel crediderit, alium Deum esse priscæ legis, alium Evangeliorum, anathema sit.*

Omnipotentem. Vox illa (ait Lupus) damnat geminæ dogma Origenis, qui contendit (ut patet ex Rescripto Justiniani Augusti ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum) Deum tanta fecisse, quanta potuit; tantamque materiæ quantitatem, quantam administrare & ornare poterat. Damnat & Hermogenem qui asseruit, Deum, ut operaretur, indiguisse increata & æterna materia: contra quem errorem hæc habet Tertullianus in libro contra Hermogenem, c. 8. *Non est omnipotens, si non & hoc potuit ex nihilo omnia perficere.*

Factorem cæli & terræ. Verba illa ex Apostolorum symbolo inserta sunt Nicæno & Constantinopolitano contra Gnosticos, qui quidem (ut testatur S. Augustinus in libro de Hæresibus) Deo vero non adscribebant cæli & terræ creationem.

Visibilium omnium. Voces illæ significant, Deum non tantum esse creatorem operum, quæ secundum nostrum cogitandi modum, perfecta sunt, sed & eorum quæ imperfecta a nobis dicuntur, ut sunt muscæ, culices, & alia hujusmodi quæ ex putri materia nascuntur: unde est illud Tertulliani in libro de Anima, cap. 20. *Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum & in maximis.*

Vox ista, *Et invisibilium*, impetit duplicis Divinitatis fictores, qui contenderunt, Angelos, & animas nostras esse increatas, utpote (inquiebant) veluti partes, effluxiones, præcisiones divinæ substantiæ; unde est illud primæ Toletanæ Synodi: *Si quis dixerit, animam humanam esse Dei portionem, vel Dei substantiam, anathema sit.*

Hisce terminis, *Et in unum Dominum Jesum Christum*, damnatur calumnia Apollinaristarum contendentium, Catholicos confitentes duas in Christo sine confusione naturas, duos in Christo distinguere filios, unum ex Patre, alterum ex matre: *Nos accusant* (inquit, de illis agens, Gregorius Nazianzenus in epist. 2. quæ est ad Cledonium presbyterum) *quod duas naturas distinctas*, intelligebat, *divisas, aut inter se pugnantes invehamus, atque excellentem & admirabilem unionem dividamus.*

Hinc factum est, ut Damasus Papa Paulino Episcopo Antiocheno, epist. 2. præscribat: ut ab Apollinaristis in Ecclesiæ sinum redeuntibus hujusce articuli confessionem exposceret.

Ex Patre natum ante omnia sæcula, addita sunt Nicæno Symbolo, ut damnaretur dogma Photini, Syrmiensis Episcopi, contendentis, Christo, utpote homini puro, non alium nativitatem competere, quam quæ ab ipso Christo haberi cœpit in Mariæ Virginis utero.

Hæc verba, *Deum de Deo, Deum verum ex Deo vero*, adjecta esse Nicæno Symbolo, contendit in Florentino Concilio sess. 7. & sess. 10. Rhodiorum Episcopus: sed revinctus est a Cardinale Juliano, qui ex authenticis codicibus ostendit, ea in germanis Nicæni Concilii exemplaribus reperiri.

Natum, non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantia, Apostolorum Symbolo addita sunt a Nicænis Patribus, & postea a Constantinopolitanis, ut Arii, & illius asseclarum doli circumscriberentur. Vide quæ ad illa verba dicta sunt iis locis, in quibus Nicænum Symbolum exposuimus. Vide quoque nostrum de Trinitate Tractatum, ubi fuse de voce, *Consubstantialis*, disseruimus.

Qui descendit de cælis. Exemplaria Nicæni Concilii ex Alexandrinis & Constantinopolitanis archiviis missa ad Aurelium, Episcopum Carthaginiensem, omittunt voces, *De cælis*:

cælis: Quæ vero laudata sunt in Concilio Chalcedonensi, & quod Athanasius in suis ad Jovinianum litteris inseruit, habent, *De cælis*. Symbolum Constantinopolitanum, quod lectum est in Ephesino & Chalcedonensi Concilio, non habebat quoque vocem, *De cælis*. Id Julianus Cardinalis observavit in Synodo Florentina sess. 7. ubi, ut probaret quaedam ab Ecclesia posse inseri Symbolo, quod Græci negabant, Marcum, Ephesiorum Episcopum, sic allocutus est: *Nos differentiam quamdam habemus inter libros nostros & vestros: Nam in Constantinopolitano Symbolo, quod postea Ephesi, & Chalcedone recitatum est, non habetur vox illa* DE CÆLIS.

His vocibus, *Et incarnatus est*, quæ in Nicæno Symbolo leguntur, Constantinopolitani Patres addiderunt, *De Spiritu Sancto ex Maria Virgine*. Synodica Concilii Chalcedonensis ad Martianum Augustum, fidem facit, a Concilio Constantinopolitano additas fuisse voces illas contra eos, qui negabant carnalem Dei nativitatem ex Virgine, ab ejusque generatione surripiebant vocabulum *Dei genitrix*, prædicabantque divinitatem convertibilem atque passibilem: qui quidem tunc alii non erant, quam Apollinaristæ. Id ipsum testatus est Marcus Ephesiorum Episcopus, in sessione quinta Florentinæ Synodi: *Secunda Synodus* (inquit) *exploravit Symbolum prioris, de Incarnatione Dei Verbi, propter hæresim Apollinarii, addens voci illi* INCARNATUS, *illud* DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: *hoc enim non habetur in Symbolo primo*. Scilicet Apollinaris asseruit (quod jam antea Valentinus asseruerat) cœlestem esse Dei Verbi carnem, & divinæ ejus essentiæ naturaliter insitam: *Affirmat Apollinaris* (inquit Gregorius Nazienzenus in litteris ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum) *nequaquam adventitiam esse carnem illam ob naturæ nostræ transformationem ab Unigenito Filio secundum dispensationem assumptam, verum carnalem illam naturam in Filio jam inde a principio fuisse*. Abstulit & has voces, *De Spiritu sancto*, Apollinaris, eo quod (ajunt aliqui) contenderet carnem nostræ consubstantialem, non posse nisi per viam ordinariam, hoc est, ex viri semine nasci.

Et homo factus est. Positæ sunt illæ voces, ut Christum esse verum ac integrum hominem doceremur: neque enim tantam vim habet hoc verbum, *Incarnatus est*, quantam istud, *Inhumanatus est*, seu factus est homo: illud enim ex vi nominis innuit, carnem a Verbo assumptam fuisse; istud vero & ipsam etiam animam rationalem, seu, integram & completam humanitatem: *Quod descendit quidem* (inquit Concilium Chalcedonense, in Relatione ad Martianum Augustum) *hoc dicta sunt spontaneæ potestatis condescensionem describentia, dicens vero*, ET INCARNATUS EST, *veram assumptionem nostræ carnis, & ex Virgine per nativitatis unitatem ostendit. Quod vero* INHUMANATUS EST; *in ipso naturæ nostræ plenitudinem ex anima rationali & corpore manifestat*.

Itaque Concilium Constantinopolitanum utitur his vocibus: *Et homo factus est*; tum quod in Nicæna symbolo legerentur; tum etiam ut grassantibus tunc Apollinaristis iret obviam. Scilicet (ut jam observavimus) Apollinaristæ Deo Verbo aut veram carnem, aut animam, aut mentem detraxerunt, divisi in tres factiones, ut hisce verbis docet Augustinus in libro de dono perseverantiæ c. 24. *Non ita dicimus Christum hominem, ut aliquid minus habeat, quod ad humanam certum est pertinere naturam: sive animam, sive in ipsa anima mentem rationalem; sive carnem non de femina sumptam, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato: Quæ omnia tria falsa, & vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias, diversasque fecerunt*.

De articulis istis: *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus & sepultus. Et tertia die resurrexit, secundum Scripturas. Ascendit ad cælos. Sedet ad dexteram Dei Patris: inde venturus est judicare vivos & mortuos*; nihil hic attinet dicere, cum illos, agentes superius de Apostolorum symbolo, explanaverimus. Sed necesse est, ut de his vocibus, *Cujus regni non erit finis*, quæ in Constantinopolitano symbolo leguntur, nonnihil dicamus. Sunt Gabrielis Archangeli verba, adjecta (ut vult Christianus Lupus) contra Marcellum Ancyranum, delirantem, Christi regnum, cum Patri fuerit traditum, extinguendum fore, illumque in justorum hominum sortem esse redigendum.

Credimus in Spiritum. Iis verbis, quibus Nicæna Synodus usa fuerat in suo Symbolo, non obscure asserta fuerat divinitas Spiritus Sancti: neque enim (ut Apostolorum Symbolum exponentes, jam observavimus) in alium, quam in Deum, credere debemus: *Iterum ait symbolum Nicænum*: CREDO ET IN SPIRITUM SANCTUM, *sufficientem* (verba sunt Concilii Chalcedonensis, in relatione ad Marcianum Augustum) *intelligentiam, quod Spiritus sanctus Deus sit, piis mentibus tradens. Si enim similiter ut in Patrem & in Filium, ita etiam in Spiritum sanctum credere jussit, manifestum est, quod quoque ut in Deum spem habere nos præcipit, unam naturam insinuans in Trinitate credentibus*.

Verum Macedonius, aliæque pestes ex Arianis progenitæ, detorserunt in alienum sensum illam symboli Nicæni definitionem (simpliciter, quod circa Spiritum sanctum

nulla adhuc hæresis aperte extorta fuisset, prolatam) & Spiritum Sanctum ad creaturarum sortem dejecerunt: unde quæ in Symbolo post illa verba: *In Spiritum sanctum*, reperiuntur, Constantinopolitani Patres addenda esse judicarunt.

Dominum, ac proinde in servorum sorte minime deiiciendum. *Vivificantem*, quod quidem Dei solius est: neque enim alius quam Deus vitam impertire potest nobis, *ex Patre procedentem*, per divinæ naturæ communicationem, sicque Patri consubstantialem. *Cum Patre & Filio adorandum*; quod quidem negarat Macedonius, cujus apud Gregorium Nazianzenum in Oratione de Spiritu sancto erant impiæ hæ voces: *Quis Spiritum adoravit? Quis vel veterum, vel recentium? Quis eum oravit?* Addit Symbolum, *Et conglorificandum*; ac proinde verum Deum, neque enim factura cum factore, servus cum domino conglorificari debet, ut revera Spiritus sanctus conglorificatur in hymno glorificationis, quem habemus ex Apostolica traditione. *Qui locutus est per Prophetas*, fitque consequenter Deus, cum Deus solus per seipsum possit secreta cordis cognoscere, & prædicare futura. De particula *Filioque*, addita multis post sæculis, inserta Symbolo Constantinopolitano, vide quæ a nobis dicta sunt harum Instit. Tom. II. ubi de Spiritus sancti persona disseruimus.

Et Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. In Oriente tunc temporis grassabantur hæreses innumeræ, quæ veræ Ecclesiæ nomine gloriabantur: necesse fuit igitur, ut Constantinopolitani Patres notas veræ Ecclesiæ fideles omnes docerent, ut Christi sponsam ab hæreticorum conventiculis discernerent. Vide quæ superius, agentes de Symbolo Apostolorum, diximus de articulis, qui articulum de Ecclesia sequuntur.

§. IV. *De Symbolo Athanasiano*.

Not. Unum de Athanasiano Symbolo hic quæremus: utrum nempe Athanasii sit, Alexandrini Episcopi, qui quarto sæculo tanta constantia adversus Arianos Verbi Consubstantialitatem Nicæno primo Concilio assertam defendit. Circa vero eam quæstionem, duplex est auctorum sententia. Prima docet, Athanasium, Alexandrinum Episcopum, revera esse auctorem Symboli, quod ejus nomine inscribitur, quodque hisce verbis incipit: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem*. Alii e contra contendunt, illud Symbolum, cujus doctrina est omnino Catholica, revera non esse Athanasii opus. Qui sic opinantur, hisce rationibus nituntur.

Prima Symbolum, de quo agitur, non reperitur in omnibus Athanasii codicibus, & in iis etiam in quibus legitur, illi (ut cæteris illius operibus) non præfigitur Athanasii nomen: *In nullo codice, quos ego vidi, non extat inter Athanasii opera* (inquit Scultetus in Medulla Patrum, part. II. de Athanasio loquens, cap. XI.) *In uno legitur, sed auctoris nomine suppresso*.

II. Si Athanasii foret symbolum illud, ipse illius aliquando meminisset, aut in epistolis, aut in apologiis quas in sui defensionem conscripsit: aut saltem meminisset aliquis alius quarti aut proxime sequentis sæculi scriptor: atqui nec ipse Athanasius, nec aliquis alius, aut quarti sæculi, aut proxime sequentis auctor, meminit hujusmodi symboli. Non quidem Gregorius Nazianzenus, licet post Athanasii mortem orationem in illius laudem habuerit. Altum est pariter de eo silentium apud Basilium, Chrysostomum, Hieronymum & Augustinum, & ipsum etiam Theodoretum in Ecclesiæ historia.

III. Ante Annum millesimum (ajunt auctores quorum sententiam referimus) nullus scriptor symbolum, de quo est quæstio, tribuit Athanasio. Primus, a quo id factum fuit, est Abbo Floriacensis Abbas, qui anno millesimo & deinceps vixit. Is in Apologetico ad Reges Francorum, Hugonem, & Robertum, patrem, filiumque sic loquitur: *Primitus de fide dicendum credidi; quam alternantibus choris & in Francia, & apud Anglorum Ecclesiam, variari audivi. Alii enim dicunt, ut arbitror secundum Athanasium: Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, non creatus, sed procedens. Qui dum id, quod est, Nec genitus, subtrahunt, Synodicum Domini Gregorii se sequi credunt: ubi ita est scriptum: Spiritus sanctus nec ingenitus est, nec genitus, sed procedens*.

IV. Symbolum de quo agitur, arma suppeditat adversus plures hæreses, quæ multo post Athanasii mortem pullularunt: Nam 1. aperte profitetur divinitatem Spiritus Sancti: 2. Aperte quoque repugnat hæresibus Nestorianæ & Eutychianæ circa Incarnationem Verbi: Et multis etiam aliis; Et tamen nusquam adversus hæreses illas laudatum est a Patribus, a quibus impugnatæ sunt. Primi qui argumentum ex illo symbolo desumpsere, sunt Rodulphus & Aymo ex Minorum, & Hugo ac Petrus ex Prædicatorum Ordine: Ii nimirum cum anno 1233. ad Græcos Latinis conciliandos, a Gregorio IX. Legati, missi fuissent, usi sunt hoc Symbolo, tamquam quod esset Athanasii, ut Romanæ Ecclesiæ de processione sancti Spiritus a Filio fidem defenderent.

V. Athanasio caussa non fuit scribendi aliquod speciale symbolum fidei: Non quidem ut coram Julio Papa, ad quem Orientales illius caussam detulerant, purgaret se se;

nam tunc Orientales sub obtentu doctrinæ Athanasium non persequebantur, sed insimulabant eum variorum criminum: quod nempe illius in urbem Alexandrinam reditus plures cædes caussasset; quod a Synodo damnatus, nec restitutus per aliam synodum, sedem contra Canones accepisset.

Præterea, si Romæ Athanasio necesse fuisset fidei suæ rationem Julio reddere, non ob id condidisset symbolum; satis enim fuisset Nicænum proferre, præsertim cum unanimis esset Catholicorum consensus, non expedire nova post Nicænum edere Symbola.

Ob eam rationem Sardicense Concilium Symbolo Nicæno ne apicem quidem addere voluit: *Quamvis* (ait Athanasius ipse in Epistola ad Epictetum) *certi homines nonnulla, quasi deessent, Nicæno Concilio adscribere vellent; itaque acriter contenderent; sancta tamen Synodus, quæ Sardis convenit, indigne id tulit, decretoque sancivit, ne quid ulterius de fide scriberetur; & se se contentas esse Nicæna fide declaraverunt, ut cui nihil deesset. & in qua integra & solida pietas contineretur: neque edendam esse aliam professionem fidei, ne illa quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videretur; neve illis quibus libido est semper nova statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant.*

Non fuit quoque Athanasio caussa condendi Symbolum de quo agitur, cum ab Imperatore Joviniano, occasione plurium Novatorum qui tunc grassabantur, de fide quæsitus fuit. Scilicet ad Jovinianum non aliud, quam Nicænum Symbolum, misit; sed cum satis non esset Joviniano, ut aliorum ab Arianis hæreticorum, qui tunc erant non pauci, errores agnosceret, illud Nicænum Symbolum inseruit Epistolæ, quam Joviniano, suo & illustriorum Thebaidos & Lybiæ Episcoporum nomine subscriptam, misit, additis etiam pluribus, quibus defendit Deitatem Spiritus Sancti, quam jam tunc impugnabant Ariani, quæque postea a Macedonio apertius impugnata est.

Dices cum Baronio ad annum cccxl. Augustinus libro 5. de Trinitate cap. 8. Enchiridii capite 36. in Epistola 174. Editionis veteris, nonnullis verbis utitur, aliquas sententias adhibet quæ leguntur in Athanasii Symbolo: ergo initio quinti sæculi jam prodierat in lucem Symbolum, de quo agitur.

Resp. Augustinum ea verba, eas sententias, mutuari potuisse ex aliis a Symbolo S. Athanasii operibus; ex quibus dubium non est, quin etiam laudati Symboli auctor multa deprompserit.

Non est opus, ut controversia, quam de Athanasiano Symbolo proposuimus, uberius hic pertractetur. Cujuscumque Scriptoris sit illud Symbolum, nihil continet, quod Catholicum non sit, quodve cum Athanasii doctrina mirifice non conveniat.

CAPUT III.

De Objecto formali fidei.

Not. Objectum formale duplex distingui solet, objectum formale *quod*, & objectum formale *quo*. Prius est perfectio quam potentia vel habitus attingunt in objecto materiali; sic in pariete color est objectum formale *quod* visus, eo quod visus attingat colorem in pariete, non autem ceteras illius proprietates. Posterius est medium, per quod potentia aut habitus attingunt objectum formale *quod*: sic lux est objectum formale *quo* visus, quia mediante luce visus in objectis materialibus percipit colorem. De utroque illo objecto in hocce articulo dicemus: ac præterea expendemus, quid sit id, in quod ultima fidei resolutio reducitur.

ARTICULUS I.

De objecto formali Quod, *& formali* Quo *fidei.*

CONCL. 1. Objectum formale *quod* fidei, est prima veritas in essendo, seu est ipsamet essentialis veritas.

Probatur. Ex observatis, objectum formale *quod* virtutis alicujus est perfectio quam virtus illa perpendit in suo objecto materiali: atqui prima veritas in essendo, seu ipsa essentialis veritas, est id quod fides in Deo perpendit: Nam 1. est id quod assequemur per visionem beatificam, cujus objectum non aliud est, quam objectum fidei, cum eo tamen discrimine, quod fides objectum illud attingat obscure, cum e contra visio beatifica clare illud cognoscat: 2. illud est objectum formale *quod* fidei, per quod fides discrepat a duabus aliis virtutibus theologicis: atqui discrepat, quod circa Deum, ut est fons veritatis, versetur, cum e contra spes & caritas circa Deum versentur ut est bonus, aut in se, sub quo respectu (fatentibus omnibus theologis) attingitur a caritate, aut prout est creaturæ bonum, sicque a spe consideratur.

Objicies 1. Objectum formale *quod* fidei, est id quod fides attingit in Deo: atqui fides attingit ipsam divinitatem; id enim attingit, quod consequemur per visionem beatificam; siquidem visio beatifica succedit fidei: sed per visionem beatificam consequemur ipsam divinitatem: ergo ipsa divinitas est objectum formale *quod* fidei.

Resp. conc. maj. dist. min. fides attingit ipsam divinitatem inadæquate sumptam, conc. min. adæquate sumptam, neg. min. Fides attingit divinitatem sub eo tantum respectu, quod sit prima veritas; non autem sub eo respectu, quod sit summum & ultimum creaturæ rationalis bonum, seu ultimus illius.

illius finis: nam sub ea ratione spes & caritas circa Deum versantur: unde visio beatifica, prout est solum actus intellectus non aliud in Deo attingit, quam fides; utraque nimirum versatur circa Deum consideratum prout ordinem dicit ad intellectum, seu prout habet rationem veri: solum enim verum est objectum specificum intellectus.

Objicies 2. Fides versatur circa Dei bonitatem, & alia illius attributa: neque enim minus credit Dei bonitatem, justitiam, quam ipsam, quæ in eo est, veritatem: ergo non sola prima veritas in essendo constituit objectum formale *quod* fidei, sed etiam ipsa divina bonitas.

Resp. dist. ant. Fides versatur circa Dei bonitatem ut habet rationem perfectionis vere in Deo existentis, conc. ant. ut est bonitas simpliciter, neg. ant.

CONCL. 2. Objectū formale *quo* fidei, est prima veritas in dicendo, seu est divina revelatio.

Probatur. Ex observatis superius objectum formale *quo* virtutis est medium, seu ratio, sub qua virtus suum objectum attingit: atqui divina revelatio est medium, seu ratio, sub qua fides attingit suum objectum; non enim illud attingit, nisi per testimonium alicujus dicentis; quia ex Apostolo, fides est ex auditu: illud vero testimonium non potest esse testimonium alicujus creaturæ; nempe creatura in se spectata, & falli potest & fallere; ergo testimonium quo fides nititur, est solum Dei testimonium, ac proinde sola divina revelatio, seu prima veritas in dicendo.

Objicies 1. Deus in se sumptus, non autem prout est dicens, seu revelans, est objectum formale *quo* fidei: siquidem illud est objectum formale *quo* fidei, quod est ultima ratio, propter quam articulum aliquem credimus; atqui Deus in se sumptus est ultima ratio, propter quam articulum aliquem credimus: nempe si quis interrogetur, cur Deo loquenti firmum præbeat assensum, dicet, præbere se consensum, quia Deus est verax. Et si rursus poscatur, quare sit verax, respondebit, quia Deus est: ergo Deus in se sumptus, est ultima ratio, propter quam articulum aliquem credimus.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. conc. ant. dist. conseq. Ergo Deus in se sumptus, est ultima ratio propter quam aliquem articulum credimus, & illa ratio non est hominis credentis, sed theologi ratiocinantis, conc. cons. est ratio hominis credentis, neg. conseq. Motivum quod movet hominem ut credat, est divina revelatio; motivum vero quo determinatur ad credendum, est divina revelatio, quia tanquam theologus, aut saltem tanquam ratione præditus, scit, Deum nec fallere, nec falli posse.

In homine qui credit, idem contingit quod in homine qui nivem v. g. videt: si nimirum ab eo quæratur, cur videt nivem, respondebit, se ideo videre nivem, quia est alba, tuncque respondebit prout est videns simpliciter; nam prout est videns simpliciter, versatur circa colorem: si vero ab eo quæratur, cur nix sit alba, respondeatque ideo albam esse nivem, quod partes ex quibus constat, in eo sint situ, ut lucem ita reflectant, ut sit menti occasio perceptionis coloris qui albus dicitur, tunc non ut videns simpliciter, sed pro ut physicus, respondebit.

Objicies 2. Fides assentitur alicui veritati eo quod Ecclesia doceat, illam veritatem credi debere: ergo auctoritas Ecclesiæ, non autem divina revelatio, est objectum formale *quo* fidei.

Resp. neg. ant. Neque enim Ecclesia ad actum fidei concurrit per modum caussæ, neque auctoritas Ecclesiæ est caussa, cur quis articulum aliquem credat: ideo enim articulus ille creditur, quod sit a Deo revelatus: sed Ecclesia concurrit per modum conditionis, quia plerumque nesciremus, articulum aliquem esse revelatum, nisi eum nobis tanquam revelatum Ecclesiæ auctoritas proponeret.

Se habet qui credit articulum aliquem, sicut qui obtemperat Principis legi; quemadmodum autem homo illi non obtemperat legi propter auctoritatem legati legem illam promulgantis, sed propter auctoritatem Principis: ita & credens, non propter Ecclesiæ auctoritatem, sed propter divinam revelationem, articulum aliquem, carnis v. gr. resurrectionem, credit. Sed sicut plerumque lex a Principe lata non cognoscitur, nisi per legatum innotescat; ita etiam sæpe non cognoscitur, articulum aliquem esse revelatum, nisi per Ecclesiæ definitionem illius revelatio nobis innotuerit. Sed illi responso lux uberior affulgebit ex iis quæ proxime sequenti paragrapho dicentur.

ARTICULUS II.

In quid fides ultimo resolvatur.

Not. 1. PER id, in quod fides ultimo resolvitur, intelligitur ratio ultima quæ hominem determinat, ut revelatis præbeat consensum.

Not. 2. Nemo dubitat, quin divina revelatio, revelatorum propositio quæ fit ab Ecclesia, & exteriora motiva credibilitatis, quibus scilicet mens judicat, articulum aliquem esse revelatum, determinent ad assensum qui præbetur revelatis; sed difficultas est, quodnam ex iis tribus, revelatione nimirum, facta per Ecclesiam revelatorum propositione, exterioribus motivis credibilitatis, sit ultima credendi ratio, hoc est, ad quam ratio credendi ultimo reducatur.

CONCL. 1. Ultima resolutio fidei est in reve-

revelationem divinam, tanquam in caussam assensus: hoc est, fides non resolvitur in aliud tanquam caussam assensus, quam in divinam revelationem.

Probatur, Fides in id ultimo tanquam in caussam resolvitur, quod est illius objectum formale *quo*: siquidem objectum formale *quo* virtutis est unicum medium, sub quo virtus attingit suum objectum; sic lux est unicum medium, per quod visus attingit colorem, qui est illius objectum: atqui divina revelatio est unicum medium, sub quo fides attingit suum objectum; non enim alia ratione, non alio medio, quam divina revelatione, fides aliquem articulum, aliquam veritatem perpendit; ergo fides tanquam in caussam assensus ultimo resolvitur in divinam revelationem.

CONCL. 2. Fides ultimo in auctoritatem Ecclesiæ resolvitur tanquam in ultimam regulam, per quam divina relevatio cognoscitur.

Probatur. Fides in id tanquam in ultimam regulam resolvitur, præter quod ordinarie non est alia via, per quam divina revelatio cognoscatur: atqui præter auctoritatem Ecclesiæ passim non est alia via, per quam ordinarie divina revelatio cognoscatur: ideo enim plerumque cognoscimus articulum aliquem esse revelatum, quod Ecclesia definierit, illum articulum esse a Deo revelatum: ergo fides ultimo resolvitur in Ecclesiæ auctoritatem, tanquam in ultimam regulam quæ revelata proponat.

CONCL. 3. Fides ultimo resolvitur in motiva credibilitatis, tanquam in conditionem, sine qua revelatio divina non cognoscitur.

Probatur, Fides in id ultimo resolvitur, tanquam in conditionem, sine qua non habetur prudens certitudo de divina revelatione, & præter quod non est aliud, per quod illa prudens certitudo haberi possit: atqui sine motivis credibilitatis non habetur prudens certitudo de divina revelatione, & præter motiva credibilitatis non est aliud, per quod illa prudens certitudo haberi possit; neque enim sine iis motivis prudenter judicare possumus divinam esse auctoritatem Scripturarum, in quibus Ecclesiæ infallibilitas revelata continetur. Vide quæ hujusce quæstionis capite 4. de motivis credibilitatis dicentur.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, colligitur credentem sic procedere. Ideo mens adhæret alicui veritati, quod sit a Deo revelata: Ideo scit esse revelatam, quod eam tanquam a Deo revelatam Ecclesia proponat; ideo vero adhæret Ecclesiæ definitioni, quod illius infallibilitas in Scripturis contineatur: ideo adhæret Scripturis, quod sint Dei Verbum: ideo tandem certus est Scripturas esse Dei Verbum, quod ad id adducatur tam evidentibus motivis credibilitatis, ut plane stultus sit, qui motivis illis non moveatur.

CAPUT IV.

De Principiis fidei.

Not. DEum per suæ gratiæ auxilium in fidei actum per modum caussæ efficientis influere, fuse probavimus harum Institutionum Tom. III. iis locis, ubi de gratiæ necessitate disseruimus. Nemini dubium est, quin fidei actus sit etiam a creatura rationali tanquam a caussa, quæ Spiritui sancto moventi, licet plerumque nondum inhabitanti, cooperatur. Sed difficultas est, a qua animæ potentia actus ille immediate producatur; utrum ab intellectu, an vero a voluntate. Difficultas est 2. utrum & quomodo credibilitatis motiva conferant ad eliciendum actum fidei.

ARTICULUS I.

An, & quomodo intellectus, & voluntas ad fidem concurrant.

CONCLUSIO. Fides, prout est actus virtutis Theologicæ, ab intellectu & a voluntate producitur.

Probatur 1. Fides duo dicit: convictionem scilicet, & consensionem. Prioris defectu non est fides in opinante, quia *opinio* (ut ait Bernardus lib. 5. de consideratione c. 3.) *sola verisimilitudine se tuetur*. Defectu posterioris, vera fides in dæmonibus locum non habet: tantum enim abest, ut revelatis consentiant, eaque approbent, quin potius revelata summopere eis displiceant: *Hoc ipsum* (inquit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 2. ad 3.) *dæmonibus displicet, quod signa fidei tam sint evidentia, ut per ea credere compellantur; & ideo in nullo malitia eorum minuitur, per quod credunt*. Nec mirum; siquidem ab eo tantum qui habet aliquod dilectionis initium, revelata possunt approbari; ac proinde cum illud dilectionis initium in dæmonibus non reperiatur, necesse est, ut revelata eis displiceant: *Hanc fidem* (ait Augustinus in Epistola ad Sixtum) *Apostolus definivit dicens: Neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Ista quippe fides, est Christianorum, non dæmoniorum; nam & dæmones credunt & contremiscunt: sed nunquid & diligunt? Nam si non crederent, non dicerent: Tu es Sanctus Dei, vel Tu es Filius Dei. Si autem diligerent, non dicerent: Quid nobis & tibi?* Atqui convictio est intellectui propria, cum sit rei alicujus firma & certa cognitio; consensio vero, seu approbatio est a voluntate, juxta illud Augustini in libro de Spiritu

ritu & litt. c. 24. *Consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est.*

Probatur iterum. 1. Ad id intellectus concurrit, cujus objectum continetur intra objectum adæquatum intellectus; atqui objectum fidei continetur intra objectum intellectus: siquidem objectum intellectus est omne verum: sed verum revelatum, quod est objectum fidei, est aliquod verum; ergo continetur intra objectum adæquatum intellectus. 2. Voluntatem in fidem influere, sic ostenditur. Voluntas influit in quemcumque actum liberum: libertas enim alicujus actus, inadæquate petitur ex eo quod a potentia libera eliciatur: atqui actus fidei est actus liber, per eum scilicet actum homo justus potest mereri, & impius se se ad justificationem disponere: ergo voluntas confert, & influit in actum fidei.

Quæres, qua ratione voluntas influat in actum fidei.

Resp. voluntatem multis modis influere in actum fidei. 1. Imperat intellectui, ut ad credibilitatis motiva diligenter attendat; efficit præterea, ut idem intellectus argumentorum, quibus convictus est, memoriam retineat. 2. Eumdem intellectum avocat ab earum rationum consideratione, quæ assensum impedire possent; unde de Abrahamo dicitur, quod, cum Deus ei prolem pollicitus est, non consideraverit corpus suum emortuum. 3. Voluntas approbat persuasionem intellectus, & sibi in ea complacet. 4. Eadem voluntas uberius a Deo mota & excitata, præcipit intellectui persuasionem ipsam: hoc est, ut veritatibus revelatis adhæreat. Hinc vero sequitur, actum fidei, quantum ad persuasionem, seu quantum ad mentis persuasionem, esse elicitive ab intellectu, & imperative a voluntate.

Dices, Intellectum independenter ab imperio voluntatis esse persuasum, seu certum de veritate, quam propter evidentia motiva credibilitatis judicat esse revelatam: ergo adhæret illi veritati, antequam a voluntate jubeatur.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia licet motiva credibilitatis evidentia sint, tamen intellectus, donec voluntatis imperium accesserit, hæret propter difficultates, quæ ex parte rei credendæ menti obversantur: Eæ autem difficultates intellectus assensum aut morantur, aut prorsus impediunt: proindeque necesse est, ut intellectus ad assensum ex voluntatis imperio determinetur.

ARTICULUS II.

An, & quomodo credibilitatis motiva ad fidem conferant.

CONCLUSIO 1. Motiva credibilitatis conferunt ad fidem; sed tantum per modum conditionis necessariæ.

Probatur prima pars. Illud confert ad fidem, sine quo assensus alicui articulo datus non est secundum prudentiæ regulas: nempe sicut non est virtus sine prudentia, ita nec actus virtutis, si prudenter elicitus non fuerit: atqui assensus alicui articulo datus sine motivis credibilitatis, non est secundum prudentiæ regulas: scilicet nisi præcedant motiva credibilitatis, intellectus non prudenter, sed temerario judicat articulum aliquem esse revelatum; non enim alia via, quam per motiva credibilitatis, intellectus scire potest aliquem articulum esse revelatum.

Altera conclusionis pars non minus est evidens. Et sane duobus tantum modis credibilitatis motiva conferre possunt ad fidem, vel per modum caussæ, vel per modum conditionis; atqui ad eam non conferunt per modum caussæ, neque enim illius respectu sunt caussa formalis, cum non sint fidei objectum formale; neque per modum caussæ efficientis, nempe mentem non determinant ad credendum: ergo se habent per modum meræ conditionis, sine qua revelatio non cognosceretur; hoc est, nuda sunt media, ex quibus intellectus colligit articulum aliquem esse revelatum.

CONCLUSIO 2. Motiva credibilitatis necessario debent esse evidentia.

Probatur 1. illud debet esse evidens, quod intellectum debet reddere certum de revelatione rerum, quæ credendæ proponuntur: si enim sit tantum probabile, minime reddet intellectum certum de revelatione, quæ proponitur credenda: nimirum probabilitas, quocumque sit in gradu, hoc est, quantumvis magna supponatur, essentialiter includit formidinem partis oppositæ, hoc est, rationes quæ contrarium suadent: ergo motiva credibilitatis necessario debent esse evidentia.

Probatur 2. auctoritate S. Augustini. Docet nimirum 1. luce clarius patere veritatem mysteriorum, quæ religio christiana credit: *Quid ad hæc* (ait Manichæos alloquens in lib. 12. contra Faustum Manichæum, c. 43.) *respondetis, insani? Nempe ista manifesta sunt: nempe omnes non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt.* Docet 2. compelli nos ad credendum ipsa rerum evidentia. Docet 3. stultum esse, impudentem, qui in Christum credere detrectat; *Quis tam demens* (ait c. 12.) *ut non videat? Quis tam impudens, ut videre se dissimulet?* Atqui non alio sensu S. Augustinus asseruit, manifestam esse mysteriorum nostrorum veritatem, quam quod compellit nos ad credendum ipsa revelationis evidentia, quam quod evidentia sint ac manifesta credibilitatis motiva: neque enim asserere potuit, res quæ nostris mysteriis continentur, esse in seipsis evidentes & manifestas, immo, cum ad fidem pertineant, necessario sunt in se ipsis ob-

obscura: Fides enim, ex Apostolo, argumentum est non apparentium: ergo, ex Augustino, credibilitatis motiva necessario sunt ac esse debent evidentia.

Robur additur illi argumento ex judicio Cleri Gallicani, quod ad calcem hujusce quæstionis de fide referemus.

Objicies 1. Si motiva credibilitatis sint evidentia, christianæ religionis mysteria erunt evidenter credibilia: atqui mysteria religionis christianæ non sunt evidenter credibilia; si enim essent evidenter credibilia, essent quoque evidenter vera: sed non sunt evidenter vera, alioquin enim non essent obscura: si vero non essent obscura, ad fidem non pertinerent, cum (ut docet S. Thomas) fides sit essentialiter de rebus obscuris: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. neg. quod inde sequatur, res quæ nostris mysteriis continentur fore in se ipsis evidentes. Ratio est, quia evidentia credibilitatis non tollit obscuritatem ab articulo qui creditur; scilicet evidentia credibilitatis efficit quidem revelationem, seu demonstrat, Deum revelasse articulum qui creditur, sed nequaquam efficit objectum revelatum, hoc est, objecti revelati naturam evidenter non subjicit apprehensioni intellectus: unde licet evidenter cognoscamus, Trinitatem nobis esse revelatam, illius tamen naturam evidenter non cognoscimus.

Objicies 2. Rustici, quamvis præ tarditate ingenii expendere non valeant, utrum motiva quibus ad credendum ducuntur, evidentia sint; tamen veram habent mysteriorum fidem: ergo vera fides habetur ab eo etiam, cui desunt evidentia motiva credibilitatis.

Resp. argumentum esse de non supponente. Scilicet verum non est, quod rustici expendere non valeant evidentiam motivorum credibilitatis. Siquidem facile doceri possunt 1. veritatem miraculorum, quæ in confirmationem fidei christianæ patrata sunt; certoque doceri possunt 2. veritatem resurrectionis Christi, qua totum Evangelium plenissime confirmatum fuit; doceri tandem possunt 3. cœpisse post Evangelium jam late propagatum hæreticorum sectas, quæ quondam, & postremis sæculis ab Ecclesia jam per totum terrarum orbem divisa schisma fecerunt; indeque facile colligent, sectas illas non esse sponsam, quam Christus suo sibi cruore comparavit.

Resp. 2. rusticos certo judicare, veritates fidei accurate fuisse expensas ab Ecclesiæ Catholicæ Pastoribus, quos, saltem ad Synodum generalem congregatos, infallibiles esse, ex eo colligere possunt, quod alioquin Deus pusillorum & plebejorum saluti non consuluisset; neque enim pusilli & plebeji per seipsos discere possunt singulas, immo nec necessarias fidei veritates.

Objicies 3. Id non est evidens, quo (licet ad illud attendant) non moventur viri non modo plebeii, sed etiam acutissimi; scilicet is est evidentia effectus, ut omnes statim moveat, omniumque extorqueat assensum: atqui viri non modo plebeii, sed etiam acutissimi, non moventur nostris motivis credibilitatis; hoc est, licet ad illa serio ac diligenter attendant, non judicant tamen, mysteria Christianæ religionis esse a Deo revelata: immo Judæi, quorum oculis patuerunt Christi miracula, fidei reluctati sunt; Gentiles, ad quorum conspectum martyres innumera portenta patrarunt, judicarunt religionem christianam rationi contrariam esse; Philosophi, licet eorumdem miraculorum oculati testes fuerint, sæpiusque nostra motiva credibilitatis expenderint, eam sæpius dixerunt religionem Christianam esse congeriem impossibilium: ergo evidentia non sunt credibilitatis motiva.

Resp. conc. maj. dist. min. Viri non modo plebeji, sed etiam acutissimi, nostris credibilitatis motivis non moventur defectu rei, quæ ex parte ipsorum requiritur, conc. min. defectu evidentiæ motivorum, neg. min. Nam 1. homines illi, de quibus argumentum, victi difficultatibus, quas res quæ in nostris mysteriis includuntur, in seipsis continent, non satis advertunt ad motiva, quibus eorum credibilitas nititur. 2. Rectitudo judicii inordinatis hominum illorum affectibus, & iniquis eorum præjudiciis impeditur. 3. In pœnam peccatorum, quibus se se commaculatunt, destituuntur auxilio necessario, ut quis evidentiam motivorum credibilitatis actu percipiat: *Sic enim Judæi* (inquit Augustinus lib. 12. contra Faustum, c. 44.) *non erant illos Christos suos, ut tamen unum sperarent, per quem demum liberarentur: sed excæcati occulta justitia Dei, dum solam ejus virtutem cogitant, infirmitatem, in qua pro nobis mortuus est, non intellexerunt.*

Quæres 1. utrum judicium de credibilitate fidei christianæ sit naturale.

Resp. illud esse naturale, sumptum secundum substantiam: scilicet habet pro objecto evidentiam miraculorum, & aliorum motivorum: quæ quidem evidentia est aliquid ordinis naturalis. At vero judicium, de quo agitur, est supernaturale secundum executionem; tum quod ad salutem conferat; tum etiam quod, ut superius dictum est, difficultates quæ se tenent ex parte mysteriorum, impediant ne intellectus ad evidentiam motivorum credibilitatis attendat; tum denique quod iniqua adversus fidem præjudicia, quæ judicii rectitudinem impediunt, sine gratiæ auxilio depelli minime possint.

Quæres 2. quænam sint præcipua credibilitatis motiva.

Resp. ea reduci ad Evangelii propagationem;

nem; ad miracula, quibus Christi, Apostolorum, & Discipulorum divina missio confirmata fuit; ad sanctitatem, qua eminet Moralis Evangelica; ad martyria quæ viri, etiam apud hostes fidei, ingenii maturitate, integritate morum, doctrinaque commendati, ubique gentium passi sunt.

1. Propagatio Evangelii maximum est miraculum, si attendimus ad personas, a quibus promulgatum fuit; ad breve tempus, intra quod omnium gentium animos pervasit; ad modum quo primi illius concionatores usi sunt, ut ipsum hominibus commendarent. Viri Apostolici, homines erant ignari & plebeji: intra paucos tamen annos idololatras, Philosophos, Imperatores, non arte, non eloquentia, non armis, fidei subjecerunt.

2. Desipiat oportet, qui veritatem miraculorum, quibus confirmata fuit religio christiana, revocaverit in dubium, ut harum Institutionum Tom. 1. demonstravimus iis in locis, ubi actum est de auctoritate librorum Canonicorum, tum Novi, tum Veteris testamenti.

3. Nullibi Moralis nostra favet inordinato amori rerum fluxæ ac labentis naturæ; hominem, a quo fuerit accurate servata, pene celestem efficit; cum e contra antiquorum Philosophorum moralis disciplina, vel voluptati, vel vanitati indulgeret.

Quæ hucusque de credibilitatis motivis diximus, confirmari possunt ex Augustino, a quo in libro 12. & 13. contra Faustum, fuse traduntur motiva, quibus persuaderetur, religionem christianam esse veram ac divinitus institutam religionem. Traduntur quoque libro uno contra epistolam Manichæi, c. 4. motiva quibus demonstratur, inter societates christianas unam veram esse, Catholicam nimirum, hoc est, Romanam; illi enim soli & Catholicæ nomen & res per illud nomen significata, diffusio nimirum in omnes orbis provincias, convenit. Sed ipsa Augustini verba hic placet exscribere.

In Catholica Ecclesia, inquit, *ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt, ut eam ex maxima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant; ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.*

Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis (Manichæos alloquitur), *multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissime teneant.*

Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, veritate firmata, tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.

Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine caussa inter tam multas hæreses sic ipsa Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.

Ista ergo tot & tanta nominis Christiani carissima, aut ut duo manuscripta ferunt, *clarissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissime ostendat.*

Apud vos autem (ad Manichæos, aliosque Sectarios omnes hæc spectant) *ubi nihil horum est quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio; quæ quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnino illis rebus, quibus in Catholica teneor; si autem tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstringit.* Hactenus S. Augustinus.

CAPUT V.

De Subjecto Fidei.

Not. PEr fidei subjectum intelliguntur creaturæ, in quibus fides reperitur: hic igitur expendendum est 1. utrum Angeli viatores fidem habuerint: 2. utrum in Beatis reperiatur; 3. utrum sit in dæmonibus.

CONCLUSIO 1. In Angelis viatoribus vera fuit fides.

Probatur. Primo, cum hæc Apostoli sententia ab Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, sit generalis, in nullo omnino viatore exceptionem patitur. 2. Angeli viatores beatitudinem promeriti sunt; atqui nullum in creatura fuit meritum, ubi a fide ut a radice non procederet. 3. Quamvis Angeli ingenita sibi luce existentiam Dei, multasque illius proprietates cognoverint, non potuerunt tamen solius illius lucis ope cognoscere personarum in Divinis Trinitatem; ergo per revelationem tantum, ac proinde per solam fidem, mysterii illius cognitionem, dum essent in via, consecuti sunt.

Quæ ad afferendam in Angelis viatoribus fidem prolata sunt argumenta, vim habent suam in Adamo innocente: unde S. Ambrosius lib. 3. ep. c. 33. sic eumdem Adamum alloquitur: *Agnoscis te esse nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.*

Objicies. Augustinus multa scribit, quæ probant, in Angelis nusquam fuisse fidem. Docet nimirum 1. Angelos nusquam peregrinatos fuisse. Docet 2. eos non fuisse miseros, antequam peccarent; sed tamen fuissent miseri, si beatitudine fruiti non fuissent;

scilicet beatitudinis desiderium reddit animum anxium, & desiderantem summopere cruciat. Docet S. Adamo, antequam peccaret, concessam fuisse Dei visionem: *Illi* (inquit in Ps. 70.) *magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei*. Ex iis autem locis sic argumentum conficitur. In iis non fuit fides, qui nusquam peregrinati sunt; qui semper beatitudine fruiti sunt; quibus pro magnis deliciis fuit semper Dei visio: Atqui, ex Augustino, Angeli nusquam peregrinati sunt, semper fuerunt beati, Adamo pro magnis deliciis fuit Dei visio: ergo nec in Angelis viatoribus, nec in Adamo innocente fides habuit locum.

Resp. ad primum, tam brevem fuisse Angelorum peregrinationem, ut ab Augustino merito *nulla* dici potuerit, cum *parum* frequenter pro nihilo reputetur.

Addi potest, Augustinum nomine peregrinationis intellexisse, aut mentis a Deo distractionem, aut caritatis defectum: sic autem acceptum peregrinationis nomen, certum est, de Angelis viatoribus dici non posse. Jam vero quod ita sumi possit, ostendi potest ex ipsomet Augustino, apud quem justi, propter suam ad Deum attentionem, propter caritatem, qua illum prosequuntur, nonnumquam dicuntur beati: *Hodie* (ait Sanctus Doctor) *non imprudenter beatos vocamus, quos videmus juste ac pie, cum spe futuræ immortalitatis, hanc vitam ducere sine crimine*.

Resp. ad secundum, carentiam beatitudinis esse quidem miseriam in homine lapso: nimirum merito cruciatur ac timet, ne propter ignorantiam qua laborat, & concupiscentiam qua æstuat, a consecutione beatitudinis impediatur. Verum ea beatitudinis dilatio, nec in Angelis viatoribus, nec in Adamo innocente, miseriæ nomine debet appellari, sed stimulus ad perseverantiam, quam certo sciebant in sua esse potestate: *Sic* (inquit Augustinus in libro de correp. & gratia, c. 10.) *& hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserum fieri, in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito hujusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati; id est, ut cadere non posset ulterius, & hoc certissime sciret*.

Resp. ad tertium, Augustinum loco relato, nomine *visionis Dei*, non intellexisse intuitivam illius visionem, qua beati nunc in cælis fruuntur; sed eminentem, quæ tamen viatori conveniret, Dei contemplationem: siquidem quo perfectior fuit Adami innocentis status, cujuslibet nimirum ignorantiæ & concupiscentiæ expers, eo Dei contemplatio in illo fuit sublimior.

CONCLUSIO 2. In beatis non est fides respectu eorum, quæ necessariam habent connexionem cum essentia divina: esse tamen potest circa illa, quæ contingentia sunt & libera.

Probatur prima pars. Respectu eorum non est fides in beatis, quæ ab illis clare & evidenter cognoscuntur; neque enim, ut inferius dicetur, fides stare potest cum evidentia: sed ea quæ connexionem habent necessariam cum essentia divina, clare & evidenter a beatis cognoscuntur: sunt enim objectum intuitivæ visionis: ergo non est fides in beatis, illorum respectu, quæ connexionem habent cum essentia divina.

Probatur altera pars. Tota ratio, cur fides esse non possit in beatis respectu eorum quæ cum essentia divina necessariam habent connexionem, est, quia (ut dictum est) clare & evidenter a beatis cognoscantur; ac proinde stare non possint cum fide, quæ cognitio est essentialiter obscura: Sed illa ratio non habet locum in iis quæ contingentia sunt, Deo libera, & possibilia; si enim ea omnia evidenter & clare cognoscerentur a beatis, beati Deum comprehenderent; scilicet ea omnia clare cognoscerent, ad quæ divina omnipotentia se se potest extendere: ergo in beatis potest esse fides, eorum respectu, quæ non habent connexionem necessariam cum essentia divina.

Confirmatur. Fides est adhæsio rei propter auctoritatem Dei revelantis: atqui beati nonnullis rebus adhærere possunt propter auctoritatem Dei revelantis; nempe Deus potest beatis plura revelare, futura v. g. libera, quæ tamen beati in essentia divina clare non videant.

CONCLUSIO 3. Nec in diabolis, nec in hominibus damnatis, est fides theologica: sed reperitur in animabus, quæ igne purgatorio torquentur, nec non in fidelibus, qui jacent in statu peccati mortalis.

Probatur prima pars. Ad fidem, prout est virtus theologia, requiritur prius actus voluntatis, quo præcipiatur intellectui, ut revelatis inhæreat, aut (ut Augustinus loquitur in epistola ad Sixtum) necesse est, ut voluntas revelatis consentiat, hoc est, ut ea approbet: atqui nec in diabolis, nec in ceteris damnatis pius ille actus reperitur; siquidem in eis locum non habet gratia, a qua pius ille in Deum loquentem reverentialis actus oriatur. Hincque dicendum est cum Augustino in mox laudata ad Sixtum epistola, convictionem esse quidem in diabolis, sed tamen non esse fidem proprie dictam: *Ista quippe fides est christianorum* (ait S. Doctor) *non dæmoniorum: nam & dæmones credunt & contremiscunt: sed numquid & diligunt? nam si non crederent, non dicerent:*

Tu es Sanctus Dei. Si autem diligerent, non dicerent: Quid nobis & tibi?

Probatur altera conclusionis pars. In iis est fides, qui sperant beatitudinem æternam; neque enim potest esse spes sine fide: Sed animæ, quæ torquentur igne purgatorio, sperant æternam beatitudinem; licet enim sint extra statum meriti, adhuc tamen sunt in via: ergo in eis est fides.

Probatur tertia pars. 1. In impio, qui in statu peccati mortalis versatur, potest esse spes de consequenda remissione peccati, & comparandi suo tempore beatitudinem æternam: ergo & fides cum sit cujuscumque virtutis radix & fundamentum; eo enim argumento Augustinus in epist. ad Sixtum utitur, ut probet fidem esse donum Dei: *Restat igitur* (inquit) *ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quo isti* (Pelagiani) *extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona, quaecumque sunt merita; sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis, cogitamus.* Fides non amittitur, nisi per infidelitatem: atqui quodlibet peccatum mortale non est peccatum infidelitatis: ergo, &c. Ita docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 15. ubi definitur, quocumque peccato mortali amitti quidem purificationis gratiam, sed non amitti fidem, nisi per speciale infidelitatis peccatum.

CAPUT VI.

De Proprietatibus Fidei.

Not. Tres recenseri possunt fidei proprietates: Certitudo nimirum, Obscuritas, Necessitas. De iis igitur proxime sequentibus articulis est a nobis dicendum.

ARTICULUS I.

De certitudine fidei.

Not. Duplex potest esse difficultas circa fidei certitudinem; Prima, ex parte Dei revelantis; Altera vero, ex parte hominis credentis. Nimirum quæri potest 1. utrum Deus possit revelare falsum; 2. utrum homo fide divina possit credere, quod a parte rei non est verum.

CONCL. 1. Deus non potest revelare falsum.

Probatur. Si Deus revelaret falsum, id posset aut ex ignorantia, aut ex malitia; atqui ex neutro capite id potest; cum enim sit omniscius, ipse non potest falli; & cum sit infinite sanctus, infinite bonus, neminem fallere potest; ergo Deus non potest revelare falsum.

Objicies 1. Apud Ezechielem Deus dicitur decipere, & in errorem inducere Pseudoprophetas. 2. Prophetæ, qui unam cum Deo personam gerebant, multa prædixere, quæ tamen non evenerunt. 3. Christus usus est amphibologiis, & æquivocationibus, quæ quidem mendacii rationem habent: ergo nihil obstat, quin Deus possit falsum revelare.

Resp. ad primum, Deum dici Pseudoprophetas decipere; 1. permissive; 2. effective, nonnunquam scilicet impedit, ne res ab eis prædictæ contingant: 3. negative, subtrahendo nimirum eis divinæ suæ sapientiæ lumen.

Resp. ad secundum, ea quæ a sanctis prophetis prædicta fuerant, nonnumquam non evenisse. 1. quia supponebant conditiones, quæ non fuerint impletæ: hujusmodi fuit Jonæ comminatio: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*: erat enim ex suppositione, quod Ninivitæ non acturi essent pœnitentiam. 2. Prophetæ attendebant aliquando ad cursum ordinarium caussarum secundarum: Sic Isaias prædicens mortem Ezechiæ regi, rationem habuit morbi, quo nisi caussæ secundæ per miraculum impedirentur, extinguendus erat. Prophetiæ non semper fuerant prædestinatoriæ, sed plerumque comminatoriæ tantum. Vide quæ de eo argumento diximus Tom. I. iis locis, ubi actum est de Dei scientia.

Resp. ad tertium, Christum nusquam usum fuisse æquivocatione. Argumenta quibus nonnulli contrarium probare conantur, solvuntur Tom. 3. iis locis, ubi Decalogum exposuimus.

CONCL. 2. Quod a parte rei non est verum, non potest credi fide divina.

Probatur 1. Id credi non potest fide divina, quod Deus revelare non potest; siquidem motivum fidei est sola divina revelatio: atqui (ut patet ex præcedenti conclusione) Deus non potest revelare falsum: ergo, &c.

Objicies 1. De fide est, Concilium Nicænum I. fuisse legitimum Concilium: & tamen (metaphysice loquendo) non est impossibile, quod Præsules, ex quibus constabat, veri non fuerint Episcopi: Potuit enim fieri, ut defectu intentionis in ministro requisitæ, aut defectu materiæ debitæ, vero baptismate initiati non fuerint; aut propter easdem rationes vera ordinatione caruerint: ergo fides potest credere id, quod a parte rei falsum est.

Respondet Cardinalis Bellarminus negando de fide esse, quod aliqua Concilia sint legitima. Quod enim (inquit) hoc vel illud sit legitimum, ratio certo & evidenter judicat, ex eo quod huic aut illi conveniant conditiones omnes quæ ad legitimum Concilium requiruntur. Et sane (ait laudatus Cardinalis) iis qui Conciliis coætanei fuerunt, evidens fuit, eos qui tanquam veri Episcopi habebantur, in unum legitima auctoritate ex omnibus orbis cristiani partibus vocatos, in unum

unum convenisse, & postea totam Ecclesiam unanimi consensu eas Synodos tanquam legitimas habuisse. Iis quoque qui postea vixerunt, idem evidens fuit ea evidentia, quæ de facto aliquo haberi potest, ex eorum nimirum unanimi testimonio, qui Conciliis coætanei fuerunt.

Respondet iterum idem Cardinalis doctissimus lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 9. satis esse evidentiam illam, ut intellectus veritates in illis Conciliis definitas credat divina fide. Nec id (inquit) mirum est; ad suavem quippe & sapientissimam providentiam Christi in Ecclesiam spectat, ut impediat, ne falsa sint, quæ illo evidentiæ genere nituntur.

Præterea (ut idem auctor ratiocinatur) quamvis (quod tamen fieri non potest, cum nusquam Deus permissurus sit, ut Ecclesia sit sine legitimis Pastoribus) detur, quod Episcopi qui ad Synodos generales convenerunt, aut defectu baptismatis, aut legitimæ ordinationis, veri non fuerint Episcopi: per eos tamen Deus verum definiret, cum (ut Tomo 1. demonstratum est iis locis, ubi actum est de Ecclesiæ in definiendis fidei & morum dogmatibus auctoritate) pollicitus sit infallibilitatem iis generalibus Synodis, quas evidenter & ex Ecclesiæ consensu constaret esse legitima generalia Concilia.

Objicies 2. Fides jubet, ut hæc aut illa Hostia adoretur: & tamen potest esse falsum, quod valide consecrata fuerit, defectu nimirum aut intentionis requisitæ, vel defectu debitæ prolationis verborum, quæ ad consecrationem necessaria sunt, aut tandem defectu characteris Sacerdotalis in ministro, qui palam gessit se tanquam verum Ecclesiæ Sacerdotem: ergo fides potest credere falsum.

Resp. neg. ant. seu nego, fidem jubere, ut hæc vel illa Hostia in particulari adoretur; id nimirum pertinet ad prudentiæ virtutem: insipiens enim esset, cui persuasum non esset, hanc vel illam Hostiam valide consecratam non fuisse a ministro publico, de cujus ordinatione, aut intentione, aut aliis ad consecrationem requisitis nullus est dubitandi locus. Hoc igitur unum (quod semper verum est) fides jubet, ut Hostia quæ debite consecrata fuerit, adoretur; an vero hæc aut illa vere consecrata fuerit, prudentiæ judicio committitur.

Objicies 3. Judæus, qui paullo ante Salvatoris nativitatem credebat in Christum venturum, nato postea Christo eamdem fidem retinere potuit. Sed in eo casu falsum credidit; neque enim tunc Christus erat venturus: ergo nonnunquam fides divina falsum credit.

Resp. neg. maj. Illi nimirum actui defuisset fidei objectum formale *quo*, seu divina revelatio: hoc est Judæus ille in eo casu non credidisset ex revelatione divina Christum esse venturum,

Ut autem solvantur argumenta, quibus responsum illud impugnari posset, observandum est cum Sylvio 1. fidem Judæorum habuisse pro objecto Christum prout venturum, quamdiu evidens fuit, nondum completas esse prophetias quæ illius adventum prædixerant futurum. 2. Ubi fuit locus dubitandi, an impletæ forent hujusmodi prophetiæ, seu accidisse tempus, quo, ex Prophetis, Messias nasciturus erat, fides Judæorum fuit in Christum simpliciter, abstrahendo scilicet ab hac circumstantia, quod jam vel natus, vel nasciturus fuisset.

ARTICULUS II.
De obscuritate fidei.

Not. CERTUM est 1. fidem non esse obscuram, si per respectum ad motiva credibilitatis consideretur: illa nimirum motiva ita sunt evidentia, ut, Augustino teste, stultus sit, qui fidem non amplectatur. Certum est 2. fidem non esse obscuram ex parte revelationis: evidens nimirum est propter evidentia motiva credibilitatis, Deum articulos fidei revelasse: Sed difficultas est, an fides sit essentialiter obscura ex parte objecti materialis quod creditur: ita ut credi non possit, quod vel evidenter scitur vel videtur. Duæ sunt ea de re theologorum sententiæ. Prima contendit, id quod videtur aut scitur, posse credi fide divina. Altera, quæ est Thomistarum omnium, negat, fidem cum evidentia aut rationis, aut sensus simul stare posse. Cui nos ex iis opinionibus subscribamus, proxime sequenti conclusione declarabitur.

CONCLUSIO. Sententia, quæ negat, id quod scitur, vel videtur, posse credi, probabilior est affirmativa.

Probatur. Ea sententia est probabilior, quæ propius accedit ad mentem sanctorum Patrum: traditio enim non minus, quam Scriptura, est fidei & morum regula: atqui sententia quæ docet credi non posse, quod scitur aut videtur, ad mentem sanctorum Patrum propius accedit, quam quæ docet credi posse, quod scitur aut videtur: ergo est probabilior. Minor argumenti propositio variis momentis ostenditur.

1. Patres ex Apostolica hac fidei definitione, *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, concluserunt, id quod creditur, non posse videri; & e contra quod videtur, non posse credi: sic enim loquitur Augustinus Tract. 4. in Joannem: *Fides est credere quod non videtur*. Hæc iterum in illud Joannis 14. *Vado parare vobis locum*, scribit: *Eat ut videatur, lateat ut credatur*. Sic etiam Gregorius in Evangelio: *Apparentia non habent fidem, sed agnitionem. Hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri*. Unde sic arguitur: Illis persuasum fuit fidem

stare

stare non posse cum objecti evidentia, qui docuerunt, ideo rem aliquam esse objectum fidei, quod non sciatur; quod non appareat; quod non videatur; & e contra rem aliquam nec sciri, nec apparere, nec videri, quod credatur: atqui (ut ex laudatis textibus patet) id docuerunt Patres: ergo persuasum illis fuit fidem stare non posse cum evidentia, aut apparentia objecti.

Respondent adversarii, laudatos ex Patribus textus intelligi debere de objecto, seu de re considerata secundum unum & idem medium, non autem secundum diversa: hoc est, Patres docuisse, rem quæ scitur, credi non posse per idem medium quo scitur, credi vero posse per aliud medium, nempe per revelationem.

Sed vana est illa responsio. Nam 1. Patres absolute & simpliciter, sine ulla distinctione, affirmant, id quod videtur non posse credi. 2. Iidem Patres, si valeret adversariorum solutio, pueriliter locuti fuissent: hunc enim sensum efficerent illorum sententiæ, *Id quod videtur, non creditur, quatenus videtur; nec videtur, quatenus creditur.*

II. Iidem Patres docuerunt, laudem fidei in eo positam esse, quod credatur id quod non videtur: *Hæc laus fidei* (inquit Augustinus Tractatu 19. in Joannem) *si quod creditur, quod non videtur, secundum illam Domini sententiam, quando discipulum arguit, dicens: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ex iis autem verbis sic argumentum conficitur: Fides stare non potest cum eo, cum quo non stat fidei laus: atqui, ex Augustino, fidei laus non stat cum objecti evidentia, aut rationis, aut cognitionis per sensus: ergo nec ipsa fides.

Confirmatur ex eo quod idem Augustinus doceat, fidei difficultatem tolli per evidentiam, aut visionem objecti; hoc est, docet, intellectum facile adhærere veritati, quam evidenter cognoscit: at idem S. Doctor in ea difficultate reponit fidei laudem; *Nam* (inquit) *quid magnum est, si id creditur, quod videtur?*

III. Iidem sancti Patres docuerunt, quod cum aliquis in Scriptura videre simul & credere dicitur, id non de uno, sed de diversis objectis, intelligendum sit. Hac nimirum de Thoma Apostolo habet Augustinus Tract. 79. in Joannem: *Non hoc credidit, quod vidit; sed aliud vidit, aliud credidit: Vidit enim hominem, credidit Deum.*

IV. Iidem Patres docuerunt, fidem ideo in cælis superstitem non fore, quod beati clare videant id, quod viatores credunt. Id vero concluserunt ex his verbis Apostoli primæ ad Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* At corrueret illud argumentum, si evidentia, si visio objecti, ex quocumque medio procedat, non impediret fidem; Scilicet Beati huic veritati: *Deus est trinus in personis*, in adversariorum systemate, adhærerent propter auctoritatem Dei revelantis, & propter ejusdem veritatis evidentem cognitionem: Nihil enim potest afferri, quod impediat, ne eidem veritati, *Deus est Trinus in personis*, dent consensum propter auctoritatem Dei revelantis; ac proinde evidentia ejusdem veritatis, *Deus est Trinus in personis*, fidem de eadem veritate non impediret; quod tamen (ut patet ex laudato Patrum principio) falsissimum est.

Objicies 1. Fides circa idem objectum stare potest cum eo quod non impedit assensum propter auctoritatem Dei revelantis, fides enim posita est in illo assensu: atqui evidentia objecti non impedit assensum propter auctoritatem Dei revelantis; siquidem illud non impedit assensum propter auctoritatem Dei revelantis, quod a divina revelatione non tollit virtutem movendi intellectum ad assensum: atqui &c. ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. min. Evidentia objecti, a divina revelatione non tollit virtutem, quæ per accidens ad actum non reducatur, conc. min. quæ ad actum reducatur, neg. min. Equidem divina revelatio habet semper virtutem quæ illi per se convenit, sed per accidens; ratione nimirum evidentiæ objecti, virtus illa ad actum non reducitur. Ratio est, quia ea est intellectus natura, quod ita ab objecti evidentia moveatur, ut cum ad eam evidentiam attendit, impossibile sit, ut ipsum sibi clare præsens non habeat; & consequenter fieri non potest, ut per medium obscurum sibi illud repræsentet, quod tamen ad fidem requiritur. Sic fieri non potest, ut propter testimonium hominum, quantumcumque homines illi supponantur sapientes, assentiamur huic propositioni, *Sol lucet*, cum cum lucentem videmus, quamvis illud testimonium, ex se, si aliunde non adesset evidentia, satis sit, ut mentem ad assensum determinet.

Objicies 2. Illud credi potest, quod in Symbolo omnibus credendum proponitur: atqui articulus aliquis in Symbolo credendus proponitur omnibus, iis etiam quibus est evidens; nempe Dei existentia Philosophis, qui eam per demonstrationem noverunt, in Symbolo credenda proponitur: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Existentia Dei ut auctoris gratiæ omnibus in Symbolo credenda proponitur, conc. ant. Existentia Dei ut auctoris naturæ, neg. ant. Ratio est, quia id tantum omnibus credendum in Symbolo proponitur, quod ad justificationem præparat: at cognitio existentiæ Dei ut auctoris naturæ,

omnes ad justificationem non præparat, eos nimirum qui naturæ viribus per demonstrationem illam cognoscunt: ergo existentia Dei, non prout est auctor naturæ, sed tantum prout est auctor gratiæ, omnibus credenda proponitur, iis nimirum qui eam noverunt per demonstrationem: unde merito S. Thomas 1. parte docet, eorum saltem hominum respectu, existentiam Dei non esse articulum fidei, sed tantum aliquid quod sit præambulum ad fidem. Inde etiam concludendum est, hæc Apostoli verba: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*, intelligi debere de Deo ut auctore gratiæ; aut saltem si intelligatur de Deo auctore naturæ, locum habere in eis tantum, quibus per demonstrationem non est evidens existentia Dei prout est auctor naturæ.

Objicies 3. Homo qui ex indocto fit doctus, seu homo qui ex non cognoscente evidenter existentiam Dei, fit per demonstrationem evidenter illam cognoscens, non amittit fidem quam prius habebat de cognitione Dei ut auctoris naturæ: atqui, si vera sit opinio quæ docet, fidem non stare simul cum objecti alicujus evidentia, homo qui ex indocto fit doctus, fidem amitteret, quam prius habebat: ergo fides stat simul cum evidentia alicujus objecti. Probatur maj. Si homo qui ex indocto fit doctus, fidem amitteret, per suam scientiam, per evidentiam, quam ratione comparavit, deterioris fieret conditionis: is enim deterioris est conditionis, qui non credit: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. ant. seu nego, hominem illum fieri deterioris conditionis, quam esset antea. Nam 1. non fieret deterioris quoad meritum; scilicet idem meritum haberet, ac si crederet articulum, quem aliunde evidenter cognoscit: quippe qui (ut supponitur) paratus esset ad illum credendum, si ex parte subjecti non obstaret evidentia. 2. Non foret etiam deterioris conditionis quoad certitudinem: sciret enim aliunde, articulum illum esse revelatum, quamvis per accidens, ob evidentiam nimirum objecti, articulo illi propter auctoritatem revelantis non assentiretur. 3. Non foret quoque deterioris conditionis ratione modi attingendi objectum: tum quia evidens cognitio in se perfectior est obscura; tum etiam quia ad infidelitatem non provocaretur ex difficultatibus quæ passim occurrunt in objecto, quod per solam fidem cognoscitur.

Objicies 4. Fides, ex sanctis Patribus, est lux quædam divina & supernaturalis: evidentia est quoque lux quædam, licet ordinis sit naturalis: atqui duo lumina simul stare possunt in eodem subjecto; immo unum perficit aliud: ergo fides & evidentia in eodem hominis intellectu stare possunt circa unum & idem objectum.

Resp. neg. primam partem majoris propositionis, seu nego, fidem esse lucem: posita est enim fides in cæco assensu intellectus, prudenter ex motivis credibilitatis imperato a voluntate. Dicitur tamen lux a Patribus, non quidem formaliter & in se, sed tantum præsuppositive, in quantum scilicet ex motivis evidentibus credibilitatis præsupponit tum cognitionem divinæ revelationis, tum certum ac evidens hoc judicium, *Adhærendum est rebus a Deo revelatis*.

Illa autem duo, hoc est, tum cognitio divinæ revelationis, tum practicum illud judicium, *Adhærendum est rebus a Deo revelatis*, remanent cum demonstratione, licet per accidens non remaneat assensus propter auctoritatem Dei revelantis, eo quod nimirum assensus ille per objecti evidentiam impediatur.

ARTICULUS III.

De necessitate Fidei.

Not. Fidei necessitas potest considerari, vel secundum ejus actum internum, seu prout dicit assensum, quem ratio præbet alicui veritati præcise propter auctoritatem Dei revelantis; vel secundum actum externum, sive externam fidei professionem, quæ ore aut opere, aut exteriori aliquo, quodcumque sit, signo fieri potest. Utriusque illius actus necessitas seorsim subsequentibus paragraphis exponenda est.

§. I. *De necessitate interioris actus fidei.*

Not. Hic quæremus 1. Utrum actus interior fidei sit necessarius: 2. Quodnam debeat esse illius objectum: 3. Quibus temporibus per se obbliget divinum fidei præceptum.

CONCL. 1. Actus internus fidei fuit semper, & est modo, adultis omnibus ad salutem necessarius necessitate medii.

Probatur 1. Illud ad salutem fuit semper, & est modo adultis omnibus necessarium necessitate medii, sine quo impossibile fuit adultis placere Deo: nemo nimirum, nisi Deo placeat, salutem comparare potest: atqui sine actu fidei nullus adultus unquam potuit Deo placere, aut potest placere modo; dicit enim Apostolus ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Apostolum vero loqui non de habitu solum, sed etiam de actu fidei, ostenditur ex eo, quod loquatur 1. de fide divinitus hominibus præcepta: atqui (ut in tractatu de Legibus observatum est) præcepta non dantur de habitibus virtutum, se de illarum actibus: ergo Apostolus loquitur, non de habitu fidei, sed de illius actu. Non loquitur 2. de fide late sumpta, seu de cognitione Dei creatoris & provisoris generalis, quæ per rationem comparata fuerit: siquidem loquitur de fide, quæ

ad justificationem concurrat, & per quam Sancti veteris legis, quorum encomium Apostolus eo loci celebrat, justitiam consecuti sunt.

Probatur 2. Illud ad salutem necessarium fuit semper necessitate medii, quod est necessaria ad justificationem dispositio: atqui actus internus fidei in adultis necessaria est ad justificationem dispositio: nam 1. a Concilio Tridentino recensetur tanquam præparatio necessitate medii ad justitiam: *Disponuntur autem* (inquit sess. 6. c. 6.) *ad justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, quæ divinitus revelata & promissa sunt*. Vox illa, *moventur*, actum significat: ergo Concilium Tridentinum docuit, actum fidei necessarium esse ad justificationem necessitate medii. Vide quæ de eo argumento fuse tradidimus Tom. II. ad calcem nostri Tractatus de Incarnatione, ubi ostendimus, fidem actu, non autem in voto tantum implicito habitam, ad justificationem requiri.

CONCL. 2. Multiplex est objectum fidei, quæ quovis tempore, & hoc etiam, necessaria est necessitate medii ad salutem.

Probatur enumeratione. I. Quovis tempore necessariam fuisse fidem explicitam in Deum, ut remuneratorem supernaturalem, ostenditur 1. ex Apostolo, qui ad Hebræos XI. sic loquitur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Vox hæc, *Oportet*, absolutam necessitatem designat; hæc alia, *Credere*, actum supernaturalem; & istæ, *Inquirentibus se*, significant quærentes ex motu gratiæ; ac proinde istæ aliæ, *Remunerator sit*, de remuneratore supernaturali intelliguntur. Ostenditur 2. ex eo quod ad salutem requiratur fides, quæ spem excitet; atqui spes non excitatur, nisi credatur in Deum remuneratorem, cum remuneratio sit (ut dicetur inferius) objectum formale spei. Vide contrariæ opinionis censuram hujusce quæstionis capite VI.

II. Ante Evangelium necessaria fuit, implicita saltem, fides in Christum; siquidem, *Non est* (ait Petrus Auctorum 4.) *in aliquo alio salus; neque est enim aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri*: quæ quidem sententia de omni prorsus statu intelligitur; unde Apostolus asserit, etiam tempore Legis neminem nisi per fidem in Christum justitiam consecutum fuisse: *Non justificatur* (inquit) *homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi*. Asseritur pariter in epistola ad Hebræos, cap. XI. homines qui ante legem vixerunt, non alia via, quam per eam fidem, justificatos fuisse.

III. Post promulgatum Evangelium necessaria est ad salutem explicita in Christum fides. Nam 1. Christus ipse Joannis tertio sic loquitur: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam .... Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei*; hoc est, etiamsi cetera adessent, ex eo præcise jam judicatus est, seu, salutem non est consecuturus, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei, id est, præcise quia deest fides in Christum, & quidem explicita; cum Christi sententia ferat expresse, *In nomine unigeniti filii Dei*. Idque confirmatur ex alia hac Christi sententia Joannis 7. *Hæc est vita æterna*, hoc est, habetur vita æterna, *ut cognoscant te solum Deum verum, &, quem misisti, Jesum Christum*; quo in loco Christus eamdem fidem in seipsum ad salutem requirit, quam in Deum: atqui fides explicita in Deum necessaria est necessitate medii: ergo & in Christum, post Evangelii promulgationem.

IV. Necessaria est post Evangelii promulgationem fides explicita in Trinitatem; tum quia baptismus, quo quis fit membrum Christi, datur in expressam & distinctam invocationem trium Personarum SS. Trinitatis: *Docete omnes gentes* (inquit Christus ipse in Evangelio) *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: tum etiam quia explicite credi non potest in Christum, quin etiam (ut ratiocinatur S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 3.) credatur explicite in Trinitatem; siquidem in mysterio Incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, & per gratiam Spiritus sancti mundum renovaturus sit, & quod de Spiritu sancto conceptus fuerit.

Addendum est, quod quamvis opinio Suaris & aliquorum aliorum asserentium, fidem explicitam in Christum, etiam post Evangelii promulgationem, necessariam non esse necessitate medii ad salutem, non sit *expresse* damnata ab Ecclesia: tamen in praxi nequaquam ei sit adhærendum; probabilitas enim, quantacumque supponatur, non supplet iis quæ necessitate medii necessaria sunt ad justificationem.

CONCL. 3. Actus internus fidei adultis necessarius est necessitate præcepti.

Probatur. Primo, quæ ex ordinatione divina necessaria sunt necessitate medii ad justificationem, sunt etiam necessaria necessitate præcepti divini: cum enim Deus imperet, ut adquiratur justificatio, imperat quoque media quæ ad illam absolute requiruntur: nempe qui vult finem, censetur quoque velle media, quæ ad illum comparandum sunt simpliciter & absolute necessaria. 2. Christus expresse fidem imperat; *Creditis in Deum, & in me credite*: atqui fides a Christo præcepta non est habitualis, cum (ut jam superius

perius observatum est) præcepta non dentur de habitibus virtutum; neque enim a nobis pendet, cum habitus a Deo infundantur, sed tantum de illorum actibus.

Quæres 1. quænam credi debeant vi præcepti quod fidem imperat.

Resp. credi debere explicite 1. ea omnia quæ necessaria sunt necessitate medii: 2. Articulos qui in Symbolo continentur, saltem quoad illorum substantiam: siquidem ad illos articulos præcipua fidei capita reducuntur: 3. Decalogi præcepta, si tamen ratione naturali evidenter non cognoscantur: id enim explicite credi debet quod homo jure naturali & divino observare tenetur: 4. Sacramenta quæ ad salutem necessaria sunt necessitate medii, nec non illa quæ quis recipit; siquidem ad illorum receptionem parare se ipsum non potest, nisi noverit, quid sint, & quid contineant.

Quæres 2. quibus temporibus obliget divinum fidei præceptum.

Resp. 1. præceptum illud *per se*, hoc est vi præcepti specialis, nonnunquam obligare ad eliciendos fidei actus: quia præceptum de eliciendis actibus fidei est præceptum speciale, hoc est, præceptum ab aliis distinctum: illius enim tanquam præcepti ab aliis distincti Scriptura non semel meminit: *Creditis in Deum, & in me credite.*

Resp. 2. Illud præceptum *per se* obligare sæpius in vita: tum quia non pro aliquibus vicibus tantum a Deo sancitum sit; tum etiam quia (ut ait Scriptura) *justum ex fide*, hoc est, ex actibus fidei, *vivit*, seu vita justi per actus fidei nutritur & conservatur; ergo quemadmodum præceptum naturale de vita obligat ad sumendum sæpius cibum: ita etiam & divinum præceptum fidei obligat ad sæpius eliciendos actus fidei. Deinde jubemur præcepto divino Deum sæpius in vita colere: at Deus sine actu fidei non colitur, nimirum (ut jam superius observatum est) sine actu fidei impossibile est placere Deo, seu, cum debito cultu colere; unde merito ab Innocentio XI. proscripta est hæc propositio: *Sufficit mysteria fidei semel credidisse.*

Resp. 3. tempora quibus urget speciale fidei præceptum, esse 1. respectu infidelium & hæreticorum, cum sufficienter eis Evangelium, & fides catholica proponuntur: 2. respectu fidelium, in periculo mortis, quia tunc quisque tenetur omnem quam potest adhibere curam, ut suæ saluti certo consulat: 3. cum occurrunt festa anni præcipua, ut sunt Christi Nativitas, Resurrectio, Pentecostes: ideo enim instituta sunt illa festa, inter quæ etiam Dominica dies (quæ apud Gentiles dicebatur *Dies Solis*) ut in specie determinarentur tempora, quibus specialiter danda est opera virtutum exercitio, inter quas priorem, licet non præcipuum, locum tenet fides.

Resp. 4. præceptum de eliciendis actibus fidei, per accidens obligare 1. quoties quis Sacramenta recipit, & præsertim Eucharistiam: tenetur enim qui ad illud Sacramentum accedit spiritualiter manducare corpus Christi: unde ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, Sacerdoti illud porrigenti & dicenti: *Corpus Christi*, fideles respondere tenebantur: *Amen*: id est, *Verbum est, ita credo*. Obligat 2. quoties gravis contra fidem urget tentatio; actus enim virtutum medicamenta sunt, ut actus vitiorum contrariorum impediantur.

CONCL. 4. Jure Ecclesiastico fideles tenentur scire memoriter Symbolum, Orationem Dominicam, & Decalogum.

Probatur. *Primo*, Ecclesia quovis tempore expetiit, ut Symbolum & Oratio Dominica ab adultis memoriter redderentur, antequam admitterentur ad baptismum, injunxitque susceptoribus, ut illud docerent eos, quos de sacro fonte levassent: hæc nimirum habentur canone *Vos ante* Dist. 19. *De consecratione*, qui quidem Canon ex Augustino depromptus est: *Vos ante omnia symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis quos suscepistis de sacro fonte ostendite.* Legendus est de eodem argumento Sermo ejusdem Augustini de Symbolo ad Catechumenos.

Secundo, Eadem praxis colligitur ex Leone Magno: sic enim loquitur Epist. 27. Editionis Quesnellii nostri, cap. 4. *Non enim de portiuncula aliqua fluet nostræ, quæ unius lucide declarata sit, quæritur. Sed hoc stultissima resultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare: siquidem ipsa Catholici symboli brevis & perfecta confessio tam instructa sit munitione cælesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.* Legendus est quoque ea de re S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5.

Tertio, Sanctus Carolus in Concilio V. Mediolanensi prohibet Confessariis, ne pœnitentes absolvant, antequam Orationem Dominicam, Symbolum, & Decalogum recitantes audierint. Vide quæ harum Institutionum diximus Tom. IV. iis locis, ubi dictum est de absolutione impendenda aut differenda iis, qui capita, de quibus agitur, ignoraverint.

Quarto, Theologi non ultimi nominis nostram conclusionem expressis verbis tradunt: sic enim in laudatam ex S. Thoma quæstionem Sylvius loquitur: *Qui ex contemptu, vel supina negligentia nescire symbolum, difficulter a mortali excusaretur, propter Ecclesiæ præceptum & consuetudinem.*

Illi autem præcepto non fit satis ab iis, qui

qui memoriter quidem tenent omnia capita quæ in Symbolo, Oratione Dominica, & Decalogo continentur; sed idiomate ignoto sibi. Hujusmodi sunt rustici, qui ea latine tantum didicerunt: habent enim (ait Decoque non ultimus e theologis) scientiam verborum, non autem mysteriorum cognitionem.

§. II. *De necessitate exterioris actus fidei.*

Not. 1. Extare præceptum fidem exterius confitendi, probant hæc Apostoli verba ad Romanos, cap. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Probant & hæc Augustini verba in libro *de fide & symbolo*, c. 1. *Fides officium a nobis exigit & cordis & linguæ.*

Not. 2. Omne præceptum affirmativum, ut est illud quo jubemur fidem exterius confiteri, certis temporibus obligat; ac præterea prohibet ne quid unquam per commissionem contra illud præceptum operemur: necesse est igitur, ut hic expendamus 1. quibus temporibus obliget divinum præceptum, quo jubemur fidem exterius confiteri; 2. quid prohibeat nobis.

CONCLUSIO 1. Præceptum confitendi exterius fidem obligat, quando per illius omissionem honor Deo debitus, vel caritas proximo impendenda subtrahuntur.

Probatur auctoritate Sancti Thomæ, qui 2. 2. q. 3. art. 2. sic loquitur: *Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco, est de necessitate salutis* (nec mirum; præcepta enim affirmativa non obligant pro semper) *sed in aliquo tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda.*

Nec immerito sic ratiocinatur S. Thomas: siquidem omissio confessionis in primo casu vergeret in summum Dei contemptum, quem ipsa ratio naturalis vetat, cum Deum toto corde diligere & colere teneamur: in altero autem casu infringeretur præceptum, quo jubemur proximum sicut nos ipsos diligere.

Quæres 1. quibus in casibus, per omissionem confessionis, honor Deo debitus subtrahi censeatur.

Resp. 1. Id contingere, cum quis publica auctoritate interrogatus de fide, silet. Scilicet qui in eo casu silet, erubescit Evangelium, mereturque pœnam, quam hisce verbis Christus silentibus comminatur Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & sanctorum Angelorum.*

Nomine vero publicæ potestatis censetur quis interrogari, cum interrogatur ab eo qui est in potestate publica constitutus, sive privatim id fiat, sive publice, sive qui interrogat, tyrannus sit, an legitimus princeps, aut sit judex proprius ejus qui interrogatur, aut alienus, unde merito inter pestiferas Moralis disciplinæ propositiones hanc anno 1679. damnavit Innocentius Papa XI. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo: Tacere, ut peccaminosum per se, non damno.* Eam quoque propositionem speciali censura notavit Clerus Gallicanus, ut capite proxime sequenti dicetur.

Resp. 2. Honorem Deo debitum subtrahi, cum fidelis non contradicit Gentili, aut hæretico fidem palam irridenti; modo tamen non judicetur, contradictionem impiis fore occasionem blasphemiis iterum lascessendi fidem. Ea de caussa Christiani non tenebantur antiquitus, nec modo apud Indos, Gentiles diis immolantes, aut apud Batavos, hæreticos suæ sectæ ritibus incumbentes, palam arguere tenentur.

Quæres 2. quinam sint cassus, in quibus omissa fidei professione, obsequium proximo impendendum subtrahi censetur.

Resp. contingere 1. cum prudenter judicatur proximum, qui alioquin in fide vacillat, aperta fidei confessione confirmatum iri: eo nimirum in casu locum habet illa Scripturæ sententia: *Debemus pro fratribus animas ponere*: unde de S. Sebastiano dicitur, quod suis monitis & cohortationibus Confessores, qui fidei caussa carceribus detinebantur, aut mox ultimo supplicio afficiendi erant, etiam cum propriæ vitæ periculo sæpius munierit; ob idque ad Diocletianum delatus, capitali sententia damnatus est. 2. Urget idem casus, cum adest certitudo moralis, aut etiam cum adest dubium prudens, quod hæreticus, vel infidelis religioni catholicæ daturus sit nomen: ordo nimirum caritatis postulat, ut proximi salutem æternam propriæ nostræ saluti temporali præferamus. 3. Idem casus licet omnes fideles urgeat, urget tamen strictius Ecclesiæ Ministros & Pastores: ii enim non solum caritatis vinculo, sed etiam debito justitiæ, fratrum suorum & ovium & Christi sanguine redemptorum saluti, cum propriæ vitæ detrimento consulere tenentur; juxta illud Christi in Evangelio: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

CONCLUSIO 2. Nullo in casu licitum est fidem exterius negare.

Probatur 1. auctoritate Christi, cujus hæc sunt verba, Matthæi c. 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus* (licet fidem corde retineat) *negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.*

2. Idem ostenditur exemplo fidelium, qui prioribus sæculis, dum persecutio sæviret, mori

mori maluerunt, quam vel minimo exteriore signo testari, se a Christi fide discedere. Unde est illud Tertulliani, Apologetici c. XI. *Itaque nec in illo ex forma malorum judicandorum, agitis erga nos, quod ceteris negantibus adhibetis termenta ad confitendum, solis christianis ad negandum, cum si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis*. Et paullo post sic prosequitur: *Ideo torquemur confitentes, & punimur perseverantes, & absolvimur negantes, quia nominis prælium est*.

3. Tantum facinus antiquis Patribus visa est fidei negatio, etiam qua vita temporalis redimeretur, ut plures Ecclesiæ in idololatriam lapsis absolutionem sacramentalem etiam pœnitentibus, in extrema vitæ periodo negaverint, ut fuse in Commentario nostro historico de Sacramentis ostendimus. Ubi vero Apostatis indulta est pax, concessa non est, nisi exantlatis per plures annos, & nonnunquam per totam vitam, gravissimis pœnitentiæ laboribus. Vide Cyprianum in libro de lapsis: vide etiam Concilii Nicæni primi canones: vide quoque sancitam Eliberitanis canonibus disciplinam.

CONCLUSIO 3. Nullo in casu licitum est falsam simulare religionem.

Probatur 1. verbis & exemplo *Eleazari senis*, qui rogatus ab amicis, ut simularet se manducasse de Sacrificii carnibus, secundum Antiochi Regis mandatum, sic libro 2. Machab. cap. 6. respondit: *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem decipiantur; & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam*.

Probatur 2. ex Ecclesiæ decretis. *Primo*, Helceitæ hæretici, altero Ecclesiæ sæculo, ab Ecclesia catholica damnati sunt, quod inter alios errores, simulationem Religionis licitam esse contenderent, dummodo fides in corde integra servaretur.

2. Damnati sunt Priscillianistæ quarto sæculo, quod vellent licitum esse mendaciis & perjuriis uti, etiam in religionis caussa.

3. Altero & tertio sæculo Ecclesia gravissimis pœnis animadvertit in *Libellaticos*, eos scilicet Christianos, qui a Magistratibus numerata pecunia emerant libellos, quibus constaret eos obtemperasse impiis Imperatorum Edictis, quamvis revera non obtemperassent. De hujusmodi Libellaticis legi possunt Tertullianus in Apologetico, cap. 27. & Sanctus Cyprianus in tractatu *De Lapsis*.

4. Sedes Apostolica anno 1643. proscripsit praxim quorumdam apud Sinas Missionariorum, qui contendebant, licere Christianis adorationem externam Idolis exhibere, modo adorantis intentio dirigeretur ad verum Deum depictum in imagine, quæ vel sub adorantis vestibus, vel in altari prope Idolum latitaret.

5. Ille qui religionem falsam simulat, facto ipso negat Christum; ac præterea reus fit gravissimi in caussa gravissima mendacii. Unde patet simulationem illam non licere, etiam in casu, quo, defectu testium, nihil omnino ad proximi subversionem & scandalum esset collatum.

Objicies 1. Eliseus (ut habetur l. 4. Regum cap. 5.) Naaman principi militiæ Regis Syriæ concessit, ut, Rege adorante in templo Remmon, & ipse cum eo adoraret: ubi enim Naaman lepra ab Eliseo sanatus, hæc ab eo petiisset: *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret: & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re*: Ubi (inquam) id petiisset, hocce ab Eliseo responsum audiit: *Qui dixit ei: Vade in pace:* quasi dixisset, id licitum est, non peccabis cum id egeris. Atqui Naaman in eo casu falsam religionem simulabat: verum scilicet Deum colebat extra templum Remmon; id enim Eliseo conceptis terminis pollicitus fuerat: *Dixitque Naaman* (ait Scriptura) *Ut vis: sed obsecro concede mihi servo tuo, ut tollat onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino*. Ergo licet in aliquo casu (ut quis nimirum suæ fortunæ, & a fortiori, suæ vitæ consulat.) falsam religionem simulare.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est quia Adorationis nomen eo loci sumitur late, pro nuda nimirum incurvatione corporis, non autem stricte, seu pro religionis actu: siquidem & ipsimet Naaman, & omnibus Syris qui aderant, persuasum erat, incurvationem illam corporis famulatum esse politicum & civile, quod ex officio politicæ suæ dignitati annexo exhibebat Regi non in templo solum, sed etiam extra templum in omnibus locis, in quibus princeps res etiam mere civiles & politicas palam & sollemniter pertractabat. Notum erat pariter omnibus Naaman Judæorum religionem palam profiteri; ac proinde nec ipse Deo Remmon cultum aliquem exhibebat, nec exhiberi a Siris censebatur.

Objicies 2. Ex Actis constat, Apostolos cum Judæis ad fidem conversis observasse Legalia, quæ tamen non servabant degentes cum Gentibus ad fidem conversis: atqui praxis illa non aliud erat, quam simulatio falsæ religionis, Judaicæ nimirum, quæ per

Chri-

Christi mortem quoad omnia præcepta cæremonialia penitus abrogata fuerat.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia Legalium observatio, priore saltem Ecclesiæ Christianæ sæculo, res erat, quæ ad meram disciplinam pertineret. Eis libere, & absque salutis necessitate, subjiciebant sese Judæi, qui dabant nomen religioni christianæ, non vero Gentiles qui fidem amplexi fuerant. Mirum igitur non est, quod Apostoli cum Judæis agentes legalia servaverint; agentes vero cum Gentilibus, ab eis omnino temperaverint. Convenit scilicet, ut quis suam agendi rationem exigat ad locorum leges & consuetudines, quæ ad meram disciplinam spectant, quæque nihil habent, quod juri divino aut naturali repugnet.

Quæres 1. an apud infideles agentibus uti liceat rebus, signis, vestibus, quæ ab iis infidelibus usurpantur.

Resp. cum distinctione. 1. Non licet, si illæ vestes, illa signa sint Religionis, non autem Nationis tantum insignia. Ratio est, quia, ex suppositione quod res illæ sive ex consuetudine habeantur tanquam Religionis signa, qui iis utitur, censetur eam religionem profiteri, cujus sunt insignia. 2. E contra licitum est infidelium tum rebus, tum signis, tum vestibus uti, si nationis tantum, non autem religionis sint distinctiva. Petitum est duplex illud responsum ex Tertulliano, qui in lib. de Idololatria cap. 18. observat, Joseph apud Ægyptios, & Danielem apud Babylonios, civilis dignitatis sibi concessæ, non autem impiæ, aut Ægyptiorum, aut Babyloniorum superstitionis, insignibus usos fuisse: Ex eo tum Joseph, tum Danielis exemplo, hanc idem Tertullianus infert conclusionem: *Sic penes nos quoque, fideli, si necesse fuerit, poterit & puerilis prætexta concedi, & puerilis stola; nativitatis insignia, non potestatis: generis, non honoris: ordinis, non superstitionis.*

Quæres 2. utrum liceat libros hæreticorum legere.

Resp. non licere, nisi prius obtenta fuerit legitima dispensatio: Eorum scilicet librorum lectione fideles Canonibus interdicuntur. 2. Ii etiam quibus concessa est dispensatio, etiamsi docti fuerint, tenentur ab ea lectione temperare ubi proprio experimento probaverint, lectionem illam occasionem esse gravibus contra fidem tentationibus; *qui enim amat periculum* (Scriptura teste) *peribit in illo*.

Quæres 3. an fidem negare censeatur qui fugit, ut declinet persecutionem.

Resp. negative contra Montanistas, quibus Tertullianus in libro *De fuga in persecutione*, subscripsit. Ratio est 1. quia constat ex Evangelio Christum fugisse sæpius, ut Judæorum insidias declinaret: eo autem Christi exemplo tuetur se Athanasius in sua adversus Arianos Apologia. Idem pariter exemplum usurpat Pontius Diaconus, ut S. Cyprianum, quem specialiter impetebat persecutio, tueatur. 2. Qui sæviente persecutione non fugiunt, cum id possunt, sæpe gravi se tentationi exponunt, ac proinde tanquam præsumptionis rei a SS. Patribus jure ac merito damnantur. 3. Possunt etiam fugere ipsi Pastores, cum non plebem, sed ipsos specialiter impetit persecutio: modo tamen supersint alii ministri, qui gregis per Dei verbum, & Sacramentorum dispensationem saluti consulere possint: si enim non supersint ministri, quotquot ad curam gregis necessarii sunt, nec ipsos pastores, quos specialiter impetit persecutio, fugere licet. Vide de eo argumento Augustinum in epistola 118. Veteris editionis, quæ est ad Honoratum. De usibus qui idololatriam redolent, vide Tertullianum in Libro de Idololatria: eo nimirum in libro innumeros propemodum casus speciales recenset, in quibus fideles impiarum superstitionum reos se constituunt.

CAPUT VII.

Quæ sit Cleri Gallicani doctrina de fidei virtute.

Not. Cleri Gallicani de fidei virtute doctrinam haurimus ex ejusdem Cleri Gallicani Comitiis Generalibus, quæ in Palatio Regio San-Germano MDCC. habita sunt. In iis autem Comitiis Gallicani Patres censura speciali notarunt plures circa fidei virtutem propositiones, quas nonnulli, aut in thesibus scriptis, aut in libris impressis, propugnaverant.

Prima Propositio. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Secunda Propositio. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

Censura. *Hæ duæ propositiones, sunt scandalosæ, in praxi perniciosæ, erroneæ, fidei & Evangelii oblivionem inducunt:*

Tertia Propositio. *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Censura. *Hæc propositio, scandalosa est, perniciosa & Apostolicam fidei definitionem evertit.*

Quarta Propositio. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.*

Censura. *Hæc propositio, scandalosa est, præceptis Evangelicis, & Apostolicis aperte contraria, hæretica.*

Quinta Propositio. *Religio Christiana est evidenter credibilis: nam evidens est prudentem esse, quisquis eam amplexatur: non evidenter vera; nam aut obscure docet, aut quæ docet, obscura sunt. Immo qui ajunt, Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse: 1. Quod existat nunc in terris aliqua vera religio: unde enim habes, non omnem carnem corrupisse viam suam? 2. Quod omnium quæ in terris existunt vera, simillima sit Christiana: an enim terras omnes aut peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? 3. Quod & Apostolis, & dæmonibus manifesta fuerit divinitas Christi, id enim doces, docere & oportet Christum manifeste Deum esse. 4. Quod afflante Deo fusa sint Prophetarum oracula: quid enim mihi opponas, si vel negem illa fuisse vera vaticinia, vel affirmem fuisse conjecturas? 5. Quod vera fuerint, quæ a Christo edita fuisse commemorantur miracula, quamquam negare hæc nemo prudenter potest.*

Censura. *Doctrina hac propositione contenta, impia est, blasphema, erronea, & inimicis Christianæ religionis favet.*

Sexta Propositio. *Evidens non est evidentia morali, proprie dicta, & physica, religionem catholicam esse veram.*

Censura. *Hæc propositio doctrinam superiori propositioni consentaneam continens, temeraria est, & in errorem inducens.*

Septima Propositio. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita Remuneratoris.*

Octava Propositio. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.*

Decima Propositio. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei: & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

Censura. *Hæ tres propositiones, in Deum Remuneratorem, & in Christi nomen contumeliosæ sunt, erroneæ, & hæreticæ.*

Pleraique ex propositionibus quas hucusque retulimus, Inquisitores Romani coram Alexandro Papa VII. & Innocentio XI. jam ante Generalia Cleri Gallicani Comitia damnaverant. Nempe quæ primo loco a nobis relata est, prima est inter proscriptas ab Alexandro: quæ secundo loco, decima septima inter Innocentianas: quæ tertio, vicesima prima: quæ quarto 8. quæ septimo, vicesima secunda: quæ octavo, vicesima nona: quæ decimo, sexagesima quarta. Cur autem Clerus Gallicanus eas iterum damnaverit, ad hujusce Tomi calcem dicetur.

QUÆSTIO II.

De Virtute Spei.

Not. Spei nomen in Scripturis sumitur 1. pro objecto spei, ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes.* Sumitur 2. pro persona, per quam, vel a qua, aliquid speramus: *Dominus* (inquit Psaltes Regius, Psalm. 13.) *spes ejus est.* Sumitur 3. pro virtute Theologica, cujus Essentiam, Divisionem, Objectum, & Proprietates hic a nobis exponendæ sunt.

CAPUT PRIMUM.

De Essentia & Divisione Spei.

CONCLUSIO 1. Spes recte definitur, *Virtus, qua certa cum fiducia æternam beatitudinem, Dei auxilio comparandam, expectamus.*

Explicatur illa definitio 1. Spes dicitur *Virtus*, quia subjectum, in quo reperitur, inclinat (quod proprium est virtutis cujuslibet) movet ad actum rationi consentaneum; in expectationem nimirum æternæ beatitudinis, ad cujus possessionem creatura rationalis a Deo condita est, juxta illud Augustini: *Fecisti nos ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* 2. Dicitur inclinare & movere ad *expectationem æternæ beatitudinis*, quæ in Deo sita est; & in hoc convenit cum aliis virtutibus Theologicis, fide & caritate: in hoc enim virtutes theologicæ a moralibus differunt, quod illæ immediate circa Deum versentur, seu quod Deum habeant pro objecto immediato. 3. Dicitur inclinare & movere ad Deum, *prout est hominis beatitudo*; seu quatenus est bonum illi conveniens; & in hoc differt a fide quæ Deum attingit, ut est fons veritatis; & a caritate quæ circa Deum versatur, abstrahendo an sit hominis beatitudo, an vero in se ipso & sine aliquo ad creaturam ordine consideretur. Sed hæc uberius postea explicabuntur.

CONCL. 2. Multiplex est Spei divisio.

Probatur enumeratione. 1. Spes, alia est habitualis, alia actualis. Prior, est permanens in homine inclinatio ad Dei possessionem, de qua loquitur Paulus 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Caritas.* Posterior, est actus quo creatura rationalis certa cum fiducia expectat æternam beatitudinem: de illo spei actu intelliguntur hæc Apostoli verba ad Rom. 8. *Spe*, hoc est per actum spei, *salvi facti sumus*: intelliguntur quoque hæc alia, quæ in psalmis leguntur: *Spera in Domino*; præcepta enim (ut sæpe S. Thomas asserit) non dantur de virtutum habitibus, quia non sunt in potestate

ſtite noſtra ; ſed de illarum actibus, quos cum divino auxilio poſſumus elicere.

2. Spes habitualis ſubdividitur in Infuſam & Adquiſitam. Prior a Deo immediate infunditur ; hujuſmodi eſt ea, quæ a parvulis per baptiſmi ſacramentum recipitur : poſterior vero, quæ naſcitur in adultis ex actibus, quos cum Dei auxilio ſæpius elicuerunt.

3. Utraque Spes, id eſt Habitualis & Actualis, dividitur iterum in Vivam & Mortuam. Spes viva eſt ea, quæ in ſubjecto præſupponit gratiam ſanctificantem, quæ cum ſit hominis vita, vitam quoque tum habitibus virtutum, tum illarum actibus tribuit. Altera vero eſt ea, in cujus ſubjecto non eſt gratia ſanctificans ; hujuſmodi eſt ea quæ in impio, hoc eſt, in homine gratia ſanctificante deſtituto reperitur.

4. Utraque ſpes dividitur iterum in formatam & in informem. Formata ea eſt, quæ in ſubjecto conjuncta eſt cum caritate ſanctificante : ideoque dicitur formata, quod conjuncta ſit cum caritate, quæ eſt omnium virtutum forma, ſeu perfectio. Informis e contra eſt illa, quæ cum ſit in ſubjecto ſine caritate quæ ſanctificet, deſtituta eſt virtute, quæ aliarum omnium eſt forma & perfectio. Vide quæ præcedenti quæſtione dicta ſunt de fidei diviſione.

CAPUT II.

De objecto Spei.

Not. 1. SÆpius jam obſervatum eſt cujuslibet virtutis objectum eſſe duplex, materiale ſcilicet & formale : Prius eſt res circa quam virtus immediate verſatur : poſterius dividitur in objectum formale *Quod*, & eſt perfectio, quam virtus reſpicit in objecto materiali ; & in formale *Quo*, & eſt ratio ſeu motivum, ſub quo formale *quod* attingitur.

Not. 2. Objectum virtutis, aliud eſt Primarium, aliud vero Secundarium : Primum eſt res quæ per ſe a virtute appetitur : Alterum, quod appetitur in ordine ad aliud.

ARTICULUS I.

De objecto Materiali Spei, tum Primario, tum Secundario.

CONCLUSIO 1. Deus ipſe eſt objectum materiale primarium ſpei : media vero, quibus poteſt comparari, ſunt illius objectum materiale ſecundarium.

Probatur prima concluſionis pars. Illud eſt objectum materiale primarium ſpei, quod primo & per ſe ab ea expectatur : atqui Deus ipſe primo & per ſe a ſpe expectatur : id enim primo & per ſe a ſpe expectatur, quod eſt futura merces bonorum operum : ſed id non aliud eſt, quam Deus ipſe, juxta illud Geneſ. 15. *Ego ero merces tua magna nimis*.

Probatur altera concluſionis pars. Illud, ex obſervatis, eſt objectum ſecundarium alicujus virtutis, ad quod virtus inclinat & movet in ordine ad finem primarium : atqui ſpes inclinat & movet ad appetitum mediorum in ordine ad ſuum finem primarium. Nam 1. ſpem inclinare ſubjectum ad mediorum expectationem, evidens eſt ex eo, quod virtus quæ inclinat ad finem, inclinet pariter ad media, quæ ad illius adquiſitionem neceſſaria ſunt ; eadem enim eſt volitio finis ac mediorum, hoc eſt eodem actu quo finis efficaciter appetitur, media etiam, implicite ſaltem, appetuntur. 2. Spem movere ad expectationem mediorum *in ordine ad beatitudinem æternam*, patet ex eo, quod non ob aliud movet ad mediorum expectationem, quam quod media ad æternæ beatitudinis adquiſitionem, quæ per ſpem expectatur, conferat : ergo, &c.

ARTICULUS II.

De objecto formali tum Quod, *tum* Quo, *Spei.*

Not. CErtum eſt apud omnes, bonitatem divinam eſſe ſubjectum formale *quod* ſpei. Et quidem merito : Nam 1. bonitatem eſſe objectum illius formale *quod*, ſic oſtenditur : Virtutes, quorum voluntas eſt ſubjectum, ſeu, quæ recipiuntur in voluntate, bonum habeant pro objecto formali *quod* ; bonum enim reſpiciunt in objecto materiali, circa quod verſantur ; & in hoc differunt a virtutibus, quarum intellectus eſt ſubjectum ; nimirum virtutes intellectus reſpiciunt verum : atqui voluntas eſt ſubjectum ſpei ; poſita eſt enim in expectatione, ſeu deſiderio cum fiducia conſequendi rem expectatam ; voluntas autem eſt ſubjectum expectationis ; ſcilicet ea potentia eſt ſubjectum actus immanentis, a qua ipſe actus immanens elicitur, ut patet in oculo reſpectu actus viſionis : ergo ſpes habet pro objecto formali *quod* bonitatem. 2. Bonitatem quam ſpes reſpicit, eſſe *Dei bonitatem*, patet ex eo, quod ſpes ſit virtus theologica ; virtutes vero theologicæ Deum ipſum immediate reſpiciunt : ergo objectum formale *quod* ſpei eſt ipſa divina bonitas : & in hoc ſicut differt a virtutibus Moralibus, ita convenit cum virtute caritatis, quæ ipſam quoque Dei bonitatem in Deo, quod eſt illius objectum materiale, perpendit.

Not. 2. Non conveniunt theologi, ſub qua ratione bonitas divina ſit objectum formale *quod* ſpei. Nonnulli contendunt, bonitatem divinam eſſe illius objectum formale *quod*, tantum quatenus eſt bonum noſtrum, ſeu tantum & præciſe quatenus eſt objectum

quod

quod potest non efficere beatos. Hac autem, ut id asserant, ratione ducuntur. Bonitas divina in se sumpta, hoc est, considerata sine ordine ad creaturam, est objectum formale *quod* caritatis; caritas enim (inquiunt) versatur circa Dei bonitatem, ut in se est: ergo sic accepta, non potest esse objectum formale *quod* spei; siquidem (addunt) objecta virtutum, quæ specie differunt, debent habere objecta formalia specie diversa, cum virtutes suam speciem sumant ab objectis formalibus. Aliis e contra theologis placet, bonitatem divinam etiam in se sumptam, hoc est, abstrahendo quod sit objectiva creaturæ rationalis beatitudo, esse objectum formale spei, sed prout absens & possidenda consideratur; & in hoc spem a caritate differre volunt, quo caritas abstrahat a præsentia aut absentia divinæ bonitatis, ab illius fruitione, aut illius absentia; e contra spes essentialiter supponat illius absentiam, & bonitatem, præcise quatenus possidendam, respiciat; virtutes enim (inquiunt) non differunt specie tantum ex objecto quod respiciunt, sed etiam ex diverso modo, quo circa objectum versantur.

CONCL. I. Objectum formale *quod* spei est bonitas divina, sive in se ipsa consideretur, sive prout est creaturæ rationalis beatitudo, modo tanquam absens & possidenda consideretur.

Probatur prima pars, seu Dei bonitatem in se sumptam, esse objectum formale *quod* spei. Illud est objectum formale *quod* spei, quod in cælis possidendum, hic in terris cum fiducia expectamus; spes enim earum est rerum, quas futuras expectamus cum fiducia: atqui hic in terris expectamus cum fiducia Dei bonitatem in se sumptam, in cælis possidendam; ad eam enim expectationem caritas hic in terris nos movet, ad illius desiderium nos impellit; cum enim caritas hic in terris Dei bonitatem in se sumptam, actu possidere, seu ea actu frui non possit, ad illius possessionis, ad illius fruitionis desiderium nos impellit; Scilicet ea est amoris natura, ut amantem cum objecto copulet, si non actu, saltem per desiderium, & expectationem, juxta illud Augustini in libro 8. de Trinitate, c. 18. *Quid est dilectio, vel Caritas, quam tantopere Scriptura divina laudat, & prædicat, nisi amor boni? Amor autem alicujus amantis est, & amore aliquid amatur. Ecce tria sunt; Amans, & quod Amatur, & Amor. Quid est ergo amor, nisi quædam vita? hoc est, vitalis quidam motus; duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur? Et hoc etiam in externis, carnalibusque amoribus ita est.* Seu (ut idem Augustinus ait lib. 14. de Trinitate, cap. 6.) *Dilectio nihil est aliud, quam voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens.* Sic iterum idem S. Doctor loquitur in libro 4. de Genesi ad litteram, c. 9. *Diffunditur Caritas, ut illuc feramur appetitu desiderii, quo cum pervenerimus, requiescamus, id est, nihil amplius requiramus.*

Probatur altera conclusionis pars, seu Dei bonitatem, ut est bonum conveniens nobis, hoc est, prout est objectiva nostra beatitudo, esse objectum formale *quod* spei. I. Dei bonitas, prout est bonum nobis conveniens, hic est, prout est objectiva nostra beatitudo, nihil aliud est, quam Deus ipse, prout perfectiones habet quæ per sui possessionem possunt explere omnem creaturæ rationalis appetitum, tum ad verum cognoscendum, tum ad bonum amandum, tum ad perfecte quiescendum: atqui Dei bonitas sic accepta est spei objectum formale *quod*; siquidem Dei bonitas sic accepta, nihil aliud est, quam infinita veritas, & infinita bonitas; atqui & infinita veritas, & infinita bonitas, sunt objectum *quod* spei; utriusque nimirum possessionem spes expectat cum fiducia. Unde in hac eremo non aliud sitire debemus, quam infinitæ veritatis & infinitæ bonitatis possessionem; non de alio quam de illarum absentia mœsti esse, nec de alio quam de illarum fiduciali expectatione gaudere nos oportet, ut revera nec de alio gaudent, aut mœsti sunt, qui hic in terrestri Jerusalem constituti, ad cælestem tamen Jerusalem per caritatem pertinent; *Cives sanctæ Civitatis Dei* (inquit Augustinus, lib. 14. de Civit. Dei, c. 9.) *in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum* nullis rebus creatis fruens, sed cupiens Deo solo frui) *istas omnes affectiones rectas habent.* Infinitam illam Veritatem, infinitam illam Bonitatem, prout sunt beatitudo nostra, seu objectum nobis conveniens, quod nempe satiare potest appetitum divinitus nobis inditum, indesinenter desiderare, & gratia Christi adjuti cum fiducia expectare debemus, juxta illud Augustini Serm. 16. de verbis Apostoli c. 7. *Opera faciat in caritate, non expectans retributionem temporalem, sed promissam Dei, faciem Dei;* nec non hoc aliud ejusdem S. Doctoris in Ps. 134. *Sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet, sicut Philippus desiderabat, cum diceret, Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

Objicies. In eo positum non est specificum objectum spei, quod Deum ad hominem refert; rectus nimirum ordo invertitur, cum Deus propter creaturam amatur, non autem creatura propter Deum; tunc enim homo utitur Deo, & fruitur creatura; Atqui desiderare, expectare Deum, prout est objectiva creaturæ rationalis beatitudo, est Deum ad creaturam referre; Siquidem diligere Deum propter bonum quod ex illius possessione ob-

venit

venit creaturæ, est Deum ad creaturam referre: sicut qui diligit aurum propter bonum quod sibi obvenit ex auri possessione, aurum refert ad seipsum; ergo desiderare, expectare Deum, prout est objectiva creaturæ rationalis beatitudo, est Deum ad creaturam referre.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. Diligere Deum propter bonum quod ex illius possessione obvenit creaturæ, est Deum ad creaturam referre, si illud bonum sit aliquid a Dei cognitione & amore distinctum, conc. maj. si illud bonum non sit aliquid a Dei cognitione & amore distinctum, neg. maj. Bonum quod creaturæ rationali obvenit ex Dei possessione, non aliud est, quam perfecta Dei cognitio, quam perfectus illius amor; unde cum beati esse volumus, non aliud volumus, quam Deum cognoscere, non quidem in ænigmate, sed facie ad faciem; non aliud volumus, quam Deum diligere, non quidem eo amore cujus vis per passiones impeditur, sed eo amore cujus vis nullo terrenæ habitationis impedimento coerceatur; *Bonum enim nostrum* (ait Augustinus in lib. 14. de Civit. Dei, cap. 4.) *nullum est aliud, quam illi* (per perfectam cognitionem perfectum amorem) *inhærere. Itaque ut homo se diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, ut beatus esset.* Non *enim qui se diligit, vult aliud esse, quam beatus: hic autem finis est adhærere.* Vide quæ de subjecto spei dicentur inferius.

CONCL. 2. Objectum formale *quo* spei est promissio divina.

Probatur. Ex observatis, objectum formale *quo* virtutis alicujus, est ratio sub qua virtus attingit suum objectum formale *quod*: sic lux ideo est objectum formale *quo* visus, quia visus mediante luce colorem, objectum suum, attingit: atqui divina promissio est ratio, sub qua spes attingit objectum suum formale *quod*, divinam nimirum bonitatem tanquam absentem, aut tanquam objectivam hominis beatitudinem, scilicet ideo divinæ bonitatis possessionem spes expectat cum fiducia, quod Deus eam in justitia ad finem usque perseveraturis promiserit: ergo objectum formale *quo* spei est promissio divina.

Objicies. Dei omnipotentia est objectum formale *quo* spei: ergo non est promissio divina. Probatur ant. Illud est objectum formale *quo* spei, cui spes innititur; sed innititur omnipotentiæ divinæ; ideo nimirum est certa, quod Deus sit omnipotens, & opere compleat quæ pollicitus est; ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. maj. Illud est objectum formale *quo* spei, cui fides proxime innititur, conc. maj. cui innititur remote tantum, neg. maj. Spes remote quidem nititur omnipotentia divina, quia ut Deus stare possit magnificis sui promissionibus, debet, ut ea exequatur, esse omnipotens; unde certitudo de omnipotentia promittentis se habet per modum conditionis, quæ spei præsupponitur, sed non se habet per modum objecti, proximi saltem & immediati; ac proinde non pertinet ad ejusdem spei objectum formale *quo*.

CAPUT III.

De Subjecto Spei.

Not. NOmine subjecti, hic intelligimus creaturas, in quibus spes reperitur; illæ autem creaturæ, vel jam in cælis regnant, vel damnantur in inferis, vel torquentur in purgatorio, vel adhuc in terris militant; quærendum est igitur, utrum spes in beatis, in damnatis, in animabus quæ torquentur in purgatorio, & in viatoribus qui adhuc in terris militant, reperiatur.

ARTICULUS I.

Utrum Spes sit in iis, qui jam sunt in termino.

CONCL. 1. Spes in Beatis non reperitur.

Probatur prima pars. Spes in iis non reperitur, in quorum statu locum non habet objectum spei; atqui spei objectum locum non hebet in statu beatorum, siquidem objectum spei est bonum absens, & arduum, seu comparatu difficile: atqui bonum hujusmodi locum non habet in beatorum statu. Duplex enim tantum bonum absens potest fingi locum habere in beatorum statu, Dei nimirum possessio, & futura corporum resurrectio; Sed Dei possessio non est absens beatorum respectu; nec corporum resurrectio est in iis bonum comparatu difficile. Nam 1. beati jam Deo fruuntur; ergo illorum respectu, Dei possessio non est bonum absens. 2. Corporum resurrectio, licet habita ratione creaturæ virium, sit bonum arduum, immo & impossibile; non est tamen impossibile, immo nec arduum, habita ratione omnipotentiæ divinæ, de qua beati omnem prorsus certitudinem habent.

Objicies. Primæ Petri 1. dicitur; *In quem* (Deum) *desiderant Angeli prospicere.* Unde sic arguitur. Ibi spes habet locum, ubi reperitur desiderium; sed in beatis, Angelis nimirum, desiderium Dei locum habet; ergo & spes etiam respectu Dei, qui est primarium spei objectum.

Resp. dist. maj. In quibus reperitur desiderium proprie sumptum, transeat major; in quibus reperitur desiderium tantum improprie sumptum, neg. maj. Desiderium in textu qui nobis objectus est, sumitur pro exclusione fasti-

fastidii: unde is est sensus sententiæ Petri: Licet Angeli indesinenter Deum videant, nullo tamen fastidio afficiuntur, cum e contra ii qui creaturarum amore tenentur, iis diu sine fastidio; propter earum nimirum inanitatem, frui non possint.

Objicies 2. Habitus virtutum moralium, temperantiæ v. g. patientiæ, remanent in cælis: ergo in cælis quoque remanet habitus spei; non enim potior est ratio de habitibus aliarum virtutum, quam de habitu spei.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia virtutes morales cum Beatorum statu maxime componuntur; positæ sunt nimirum in appetitu qui circa virtutum illarum objecta rectus fit ac ordinatus: e contra spes cum illo statu componi non potest; quippe status ille (ut jam dictum est) dicit objecti beatificantis possessionem; spes vero essentialiter illius absentiam supponit: nam (ut ait Apostolus ad Rom. 8.) *Spes, quæ videtur, non est spes*, hoc est, objectum quod possidetur, sperari non potest.

CONCL. 2. Spes non est in damnatis.

Probatur. In iis non est spes, qui non apprehendunt objectum spei tanquam comparatu possibile; neque enim voluntas cum fiducia desiderat ac expectat rem, cujus assecutionem intellectus impossibilem judicat: atqui damnati non apprehendunt objectum spei, Deum nimirum, tanquam comparatu possibile; tum ratione irrevocabilis decreti, quo flammis æternis addicti sunt: tum ratione futuræ perpetuæ privationis auxiliorum, quæ necessaria sunt, ut apti fieri possint ad Dei possessionem.

ARTICULUS II.

Utrum Spes sit in iis, qui sunt in via.

Not. Inter homines qui baptismate consecrati fuere, sunt 1. hæretici; 2. impii Catholici; 3. justi tum perfecti, tum imperfecti; quærendum est igitur, utrum in hæreticis, impiis catholicis, & justis, tum perfectis, tum imperfectis, spei virtus reperiatur.

CONCL. 1. Virtus spei locum non habet in hæreticis.

Probatur. In eis non est spei virtus, in quibus non reperitur id quo spei virtus nititur; atqui in hæreticis revera non reperitur; Scilicet id quo spei virtus nititur, sunt vera merita, aut jam præsentia, aut aliquando futura; sed in hæreticis non sunt merita, aut jam præsentia, aut aliquando futura, saltem quamdiu habebunt affectum ad suam hæresim; siquidem gratia sanctificans, quæ est principium meritorum, cum affectu ad hæresim stare non potest in eodem subjecto; nempe affectus ad hæresim est lethale infidelitatis peccatum, quod (ut patet) cum gratia sanctificante componi minime potest.

Objicies. In hæreticis potest esse vera fides circa aliquos articulos, licet aliis discredant; scilicet ad veram fidem hæc tria tantum requiruntur. 1. evidentia motiva credibilitatis; 2. adhæsio articulo revelato; 3. gratia actualis quæ voluntatem excitet ad impetrandum intellectui, ut eam adhæsionem præbeat: ea vero tria possunt in hæreticis reperiri; nam 1. motiva credibilitatis, quibus inducimur ad credendam Christi & Apostolorum missionem divinam, non minus eis sunt evidentia, quam Catholicis. 2. Adesse illis potest auxilium gratiæ quo voluntas excitetur ad approbandum articulum de divina Christi & Apostolorum missione. 3. Tandem voluntas, per actualem Dei gratiam approbans articulum revelatum, potest intellectui præcipere, ut ei firmiter adhæreat. Atqui si fides circa articulum aliquem possit in hæreticis reperiri, potest & in eis spes locum habere; non enim potior est ratio de fide, quam de spe: ergo spes potest in hæreticis reperiri.

Resp. 1. neg. ant. Licet enim aliqui de schola theologi concedant, fidem circa aliquos articulos in hæreticis reperiri, qui discredunt aliis articulis; S. Thomas tamen, cui subscribit præcipua reliquorum theologorum pars, docet, hæreticos, non propter divinam revelationem, sed ex mera sui phantasia adhærere articulis quibusdam quos catholici credunt; si enim propter auctoritatem Dei revelantis aliquibus articulis adhærerent, & aliis omnibus adhærerent; quæ enim motiva credibilitatis suadent, unum articulum esse revelatum, suadent pariter revelatos esse ceteros, quos Ecclesia credendos proponit; nempe continentur omnes in articulo de Ecclesiæ infallibilitate, quem revelatum esse, evidentissima motiva suadent.

Resp. 2. dato antecedente, neg. conseq. Ratio est, quia in suppositione, de qua agitur, fides de Christi missione v. g. nihil diceret, quod componi non posset cum infidelitate respectu aliorum articulorum; ideo enim alii articuli non crederentur, quod motiva quæ suadent, illos articulos esse revelatos, illis evidentia non essent, cum e contra illis evidentia forent, quibus Christi & Apostolorum divinæ missionis revelatio suadetur. At spes includit aliquid quod cum affectu ad hæresim componi non potest, gratiam scilicet sanctificantem, aut præsentem, aut futuram, quæ (ut patet) incompossibilis est cum affectu ad hæresim.

CONCL. 2. Spei virtus reperitur in impio fideli, hoc est, in homine catholico qui jacet in statu peccati mortalis.

Probatur 1. Actus spei impium ad justificationem disponit; *Disponuntur autem* (inquit Concil. Trid. sess. 6. c. 6.) *ad justitiam dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum... & dum pecca-*

peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum propter Christum propitium fore. 2. Impius non orat, nec aliquod aliud bonum opus operatur, nisi ex spe consequendi peccatorum suorum remissionem, perseverantiam in finem usque, & tandem in futuro sæculo Dei possessionem: ergo virtus spei reperitur in impio fideli, seu in homine cátholico, qui jacet in statu peccati mortalis.

Objicies. Impii quibuslibet meritis destituti sunt: ergo æternæ beatitudinis expectatio in eis potius præsumptio, quam spes dici debet.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia spes non nititur solum meritis præsentibus, sed etiam iis, quæ ex Dei misericordia expectantur.

CONCL. 3. Virtus & actus spei reperiuntur in omnibus justis viatoribus, quantumcumque perfecta caritate præditi supponantur.

Probatur. Spes est efficax desiderium, & expectatio cum fiducia, possidendi post hanc vitam infinitam veritatem, infinitam bonitatem, sive ut in se sunt, sive prout sunt beatitudo nostra, retributio meritorum, bonorum operum merces: Atqui in justis viatoribus, quantumcumque perfecta caritate præditi supponantur, reperiuntur efficax desiderium, & expectatio cum fiducia, possidendi post hanc vitam, infinitam veritatem, infinitam bonitatem, sive considerentur ut in se sunt, sive considerentur tanquam beatitudo nostra, retributio meritorum, bonorum operum merces: Ergo spes, tum quoad actum, tum quoad habitum, reperitur in omnibus justis viatoribus, quantumcumque perfecta caritate præditi supponantur. Minor argumenti propositio sic per partes ostenditur.

1. Quo perfectior est caritas, eo efficacius & intensius movet ad desiderium, & ad expectationem objecti quod per eam amatur: ea enim est amoris natura, ut amantem cum amato uniat, si non reipsa, saltem efficaci desiderio, & sincera expectatione: *Quid est ergo amor* (ait Augustinus in lib. 8. de Civitate Dei cap. 10.) *nisi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet & quod amatur?* Id etiam evidenter patet ex ipsa caritatis definitione; sic enim definitur ab Augustino in lib. de Doctrina Christiana, cap. 10. *Caritas est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se & proximo propter Deum*: Essentiale est igitur caritati, ut ad desiderandam Dei possessionem excitet & moveat subjectum in quo reperitur; ac proinde quo perfectior est caritas, eo efficaciora sunt & intensiora in amante desiderium & expectatio sincera possidendi Deum ut in se est, hoc est, prout est infinita veritas & infinita bonitas: atqui (ut dictum est superius) spes in illo desiderio, in illa expectatione posita est: ergo spes considerata, sive quoad actum, sive quoad habitum, reperitur in justis viatoribus, quantumcumque perfecta caritate præditi sint.

II. Spes, est desiderium, est fiducialis expectatio possidendi Deum tanquam beatitudinem nostram, tanquam meritorum, quæ ex auxilio gratiæ habuerimus, retributionem, tanquam bonorum operum mercedem: atqui desiderium illud, expectatio illa, tum quoad actum, tum quoad habitum, reperiuntur in justis viatoribus, quantumcumque perfecta caritate præditi sint.

Enim vero, desiderium illud, illa fiducialis expectatio, in iis locum habent, quibus vita æterna, quæ in Dei possessione consistit, proponenda est tanquam beatitudo, tanquam meritorum retributio, tanquam merces bonorum operum: atqui justis omnibus, quantumcumque perfecta caritate præditi sint, vita æterna sic est proponenda: Scilicet Concilium Tridentinum docet, vitam æternam sub iis respectibus esse justis omnibus proponendam, ut iis respectibus tanquam motivis ad constantem præceptorum observationem excitentur: *Hac igitur ratione* (ait sacra Synodus sess. 6. cap. 16.) *justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint* (termini isti, *justificatis hominibus*, sunt indefiniti; ac proinde terminis universalibus, *Omnibus justificatis hominibus*, æquivalent) *proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino: non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus a justo judice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus.*

Præterea, sic iterum possumus argumentari. Moyses, David, Paulus, Martyres, debent haud dubie numerari inter justos perfectos: atqui in Moyse, Davide, Paulo, Martyribus, locum habuerunt actus spei; hoc est, expectarunt cum fiducia Dei possessionem sub ratione beatitudinis, retributionis, mercedis. De Moyse nimirum hæc habet Paulus in Epist. ad Hebr. c. 11. *Majores divitias æsti-*

æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem. Propheta Rex hæc habet de semetipso, Ps. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*. Paulus quamquam confidenter expectaret æternam vitam sub ratione mercedis, demonstrat ipse 1. ad Timoth. 4. ubi profitetur, se eam expectare tanquam justitiæ coronam operibus ex auxilio gratiæ factis debitam: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. Martyres extremis addicti suppliciis, nihil magis præ oculis habuerunt, quam illud Apostoli: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Ignatius Martyr feras, quibus damnatus fuerat, provocaturus, dicens: *Quid mihi prosit, intelligo*, aperte demonstravit, excitasse seipsum ad perferendam pro Christo mortem intuitu utilitatis sacræ, quam ex morte percepturus erat, hoc est, intuitu æternæ beatitudinis, ex futura in cælis possessione Christi, cujus dixerat se frumentum esse: Ergo actus spei, etiam prout dicit fiducialem exspectationem possessionis Dei, ut est beatitudo nostra, meritorum retributio, bonorum operum merces, reperitur in justis, quantumcumque perfecta caritate sint præditi. Tandem illi actus locum habent in justis etiam perfectis, quos in iis caritas imperat: atqui caritas quæ in justis perfectis reperitur, imperat, ut aliquando eliciantur actus spei, etiam prout spes dicit intuitum & expectationem æternæ vitæ sub ratione beatitudinis, retributionis, mercedis: Eos nimirum actus imperat caritas, quæ in justis perfectis reperitur, qui aut necessarii sunt, aut utiles ad ipsiusmet caritatis conservationem, incrementum, perfectionem: Sed actus spei, prout spes dicit intuitum æternæ vitæ sub ratione beatitudinis, retributionis, mercedis, sunt aut necessarii, aut utiles ad conservationem, incrementum, perfectionem caritatis: conferunt nimirum actus illi, ut justi etiam perfecti suam ipsorum socordiam excitent, & sese ad currendum in stadio cohortentur: *Unde constat* (ait Concilium Trid. sess. 6. cap. 11.) *eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri; atque etiam eos qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, cum scriptum sit: Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem, & de Moyse dicat Apostolus, quod respiciebat in remunerationem*.

Iis, quæ hucusque dicta sunt, robur maximum additur ex Constitutione, Romæ die 12 Martii anno 1699. in forma Brevis ab Innocentio XII. data. Ea Constitutione damnantur plures propositiones, quæ a justis quibusdam, perfectis nimirum, excludebant omnes actus, tum timoris, tum spei, tum proprii interesse; quibusque asserebatur, actus illos esse plane incompossibiles cum perfectorum illorum statu. *Datur* (sunt verba, ex quibus constat prima ex damnatis tribus supra viginti propositionibus) *habitualis status amoris Dei, qui est Caritas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam*. Eodem spectant plures aliæ ejusdem Constitutionis propositiones, quas legere est inferius ad calcem Tractatus nostri de Oratione, ubi nonnulla de Quietistarum historia dicemus.

Objicies 1. Ille actus non elicitur a justis perfectis, qui illorum statui repugnat: atqui actus, quo expectatur beatitudo ut est beatitudo, merces ut merces est, retributio prout est retributio, repugnat statui justorum perfectorum: ille enim actus repugnat actui justorum perfectorum, qui repugnat puritati caritatis; siquidem puritas caritatis, est ipsa status justorum perfectorum forma: Sed actus, de quo agitur, repugnat puritati caritatis; Scilicet puritas caritatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse: atqui illi immunitati repugnat actus de quo est quæstio; nempe in actu quo expectatur beatitudo prout est beatitudo; merces prout merces est; retributio prout est retributio; reperitur proprium interesse creaturæ: illius nimirum utilitas, commodum illius, interesse proprium: ergo actus, de quo agitur, repugnat caritatis puritati, ac proinde justorum perfectorum statui.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. pariter min. Ad 3. dist. maj. Puritas caritatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse, quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, conc. maj. quod ad Dei gloriam ultimo referatur, neg. maj.

Interesse proprium, quod ad Dei gloriam ultimo non refertur, est contra ordinem caritatis: exigit nimirum ordo caritatis, ut creatura seipsa non fruatur; ac proinde ut sibi amore non inhæreat, sed ut fruatur solo Deo; & consequenter ut in ejus gloriam, & suum interesse, & suum commodum ultimo referat.

Et contra interesse proprium, quod ad Dei gloriam ultimo refertur, conforme est legi & ordini Caritatis. Nam 1. Caritas jubet, ut proprium interesse, propriam utilita-

litatem velimus; id nimirum ut velimus, caritas jubet, quod ex eadem caritatis lege velle debemus proximo: atqui ex lege caritatis proximo debemus velle, ut ei bene sit, velle debemus proprium illius commodum, proprium illius interesse: ergo etiam ex eadem caritatis lege velle debemus, ut nobis bene sit, velle debemus proprium nostrum commodum, proprium nostrum interesse. 2. Caritatis ordo postulat, ut nos & proximum prout Deum ultimo diligamus: definitur enim ab Augustino *Motus animi ad fruendum Deum propter ipsum* (hoc est, ad illi ultimo inhærendum; nempe frui, ex eodem Augustino, est alicui rei amore inhærere) *& se & proximo propter Deum*. Igitur justi qui perfectorum statum adepti sunt, cum cupiunt, ut sibi bene sit, cum volunt interesse proprium, nihil agunt, quod caritatis legi repugnet: neque enim caritas quantumcumque perfecta sit, excludit aut sui aut proximi amorem. Cum iidem justi suum bene esse, suum interesse proprium, ultimo ad Deum referunt, servant debitum ordinem caritatis: tuncque *totam* (ut ait Augustinus in lib. 3. de doctrina christiana, cap. 22.) *dilectionem sui, & illius* (proximi) *referunt in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur*.

Jam vero si quis quærat, in quo posita sit Dei gloria, ad quam justi perfecti suum bene esse, suum commodum, suum proprium interesse, referunt; dicendum erit, positam esse in eo, quod Deus, animæ dirissimis concupiscentiæ stimulis quibus avocatur a Deo, ut creatura fruatur, corporis corruptione qua plurimum aggravatur, penitus liberatæ, solus sua cognitione & amoris infusione dominetur, ita ut anima velut fidum mancipium, Deo omnino & in omnibus subjecta sit, nihil nisi aut ipsum, aut in ordine ad ipsum velit: & uno verbo (ut cum Apostolo 1. ad Cor. 15. loquar) ut Deus illi sit omnia in omnibus.

Resp. 2. ad argumentum quod nobis objectum est, dist. maj. hanc propositionem: Puritas caritatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse, quod distinctum sit ab ipsa æternæ veritatis cognitione, ab ipso infinitæ bonitatis amore, transeat major propositio: quod sit ipsa æternæ veritatis cognitio, ipse infinitæ bonitatis amor, neg. maj. Proprium & ordinatum creaturæ rationalis interesse, non est aliquid a Dei cognitione, ab illius amore, distinctum; scilicet tunc bene est creaturæ rationali, tunc interesse habet suum, cum Deo perfecte per cognitionem & amorem subjecta est: tunc enim in eo est situ, in quo ut sit, lex æterna jubet; fert nimirum, ut sub Deo immediate constituta, & ab omni prorsus inordinato creaturarum amore libera, Deo serviat, uno Dei possessione penitus expleatur.

Objicies 2. Actus mercenarius repugnat statui justorum perfectorum: actus enim ille proprius est, aut servis, non filiis; aut saltem incipientibus, non perfectis: atqui actus quo desiderantur beatitudo, retributio, merces, est actus mercenarius; Deus enim per actum illum gratis non diligitur: ergo actus ille repugnat statui justorum perfectorum.

Resp. conc. maj. dist. min. si illa beatitudo, retributio, merces non sint Deus ipse per cognitionem, & amorem perfecte possidendus, conc. min. si sint Deus ipse per cognitionem & amorem perfecte possidendus, neg. min. Beatitudo, retributio, merces, quæ a justis expectantur, non sunt aliquid præter Deum, sed sunt Deus ipse, (ut jam sæpius observatum est) per intuitivam cognitionem, & per ardentissimum amorem possidendus.

Petita est illa responsio ex Augustino, qui enarratione in hæc Psalmi 72. verba: *Pars mea Deus in sæcula*, sic loquitur: *Factum est cor castum: gratis jam amatur Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, & propterea servire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum a quo vult accipere. Quid ergo nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit. Si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedit ab igne immortali, frigescit, corrumperit*.

Vel saltem, si beatitudo ut est beatitudo, merces ut merces est, retributio ut est retributio, dicant aliquid aliud præter Deum, nostrum scilicet interesse aut commodum, Deus ultimo non diligitur propter illud commodum, propter illud interesse; sed e contra interesse, commodum ultimo propter Deum diliguntur: ideo enim qui sincero Dei amore tenentur, volunt esse beati, cupiunt remunerari, ut Deus magis in ipsis, per amorem defectibus vacuum, glorificetur: *Cum hoc* (inquit Concilium Tridentinum sess. xi. c. xi.) *ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam*.

CAPUT IV.

De proprietatibus Spei.

Not. INTER Spei proprietates præcipuas numerantur Certitudo & Necessitas; de utraque hoc in capite paucis est agendum.

CONCLUSIO 1. Spes debet esse certa.

Probatur 1. ex capite sexto Epistolæ ad Hebræos, ubi spes firma animæ anchora dicitur: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam*

tam ac firmam. 2. ex Concil. Trid. sess. 6. c. 13: ubi jubemur, firmissimam spem in Dei auxilio collocare: *Tametsi* (inquit) *in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent*.

Quæres, unde petatur spei certitudo.

Resp. eam remote sumi ex Dei omnipotentia, & illius in servandis promissis constanti fidelitate; proxime vero ex meritis per auxilium gratiæ aut comparatis, aut comparandis: Per merita nimirum quæ divina gratiâ adjuti comparamus, certam facimus (ut jubet Petrus) vocationem nostram, illorum operum intuitu Deus in cælis mercedem nobis rependit: *Scientes* (ait Apostolus ad Hebræos c. 6.) *quod labor vester non est inanis in Domino: non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius*.

CONCLUSIO 2. Actus spei ad justificationem necessarius est necessitate medii; & certis quibusdam temporibus necessitate præcepti necessarius est hominibus adultis.

Probatur prima conclusionis pars ex Concilio Tridentino, quod sess. 6. c. 6. inter actus adultorum justificationi simpliciter & necessario prærequisitos actum spei recenset: *Disponuntur autem* (inquit) *ad ipsam justitiam... dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes: Deum sibi propter Christum propitium fore*.

Probatur altera pars. In Scripturis non semel de virtute spei præceptum hominibus imponitur, Ps. 4. *Sperate in Domino*. Ps. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum*. Prima Petri 1. *Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam*. Sed præcepta (ut jam superius observatum est) non dantur de habitibus virtutum, sed tantum de illarum actibus: ergo actus spei certis temporibus necessarius est necessitate præcepti.

Quæres, quibus in specie temporibus obliget speciale Spei præceptum?

Resp. 1. præceptum Spei esse præceptum quod obligat per se, hoc est vi præcepti a Deo nobis de spe impositi: falsa nimirum & erronea est hac quorumdam Casuistarum propositio, ab Alexandro Papa VII. & postea a Clero Gallicano in Comitiis Generalibus ann. 1700. præscripta: *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Nec mirum: alioquin enim frustra divinitus datum fuisset speciale de spe præceptum, si certis temporibus per se non obligaret...

Resp. 2. præceptum spei per se obligare 1. cum quis rationis usum adeptus est: cum enim tunc temporis (ut agentes de necessitate actus caritatis dicemus), homo tenetur per actum caritatis suum finem ultimum in Deo constituere, tenetur quoque spem in eo collocare suam, & ab eo expectare media, quibus ad ejusmodi finis possessionem perduci possit.

Resp. 3. quemque in morali vitæ periculo constitutum teneri vi specialis de spe præcepti elicere actum spei. In eo nimirum articulo caritas adminiculis ex aliarum virtutum exercitio petitis uti debet tanquam mediis, quibus augeatur & in finem usque perseveret. Præterea nostræ salutis hostis infensissimus in eo casu solet ob oculos ponere nobis gravitatem & multitudinem peccatorum, ut nos in desperationem inducat: par est igitur, ut actum spei eliciamus, quo dæmonis insidiis obviam eamus. *Fateor indignus sum regno cælorum* (Verba sunt, quibus Bernardus cujusque in agone positi confidentiam in Deum excitari vult). *Sed duplici jure obtinens illud Dominus meus hereditate Patris & merito Passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donavit, cujus beneficio illud mihi vendicare non erubesco. Gravia quidem sunt & innumera peccata mea: Sed apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Miserationes ejus super omnia opera ejus...... Et misericordiarum ejus non est numerus*.

Resp. 4. sæpius per annum per se obligare speciale præceptum spei: ita ut ad prudentum æstimationem quisque fidelis multo non sit tempore, quin spei virtutis actus eliciat. Vide quæ dicentur inferius de temporibus quibus per se obligat speciale caritatis præceptum.

Resp. 5. spei præceptum per accidens obligare 1. cum quis judicat indigere se adminiculo illo, ut suam in Deum caritatem conservet, foveat, ac nutriat: confert nimirum actus spei (ut jam observatum est) ad conservandam, nutriendam, fovendamque caritatem: unde Concilium Tridentinum justos, etiam perfectos, monet, ut, ad Mosis & Davidis exemplum, suam socordiam excitent, seseque ad currendum in stadio cohortentur æternam intuendo mercedem. Obligat 2. per accidens, cum impium urget præceptum de comparanda justificatione; scilicet (ut jam fuit observatum) actus spei necessitate medii necessarius est, ut impius vel in ipsa actuali Sacramenti mortuorum receptione, vel in ejus voto justitiam consequi valeat. Obligat 3. per accidens, cum urget gravis aliqua contra spem tentatio: neque enim suppetit aptius medium quo impediatur, ne voluntas urgenti tentationi consensum præbeat, quam actum elicere virtutis, contra quam gravissime tentatur.

Hinc patet, quam falso Quietistæ doceant, animam quæ in extremis probationibus provocatur ad credendum, se a Deo reprobatam esse, posse ac debere, ut amor fiat pu-

rior,

rior, illi persuasioni, & quidem actu reflexo, præbere consensum, omnemque æternæ beatitudinis spem abjicere, & abjectionem illam tanquam Deo gratum sacrificium offerre. Quietistarum de eo capite doctrinam clare exprimunt propositiones istæ, quas respective tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas cum aliis pluribus anno 1690. Innocentius Papa XII. damnavit: is autem est damnatarum propositionum tenor.

PROPOSITIO I.

Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium.... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

PROPOSITIO II.

Omnia sacrificia quæ fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia.... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

PROPOSITIO III.

In extremis probationibus potest anima invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

PROPOSITIO IV.

Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

PROPOSITIO V.

In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis & intimis spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.

PROPOSITIO VI.

Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter adquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justa condemnationi quam sibi a Deo indictam credit.

Vide alias propositiones eodem spectantes, in ipsa Innocentii XII. Constitutione, quam in brevi Quietismi historia, ad calcem nostri de Oratione tractatus, de verbo ad verbum exscribemus.

QUÆSTIO III.

De Caritate.

Not. CAritatis nomen in Scripturis accipitur 1. pro præcipuo objecto, in quod ferri debet creaturæ rationalis amor: *Deus* (inquit Joannes primæ Epist. capite quarto) *caritas est*. Accipitur 2. pro Dei in homines dilectione: *Caritate* (inquit Deus ipse, Jeremiæ 13.) *perpetua dilexi te*. Accipitur denique 3. pro amore, quo creatura rationalis Deum prosequitur: *Nunc autem* (ait Apostolus 1 ad Corinth. 13.) *manent, fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas*. De caritate eo ultimo sensu sumpta in hac quæstione dicturi, eamdem servabimus methodum, ad quam duas præcedentes quæstiones de fide & de spe exegimus.

CAPUT PRIMUM.

De Essentia, & Divisione Caritatis.

CONCLUSIO I. Caritatis essentia hac illius definitione continetur: *Caritas est virtus theologica, qua Deus propter se diligitur, & creatura rationalis se ipsam ac proximum diligit propter Deum.*

Probatur. Caritas est 1. *Virtus* quia ad bonum inclinat. 2. Est virtus *Theologica*, quia circa Deum immediate versatur. 3. Est virtus qua Deus *propter se diligitur*: ultimo nimirum ad Deum terminatur. 4. Est virtus *qua creatura rationalis se ipsam, & proximum propter Deum diligit*: scilicet tria sunt, quæ (ut dicetur inferius) a nobis diligi debent, Nos ipsi, Proximus, & Deus: sed cum eo discrimine, quod nostram in nos & proximum dilectionem in Deum tanquam ultimum finem referre debeamus. Quæ tradita est a nobis definitio, eadem est cum ista, quam Augustinus non semel in suis operibus tradidit: *Caritas est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se & proximo propter Deum.*

CONCL. 2. Caritas multipliciter dividitur.

Probatur enumeratione. Caritas dividitur in actualem, & habitualem. Illa, est dilectio permanenter inhærens animæ, donec per mortale peccatum expellatur. Ista vero, est actus quo animus in Deum fertur. De actuali caritate intelligenda est, quæ mox ex Augustino tradita est caritatis definitio.

Caritas habitualis dividitur in infusam, & acqui-

quisitam: Illa, parvulis in baptismate sine ulla ex parte ipsorum dispositione, a Deo immediate infunditur; adultis vero, si debitis cum dispositionibus ad baptismatis aut pœnitentiæ Sacramenta accesserint. Ista vero est, quæ ex actibus caritatis frequenter elicitis nata est, sic ut ex iisdem repetitis actibus habitus alii nasci solent.

Caritas actualis dividitur in perfectam, & in imperfectam: Prior, est illa qua Deus super omnia, & quidem intense, hoc est, cum magno fervore, diligitur. Contritio quam hujusmodi caritas imperat, id est, quæ nascitur ex amore maxime ferventi, quæ non aliquos tantum, sed plures habet intensionis gradus, a Concilio Tridentino vocatur contritio caritate perfecta: *Docet præterea* (inquit sacra Synodus sess. 14. c. 4.) *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem*, &c.

Posterior, seu caritas imperfecta, est ea quæ vel non est super omnia, vel si sit super omnia, est in gradu valde remisso, seu paucissimos habet gradus, non multum est fervens. Caritas qua quis adhuc implicatus consuetudine peccandi, & adhuc irretitus dominante affectu creaturæ, vires petit, quibus a pravæ consuetudinis, & dominantis ad peccatum affectus vinculis liberetur, nondum est super omnia; unde validior robustiorque requiritur, ut illa salutis impedimenta solvantur. De ea caritate loquitur Augustinus in libro VIII. Confessionum, cap. 5. ubi hæc habet: *Voluntas autem nova* (quæ non aliud est, quam caritas, sicut voluntas vetus non aliud est, quam cupiditas) *quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ; una vetus, alia nova; illa carnalis, ista spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.*

De caritate vero quæ cordi quidem dominatur, id est quæ est quidem super omnia, sed parum est fervens; quæ est in gradu remisso; quæ non est intensive (ut loquuntur) perfecta, loquitur idem Augustinus in libro de Gratia & libero arbitrio, c. 17. ubi hæc habet: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit & robustam.* Eam voluntatem bonam non aliud esse quam caritatem, ibidem expressis verbis docet Augustinus, loquens de Martyrum caritate: *Quando enim* (inquit) *Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna caritate fecerunt; de qua caritate ipse Dominus ait: Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

De eadem parum intensa & non multum robusta caritate intelliguntur, quæ idem Augustinus de Petro ait: *Ipsam caritatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim* (non filialis, de quo intelliguntur hæc Psalmi verba: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*, sed servilis) *non est in caritate, sicut ait Joannes Evangelista in Epistola sua; sed perfecta caritas foras mittit timorem. Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam: putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.*

Quæres, an aliquod sit discrimen inter Amorem, caritatem, & Dilectionem.

Respondet Augustinus lib. XIV. de Civitate Dei, cap. VII. inter Amorem, Caritatem, & Dilectionem, non aliud quam nominis esse discrimen: *Sed* (inquit) *Scripturas religionis nostræ, quarum auctoritatem ceteris quibusque litteris anteponimus, non aliud dicere amorem, aliud dilectionem, vel caritatem, insinuandum fuit.* Responsum suum Augustinus probat ex Scripturis, quæ actum quem vocarunt, *Amorem*, mox *Dilectionem* appellant. *Et ipse Dominus* (inquit) *Petrum Apostolum interrogans, cum dixisset, Diligis me plus his? ille respondit: Domine, tu scis quia amo te. Et iterum Dominus quæsivit, non utrum amaret, sed utrum diligeret eum Petrus: at ille respondit iterum, Domine, tu scis quia amo te. Tertia vero interrogatione & ipse Dominus non ait*, Diligis me, *sed* Amas me? *ubi secutus ait Evangelista, Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me? Cum Dominus non tertio, sed semel dixerit*, Amas me? *bis autem dixerit*, Diligis me? *nihil aliud dicebat*, quam, Amas me? *Petrus autem non mutavit hujus unius rei verbum, sed etiam tertio*, Domine, *inquit*, tu omnia scis, tu scis quia amo te.

Addit Augustinus, utrumque illud verbum, *Amor*, *Dilectio*, & in bono & in malo dici sæpius in Scripturis. *Nam* (inquit S. Doctor) *& Amorem in bono dici jam ostendimus. Sed ne quis existimet amorem quidem & in bono & in malo, dilectionem autem non nisi in bono esse dicendam, illud attendat quod in Psalmo scriptum est: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam: Et illud Apostoli Joannis: Si quis dilexerit mundum, non est dilectio Patris in eo.*

Licet & in bono & malo *Amor & dilectio* dicantur, non in malo tamen, sed in bono tantum *Caritas* dicitur in Scripturis. Nec mirum: Caritas enim idem est prorsus cum amore boni, cum amore recti, cum

amore

amore ordinis: *Quid enim* (ait S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium, cap. 8.) *boni cupiditas, nisi Caritas?* Id est etiam cum bona voluntate. *Quasi vero* (ait idem S. Doctor in libro de gratia Christi, c. 2.) *aliud sit bona voluntas, quam Caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus essemus.* Idem est quoque cum justitia: *Caritas inchoata* (ait idem Augustinus in libro de Natura & Gratia, c. 68.) *inchoata justitia est: Caritas provecta, provecta justitia: Caritas magna, magna justitia est.* Tandem per solam caritatem, Dei mandata implentur, ut oportet: *Præcepta dilectionis, id est, caritatis* (ait Augustinus in libro de Gratia & libero arb. c. 13.) *tanta & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, quia nullo modo fit bene:* quia videlicet (ut ait idem S. Doctor in libro de Spiritu & Litter. c. 14.) *non est fructus bonus, qui de Caritatis radice non surgit.*

Resp. 2. alium verborum, de quibus agitur, *Amor*, *Dilectio*, *Caritas*, usum apud Scholasticos invaluisse: scilicet hoc inter ea verba discrimen statuunt, quod amor latius pateat, quam dilectio; & dilectio, quam caritas. Nam (inquiunt) Amor tam ad res terrenas, quam ad spirituales se se extendit; Dilectio vero, sive secundum habitum, sive secundum actum accepta, non alia objecta respicit, quam quæ spiritualia sunt, & legi conformia. Caritas dilectioni addit subjectum gratia sanctificante donatum, modo tamen sincera sit, & perfecta.

CAPUT II.

De Objecto Caritatis.

Not. I. Dicendum est hic 1. de objecto materiali Caritatis, seu de rebus quæ a nobis amore caritatis amandæ sunt; 2. de illius objecto formali & specifico.

ARTICULUS I.

De Objecto materiali Caritatis.

CONCL. Deus, Nos ipsi, & Proximus, tria hæc, constituunt adæquatum objectum materiale Caritatis.

Probatur. Ea quorum conclusio meminit, Deus, Nos ipsi, Proximus, diligi debent, & præter ea nihil aliud est diligendum: ergo Deus, Nos ipsi, Proximus, tria hæc, constituunt adæquatum objectum materiale Caritatis. Probatur ant. ex Sancto Augustino, qui in libro 1. de Doctrina Christiana, c. 23. sic loquitur: *Cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est; alterum quod nos sumus; tertium quod juxta nos est; quartum quod infra nos est, &c.* atqui objectum quod est supra nos, est Deus solus; quod nos ipsi sumus, est anima nostra, quod est juxta nos, est anima proximi; tandem quod est infra nos, est corpus nostrum, est & proximi corpus: ergo Deus, nos ipsi, & Proximus, tria hæc, & non alia, a nobis per Caritatem amanda sunt.

Objicies 1. Ea tantum sunt objectum Caritatis, de quibus amandis impositum est homini præceptum: atqui homini impositum non est præceptum de diligendo seipsum: sic enim habet lex Caritatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et *Diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis* (ait Christus Matthæi 12.) *universa Lex pendet & Prophetæ:* ergo homo non est respectu sui ipsius objectum Caritatis.

Resp. neg. maj. Rationem vero cur de anima nostra, & corpore nostro amandis nullum præceptum dari debuerit, hisce verbis tradit Augustinus in libro 1. de Doctr. Christ. c. 23. *De secundo & quarto*, hoc est de anima nostra, & corpore nostro amandis, *nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, ut & ipse sibi regnet & corpori suo: & ideo non potest, nisi & se, & corpus suum diligere.*

Resp. 2. dist. min. Homini non est impositum præceptum explicitum de seipso diligendo, conc. min. implicitum, neg. min. Nam 1. homo jussus est dilectionem proximo exhibendam exigere ad normam dilectionis, quam sibimetipsi debet: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Augustini est illa responsio: sic enim lib. 1. de Doctrina Christiana, c. 26. loquitur: *Sed cum dictum est, Diliges proximum tuum tanquam teipsum, simul & tui & abs te dilectio non prætermissa est.* 2. Per preceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, præfixus est homini modus, quo seipsum diligere debet, propter Deum nimirum, ad quem si seipsum, & omnia non retulerit; mandatum infringit: *Modus ergo diligendi* (ait Augustinus l. 1. de Doctrina Christiana, c. 24.) *præcipiendus est homini, id est, quomodo se diligat, ut prosit sibi. Quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudenterque consulat. Nam quod diligat etiam corpus suum, idque salvum habere atque integrum velit, æque manifestum est.*

Objicies 2. Angeli sancti a nobis caritate diligendi sunt: nam (ut ait Augustinus in libr. de Doctrina Christiana cap. 24.) *ea diligenda sunt, quæ aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo vel Angelus, aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus*. Ergo præter Deum, nos ipsos, & Proximum, est aliquid a nobis caritatis amore diligendum: neque enim Angelus nobis est proximi loco.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Scilicet Angelus non minus proximus est noster, quam sit homo: siquidem proximi nomine non is tantum intelligendus est, cui per obsequium nostrum esse possimus adjumento, sed etiam ille qui potest nobis opem conferre suam: sic Samaritanus homini, quem latrones semivivum reliquerant in itinere, Lucæ 10. proximus fuisse dicitur, quod in eum se se misericordem præbuerit: *Namque* (ait Augustinus in lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 30.) *ille cui duo ipsa præcepta protulerat, atque in eis pendere totam Legem, Prophetasque dixerat, cum interrogaret eum dicens, Et proximus? hominem quemdam proposuit descendentem ab Jerusalem in Jericho, incidisse in latrones, & ab eis graviter vulneratum, saucium, & semivivum esse derelictum; cui proximum esse non docuit, nisi quia ergo illum recreandum, atque curandum misericors extitit . . . ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret*. At quem Christianum fugit, homines innumeris beneficis affici ab Angelis sanctis? *Jam vero* (ait ibidem Aug.) *si vel cui præbendum est, vel a quo nobis præbendum est officium misericordiæ, recte proximus dicitur, manifestum est hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est.*

Objicies 3. Corpus amari non debet: ergo male asseritur, id quod intra nos est, contineri intra objectum caritatis. Probatur ant. Id amari non debet, cujus vires, fame, siti, aliisque cruciatibus deprimere tenemur; atqui corporis vires fame, siti, aliisque cruciatibus tenemur deprimere: *Qui Christi sunt* (ait Apostolus) *carnem suam crucifixerunt*: ergo corpus nostrum non continetur intra objectum caritatis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Id amari non debet, cujus vires deprimere tenemur ex ipsius odio, conc. maj. non ex ipsius odio, neg. maj. Tenemur corpus nostrum castigare, & (ut ait Apostolus in servitutem redigere: sed id non fit ex illius odio, sed potius ex recto in illud amore; si enim hic in terris edomitum fuerit, mentem ad illicita non pertrahet, sicque in cælis bene erit ei cum anima: *Dictum est enim hoc, Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem aversantur, propter indomitam carnalem consuetudinem, adversus quam spiritus concupiscit; non* (inquit August. libr. 1. de doctrina Christiana cap. 34.) *ut interimat corpus, sed ut concupiscentia ejus, id est, consuetudine mala edomita, faciat spiritum subjugatum, quod naturalis ordo desiderat. Quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnimode cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritus.*

ARTICULUS II.

De Objecto formali Caritatis.

Not. EX dictis superius, duplex est virtutis cujusque objectum formale, nimirum objectum formale *quod*, & objectum formale *quo*. Hic de utroque dicemus.

CONCLUSIO. Objectum formale *Quod* caritatis est bonitas divina. Formale vero *Quo* est ipsamet Dei bonitas, sive in se sumpta, sive ut conveniens nobis, quatenus tamen abstrahit ab illius possessione, aut privatione.

Probatur prima pars. Objectum formale *quod* habitus, est perfectio quam habitus ille attingit in objecto materiali: si (ut jam superius observatum est) color est objectum formale *quod* visus, quia visus in objectis materialibus colorem attingit: atqui divina bonitas est perfectio, quam Caritas attingit in Deo, est enim actus voluntatis; actus autem voluntatis non aliud quam bonum in objectis materialibus attingit; hoc est, non aliud in eis amat, quam quod aut a parte rei bonum est, aut saltem quod intellectus tanquam bonum apprehendit: ergo objectum formale *quod* caritatis est divina bonitas.

Quæres, utrum DEI bonitas sit objectum formale Caritatis tantum prout in seipsa est, an etiam prout est bonum nobis conveniens.

Resp. Dei bonitatem, sive in seipsa consideretur, sive prout est nobis conveniens, hoc est, prout est objectiva creaturæ rationalis beatitudo, meritorum nostrorum præmium, merces bonorum operum, esse objectum formale *quod* caritatis. Ratio est, quia Dei bonitas, sive in seipsa consideretur, sive prout est bonum nobis conveniens, est summe amabilis: nempe prout est bonum nobis conveniens, non aliud est, quam ipsa essentia divina, in quantum potest explere inditum nobis desiderium cognoscendi infinitum verum, & amandi bonum infinitum:

ergo

ergo bonitas divina, sive in seipsa consideretur, sive prout est bonum nobis conveniens, est summe amabilis; ac proinde est objectum formale *quod* caritatis.

Probatur altera pars, seu Dei bonitatem, sive in se consideratam, sive prout est bonum nobis conveniens, esse objectum formale *quo* caritatis, *sed prout illa Dei bonitas abstrahit ab illius possessione, aut privatione*. Objectum formale *quo* alicujus virtutis est modus quo virtus illa attingit suum objectum formale *quod*: sic lux est modus, seu ratio, sub qua visus attingit colorem: atqui Caritas attingit Dei bonitatem, sive in se sumptam, sive ut est bonum nobis conveniens, præcise prout bonitas illa abstrahit, & a sui possessione, & a sui privatione: nempe caritas amat & Dei bonitatem qua nondum fruitur, & Dei bonitatem qua jam fruitur: ergo abstrahit a præsentia, aut absentia divinæ bonitatis.

Objicies 1. Si caritas habeat pro objecto formali *quod* divinam bonitatem, etiam prout est bonum creaturæ rationali conveniens, nullum erit discrimen specificum inter spem & caritatem; utraque nimirum respiciet Dei bonitatem, prout est nobis conveniens; Sed absurdum est consequens: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia (ut jam observatum est iis locis, ubi egimus de objecto spei) discrimen specificum unius virtutis ab alia, non sumitur tantum ex objecto formali *quod*, sed etiam ex objecto formali *quo*, seu ex modo quo objectum attingitur: at objectum formale *quo* caritatis, seu modus quo circa objectum versatur, plane discrepat ab objecto formali *quo* spei, seu a modo quo spes circa suum objectum versatur; nempe caritas abstrahit a præsentia & absentia objecti, ab illius possessione & privatione: e contra spes essentialiter tendit in objectum quatenus est absens; unde desinit statim atque objectum speratum possidetur. Id jam olim observavit Augustinus in libro de Doctrina Christiana, c. 38. ubi sic loquitur: *Sed fidei succedit species, quam videbimus; & spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus: Caritas autem istis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? & si sperando diligimus quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus?*

Præterea cum caritas amat absentem DEI bonitatem, illaque frui desiderat, per seipsam & immediate cum fiducia non expectat divinæ bonitatis fruitionem, sed tantum mediante spe, ad quam excitat & movet: unde hac etiam ratione caritas quæ desiderat unionem amantis cum amato, differt a spe: hæc enim, spes nimirum, non tantum desiderat unionem amantis cum objecto amato; sed etiam per se, & immediate divinis nixa promissionibus, quæ per fidem creduntur, certa cum fiducia illam unionem expectat.

Objicies 2. Si caritas habet pro objecto formali *quod* divinam bonitatem, non tantum ut in se est, sed etiam ut est beatitudo nostra, præmium, merces, amor caritatis, non erit gratuitus, sed mercenarius; non erit amor amicitiæ, seu benevolentiæ, sed concupiscentiæ; atqui consequens est absurdum: ergo & antecedens.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia amor necessarius mercedem extra Deum quærit, nimirum res temporales, quibus ut fruatur, utitur Deo, hoc est, Deum ultimo refert ad res temporales: at amor divinæ bonitatis, etiam prout est beatitudo nostra, præmium, merces, beatitudinem, præmium, mercedem extra Deum non quærit, sed in ipsomet Deo; neque enim (ut jam superius de subjecto spei differentes advertimus) aliud est beatitudo nostra, aliud præmium, aliud merces, quam intuitiva Dei cognitio, & perfectus illius amor; unde clara cognitio, uberior amor, sunt præmium obscuræ cognitionis, imperfectæ caritatis: *In ærumnis, in laboribus, in vulneribus, constituti* (Sancti) *laudaverunt Deum* (ait Augustinus in Psal. 134.) *Non eis displicuit nec torquens*: Hoc est, GRATIS AMARE *non quasi proposita acceptione mercedis quia* IPSA MERCES TUA SUMMA, DEUS IPSE ERIT, QUEM GRATIS DILIGIS, ET SIC AMARE DEBES, UT IPSUM PRO MERCEDE DESIDERARE NON DESINAS, QUI SOLUS TE SATIET. Vide, quæ de spei objecto formali superius a nobis dicta sunt; plurimum enim conferunt ad intelligentiam eorum, quæ toto hocce articulo, de objecto formali Caritatis dicta sunt.

CAPUT III.

De Subjecto Caritatis.

CONCLUSIO. 1. Caritas infusa est in justis omnibus, sive regnent in cælis, sive patiantur in purgatorio, sive in terris adhuc militent.

Probatur 1. Caritas infusa est (ut Tomo 3. dictum est) forma justificationis: ergo in justis omnibus reperitur. 2. Caritas quæ reperitur in beatis, ipsis etiam Angelis, ejusdem est speciei ac ea, quam impii in sua justificatione recipiunt: atqui ista est infusa: ergo & illa. Probatur min. ex Concilio Tridentino, cujus hæc sunt verba, sess. 6. cap. 7. *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem.*

CONCL. 2. Subjectum immediatum Caritatis, sive actualis, sive habitualis, sive infusæ, sive adquisitæ, sive perfectæ, sive imperfectæ, est voluntas creaturæ rationalis.

Probatur. Virtutis alicujus tum actus, tum habitus habent pro subjecto potentiam quæ elicit actus circa illius virtutis objectum: sic actus videndi recipitur in oculo tanquam in subjecto, quia actus videndi emanat a potentia, oculo nimirum, quæ producit actus circa objectum visus: atqui voluntas sola elicit actus circa objectum caritatis: objectum enim caritatis est bonum: at sola voluntas elicit actus circa bonum: ergo sola voluntas est subjectum immediatum caritatis, sive sit actualis, sive habitualis; sive sit infusa, sive sit adquisita; sive sit perfecta, sive imperfecta.

Objicies. Caritas immediate in animæ substantia recipitur: ergo subjectum illius immediatum non est voluntas. Probatur ant. In eo subjecto Caritas immediate recipitur, quod ab ea immediate sanctificatur: atqui anima immediate sanctificatur a caritate, ipsa enim est sanctificationis, ac justificationis forma: ergo subjectum immediatum Caritatis non est voluntas, sed ipsa animæ substantia.

Resp. dist. ant. Charitas in substantia animæ, prout est appetitiva boni, immediate recipitur, conc. ant. abstrahendo, an sit, vel non sit appetitiva boni, neg. ant. & conseq. Juxta plurium Philosophorum sententiam, potentiæ animæ ab ipsa animæ substantia realiter non distinguuntur: ac proinde loquendo ad illorum Philosophorum mentem, cum dicitur, quod Caritas in voluntate recipiatur, non excluditur etiam tanquam immediatum subjectum ipsa animæ substantia, sed hoc unum asseritur, Caritatem recipi in animæ substantia, prout anima est appetitiva boni, non autem sub quocumque alio respectu consideretur.

CAPUT IV.

De Caritatis proprietatibus.

Not. Non hic omnes exponemus Caritatis proprietates, sed tres tantum, quæ principem inter eas locum tenent, Necessitatem nimirum, Ordinem, & ea quæ exigit ex parte nostri.

ARTICULUS I.

De Necessitate Caritatis.

Not. Expendiendum est hic 1. utrum præceptum Caritatis sit præceptum speciale, hoc est, præceptum ab aliis omnibus distinctum: 2. utrum actus Caritatis sit necessarius ad salutem: 3. tandem quibus temporibus obliget speciale Caritatis præceptum.

§. I. *Utrum Caritatis præceptum sit speciale.*

Not. Elapso proxime sæculo reperti sunt scriptores aliqui, qui ausi sunt asserere, præceptum Caritatis in Deum non esse præceptum speciale, & ab aliis distinctum: hincque concluserunt 1. hominem non teneri aliquando elicere actum amoris in Deum vi præcepti de Caritate, docueruntque, satis esse, ut creatura rationalis Deum non oderit. Concluserunt 2. hominem qui alia præcepta servaverit, etiamsi Deum nusquam dilexerit actu, fecisse satis primo Decalogi mandato. Concluserunt 3. hominem posse salutem æternam consequi, quamvis nunquam aliquem amoris actum in Deum elicuerit. Nihil ea doctrina rationi & religioni capitalius opponitur: sed id est speciali conclusione demonstrandum.

CONCL. Præceptum de Caritate in Deum, est speciale preceptum, a ceteris ita distinctum, ut si quis ipsum omiserit, licet alia omnia servaverit, pœnis æternis addiscendus sit.

Probatur 1. Matthæi 22. hoc mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, a Christo dicitur primum & maximum mandatum: *Hoc est* (inquit) *primum & maximum mandatum*. Asseritur præterea, Legem & Prophetas a duplici præcepto, de dilectione Dei, & de dilectione proximi, pendere: *In his* (ait) *duobus præceptis universa Lex pendet & Prophetæ*.

Ex iis Scripturæ textibus sic arguitur. Illud mandatum est speciale, & a ceteris distinctum, quod aliorum respectu est primum, maximum, & a quo alia omnia pendent; neque enim aliquid potest respectu sui ipsius esse primum, aut a seipso pendere: Atqui mandatum de Caritate in Deum, ex Scriptura, est aliorum mandatorum respectu primum, maximum, & ab eo cetera pendent: ergo est præceptum speciale, & ab aliis omnibus distinctum.

Probatur 2. auctoritate Sancti Augustini. Sanctus Doctor Epistola 29. quæ est ad Hieronymum hæc scribit: *Qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus, quia contra Caritatem facit, unde tota lex pendet*. Unde sic argumentum conficitur: Præceptum, quo omisso, homo fit reus aliorum, quorum tamen substantiam servaverit, est speciale, & ab aliis distinctum: atqui homo, omisso Caritatis in Deum præcepto, ex Augustino, reus est aliorum præceptorum, quamvis illorum substantiam servaverit: ergo, &c.

Idem Augustinus asserit, virtutem in esse positam, ut in hac vita diligamus, quod diligen-

ligendum est: *Quamquam* (ait epistola 52.) *& in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est*. Id autem quod præcipue diligere debemus, est, ex eodem Augustino, Deus solus: *Quid autem* (ait ibidem) *eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus*.

Ex eo vero textu sic arguitur. Præceptum quo jubemur objectum aliquod præcipue, hoc est, præ aliis objectis, diligere, est præceptum speciale & distinctum ab aliis quæ non imperant, ut aliquod objectum præcipue, hoc est, præ ceteris objectis, diligatur: atqui, ex Augustino, præceptum Caritatis jubet, ut Deum præcipue, hoc est, præ ceteris omnibus entibus, diligamus: ergo præceptum Caritatis in Deum est præceptum speciale, & ab aliis omnibus distinctum.

Idem S. Doctor non semel docet, 1. Deum propter seipsum ultimo diligendum esse: 2. alia omnia objecta, nos ipsos nimirum & proximum, propter Deum diligenda esse: *Tunc est* (ait in lib. 1. de Doctrina Christiana, c. 22) *optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum convertitur, non ad incommutabile quid convertitur; & propterea jam cum defectu aliquo se fruitur*.

Hinc, id est, ex eo quod homo seipsum propter Deum ultimo diligere debeat, Augustinus concludit, debere pariter ipsum diligere proximum suum propter Deum. *Si* (ait) *teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis; hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

Ex iis Augustini sententiis sic arguitur. Præceptum, quod jubet, ut Deus ultimo propter seipsum diligatur; quod imperat, ut alia omnia objecta, nos ipsi nimirum & proximus, propter Deum diligantur, est præceptum speciale, & ab iis distinctum, quæ id non jubent, id non imperant: atqui præceptum Caritatis in Deum, ex Augustino, jubet, ut Deus ultimo propter seipsum diligatur; ut omnia alia objecta propter ipsum diligantur; id vero non imperant alia præcepta: ergo &c.

Probatur 3. auctoritate S. Bernardi. Mellifluus Doctor amoris Deo debiti dotes hisce verbis explicat Sermone 20. in Cantica: *Disce, o Christiane, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter*: nihil enim suavius est amoris jugo: *amare prudenter*; nulla nimirum est virtus sine prudentia: *amare fortiter*: amor enim qui constans non est, amoris nomen non meretur: *dulciter, ne illecti vana* rerum temporalium suavitate: *prudenter, ne decepti* spiritu mendacii & erroris; *fortiter ne oppressi* hujus sæculi adversitatibus: *zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus*.

Eas amoris divini dotes S. Doctor colligit ex primo Decalogi Mandato: *Et vide* (ait) *ne forte tria ista tibi & in Lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*. In quo autem positus sit triplex ille amor, cordis, animæ, virtutis, sic idem Bernardus exponit: *Mihi videtur amor quidem cordis ad zelum pertinere affectionis; animæ vero amor ad industriam, seu judicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem*. Ex iis infert, qua ratione impleri debeat primum Decalogi Mandatum: *Dilige ergo Dominum Deum tuum cum toto & pleno cordis affectu: Dilige tota rationis vigilantia & circumspectione: Dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas; quoniam fortis est ut mors dilectio*.

Ex eo S. Doctoris textu sic argumentum conficitur. Illud præceptum est speciale, & a ceteris distinctum, quod in Lege (Deuteronomii 6.) traditum est seorsim ab aliis; ex quo amoris Deo debiti dotes colliguntur; ad cujus normam & præscriptum exigi debet modus, quo Deum diligere debemus: Atqui, ex S. Bernardo, præceptum caritatis in Deum seorsim ab aliis traditum est; ex eo amoris Deo debiti dotes colliguntur; ad ejus normam & præscriptum exigi debet modus, quo Deum diligere debemus: Ergo præceptum caritatis in Deum est præceptum speciale, & a ceteris omnibus distinctum.

Probatur 4. auctoritate S. Thomæ. Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 44. articul. 5. exponens verba Legis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute tua*, sic loquitur: *Præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; & quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; & quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima; & quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere*.

Idem Angelicus Doctor 2. 2. eadem quæstione 44. art. 1. asserit, modum dilectionis nobis præceptæ non cadere sub aliis præceptis: sic enim loquitur: *Modus dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta sub hoc præcepto*: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, *non ca-*

dit quod hoc ex caritate fiat: cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus.

Tradit eamdem doctrinam 1. 2. quæst. 100. art. 10. in responsione ad secundum argumentum, eo nimirum loci contendit (quod & a nobis superius probatum est iis locis, ubi egimus de actibus indifferentibus) teneri nos omnia deliberata opera ad Deum referre: at negat, debitum illud ex singulis præceptis exurgere, sed tantum ex isto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.*

Ex iis S. Thomæ sententiis sic in forma argumentum conficitur. Illud præceptum est speciale, & ab aliis distinctum, per quod in specie præcipitur nobis aliquid, quod aliis mandatis non præcipitur; quodque non cadit sub præceptis, quæ dantur de aliis virtutibus; & vi cujus, non autem ex vi aliorum, tenemur omnia in Dei gloriam referre. Atqui, ex S. Thoma, præceptum de Caritate in Deum expressum his Deuteronomii verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute tua*, nobis præcipit aliquid, dilectionem nimirum, quod aliis mandatis non præcipitur; quodque non cadit sub præceptis quæ dantur de aliis virtutibus; & vi cujus, non autem ex vi aliorum, tenemur omnia in gloriam Dei referre: ergo, ex eodem S. Doctore, præceptum caritatis in Deum, est præceptum speciale, & ab aliis præceptis distinctum.

Probatur 5. ratione theologica. Si Deus speciale de caritate præceptum homini non imposuisset, sequeretur, Deum nullam præcipuæ hominis facultati, voluntati nimirum, legem præfixisse; hoc est, sequeretur, curasse quidem cum de aliis hominis facultatibus, intellectus nimirum, qui fide constringitur, & potentiis externis, quibus per præcepta secundæ tabulæ modus statuitur, nihil vero curasse eum de voluntate; alia enim ratione modo constringi non potest voluntas, quam amoris lege; alius ipsi modus statui non potest, quam amoris modo; sed absurdum est consequens, cum homines non reddantur boni aut mali, nisi per bonos aut malos amores: ut hisce verbis docet Augustinus Epist. 52. quæ est ad Macedonium: *Mores nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod diligit, dijudicari solent. Nec faciunt bonos aut malos mores, nisi boni vel mali amores.*

Ex eo principio concludit, virtutem non aliud esse, nisi aut amorem ipsum, aut ordinem amoris; *Quod si* (inquit in libro de Moribus Ecclesiæ, cap. 13.) *virtus ad beatam vitam non ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Idem docet in laudata mox Epistola, quæ est ad Macedonium: *Quamquam* (ait) *in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Quid autem eligamus quod diligamus, præcipue nisi quod melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid præponimus vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus; Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando.*

Concludit 2. eum solum esse beatum, qui Deum diligit, miserum vero qui eum non diligit: *Rationalis creatura* (inquit Epist. 110. cap. 23.) *ita facta est, ut sibi ipsa bonum quo beata sit, esse non possit: sed mutabilitas ejus, si convertatur ad incommutabile bonum, fiat beata; unde si avertatur, misera est. Aversio ejus vitium est, & conversio ejus virtus est.* Qua autem ratione creatura rationalis ad incommutabile bonum, quod Deus est, convertitur nisi per amorem? quem a Deo hisce verbis petit sancta Mater Ecclesia: *Converte nos Deus salutaris noster.*

Totus hic exscribendus esset Augustinus, si mens esset ea omnia referre, quibus S. Doctor asserit, Caritatis præceptum esse speciale præceptum, & ab aliis distinctum. Vide de eodem argumento hujusce quæstionis caput quintum, in quo Ecclesiæ Gallicanæ de Caritatis præcepto doctrinam referemus.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Not. Quæ a quibusdam recentioribus objiciuntur contra conclusionem, in qua asseruimus, præceptum Caritatis in Deum, esse præceptum speciale & ab aliis præceptis distinctum, ad quasdam, tum Scripturæ, tum Bernardi, tum Gersonis sententias reducuntur; operæ pretium est igitur, ut ea capita sigillatim expendamus.

Objicies 1. Matthæi cap. 22. hæc habentur: *In his duobus mandatis* (de dilectione Dei, & proximi) *universa Lex pendet & Prophetæ.* Unde sic arguitur: Ea Christi verba significant, duplex de Dei & proximi dilectione præceptum impleri per observationem aliorum præceptorum: unde Christus ipse Joannis 14. ait: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Atqui præceptum quod per observationem aliorum impletur, non est speciale præceptum, & ab aliis distinctum: ergo præceptum Caritatis in Deum non est præceptum speciale, & ab aliis distinctum.

Resp. neg. maj. hoc est, nego, verba quæ habentur Matthæi cap. 22. significare, præceptum amoris per aliorum præceptorum observationem impleri; nempe significant, observationem duplicis præcepti, de Dei & proximi dilectione, esse caussam, quæ ad aliorum observationem moveat & impellat creaturæ rationalis voluntatem. Ratio est 1. quia id aperte docet ipse Christus Joannis 14. *Si quis* (inquit) *diligit me, sermonem meum serva-*

servabit .... Qui non diligit me, sermones meos non servat: & e contra: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*. Ratio est 2. quia ex Apostolo, *Plenitudo Legis est dilectio*: ergo qui non diligit, non implet Legem. Ratio est 3. quia, ex Augustino, si quis aliorum mandatorum corticem servaverit, nec ea ex Dei amore servet, ea ut oportet minime servat, quamvis servare videatur: *Si* (inquit S. Doctor. q. 44. in Deuteronomium) *forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde* (per amorem Dei) *non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri*. Hinc idem Augustinus enarratione in Psalm. 118. asserit, vulgus Judæorum præcepta Legis revera non servasse, quamvis eorum substantiam, hoc est, opera extrinseca ab illis præscripta, servare viderentur: *Propter mercedem terrenam* (ait) *atque carnalem, Dei mandata conabantur servare Judæi, neque faciebant, quia non ipsa* (ipsam scilicet justitiam quæ Deus est) *sed aliud diligebant*.

Illis Augustini principiis inhæret Gregorius Magnus Homil. 27. in Evangelia, ubi asserit: *Omne mandatum de sola dilectione esse, & omnia unum præceptum esse, quia quidquid præcipitur, in sola caritate solidatur*. Probat id Gregorius argumento a simili petito: *Ut enim* (inquit) *multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis*. Hinc infert, quomodo Dei præcepta unum sint & multa præcepta: *Præcepta ergo Dominica & multa sunt, & unum: multa per diversitatem operis: unum in radice caritatis*.

Objicies 2. S. Bernardus Serm. 50. in Cantica, docet, solum amorem *Effectivum*, qui scilicet in operibus externis, seu in aliorum mandatorum observatione, positus est, a Deo præceptum esse; non autem *Affectivum*, qui latet in corde: sic enim loquitur: *Est caritas in actu: est & in affectu; & de illa quidem quæ operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur?* ergo, ex Bernardo, amor internus, quem affectivum vocat, præceptus non est; ac proinde mandatum de dilectione non est mandatum speciale, & ab aliis distinctum, seu est tantum præceptum de amore effectivo, qui quidem in aliorum mandatorum observatione servatur.

Resp. dist. maj. Bernardus docet, solam caritatem effectivam, non autem affectivam, esse præceptam: & per caritatem effectivam intelligit caritatem internam, quæ sit caussa, cur alia præcepta serventur, conc. maj. intelligit caritatem externam in aliorum præceptorum observatione positam, neg. maj.

Solutio patet ex iis locis quæ ad probationem nostræ conclusionis ex eodem S. Bernardo laudavimus, patebitque clarius ex nostra responsione ad proxime sequentem adversariorum instantiam.

Instabis. Bernardus per caritatem *effectivam* intelligit solum amorem externum, qui in observatione aliorum mandatorum positus sit: Siquidem ille per caritatem *effectivam* intelligit solum amorem externum, qui caritatem *effectivam* opponit caritati *affectivæ*: opposita enim sese invicem excludunt: atqui Bernardus caritatem *effectivam* opponit caritati *affectivæ*; *Est* (inquit) *caritas in actu; est & in affectu*; ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia Bernardus per *caritatem in affectu* intelligit caritatem, quæ præter internum affectum, qui etiam reperitur in caritate, quam vocant *caritatem in actu*, includat præterea suavitatem illam, qua Deus in cælis beatos semper inebriat, juxta illud Scripturæ: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*; & nonnunquam in hac vita animas maxime pias consolatur, quamve idem S. Doctor vocat caritatis pinguedinem: *Non hoc dico* (inquit) *ut sine affectione simus, & solas moveamus manus ad opera. Legi inter alia, quæ scribit Apostolus, magna & gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, scilicet esse sine affectione*.

Triplicem deinde affectionem distinguit: *Sed est* (ait) *affectio quam caro gignit: & est, quam ratio regit; & est quam condit Sapientia. Prima est, quam Apostolus dicit legi Dei non esse subjectam, nec esse posse. Secunda, quam perhibet e regione Legi Dei consentientem, quoniam bona est. Longe vero tertia, ab utraque quæ gustat & sapit, quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans*.

Sic iterum triplicem illam affectionem paullo uberius exponit: *Nam* (inquit) *prima quidem dulcis, sed turpis: Secunda, sicca, sed fortis: Ultima, pinguis & suavis. Igitur per secundam opera fiunt, & in ipsa caritas; sed & illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; Sed quædam potius actualis, quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen ipsius amoris vehementer accendit*.

Ex iis S. Bernardi sententiis evidenter patet S. Doctorem caritatem effectivam, quæ est in actu, non opponere caritati affectivæ, quæ scilicet est in affectu, eo sensu quod ista tantum sit interna, illa vero externa tantum: sed in eo sensu opponit, quod caritas in actu vacua sit gustu illo spirituali, illa dulcedine, illa suavitate, quæ in caritate, quam in affectu vocat, reperiuntur. Unde mirum non est, quod asserat, caritatem in affectu,

hoc est, caritatem, quam anima sapiat, & gustet, non esse præceptam per mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; nonnunquam enim illa caritatis suavitate privantur viri maxime pii, tum ut probentur, tum ut discant, Deo propter illam caritatis dulcedinem non esse serviendum. E contra contendit, caritatem quæ est in actu, quamque vocat *siccam*, quod amoris dulcedine destituta sit, sed tamen vocat *fortem*, quod moveat ad constantem aliorum, etiam difficilium, mandatorum observationem, esse divina lege creaturæ rationali præscriptam.

Objicies 3. Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius, duo tantum requirit, ut quis Mandato de Dei dilectione faciat satis; 1. *Ne velimus scienter rem quamcumque amare plusquam Deum*; 2. *Ut legem Dei, & alia præcepta operibus impleamus*. Ergo (inquit Antonius Sirmondus) observatio aliorum mandatorum satis est, ut quis impleat Caritatis præceptum.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est 1. quia Gersonius docet, nullam rem plusquam Deum amari debere: ac proinde, ex Gersonio, quisque tenetur interno mentis affectu Deum rebus omnibus anteponere; nam si quis Deum interius non amet, interius amabit aliquid plus quam Deum: Scilicet sic est cor hominis comparatum, ut sine aliquo amore dominante esse non possit, juxta illud Leonis Magni in Sermone V. de jejunio septimi mensis: *Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.*

Ratio est 2. quia Gerson in loco, qui nobis objectus est, asserit quidem requiri Legis observationem, ut quis dilectionis præceptum impleat, sed non dicit, quod per eam exteriorem legis observationem impleatur: Scilicet hoc unum asserit, diligentiam in aliis mandatis observandis adhibitam, esse veluti fructum & effectum affectus interioris, quo Deum prosequi debemus, si tamen affectus ille sit sincerus & efficax, juxta illud Joannis: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.*

§. II. *Utrum Actus Caritatis sit necessarius.*

Not. 1. Qui asseruerunt, præceptum Caritatis non esse præceptum speciale, & ab aliis distinctum, consequenter asseruerunt, actum internum caritatis nulla lege esse præceptum: unde homini permiserunt interiorem caritatis actum, sed docuerunt, per se non peccare hominem, qui nullum unquam internum caritatis actum elicuerit.

Not. 2. Actus aliquis potest esse necessarius, aut necessitate medii, aut necessitate præcepti tantum. Rursus potest esse necessarius vel *per se*, hoc est, independenter ab aliorum præceptorum observatione; vel *per accidens*, id est, eo quod sine illo actu alia præcepta servari non possint. De actu caritatis secundum varias illas necessitatis rationes hic a nobis est agendum.

CONCL. 1. Actus caritatis est omnibus hominibus per se necessarius necessitate præcepti naturalis & divini.

Probatur 1. Præcepta Decalogi, ac præsertim primum, juris sunt naturalis ac divini: atqui primo præcepto Decalogi omnibus hominibus præcipitur actus caritatis in Deum: ergo caritatis actus est omnibus hominibus per se necessarius necessitate præcepti naturalis & divini. Probatur min. Hæc primi præcepti Decalogi verba, quæ omnes homines spectant: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. actum voluntatis, motum in Deum imperant.

1. Diligere agentis est, non autem a motu & actione cessantis.

2. Verbum *Diliges* significat aut habitum, aut actum caritatis, non enim voluntas alio modo, quam aut habitu aut actu, potest aliquod objectum diligere: atqui verbum *Diliges* in primo Decalogi mandato non significat habitum caritatis: siquidem non dantur præcepta de habitibus, sed tantum de actibus virtutum: sic præceptum de restitutione facienda non præcipit habitum, quo nemo unquam recipit, quod suum est; sed ipsummet restitutionis actum, quo alienum redditur proprio domino: Sic etiam cum injungitur eleemosyna, non præcipitur iners illius habitus; per eum enim habitum non sublevatur proximi miseria; sed præcipitur actus, seu actualis erogatio victus aut vestitus, quibus proximus indiget: Sic tandem cum parentum cultus mandatur, non præcipitur habitualis cultus in parentes; sed actualis, exhibitio nimirum reverentiæ, amoris & obsequiorum.

3. Quotiescumque Patres de caritate, quæ nobis præcipitur, locuti sunt, caritatis nomine non habitum, sed actum intellexerunt; *Non præcipit Scriptura nisi caritatem* (inquit Augustinus lib. 3. de doctrina christiana, cap. 10.) *nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum*: Caritatis autem, quæ præcipitur, nomine, idem Augustinus actum caritatis intelligit: *Caritatem* (inquit ibidem) *voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se ac proximo propter Deum.*

Caritas quæ nobis præcipitur, opponitur cupiditati quæ prohibetur: Sed cupiditas, quæ prohibetur, est actus: *Cupiditatem autem* (ait Augustinus) voco, *motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.*

Obj-

Objicies. S. Thomas 2. 2. q. 44. 6. innuere videtur, satis esse ad implendum caritatis præceptum, ut nihil contra ipsum admittatur, sive per odium Dei, sive per aliorum præceptorum infractionem; sic enim loquitur: *Ad secundum dicendum quod sicut miles, qui legitime pugnat, licet non vincat, non inde culpatur, nec pœnam meretur: ita etiam qui in via hoc caritatis præceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter*. Ergo actus caritatis non est necessarius ad implendum primum Decalogi mandatum.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Ex S. Thoma, ille qui in via, caritatis præceptum non implet perfecte, non peccat mortaliter, conc. ant. qui non implet, imperfecte saltem, n. a. Implere vero imperfecte præceptum caritatis non dicit omissionem actus caritatis; sed tantum omissionem actus perfecti, qui scilicet perfecte creaturam rationalem cum Deo conjungat, ita ut nullo concupiscentiæ motu, actus caritatis intensio, fervor, & totalitas impediantur.

Confirmatur responsio ex scopo quem S. Thomas eo in loco, qui nobis objectus est, sibi proponit. Quærit nimirum S. Doctor: *Utrum præceptum de dilectione Dei possit in via impleri?* Ut eam quæstionem solvat, hanc conclusionem statuit: *Quamquam in patria tantum perfecte dilectionis præceptum impleatur; in via tamen imperfecte adimpleri potest, & magis vel minus secundum divinæ bonitatis participationem*. In corpore articuli exponit, quod sit implere, aut perfecte, aut imperfecte, dilectionis præceptum: *Perfecte quidem impletur præceptum, quando pervenitur ad finem, quem intendit præcipiens; impletur autem, sed imperfecte, quando etsi non pertingat ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem*. Utitur argumento a simili, ut duplicem illum modum implendi præceptum clarius exponat: *Sicut* (inquit) *si Dux exercitus præcipiat militibus, ut pugnent, ille perfecte implet præceptum, qui pugnando hostem vincit, quod Dux intendit. Ille autem implet, sed imperfecte, cujus pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra militarem disciplinam agit*. His præmissis, probat conclusionem suam, asseritque, Deum non præcipere in hac vita, ut perfecte dilectionis præceptum servemus, sed tantum ut illud servemus imperfecte: *Intendit autem Deus* (inquit) *per hoc præceptum, ut homo Deo totaliter uniatur: quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, ut dicitur 1. ad Cor. 15. Et ideo plene & perfecte in patria implebitur hoc præceptum: In via autem impletur, sed imperfecte. Et tamen in via tanto unus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quamdam similitudinem ad patriæ perfectionem*.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet, quod cum S. Thomas in responsione ad secundum argumentum scribit, eum qui in via non implet præceptum caritatis, non peccare mortaliter, de eo tantum loquatur, qui perfecte, seu per perfectam sui cum Deo unionem, non implet præceptum: non loquatur autem de eo qui nequidem imperfecte illud implet, hoc est, qui non elicit actus dilectionis, quæ sit super omnia; quamvis propter cupiditatem, post peccatum veluti nobis naturalem, eam non habeat intensionem, eum fervorem, eam totalitatem, quæ sublato eo omni quod pertrahit nos ad creaturarum amorem, Deo hominem perfecte conjungat.

Confirmatur iterum nostra responsio. Sanctus Thomas comparat eum, quem dicit in hac vita non implere præceptum, cum milite qui licet non vincat, pro virili tamen pugnat paretque militiæ legibus: Ergo quemadmodum miles qui nihil operetur, ut exequatur ducis imperium, reus est: ita & homo qui nullum dilectionis actum elicit, non facit satis præcepto, quo omnes homines jubentur Deum super omnia diligere.

Alium S. Thomæ textum superius iis locis ubi actum est de actibus indifferentibus, præripuimus iis qui eo abutuntur, ut probent S. Thomæ persuasum fuisse, hominem non teneri vi præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, elicere certis quibusdam temporibus actum amoris Dei super omnia, non teneri eum omnes deliberatas suas actiones ad Dei gloriam ultimo referre: vide hujusce Tomi pag. 359.

Quæres, utrum actus caritatis in Deum ita sint necessarii, ut qui nullum elicuerit, non possit consequi salutem.

Resp. affirmative. Nam 1, qui Jubens omittit observationem præcepti de re gravi, peccat lethaliter: atqui qui nullum unquam elicit actum caritatis in Deum, omittit observationem præcepti de re gravi; nimirum præceptum caritatis, ipso affirmante Christo, est primum & maximum mandatum. 2. Ex c. decimo Lucæ idem aperte colligitur: narrat Evangelista quemdam Legis peritum a Christo quæsisse non quod utile, sed quod absolute necessarium sit ad vitam æternam comparandam: *Ecce* (inquit Lucas) *Legis peritus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Legis perito respondit Christus, necessariam esse primi mandati Decalogi observationem, ut quis vitam æternam consequatur. *Dixit Christus, In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Ille respondit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum sicut te ipsum*. Christus, approbata Legis periti

periti responsione, sic eum allocutus est: *Recte respondisti; hoc fac & vives:* Facere vero, actum significat: ergo ex ipsiusmet Christi definitione certum est, eum qui actum caritatis in Deum non elicuerit, non posse consequi salutem æternam.

Hinc patet, quam merito Inquisitores Romani coram Alexandro Papa VIII. die 24. Augusti 1690. hanc publicis in thesibus propugnatam propositionem damnaverint tanquam hæreticam: ***Homo non tenetur amare Deum neque in principio, neque in decursu vitæ mortalis.*** Idem de ea judicium tulit Clerus Gallicanus, ut capite proxime sequenti dicetur.

CONCL. 2. Actus caritatis in Deum impio ad justificationem *per se* necessarius est necessitate medii.

Probatur. Illud est impio ad justificationem necessarium necessitate medii, sine quo non potest habere contritionem, quæ sit dispositio sufficiens ad recipiendam gratiam, sive in Sacramento Baptismi, sive in Sacramento pœnitentiæ: Contritio enim sufficiens, impio necessaria est necessitate medii ad justificationem etiam in illis Sacramentis recipiendam. Atqui sine actu caritatis in Deum, saltem inchoatæ, quæ tamen sit super omnia, non potest haberi contritio, quæ sit sufficiens dispositio ad recipiendam gratiam, sive in Sacramento Baptismi, sive in Sacramento Pœnitentiæ; id nimirum variis argumentis probavimus in nostro tractatu de Sacramento Pœnitentiæ: iis vero argumentis accedit declaratio Cleri Gallicani, quam hujusce quæstionis proxime sequenti capite exscribemus.

§. III. *Quibus in specie temporibus obliget caritatis præceptum.*

Not. Varii de temporibus, quibus caritatis præceptum obligat, errores elapso proxime sæculo prodierunt. Nonnullis Scriptoribus visum est, præceptum caritatis in Deum nusquam obligare. Alii censuerunt, obligare tantum semel in vita; idque etiam non *per se*, sed *per accidens* tantum, cum nempe quis ad eas redigitur angustias, ut in periculo mortis constitutus, non possit Presbyterum habere, a quo attritus, hoc est, peccatum ob solum gehennæ metum detestatus, sacramentaliter absolvi possit. Docuerunt alii, probabile saltem esse, quod illud præceptum ne singulis quidem quinquenniis obliget. Quid nos de ea controversia sentiamus, hic est aperiendum.

CONCLUSIO 1. Præceptum speciale caritatis in Deum *per se* obligat sæpius in vita.

Probatur 1. ex Scriptura. Ubi Deuteronomii c. 6. relatum est caritatis præceptum: ***Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua:*** hæc subjiciuntur: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis de his sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine atque ostiis domus tuæ.* Unde sic arguitur. Illud præceptum *per se* sæpius obligat in vita, quod Deus jussit ut ubique ac semper præ oculis haberetur: ut quid enim tam sedulo vetasset, ne illius memoria ex mente excideret, si semel tantum in vita, aut aliquoties quidem, sed perraro obligaret? Atqui (ut ex laudatis Scripturæ verbis patet) Deus jussit ut præceptum caritatis in Deum ubique ac semper præ oculis haberetur: ergo præceptum illud non semel tantum in vita, aut perraro, sed sæpius obligat.

Dices, eum Scripturæ locum intelligi de caritate habituali, quæ hominem formaliter (ut loquuntur) sanctificet: non autem de caritate actuali, hoc est, de caritatis actibus, qui sæpius eliciantur.

Sed vana est illa responsio. Nam (ut hujusce articuli paragrapho primo & secundo demonstravimus) præceptum illud *Diliges*, &c. de actu, non autem de habitu caritatis intelligitur. 2. Aperte repugnat Augustino asserenti, caritatem, si sincera sit, non posse diu ab actibus temperare; *Dilectio* (inquit Præfatione in Psal. 31.) *vacare non potest: Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem.* Eadem ratione loquitur in Psal. 121. *Nec potest vacare amor in anima amantis; necesse est ut ducat; sed vis nosse qualis amor sit? vide quo ducat.*

Probatur 2. nostra conclusio. Impossibile est ut homo diu vivat, quin aliquem totius vitæ suæ finem ultimum sibi constituat: ergo si homines justi diu ab actibus caritatis in Deum temperent, alium a Deo ultimum totius suæ vitæ finem sibi constituent; ac proinde peccabunt lethaliter: scilicet justi se se implicabunt rerum creatarum amoribus, qui tandem ita augebunt concupiscentiæ in nobis æstuantis impetum, ut validior factus impetus ille, caritatem etiam habitualem opprimat, impediatque, ne anima piis affectibus ad Deum conscendat. *Obligata enim anima* (ait Augustinus in Ps. 121.) *amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata vero ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi, volat, quo? nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando? Quod antequam possit, gemit in terra, si jam inest ei volandi desiderium, & dicit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

CON-

CONCLUSIO 2. Certa quædam tempora determinari possunt, quibus *per se* omnes homines obligat præceptum caritatis in Deum.

Probatur enumeratione. Præceptum eliciendi actum caritatis in Deum, quæ sit super omnia, *per se*, quemlibet adultum obligat, ubi primum ad usum rationis pervenit.

Ita docet S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. Nimirum ubi S. Doctor asseruit, peccatum veniale non posse stare cum solo originali, hoc argumentum objicit sibi: *Determinari potest tempus, in quo puer primo potest esse actor peccati actualis; ad quod tempus cum pervenerit, potest ad minus per aliquod breve spatium stare, quin peccet mortaliter, quia hoc etiam in maximis sceleratis contingit: In illo autem spatio quantumcumque brevi, potest peccare venialiter: Ergo peccatum veniale potest esse in aliquo cum originali peccato absque mortali.*

Ad illud autem argumentum sic idem S. Doctor respondet: *Ad tertium dicendum, quod ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens habere usum rationis per aliquod tempus abstinere: sed a peccato omissionis prædictæ non liberatur nisi, quam cito potest, se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti, est quod de sei pso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem: finis enim est prior in intentione; & ideo hoc est tempus, quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo quo Dominus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Zacharia 1.*

Verum nemo ad Deum se potest convertere nisi per actum caritatis in Deum, qui sit super omnia: ergo, ex S. Thoma, homo ubi primum ad rationis usum pervenit, tenetur elicere actum caritatis in Deum, qui sit super omnia. Monendus est hic Lector, quod quamvis nonnulli, probati alioquin, auctores censeant, non metaphysicum esse primum illud instans, quo homo se se ad Deum per caritatis actum convertere tenetur, ac proinde peccatum veniale posse in aliquibus reperiri cum solo originali, fateantur tamen, illud instans esse morale: ita ut adultus non diu esse possit, ad prudentum æstimationem, quin post adeptum usum rationis, ad Deum per caritatis actum, qui sit super omnia, se se convertat.

S. Thomæ præiverat S. Fulgentius: sic enim loquitur l. 1. ad Monimum, c. 17. *Creaturæ quippe rationalis alia beatitudo non potest, nec potuit esse, nec poterit, nisi ut agnoscens, a quo non solum facta, sed etiam a quo rationalis facta est, majorem dilectionem exhibeat ipso Creatori, quam sibi. Neque enim ei inesse posset ullatenus ratio, nisi ei posset Creatoris inesse dilectio. Quia nec est in alia quæ vera sit sapientia vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio creatoris.*

II. Præceptum eliciendi actum caritatis in Deum, qui sit super omnia, *per se* obligat in morali periculo vitæ: Tunc scilicet homo tenetur suæ saluti tuto consulere: at tuto sibi consulere non potest, quin eliciat actum caritatis super omnia, hoc est, quo Deum rebus omnibus anteponat. Id ita certum est, ut de eo conveniant plerique etiam ex iis auctoribus, quibus placet Attritionem ex solo gehennæ metu conceptam impio satis esse ad recipiendam gratiam in Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ.

III. Præceptum eliciendi actum caritatis super omnia, *per se obligat* sub mortali, non semel in anno, sed frequenter intra annum: ita ut ad æstimationem prudentium, homo diu non sit quin ad Deum sese per eum caritatis actum convertat. Neque enim frustra præceptum, quod tanti est momenti, ut sit primum & maximum, latum est cum tanta ex parte Dei cautione, quodque (ut ex allatis superius Scripturæ verbis constat) hominum oculis ubique ac semper observari debet. Præterea ingratum maxime se præbet, qui diu est, quin ad Deum, a quo continuis beneficiis afficitur, se se per actum caritatis non convertat.

CONCL. 3. Præceptum eliciendi actus caritatis in Deum, sæpius *per accidens* obligat.

Probatur. Illud præceptum *per accidens* obligat, quod obligat ratione aliorum præceptorum quæ servanda occurrunt: atqui præceptum caritatis in Deum sæpius obligat ratione aliorum præceptorum, quæ observanda occurrunt.

Nam 1. Præceptum contritionis servari non potest sine actu caritatis; neque enim contritio est (ut jam dictum est) sufficiens dispositio ad suscipiendam gratiam in Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ, nisi præcipue concipiatur ex motivo caritatis: *Pœnitentiam certam* (ait Augustinus) *non facit nisi odium peccati, & amor Dei.*

2. Obligat quoque *per accidens*, cum actus dilectionis est necessarius ad exercitium alicujus virtutis, cujus praxis præcipitur: *Non enim* (ait Gregorius Magnus) *est fructus boni operis, qui de caritatis radice non surgit.* Hinc autem infertur hominem teneri elicere actum caritatis, saltem inchoatæ, & quæ non sit super omnia, quoties aliquem Religionis actum exercet, ut cum v. gr. audit Sacrum, preces fundit, aut aliud opus ex se pium præcipitur. Tunc enim debet, saltem imperfecte, desiderare, ut ab habituali & dominante peccati affectu liberetur: id vero desiderare, est saltem imperfecte, ipsam justitiam, ac proinde Deum, diligere. Ratio est, quia quilibet actus Religionis essentialiter est quædam divini cultus species; at cultus sincerus non est nisi ex inchoata saltem caritate procedat: *Quis* (inquit

Augustin. l. 3. de Trinit. c. 4.) *cultus ejus, nisi amor ejus?* & ut ait epist. 120. *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando.* Defectu inchoatæ illius caritatis pleraque Judæorum opera, alioquin in se bona, Deo accepta non fuerunt: *Populus hic* (ait Deus ipse in Scripturis) *labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

3. Præceptum caritatis obligat *per accidens*, cum quis de Dei odio tentatur. Unanimis est enim theologorum sententia, urgenti de vitiis tentationi opponendum esse actum virtutis contrariæ. In illud odii periculum incidunt homines, cum advertentes Deo displicere peccata, in quæ prolabuntur, cuperent Deum non esse, quo tutius & absque gehennæ metu peccare possent. De iis hominibus loquitur Augustinus tractatu nonagesimo in Joannem: *O* (inquit) *miseros homines! qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali. Nolunt enim eam esse quod est, cum se ipsos debeant nolle esse quod sunt, ut ipsa manente mutentur, ne ipsa judicante damnentur.*

4. Tandem *per accidens* obligat caritatis præceptum, cum Deum blasphemiis, aut gravi aliquo scelere offendi deprehendimus. Ratio est, quia tunc, quantum in nobis est, resarcire debemus injuriam quæ Deo infertur: at non est alia via, qua illud resarciamus, nisi debitum ei caritatis cultum exhibeamus. Cum advertimus, Dei inimicos sancitæ a Deo legis oblivisci, mœrore & tædio affecti esse debemus, ut affectus erat Rex Propheta: *Tabescere* (inquit Ps. 118.) *me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Objicies contra præcedentes conclusiones. Multi sunt viri alioquin pii, qui diu sunt, absque eo quod caritatis actum eliciant: immo exeunt nonnunquam ex hac vita, absque eo quod dixerint: *Domine, diligo te super omnia:* & tamen viri illi pii non censentur per omissionem illam peccasse lethaliter: ergo præceptum caritatis non obligat ad frequenter eliciendos caritatis actus.

Ad solvendum argumentum illud, observare est 1. actum amoris non esse positum in externo horum verborum sono, *Diligo te super omnia;* quam enim multæ sunt matres, quæ ardentissime filios suos amant, quibus tamen nunquam venit in mentem, ejusmodi verbis amorem testari suum.

Observare est 2. amorem non esse positum in cognitione: siquidem cognitio est actus intellectus, cum e contra amor sit operatio voluntatis: unde elici potest sine amantis conscientia, seu, absque eo quod amans advertat, se elicere actum hujusmodi; idque in matre videre est, quæ cum ægrotantem filium sollicite curat, sinceri amoris actus in eum elicit, quamvis illi tunc non veniat in mentem, quod filium amet actu.

His præmissis, ad argumentum respondemus, conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia amor est quoddam animi pondus, seu quidam voluntatis motus in rem amatam: *Caritatem voco* (inquit Augustinus) *motum animi ad fruendum Deum propter ipsum, & se atque proximo propter DEUM.* Illud autem pondus, ille motus, vim exerunt suam in viris piis, quamvis viri pii ea non advertant. Scilicet diebus festivis cultu divino, cui vacant, suam in Deum reverentiam testantur; Eucharistia se se reficiunt, ut illi arctius se conjungant; in exitu vitæ ad illum anxie suspirant; & morbi, quo languent, humili patientia se se divinæ illius voluntati subjiciunt. *Ea sunt* (inquit eruditus quidam recentior, suis adversus Calvinistas, & Casuistas molliores Operibus de Ecclesia optime meritus) *variæ illæ quas amor induit formas.*

ARTICULUS II.

De ordine Caritatis.

Not. Quæremus hic 1. an & quotuplex in exercitio caritatis servandus sit ordo. 2. Quid ex parte nostri exigat amor Deo debitus. 3. Quid is qui debetur proximo.

§. I. *An & quotuplex ordo sit in caritatis exercitio servandus.*

CONCLUSIO 1. In caritatis exercitio aliquis servandus est ordo.

Probatur 1. Ecclesia, Canticorum 2. Deum laudat, quod in illa caritatem ordinaverit: *Ordinavit* (inquit) *in me caritatem.* 2. Is tantum juste & sancte vivit, cujus dilectio ad ordinem debitum exacta est: *Ille* (inquit Augustinus in l. 1. de Doctrina Christiana, c. 27.) *juste & sancte vivit, qui rerum integer æstimator est: Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut aliquid diligat, quod non est diligendum, aut amplius diligat, quod minus est diligendum, aut æque diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius, quod æque diligendum est:* ergo in caritatis exercitio aliquis est ordo servandus.

CONCL. 2. In caritatis exercitio duplex est ordo servandus, dilectionis nimirum & beneficii.

Probatur 1. ex Scriptura. Totuplex est ordo in caritatis exercitio servandus, quotuplicem Pastor Evangelicus circa oves sibi creditas servavit: atqui circa eas duplicem caritatis servavit ordinem, dilectionis nimirum & beneficii: scilicet ordine dilectionis prætulit nonaginta novem oves, quas in deserto reliquerat, ovi centesimæ quæ erraverat; sed centesimam illam errantem, ordi-

dine beneficii prætulit aliis nonaginta novem; has enim a sua cura dimisit, illasque permisit sibi ipsis, cum e contra unice de centesima sollicitus fuerit, in eaque quærenda, & in reducenda ad ovile, totum dederit se se: ergo, &c.

Probatur 2. ex Patribus. August. in Epist. 139. alias 158. expresse meminit ordinis dilectionis & beneficii, qui in caritatis exercitio servari debet: *Caritas* (inquit) *quæ tanquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortibus antepouit, quos tales vult esse, quales jam illi sunt, quos non contemnendo, sed de his confidendo, interim præterit.*

Sanctus Bernardus duplicem quoque illum in exercitio caritatis servandum ordinem tradit Sermone quinquagesimo in Cantica: eo nimirum loci docet, quod licet perfectiores sint ordine dilectionis infirmioribus præferendi, ordine tamen beneficii, curæ, & sollicitudinis, infirmiores sint perfectioribus anteponendi: *In bene affecta mente* (inquit) *non dubium, quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in bene ordinata actione sæpe, aut etiam semper, ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & pluries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus.... Nam & vera in hoc est caritas, ut qui indigent amplius, accipiant prius; & rursus in eo clara apparet veritas, si ordinem tenemus affectu, quem illa ratione.*

Quæres 1. quinam in rebus quæ sunt objectum caritatis, servandus sit ordo dilectionis.

Resp. In exercitio caritatis talem debere esse ordinem dilectionis, qualis est ordo rerum, hoc est, quo res majoris sunt in se pretii, vel minoris, magis aut minus in ordine dilectionis amandæ sunt.

Hinc autem infertur 1. Deum esse super omnia diligendum, cum sit ens, quo perfectius, aut æque perfectum cogitari non possit: *Omnes tamen* (inquit Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana c. 7.) *certatim pro excellentia Dei dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus antepouunt.*

Infertur 2. creaturas quæ præ aliis sanctitate sunt Deo viciniores, præ ceteris ordine dilectionis amari debere; quæ autem æque vicinæ, æqualiter amandas esse.

Infertur 3. Deum propter bonum aliquod creatum ultimo non esse diligendum, nec ordine dilectionis, creaturam nobiliorem ad ignobiliorem tanquam ad finem referri posse.

Infertur 4. Animam diligi debere magis quam corpus; illa enim potest Deo perfrui, non autem istud. Sed Augustinum de eo dilectionis ordine differentem audire placet: sic ergo loquitur in lib. 1. de Doctrina Christiana, c. 27. *Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus: & omnis homo, in quantum homo, est diligendus propter Deum, Deus vero propter seipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.* Cum autem justorum qui nobiscum in humanis agunt, justitiæ & sanctitatis gradus non cognoscimus: *Omnes* (ait ibidem Augustinus) *æquo, ordine dilectionis, diligendi sunt.*

Quæres 2. unde peti debeat ordo amoris, qui *beneficii* dicitur.

Resp. peti eum debere aut ex carnis, aut amicitiæ, aut societatis, aut alterius vinculi conjunctione cum persona amante, vel ex illorum infirmitate aut indigentia.

Regulam illam tradidit Augustinus in libro primo de Doctrina Christiana, c. 27. sic loquitur: *Sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur: Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dari oportet ei, qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitate superaret; nihil justius faceres, quam ut sorte legeres, cui dandum esset, quod dari utrique non possit: Sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatius adhærere potuerit.*

Quæres 3. utrum in pari necessitate a viro uxori potius quam patri aut matri succurrendum sit?

Resp. a viro succurrendum esse potius patri, aut matri, quam uxori. Desumpta est responsio ex S. Thoma: Scilicet 2. 2. q. XXVII. art. XI. quærit, *Utrum homo plus debeat diligere uxorem quam patrem & matrem.* Ad illius autem quæstionis solutionem, hanc conclusionem statuit: *Quamquam uxor intensius diligatur, tanquam magis conjuncta; major tamen ex caritate parentibus reverentia est exhibenda.*

Hanc vero conclusionis suæ rationem profert: *Gradus dilectionis attendi potest, & secundum rationem boni, & secundum conjunctionem ad diligentem: secundum ergo rationem boni, quod est objectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes, quam uxor, quia diliguntur sub ratione principii, & eminentioris cujusdam boni. Secundum autem rationem conjunctionis, magis diligenda est uxor, quia uxor conjungitur viro, ut una caro existens, se-*

cun-

cundum illud Matthæi 19. Itaque jam non sunt duo, sed una caro: *& ideo intensius diligitur uxor sed major reverentia est parentibus exhibenda.*

Objicit sibi S. Doctor illud Genesis c. 1. ubi dicitur, quod propter uxorem relinquet homo patrem & matrem. Objicit sibi iterum illud ad Ephesios 5. ubi Apostolus docet, quod vir, sicut semetipsum, uxorem diligere debeat.

Ad primum autem respondet, *quod non quantum ad omnia deseratur pater & mater propter uxorem: In quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quam uxori.* Sed quantum ad unionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori.

Ad secundum S. Doctor hisce verbis respondet: *Dicendum, quod in verbis Apostoli non est intelligendum, quod homo debeat diligere uxorem æqualiter sibi ipsi: sed quia dilectio, quam aliquis habet ad seipsum, est ratio dilectionis, quam quis habet ad uxorem sibi conjunctam.*

ARTICULUS III.

Quid ex parte nostri exigat Deo debita Caritas.

Not. Quæremus hic 1. utrum amor Deo debitus debeat esse summus: 2. an debeat esse universalis: 3. utrum debeat esse perfectus.

§. I. *Utrum amor Deo debitus debeat esse summus.*

CONCLUSIO. Amor Deo debitus debet esse summus tum extensive, tum intensive.

Probatur prima pars conclusionis. Amor extensive summus, est amor summus (ut loquuntur) appretiative, hoc est, super omnia: atqui amor Deo debitus, debet esse summus appretiative, seu super omnia. Nimirum debet esse ex toto corde: at ex toto corde non est, si cor aliquam aliam rem aut minus aut æque ac Deum diligat; tunc enim divisus erit cordis affectus; unde merito sic Christus loquitur Lucæ 14. capite: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Ex ea Christi sententia, & ex his verbis Proverb. 24. *Da mihi, fili, cor tuum*; nec non ex ipso primo mandato Decalogi, *Diliges Dominum Deum tuum*, Augustinus Sermone 34. alias de Diversis c. 2. hanc elicit conclusionem. *Vide si aliquid voluit dimittere in te, unde ames te, qui tibi dicit; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Quid remanet de corde tuo, unde diligas te ipsum? quid de anima tua? quid de mente tua? Ex toto* (inquit) *totum exigit te, qui fecit te.* Hæc etiam ait lib. 1. Confessionum cap. 29. *Minus te amat.* (Deum alloquitur) *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

Probatur altera conclusionis pars. Amor intensive summus, quatenus hic in via potest haberi, est ille cujus fervoris gradus correspondent æstimationi, quæ de aliquo objecto habetur: atqui gradus amoris nostri, quantum hic in via fieri potest, debent correspondere æstimationi, quam hic de Deo habemus: ita ut major sit illius intensio, major fervor, quam sit intensio, quam sit fervor, quibus & nos, & proximum, creataque omnia diligimus. Nimirum recta ratio postulat, ut objectum, quod ceteris per appretiationem anteponimus, intensius & majori cum fervore diligamus.

Impositam illam hominibus legem exprimunt ipsa Decalogi verba, *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente tua.* Eam quoque continet hæc ipsiusmet Christi apud Matthæum sententia: *Qui amat Patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

Objicies. Doctrina, quæ secunda conclusionis parte continetur, viros pios exponit variis scrupulorum periculis: quis enim novit, an gradus amoris quo Deum prosequitur, correspondeant amori appretiationis qui illi debetur? ergo, &c.

Resp. nimis probare argumentum: si enim valeat, ex eo quoque concludi poterit, non esse legem de Deo super omnia diligendo: quis enim novit, an suus in Deum amor aliis cordis affectibus prædominetur? Dicendum est ergo, homini ut quietus sit, & ne scrupulis angatur, satis esse debere, ut totis viribus suam in Deum caritatem augere conetur, ab eoque cum Ecclesia petat: *Da nobis fidei, spei & caritatis augmentum, & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.*

§. II. *Utrum amor Deo debitus debeat esse universalis.*

CONCLUSIO. Hominis in Deum amor debet esse universalis.

Probatur. In eo Dei amor debet esse universalis, qui nihil præter Deum, aut saltem nisi in ordine ad Deum diligere debet: atqui homo nihil præter Deum, aut saltem nisi in ordine ad Deum, diligere debet: *Hæc enim regula dilectionis* (ait Augustinus in libro 1. de Doctr. Christiana cap. 22.) *divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut teipsum: Deum vero ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnes*

& omnem intellectum in illum conferat, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait. Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. Hactenus S. Doctor.

Confirmatur argumentum quod in Augustini doctrina, & in disciplina morali palmarium est: *Res aliæ sunt* (ait S. Doctor in libro 1. de Doctr. Christ. cap. 3.) *quibus fruendum est: aliæ quibus utendum; aliæ quæ fruuntur & utuntur. Illa quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis, quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere possimus. Nos vero qui fruimur & utimur, inter utrasque constituti, si eis, quibus utendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis, vel retardemur, vel etiam revocemur inferiorum amore præpediti.* Hactenus Augustinus.

Exponit immediate post S. Doctor, quænam sint res illæ, quibus fruendum est; atque Deum esse solum: *Res* (inquit) *quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus ea.*

Explicat quoque quænam res sint, quibus fruendum non est; asseritque eas esse res quæ aliæ sunt a Deo: *Nemine autem* (inquit) *homine, quamvis amicissimo frui debemus, quia nemo homo propter se diligendus est: Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata: cujus etiamsi nondum res, tamen spes ejus nos hoc tempore consolatur. Maledictus autem qui spem suam ponit in homine. Sed nec seipso quisquam frui debet, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est.*

Docet tandem, quænam res sint, quibus uti nobis licitum est: *Rebus denique creatis debemus uti; non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed transitoria potius, tanquam via, tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut si quid congruentius dici potest, ut ea, quibus fruimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus.*

Ex eo, quod (ut jam observavimus, & iterum inculcandum ducimus) palmarium est & capitale in disciplina morali principium, sic argumentum conficitur. Is qui seipsum, proximum, opera, creata omnia, ad Deum non refert, seipso, proximo, operibus, creatis non utitur, sed fruitur: siquidem, ex Augustino, *frui, est amore alicui rei inhærere propter seipsam: uti autem, quod in usum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre*: Sed qui seipsum, proximum, opera, creata aliqua, ad Deum non refert, sibi, proximo, operibus, creatis rebus, propter se ipsum, proximum, opera, rem creatam amore inhæret: ergo seipso, proximo, operibus, re creata, fruitur; ac proinde reus est infracti primi præcepti, quod in Decalogo continetur: Tota nimirum (Augustino teste) humani cordis perversitas in eo posita est, quod uti fruendis & utendis frui velit.

Quæres, utrum ut quis debito omnia in Deum referendi faciat satis, sufficiat, quod illius opus ex se tendat ad finem honestum, nec aliquo pravo fine ex parte operantis inficiatur.

Resp. satis non esse. Ratio est, quia relatio operis alicujus ad Deum, quæ creaturæ rationali per primum Decalogi mandatum præcipitur, differt a motu, quo bruta animantia ad finem sibi naturalem feruntur: ergo illi præcepto non fit satis, nisi per cognitionem & amorem finis.

Desumpta est ea responsio ex S. Thoma, qui in quæstionibus disputatis de Caritate art. 18. sic loquitur: *Habitualiter refert in Deum & qui nihil agit, nec aliud actualiter intendit, ut dormiens: sed virtualiter aliquid referre in Deum, est agentis propter finem inclinantis in Deum.* Vide quæ diximus agentes superius de actibus indifferentibus in individuo.

Confirmatur ex eo, quod debitum referendi omnes actus in Deum, creaturæ rationali hisce Decalogi verbis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. impositum sit: Iis autem verbis præcipitur, ut Deus a creatura rationali ametur, saltem virtualiter, in omnibus operibus suis deliberatis; nam ea Decalogi verba, non habitum amoris (ut superius demonstratum est) sed actum, saltem virtualem, præscribunt: ergo ei debito non fit satis per actus, in quibus creatura rationalis nec de Deo, saltem virtualiter cogitat, nec eum diligit amore saltem virtuali, seu qui oriatur ex aliquo actu amoris, qui in corde non multo ante præcesserit.

Hinc patet, hominem fidelem, qui pauperi largitur eleemosynam, aut aliquam actionem miseriæ proximi sublevandi caussa deliberate operatur, non peccare quidem quod id agat; opus enim illud altera Decalogi tabula præceptum est; sed tamen non facere eum satis præcepto, quo Deum ex toto corde diligere, seu ad ipsum omnia opera nostra, non actu quidem, sed saltem virtualiter, referre jube-

jubemur. Opera misericordiæ in proximum, & alia quæ tum ratione substantiæ, tum ratione finis proximi sunt bona, viæ sunt, (Augustino teste) vehicula, instrumenta, quibus non frui, sed uti debemus propter illud, ad quod ferimur, Deum scilicet, diligendum.

Se habet fidelis qui misericordiæ opus in proximum exercet, aut aliquid aliud, in se alioquin bonum, operatur, sicut Regis servus, qui cum a Rege jussus fuerit Romam Parisiis proficisci, Lugdunum se confert, quæ urbs est, qua Parisiis Romam itur. Quemadmodum ergo servus ille licet nihil operatus sit mali, quod Lugdunum se contulerit, mandatum tamen Regis, quo Romam usque proficisci jussus fuerat, non adimplevit, ita nec fidelis debito de Deo diligendo ex toto corde, ac proinde de referendis omnibus ad ipsum operibus deliberatis, non facit satis, qui opus misericordiæ in proximum exercet, nec ulterius tendit, hoc est, qui illud idem opus misericordiæ, in Deum (ut jubetur primo Decalogi mandato) saltem virtualiter, non refert. Implevit quidem homo ille fidelis præceptum secundæ tabulæ, sed non implevit illud, quod in prima Decalogi tabula continetur, quodque ab aliis distinguitur: ut his verbis docet S. Thomas 2. 2. q. 44. art. 1. ad 2. *Modus dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta sub hoc præcepto: Honora patrem tuum & matrem tuam, non cadit, quod hoc ex caritate fiat; cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus.*

Confirmatur ex Clero Gallicano, qui in Comitiis generalibus ann. 1700. hanc propositionem damnavit: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative.*

§. III. *Utrum hominis in Deum Caritas debeat esse perfecta.*

Not. Non est hic quæstio, utrum nostra in Deum caritas tantum hic in terris debeat habere perfectionem, quantam post vitam hanc habebit in cælis. Scilicet impossibile est, ut viatorum amor in Deum tantus sit, quantus est amor comprehensorum: *Deus* (inquit S. Thom. 2. 2. q. 44. art. 6.) *intendit per hoc præceptum ut homo Deo totaliter uniatur: quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus. Et ideo plene & perfecte in patria implebitur hoc præceptum. In via autem impletur, sed imperfecte;* quod nimirum in via non perveniatur in finem quem Deus in illo ferendo sibi proposuit. Sed quæstio est, utrum in hac vita adhuc constituti teneamur pro viribus ad perfectam caritatem conari, efficereque, ut illius fervor, illius intensio, in nobis augeantur.

CONCL. Primo Decalogi mandato, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* jubemus hic in terris ad perfectam caritatem pro nostra virili parte conari.

Probatur 1. ex Scriptura. Proverb. c. 4. hæc leguntur: *Justorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Unde sic arguitur. Homo in caritate Deo debita se habere debet, sicut sol se habet in itinere, quod decurrit; atqui sol ab ortu suo, singulis momentis quoad lucem crescit, donec meridiem attigerit: ergo a pari homo justus, quandiu est in via, crescere debet in caritate, donec meridiem attigerit; hoc est, donec in patria, ad caritatis plenitudinem & totalitatem per perfectam amantis cum objecto amato unionem pervenerit.

Psal. 83. Propheta Rex de justis, quibus cordi est æterna salus, hæc ait: *Ibunt de virtute in virtutem. Et videbitur,* hoc est, donec videatur, *Deus Deorum in Sion.* Neminem excipit Profeta sanctus, sed omnes omnino justos indefinite complectitur: ergo justis omnes, quatæcumque sint in via perfectionis, conari debent in singulis suis ætatibus, ut in sua in Deum caritate proficiant.

S. Petrus in Ep. II. c. III. omnibus omnino fidelibus dat in mandatis, ut in gratia proficiant: *Crescit* (ait) *in gratia, & in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.* Atqui in gratia non crescitur, nisi crescatur in caritate: Quid enim aliud est gratia, quam caritas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis? Quid gratia, nisi justitia, seu sanctitas? at justitia caritas est: ergo quisque fidelis conari tenetur, ut suæ ipsius caritati augmentum accedat. *Caritas incboata* (inquit Augustinus in lib. de Natura & Gratia cap. ult.) *incboata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; Caritas perfecta, perfecta justitia est. Sed caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita: Sed miror, si non habet quo crescat, cum de mortali excesserit vita.* Hactenus S. Doctor. Itaque ex S. Petro, & ex Augustino, ad mortem usque in caritate crescere jubemur.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino. Sacra Synodus caput decimum sessionis sextæ sic inscribit, *De acceptæ justificationis incremento:* quo quidem ex titulo patet, sacram synodum ex professo & dedita opera de justificationis incremento tractare.

Proponit deinde media quibus conari debemus acceptæ justificationis incrementum comparare: *Sic ergo justificati & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem* (seu continuo, & nulla interposita interruptione) *hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei & Ec-*

& Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur.

Mox eadem sacra Synodus ex Scriptura probat debitum, cujus meminit crescendi in justitia & caritate, & quidem ad ultimam usque vitæ periodum. Sicut (inquit) scriptum est: *Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum, Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.*

Profert & Ecclesiæ in suis Orationibus praxim, ut idem crescendi in caritate debitum justis omnibus impositum probet: *Hoc vero* (inquit) *justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei, & caritatis augmentum.*

Probatur 3. ratione theologica. 1. Homo, quandiu in humanis est, bellum debet indicere concupiscentiæ, cujus vires & impetum ad extremam usque vitæ periodum, quantumcumque sanctus sit, experitur; juxta illud Concilii Trident. sess. 5. can. 5. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet.* Atqui per repetitos & frequentes caritatis actus homo viator comprimit concupiscentiæ vires, & sistit impetum: siquidem (ut ait Augustinus) amor nonnisi amore pellitur, amor creaturæ amore creatoris: & in tantum deprimitur hostis ille domesticus, in quantum Dei caritas in nobis per frequentes illius actus crescit; vera enim est hæc ejusdem Augustini sententia in lib. III. de Doctrina Christiana, cap. x. *Quanto magis* (ait) *regnum cupiditatis destruitur, tanto caritatis augetur*: ac proinde e contra, quanto magis regnum caritatis augetur, tanto regnum cupiditatis destruitur.

Præterea homo in omnibus iis quæ agit ex deliberatione, uti tantum debet creaturis, solo autem Deo frui: ergo continuo tenetur agere ex caritate; non enim quis aut creaturis solum utitur, hoc est, illas ad Deum refert, aut Deo fruitur, nisi per caritatis actum: *Frui enim* (ut jam observatum est ex Augustino) *est amore alicui rei inhærere propter seipsam: Uti autem, quod in usum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre.* Si autem homo continuo ac sine interruptione tenetur agere ex caritate, tenetur & ad proficiendum in caritate: cum (ut jam dictum est) profectus caritatis non aliud sit, quam iteratum, & continuum caritatis exercitium.

ARTICULUS IV.

Quid ex parte nostra exigat caritas proximo debita.

Not. QUæ in hoc articulo expendentur, reducuntur ad hæc capita. 1. Per quid fiat satis præcepto Caritatis in proximum: 2. utrum vi caritatis ei debitæ, debeantur tum fraterna correptio, tum eleemosyna corporea: 3. An Caritas in proximum, sese etiam ad inimicos extendat.

§. I. *Per quid fiat satis præcepto caritatis in proximum.*

CONCL. 1. Præcepto caritatis in proximum non fit satis per solos actus externos, seu per beneficia tantum externa.

Probatur 1. Verba ex quibus constat præceptum caritatis in proximum, imperant internum caritatis actum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: hæc nimirum vox, *Diliges*, motum animi significat: unde Augustinus asserit, interiorem animi motum esse caritati, sive in Deum, sive in proximum, essentialem: *Caritatem* (ait lib. III. de Doctrina Christiana cap. x.) *voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se ac proximo propter Deum.* 2. Contraria nostræ conclusioni sententia damnata fuit ab Inquisitoribus Romanis coram Innocentio XI. & postea a toto Clero Gallicano, ut dicetur inferius: ab utrisque nimirum proscripta est hæc propositio: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

CONCL. 2. Varii actus externi requiruntur, ut fiat satis præcepto caritatis proximo debitæ.

Probatur. Requiritur 1. ut quantum in nobis est, illius æternæ saluti consulamus: *Quod ergo* (inquit August. in libro de Moribus Ecclesiæ, cap. 25.) *agit tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipsum, si non ad bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis.*

Requiritur 2. ut vitam corpoream exponamus certo etiam mortis periculo, si mors corporea prudenter existimetur requiri ad consulendum æternæ illius saluti. Scilicet in eo casu urget præceptum illud primæ Joannis 3. *In hoc cognovimus caritatem Dei quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos DEBEMUS pro fratribus animas ponere.* Idem aperte docet Augustinus in libro de Mendacio, cap. 6. ubi sic loquitur: *Temporalem plane vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere: hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur.*

Quod quisque proximo in extrema necessitate constituto debet ex caritate, ex justitia

præterea illi in gravi necessitate posito Pastores debent: *Bonus Pastor* (ait Christus Joannis 10.) *animam suam dat pro ovibus suis; Mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit*. Vide de fuga Pastorum, cum sævit persecutio, epistolam Augustini ad Honoratum, quæ in editione veteri erat numero 180. in nova vero numero 218.

Requiritur 3. ut magnum temporale proximi bonum servemus, etiam cum jactura nostri boni temporalis, sed longe minoris momenti. Unde ordinem amoris evertunt, qui pro defensione bonorum, fortunæ, famæ, honoris proximum occidunt auctoritate privata: *Quomodo* (inquit Augustinus in lib. 1. de libero arbitr. cap. 5.) *a peccato liberi erunt, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

§. II. *Utrum correptio fraterna ex vi præcepti caritatis proximo debeatur.*

Not. Expendendum est hic 1. an correptio fraterna sit præcepta: 2. A quibus fieri debeat: 3. Quibus cautionibus adhibenda sit.

CONCLUSIO 1. Vi præcepti caritatis, correptio fraterna proximo debetur.

Probatur 1. Vi præcepti caritatis consulere debemus æternæ proximi nostri saluti; eum enim sicut nos ipsos diligere debemus: ergo tenemur peccantem corripere: nimirum correptio est medium, quo salus illius æterna promovetur: qui autem efficaciter vult finem, debet velle media quæ ad illum finem aut conferunt, aut absolute requiruntur.

Probatur 2. Christus ipse correptionis præceptum tulit in Nova Lege: sic enim loquitur Matthæi cap. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Clarioribus verbis exprimi non potuit præceptum stricte sumptum.

Quæres, quid significent hæc duo verba *in te*, quibus Christus in ferenda lege correptionis usus est.

Resp. verba illa duobus modis explicari posse 1. ut idem sint ac TE SCIENTE, sive in nos ipsos, sive in tertiam personam, sive immediate in Deum proximus peccaverit. Ita exponuntur ab Augustino, Sermone LXXXII. alias XV. cap. 2. Explicari possunt 2. ut idem sint, ac IN TE IPSUM, ita ut significent injuriam nobis illatam. Ita ab eodem Augustino in mox laudato Sermone explicantur. Illi vero expositioni favet textus Evangelicus, ubi narratur, Petrum audita, de qua agitur, Christi sententia, mox Dominum sic interrogasse: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Præterea Lucæ 17. idem præceptum sic exprimitur: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi*.

Objicies. Si Christi sententia: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe illum inter te, & ipsum solum*, &c. intelligatur de peccatis quæ in nos immediate commissa sunt, hinc inferri poterit, non esse præceptum de corripiendo fratre cum aut in Deum immediate, aut in aliam a nobis personam peccaverit: sed falsum est consequens: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia proximum non nostræ utilitatis caussa corripere jubemur, sed ideo quod peccando animam interemerit suam: at non minus peremit, cum in Deum immediate, aut in proximum nostrum peccaverit, quam cum nos ipsos offendit. Desumptum est responsum illud ex Augustino, qui Sermone 82. alias 16. *De Verbis Domini*, c. 7. sic loquitur: *Quare illum corripis? Quia tu doles quod peccaverit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende, cujus amore id facere debeas; utrum tui, an illius. Si te audierit* (inquit) *lucratus eris fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Sic faciendo lucraris; nisi fecisses, perierat*.

CONCLUSIO. 2. Debitum corripiendi fratrem omnibus quidem impositum est; eo tamen Superiores strictius tenentur.

Probatur prior pars. Ecclesiastici cap. 17. hæc leguntur: *Mandavit*, Deus, *unicuique de proximo suo*: hoc est Deus unicuique dedit in mandatis, ut pro virili parte æternæ proximorum suorum saluti consulat. Præterea unius ac ejusdem corporis membra sumus omnes: Ergo aliqua ratione singulorum Ecclesiæ membrorum cura omnibus committitur: *Si quid* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 12.) *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*.

Probatur altera pars. Subditi Superiorum omnium, sive carnalium, sive spiritualium, curæ magis commissi sunt, quam aliis hominibus: *Si quis* (ait Apostolus) *suorum curam non habet, factus est infideli deterior*. Ad id oneris Episcopi, Pastores, Parochi, & alii qui animarum regimini præpositi sunt, non solum titulo caritatis, sed præterea titulo justitiæ tenentur. Ita docet Augustinus in libro 3. de Civitate Dei, cap. 9. *Quare* (inquit agens de Pastorum officio) *non utique parem, sed longe graviorem habent caussam, quibus per Prophetam dicitur*: Ille quidem in suo peccato morietur: sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. *Ad hoc enim populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccato*.

Quæres, an inferiores superiores corripere teneantur.

Resp.

Resp. inferiores nec teneri, nec posse corripere superiores per correctionem quæ sit actus justitiæ per coercitionem pœnæ; posse vero per correctionem quæ sit actus caritatis, & quidem occulte: ita definitur ab Innocentio III. Capite, *Cum ex injuncto*, Ext. de hæreticis, ubi dicitur: *Aliud esse fratrem in se peccantem occulte corripere; quod quisque tenetur efficere secundum regulam Evangelicam: Et aliud esse Patrem suum delinquendo reprehendere manifeste: quod utique nulli licet secundum Evangelicam veritatem.*

Excipitur tamen casus, quo fidei periculum immineret: Tunc enim inferior Prælatum etiam manifeste corripere tenetur. Ita Paulus Antiochiæ se gessit in Petrum cum Judæis cum Gentilium periculo judaizantem, quod quidem Pauli factum ipse Petrus probavit, ut hisce verbis docet Augustinus Epistola 82. alias 19. *Ipse vero Petrus quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: Atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores Majoribus pro defendenda Evangelica veritate, salva fraterna caritate resistere.*

CONCL. 3. Cautiones variæ in fraterna correptione adhibendæ sunt.

Probatur enumeratione. I. Tunc tantum adhiberi debet, cum probabilis spes affulget eam peccatori utilem fore: scilicet in eo tantum casu locum habet finis præcepti: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Nec opus est, ut judicetur eam statim profuturam esse; sed satis est, ut prudenter existimetur, illam aliquando utilem fore. Ita Augustinus Epist. 210. alias 87. ac aliis pluribus locis docet.

II. Cum peccatum ejus, qui deliquit, occultum est, occulta adhibenda est correptio: *Si peccaverit in te frater tuus* (ait Christus Matthæi 18.) *vade & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Divini illius præcepti hancce rationem tradit Hieronymus in caput 18. Matthæi: *Corripiendus est frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato.* Ac præterea necesse est, ut famæ consulatur, ad quam delinquens jus habet, quandiu occultum est quod admisit peccatum. Vide Augustinum Serm. 82. alias 16. *De Verbis Domini*,

III. Si adhibita occulta correptio sceleris reo non profuerit, hoc est, si se non emendaverit, servandum est illud Christi præceptum: *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum.* Cui iteratæ monitioni si reus non obtemperet, tunc deferri debet ad superiores, qui pœnæ metu illum coerceant: *Quod si* (inquit Christus) *non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

IV. Ea tamen monitionis cautio adhibenda non est, cum rei peccatum vergit in aliorum nocumentum, sive spirituale sit, sive corporale. Tunc enim absque præmissa monitione propter commune bonum, quod privatæ peccantis famæ ac commodo præponendum est, statim Superioribus denuntiari debet: *Quædam peccata* (inquit S. Thomas 2. 2. qu. 33. art. 7.) *occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus; vel si hæreticus privatim homines a fide avertat. Et quia ille qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios: oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur.* Conditionem adhibet Sanctus Thomas, quæ cum de patriæ proditoribus, hæreticis, aut corruptæ moralis disseminatoribus agitur, licet speculative vera sit, in praxi tamen nusquam, propter periculum boni communis, locum habere debet: *Nisi forte* (inquit ibidem) *aliquid firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.* Vide Leonem Magnum Sermone xv. de jejunio decimi mensis, ubi de hæreticis hæc ait: *Qui tales non prodendos putant, in judicio Christi invenientur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu.*

V. Cum quis prudenter judicat, correptionem utiliorem fore, si a Prælato, aut alio Superiore fiat, potest absque occulta monitione, peccatum licet occultum ad Prælatum deferre, non tanquam ad judicem, a quo puniatur, sed tanquam ad Patrem & medicum, a quo reus salvetur, & sanetur: *Si ergo scio* (inquit S. Thomas Quodlibeto XI. quæst. X. art. II.) *quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato. Si autem videtur, quod hoc melius fiat per Prælatum, & nihilominus Prælatus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denunciare ipsi; & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi & emendam.* Eum agendi modum hausit S. Thomas ex Augustino Sermone qui jam superius laudatus est.

VI. Cum peccatum est publicum, publica adhibenda est correptio, præsertim a Prelatis & Superioribus: *Peccantes* (inquit Apostolus I. ad Timoth. 5.) *coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.* Hinc Ecclesia his etiam temporibus (ut patet ex Concilio Tridentino) iis qui certorum quorumdam peccatorum publicorum rei sunt, publicam pœnitentiam injungit.

VII. Correptio fraterna exerceri debet I. cum

cum humilitate, 2. cum caritate, 3. cum mansuetudine: *Fratres*, (inquit Apostolus in Epistola ad Galatas, c. 6.) *& si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris*. Vide Augustinum Serm. 85. alias 18. *de Verbis Domini* cap. 18. Vide etiam Gregorium Magnum libro 24. *Moralium*, cap. 10. Vide quoque Bernardum Sermone 1. ex iis quos habet Paschali tempore.

Quæres 3. utrum is peccet, qui fratrem arguit de peccato, cujus ipse reus est.

Respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 5. non peccare, si corripiendo fratri notum non sit corripientis peccatum; 2. non peccare quoque etiamsi illius peccatum sit fratri corripiendo notum, modo illius pœnitentiam demonstret; immo etiamsi sit publicum, modo videatur illud detestari. Asserit S. Doctor teneri corripientem ad interiorem sui peccati pœnitentiam, ne affectus ad peccatum impedimento sit divinis auxiliis, quibus corripiendus indiget ad sui emendationem. Addit, peccatum, cujus quis reus est, eum ab exercenda in fratrem correptione non eximere. Nec mirum, cum debitum correptionis fraternæ jure naturali ac divino, cuique impositum sit. Vide de eo argumento Augustinum in libro 1. de Civitate Dei, c. 9.

Quæres 2. utrum omissio fraternæ correptionis sit peccatum.

Resp. omissionem fraternæ correptionis esse peccatum lethale: *Quando* (ait S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 2. in responsione ad tertium) *aliquis probabiliter præsumit de aliquo delinquente, quod posset eum a peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit*. Addit S. Doctor, veniale tantum esse peccatum, cum timor ac cupiditas, extra tamen gravem necessitatem, correptionem fraternam tardiorem faciunt. Ita etiam docet Augustinus in lib. 1. de Civitate Dei, cap. 9. Excipiendus est tamen casus pastoris: is enim, etiam in communi necessitate, non potest diu fraternam correptionem, quam utilem fore judicat, in longum tempus protrahere. Vide eumdem Augustinum loco proxime laudato.

§. III. *Utrum ex vi præcepti de caritate incumbat eleemosynæ debitum.*

Not. De Eleemosyna quæremus 1. utrum cadat sub caritatis proximo debitæ præceptum: 2. a quibus erogari possit: 3. quibus danda sit: 4. quænam conditiones illam comitari debeant.

CONCLUSIO 1. Eleemosyna cadit sub caritatis proximo debitæ præceptum.

Probatur. Eleemosyna cadit sub præceptum illius virtutis, quæ jubet, ut proximi miseriam sublevemus; sed id jubet caritas proximo debita: Cum enim ex caritatis præcepto proximum, non lingua & verbo, sed opere & veritate diligere debeamus, jubemur quoque, quantum in nobis est, illius miseriam sublevare: ergo eleemosyna cadit sub præceptum caritatis proximo debitæ.

Quæres 1. utrum omissio eleemosynæ sit peccatum lethale.

Resp. affirmative: Ratio est 1. quia Matthæi 25. igne perpetuo damnantur, qui eleemosynam debito loco & tempore non erogaverint: *Discedite in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*. 2. Primæ Joannis 3. dicitur: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera misericordiæ suæ ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Ecclesiastici c. 4. exprimitur præceptum de eleemosyna eroganda: *Eleemosynam pauperis ne defraudes*: iis enim verbis debitum strictè sumptum significatur; qui autem præceptum infringit, per se reus est peccati mortalis.

Quæres 2. quo tempore obliget eleemosynæ præceptum.

Resp. obligare 1. in extrema proximi necessitate, hoc est, cum proximo imminet periculum mortis, mutilationis membri, incidendi in perpetuam amentiam, aut in perpetuam infamiam. Resp. 2. obligare in gravi proximi necessitate, id est, cum adest periculum gravis alicujus damni, ut est gravis ægritudo, jactura notabilis bonorum, aut notabilis acceleratio mortis paullatim procedens, & incommoda alia, quæ vitam reddunt miseram & multo molestam: hæc autem necessitatis species vocari solet *quasi* extrema. Resp. 3. obligare in communi necessitate, ea scilicet quam patiuntur ii qui vulgo *pauperes* vocantur. Nec nomine *pauperum* soli mendici intelligi debent, sed etiam ii qui licet honeste vivant, carent iis quæ ad congruam sustentationem, & sumptus, quos fert eorum status, ad modestiæ tamen christianæ normam exactus, requiruntur.

Quæres 3. quibus ex bonis in illa triplici necessitate eleemosyna sub reatu peccati lethalis dari debeat.

Ut illa quæstio solvatur, notandum est, bona alicui necessaria triplicis esse generis. Nonnulla sunt simpliciter necessaria naturæ, quia scilicet sine illis homo non potest se ipsum, aut suos alere. Alia sunt necessaria status, hoc est, ut conservetur status honestus, & ad christianæ modestiæ & temperantiæ regulas exactus. Et tandem alia sunt bona superflua & naturæ & statui honesto. His præmissis, dicendum est 1. bona quæ naturæ sunt superflua, erogari debere in extrema proximi necessitate. Ratio est, quia fert ordo caritatis, ut cum dispen-

pendio proprii minoris boni, ut est bene esse naturæ, conservetur majus bonum proximi, cujusmodi est illius vita. Dicendum est 2. in gravi proximi necessitate erogari debere, quæ ad honestum statum conservandum necessaria sunt; idque propter eamdem rationem quæ jubet, ut superflua naturæ dentur in extrema proximi necessitate. Dicendum est 3. superflua status ad christianæ modestiæ regulas exacti, erogari debere in communi proximorum necessitate.

CONCLUSIO 2. Ii tantum possunt ac debent eleemosynam dare, quibus aut dominium rei erogandæ, aut illius administratio libera competunt.

Probatur. Eleemosyna ex iis tantum bonis fieri potest, quæ eroganti propria sunt; neque enim alienum dari potest: atqui iis tantum, quibus rei erogandæ aut dominium, aut administratio libera competunt, sunt aliqua bona propria: ergo ii solum eleemosynam dare possunt.

Hinc autem colligitur 1. Monachum cui dispensatio, vel administratio bonorum Monasterii non est concredita, non posse sine Superioris licentia aut expressa aut prudenter præsumpta eleemosynas elargiri. Ratio est, quia voto paupertatis obstrictus, rei alicujus dominium non habet, immo nec usum, nisi a Superiore concessus sit. Idque intelligitur non tantum de Monasterii bonis, sed etiam de iis quæ aut a parentibus acceperit, aut quæ industria, aut alio quovis modo comparaverit: nisi tamen pauperi in extrema necessitate constituto, aut absente Superiore, aliquid modicum, sub spe, ut ait S. Thomas, ratihabitionis.

Excipiendi sunt tamen duo casus. Primus, cum quæpiam ei conceduntur dispensanda, aut in proprios usus, aut in alios pios; ex iis enim bonis, quod vel parsimonia, vel frugalitate superfuerit, potest pauperibus erogare, sive sit in Monasterio, sive extra Monasterium negotiorum aut studiorum caussa versetur: *Quia* (ut loquitur S. Thomas in IV. sent. dist. XV. q. II. art. V. quæstiuncula IV.) *cum dantur ei expensæ, committitur ei earum dispensatio*. Alter casus est, cum Parochus est, aut alio aliquo beneficio donatus; tunc enim ex jure beneficii est administrator, ac proinde ex fructibus illius pauperes recreare potest, ac debet. Scilicet oblationes, & fructus beneficiorum, accepta honesta sustentatione, patrimonia sunt pauperum.

Colligitur 2. Uxorem ex bonis mariti, vel ex bonis communibus, quorum administratio ad virum pertinet, non posse eleemosynas erogare, nisi ex mariti vel dato, vel præsumpto consensu, aut saltem modicas quæ ab ejusdem conditionis mulieribus fieri consueverunt, aut in extremæ necessitatis articulo. Ita docet Augustinus Epistola 63. alias 199. quæ est ad Ecdiciam.

Excipi tamen debet ab illa regula casus quo maritus ad proprium ornatum, & honestas expensas nonnullam pecuniæ summam concesserit, aut, minime neglecta familiæ cura, nonnihil arte, vel ludo, lucrata fuerit, aut bona paraphernalia, id est, præter dotem bona a parentibus, aut aliis in proprios usus expendenda habuerit; ex iis scilicet omnibus potest eleemosynas elargiri. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8. in responsione ad secundum.

Colligitur 3. filios familias eleemosynam erogare non posse absque licentia: *Quia* (ut ait S. Thomas ibid. in resp. ad tertium) *quæ sunt filii familias, sunt Patris*.

Excipi debent ab ea regula duo casus. Primus, cum ex consensu Patris iter agit, aut extra domum paternam negotiorum aut studiorum caussa versatur. Quæ enim aut solent paris conditionis filii familias, aut quæ sibi ex frugalitate subtraxerit, potest pauperibus elargiri: eorum scilicet bonorum concessa est ei libera administratio. Alter casus est cum habet bona Castrensia, aut quasi Castrensia; eorum enim est dominus: non autem cum habet adventitia; nempe quamvis eorum dominium habeat, liberam tamen, nisi ex Patris consensu, non habet administrationem.

Nomine bonorum *Castrensium*, intelliguntur ea quæ filius familias militando comparaverit: *Quasi Castrensium*, quæ ex Officio publico, aut Beneficio acquisierit: *Adventitiorum*, non quæ ex bonis Patris oriuntur, sed quæ arte, vel propria industria habuerit; & in hoc *Adventitia* differunt a *Profectitiis*, quod ista aut ex Patre originem ducant, aut ei Patris caussa donata sint.

Colligitur 4. famulos, & ancillas non posse ex rebus dominorum suorum absque eorum consensu eleemosynas, nisi forte quædam panis fragmenta, pauperibus erogare: *Dicendum* (ait S. Thomas in 4. Sentent. dist. 15. q. 2. art. 5. quæstiuncula III.) *de servis & ancillis, & etiam de famulis, quamvis sint liberæ conditionis, quod non possunt eleemosynas dare de rebus dominorum sine eorum consensu, nisi panem & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile nocumentum; quia etsi sit dispensator rerum, non tamen ponitur dispensator quasi potestatem aliquam in re domini habens, sed quasi tractans eam ad utilitatem domini: De pretio autem servitii sui, constat quod possit eleemosynam dare.*

CONCLUSIO. 3. Eleemosynam variæ conditiones comitari debent.

Probatur enumeratione. I. Eleemosyna debet esse *justa*: scilicet debet esse ex bonis propriis, & non alienis, aut male partis. Ita ex Scriptura docemur: *Honora* (inqu

Proverbiorum 3.) *Dominum* DE TUA *substantia*. Ita etiam docemur a Patribus: *Dicunt, rapere res alienas, Mammona est iniquitatis* (ait Augustinus Serm. 133. alias 35. de verbis Domini, c. 5.) *Erogare inde aliquid, maxime egentibus Sanctis, hoc est facere amicos de Mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, immo de tabulis cordis vestri omnino tollendus est. De justis laboribus facite eleemosynas. Ex eo quod recte habetis, date: non enim corrupturi estis judicem Christum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis.* Idem docent Ambrosius lib. 1. de Officiis Ministrorum c. 30. Gregorius part. III. Pastoralis curæ, Admonitione 22, S. Thomas, 2. 2. q. 32. art. 7.

II. Eleemosyna debet esse prompta: *Ne dicas* (Proverbiorum 3.) *amico tuo: Vade & revertere, cras dabo tibi; cum statim possis dare*. Unde Job. c. 31. *Si negavi quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectari feci*: in quæ verba sic loquitur Gregorius Magnus l. 21. Moralium cap. 21. *Petentem se viduam expectare noluit, ut non solum ex munere, sed etiam ex celeritate muneris, bonorum operum merita augeret*.

III. Eleemosyna debet esse hilaris. *In omni dato* (ait Scriptura, Ecclesiast. c. 35.) *hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas*. Eamdem conditionem Apostolus secundæ ad Cor. 9. Eleemosynæ præfinit: *Unusquisque* (inquit) *prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*. Vide Chrysostomum Hom. 16. in Epistolam 2. ad Cor. hom. 21. in Epistolam ad Romanos, & Augustinum enarratione in Ps. 42. ubi ait, eleemosynam a nonnullis non misericordiæ caussa dari: *Plerumque fit a tristibus, & a murmurantibus, ut careant tadio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis*.

IV. Eleemosyna debet esse abundans & copiosa. *In præsenti tempore* (ait Apostolus II. ad Corinth. 7.) *vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum non abundavit: & qui multum non minoravit*. Quisquis igitur pro suarum facultatum modulo eleemosynam largitur, *tanquam* (inquit Augustinus enarratione in Psalmum 146.) *quasi fisco reddendum. Habet rempublicam suam Christus, habet fiscum suum*.

V. Tandem eleemosyna debet esse humilis. *Te autem* (ait Christus ipse Matth. c. 6.) *faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*. Sinistra eo loci (ut docet Augustinus lib. 2. de Sermone Domini in Monte, capite 11.) significat, *Delectationem laudis*: Dextera vero significat, *Intentionem implendi præcepta divina*.

CONCL. 4. Pauperibus omnibus erogari debet eleemosyna.

Probatur. Tobiæ 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Lucæ 5. *Omni petenti te, tribue*. Augustinus (Enarratione in Psalm. 102.) *Aliud quod homo, aliud quod peccator: quod homo, opus est Dei; quod peccator, opus hominis. Da operi Dei, noli operi hominis.... Qui donat histrionibus; qui donat aurigis; qui donat meretricibus, quare donat? Numquid & ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani*.

Excipiendi sunt tamen mendicantes validi, ignavi, & otiosi: iis enim si detur, parce admodum dari debet: *Cum essemus* (inquit Apostolus II. ad Thessalonicenses IV.) *apud vos, hoc denunciabamus vobis: Quoniam si quis non vult operari, nec manducet*. Hinc S. Augustinus Epist. 93. alias 48. *Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus, justitiam negligat; quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus adquiescat*.

Non obviis tantum pauperibus, sed iis etiam qui pro pudore mendicare erubescunt: *Alius ad te venit, ut petat* (inquit Augustinus Enarratione in Psal. 103.) *alium præveni, ne pereat. Si ut enim de illo qui te quærit dictum est*: Omni petenti te da: *Sic de illo quem tu debes quærere, dictum est*: Sudet eleemosyna tua in manu tua, donec invenias justum cui eam tradas. Non sunt quoque prætermittendi Religiosi ex Ordinibus Mendicantium, qui cum pro Christo facultatibus omnibus nuntium remiserint, & de Ecclesia suis in eam obsequiis optime meriti fuerint, digni sunt, qui sedulo a divitibus quæsiti, præveniantur.

§. IV. *Utrum Caritatis præceptum se se ad inimicos extendat.*

Not. Expendemus hic 1. utrum inimici ex caritate diligi debeant; 2. quid ex parte nostra exigat debita inimicis caritas.

CONCL. 1. Inimici ex caritate diligi debent.

Probatur 1. Quilibet proximus noster ex caritate diligi debet: indefinitum enim est, ac proinde æquivalet universali, præceptum de caritate exhibenda proximo: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: atqui inimici, sunt proximi nostri: ii enim omnes (ut superius observatum est ex Augustino) qui aut suis beneficiis nos afficiunt, ut Angeli, vel qui nostris indigent obsequiis, nobis sunt proximi loco: ergo, &c.

Probatur 2. auctoritate Christi Domini, qui quidem Matthæi c. v. sic loquitur: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:*

Ego

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Christus eo loci rectum tradit sensum Legis: *Diliges proximum tuum*, quem pharisæi corruperant; isti enim per proximum, aut solum amicum, aut saltem solum Judæum, intelligi volebant: alios vero ex nationibus homines odio haberi posse contendebant: E contra Christus proximi nomine non amicum tantum, non solum hominem ejusdem religionis, sed omnes etiam ex nationibus & sectis homines intelligendos esse docet: prohibetque 1. ne quis odio habeatur: jubet 2. ut amore sincero diligatur, idque ex vi præcepti: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: ergo, &c.

Dices. Patres sæpius asserunt, præceptum de diligendis inimicis, esse præceptum speciale religioni christianæ: ergo censuerunt, juris esse positivi tantum, non autem naturalis; ac proinde non sequi ex Lege: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Sed vana est illa objectio. Eo nimirum sensu Patres dixerunt, præceptum de diligendis inimicis esse speciale religioni christianæ, quod soli Christiani illud servarent: a Christo nimirum edocti, inimicos etiam proximi nomine intelligendos esse: hinc Tertullianus in Apologetico scribit: *Christianus nullius est hostis*: e contra omnes habet fratrum loco, *Fratres autem etiam vestri sumus* (alloquitur infideles idololatras) *jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres.* Quid autem boni præcipue optare debeamus inimicis etiam discolis, docet Augustinus Tractatu VII. in Epistolam Sancti Joannis: *Quare* (inquit) *diligis inimicum? Quare illum diligis? Ut sanus sit in hac vita? Ut dives sit? Ut uxorem ducat? Ut filios habeat? Incerta sunt ista, quæ videris optare inimico tuo, quia diligis eum. Opta illi, ut habeat tecum vitam æternam. Opta illi, ut sit frater. Si ergo hoc optas, cum diligis inimicum ut sit frater tuus: cum enim diligis, fratrem diligis: non enim amas in illo quod est, sed quod vis ut sit.*

CONCL. 2. Caritas, seu amor inimico debitus, plura exigit ex parte nostra.

Probatur enumeratione. Exigit nimirum 1. cordis affectum, qui quidem voce ista *Diliges* exprimitur.

Exigit 2. linguæ officium: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Exigit 3. etiam officium manus: *Benefacite his, qui oderunt vos.*

Illa cordis, linguæ, & manus officia in casu tantum necessitatis, actu inimicis exhibere tenemur; nam extra casum necessitatis, satis est ut animus ad ea exhibenda, cum oportuerit, sit paratus. *Potest* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 25. Art. 8.) *considerari dilectio inimicorum in speciali; ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum. Et istud non est de necessitate caritatis absolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate caritatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis. Cum enim ex caritate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nullam inimicitiæ impediente. Sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius, filios ejus amaret, etiam inimicos sibi.* Hactenus S. Doctor.

Exigit 4. ut inimicis demonstrentur dilectionis signa & officia, quæ proximis exhibentur in communi. Nec mirum: si enim ab iis dilectionis signis aut officiis excluderentur, hoc (inquit S. Thomas) ad livorem vindictæ pertineret.

Hinc vero colligitur 1. eum qui dum alicui societati aut communitati obsequium impendit, ab eo beneficio aut obsequio excludit inimicum, peccare lethaliter contra præceptum caritatis inimico debitæ. E contra specialia beneficia, aut dilectionis signa quæ amicis speciatim exhibentur, vi præcepti, quod præcipit inimicorum amorem, inimicis extra casum necessitatis non debentur: hincque colligitur quod quis pro inimico, nisi casus necessitatis urgeat, non teneatur specialiter orare, aut illum ad familiare suum colloquium admittere.

Exigit 5. Ut specialia dilectionis signa & officia inimicis exhibeantur in casu necessitatis, non extremæ tantum, sed etiam gravis, ut scilicet impediatur grave malum, quod impendet eis. Salutationes, colloquia ipsi quoque debentur, cum autem ex eorum omissione est periculum scandali, aut cum necessaria judicantur, ut ipse alliciatur ad deponendum odium, quo suum proximum prosequitur. Tunc nimirum locum habet illud Evangelii: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Benefacite his qui oderunt vos.* Hinc autem colligitur, admitti non debere hocce Joannis Maldonati in mox laudata Christi verba Commentarium: *Consilii*, est, *ut eis etiam non ad extremam necessitatem indigentibus, benefaciamus, ut eos nominatim salutemus, ut familiariter alloquamur.* Scilicet preceptum est, ut eis in gravi necessitate constitutis opem feramus.

Exigit 6. ut inimico in odio pertinaci injuriæ

ex animo remittamus; & si ipse veniam petat, præter injuriæ remissionem, quæ sit ex animo, tenemur ei externa benevolentiæ & reconciliationis signa, sub pœna peccati lethalis, exhibere, habita tamen ratione circumstantiarum, quæ varia pro variis personis esse solent. Vide Augustinum Serm. 56. alias *de Diversis* 48. Vide etiam S. Thomam 2. 2. quæst. 83. art. 8.

Verum licet inimico veniam petenti injuria ex animo remitti debeat, & necesse sit aliqua ei reconciliationis signa exhibere, actionem tamen juridicam remittere non tenemur. Nec mirum; justitia enim non est contra caritatem; ac proinde præceptum caritatis non infringit, qui aut bonorum, sive fortunæ, sive honoris restitutionem, coram legitimo judice servato juris ordine, absque livore vindictæ, & ex animo illatam sibi injuriam remittens, exposcit.

Si tamen reus æquam satisfactionem ad arbitrium virorum prudentum offerat, oretque, ne litis intentandæ sumptibus oneretur, caritas exigit, ut a læso hujusmodi satisfactio accipiatur, nisi tamen requiratur judicis sententia, ut inimicus deinceps, & alii ad ejus exemplum, in officio contineantur: tuncque læsus rei pœnam, sive pecuniariam, sive corpoream, necessariam sibi aut reipublicæ bono, non tanquam inimici malum, sed ex zelo justitiæ, non ex ultionis libidine, exposcat necesse est. In praxi tamen quoties agitur de privatis injuriis, satius est, ut accepta debita satisfactione, læsus pœnam aliam, præsertim si capitis sit, aut mutilationis, a judice non exposcat. Vide S. Thomam 2. 2. q. 108. art. 1. Vide etiam Tertullianum in libro *de Patientia*, ubi multa in inimicum caritatis præcepta tradit. Unum hic exscribemus: *Patientiam* (inquit) *in detrimentis, exercitatio est largiendi & communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Aliquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit qui* (secundum præparationem animi, ut Sanctus Augustinus docet lib. 1. de Sermone Domini in Monte c. 24.) *auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? Absit a servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata, in frivolis excidat.*

CAPUT V.

Quæ sit Cleri Gallicani doctrina de præceptis Caritatis in Deum & proximum.

Not. QUÆ, tota hac quæstione de Caritate, doctrina a nobis tradita est, confirmari potest ex censura, quam Clerus Gallicanus, ad Comitia Generalia anno 1700. in Palatio Regio S. Germano congregatus, inussit quibusdam Propositionibus, quæ a nonnullis recentioribus sive in thesibus, sive in scriptis publicis, sive in libris editis, tum in Ecclesiæ Catholicæ dedecus, tum in fidelium animarum perniciem promulgatæ fuerant.

De Dei Dilectione.

Prima propositio. *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hinc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

Censura. *Hæc propositio est hæretica.* Eadem censura ei jam inusta fuerat ab Inquisitoribus Romanis coram Alexandro Papa VIII. die 24. Augusti anno 1690.

Secunda propositio, quæ est 5. inter damnatas ab Inquisitoribus Romanis coram Innocentio Papa XI. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

Tertia quæ & sexta est inter Innocentianas. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Caritatis in Deum.*

Quarta, quæ & septima est inter Innocentianas: *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

Quinta. *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.*

Sexta. *Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.*

Censura. *Hæ propositiones sunt scandalosæ, perniciosæ, piarum aurium offensivæ, erroneæ, impiæ, primum & summum mandatum irritum faciunt, atque Evangelicæ Legis spiritum extinguunt.*

De Proximi Dilectione.

Prima propositio, inter Innocentianas X. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

Secunda, inter Innocentianas XXII. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Tertia, inter Innocentianas XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali, de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Quarta, inter Innocent. XIV. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

Quinta. *Injuriarum condonatio commendatur nobis ut quid perfectius, sicut commendatur virginitas præ conjugio.*

Censura. *Harum propositionum doctrina, scandalo-*

cula-

dalosa & perniciosa est, piarum aurium offensiva, & secundo caritatis precepto contraria, respective heretica, & omnem, vel in ipsis parentibus & liberis, humanitatis sensum extinguens.

De Eleemosina.

Propositio, inter Innocentianas XII. *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

Censura. *Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, Evangelicum de eleemosyna præceptum pessundat.*

Declaratio de Dilectione Dei in Pœnitentiæ Sacramento requisita.

Post absolutas propositionum censuras (inquiunt Gallicani Patres) *supersunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda.*

Et quidem de dilectione Dei *sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex sacrosancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus: Primum, ne quis putet, in utroque Sacramento requiri, ut præviam. contritionem eam, quæ sit caritate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti,* antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. *Alterum ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei, & spei actus,* non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem.

Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi at maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat: nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, se se excitet ac provocet.

Placet etiam caveri Sacramenti Pœnitentiæ administris, ne in hoc Pœnitentiæ Sacramento, aliisque Sacramentis conferendis, sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; *neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes, admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine,* vel eo solo quod certis incerta præponant.

Iidem Gallicani Patres, Titulo *De Dispositionibus pœnitentis*, duas propositiones notarunt quæ traditæ in Declaratione doctrinæ exponuntur.

Prima propositio sic habet: *Attritio ex metu gehennæ sufficit, sine ulla dilectione Dei, sine ullo ad Deum offensum respectu: quia talis, honesta & supernaturalis est.*

Censura. *Hæc propositio qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.*

Altera Propositio. *Concilium Tridentinum adeo expresse definivit, attritionem quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad absolutionem ut anathema pronunties adversus negantes.*

Censura. *Hæc propositio, falsa est & temeraria. Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.*

Irrepserat, sed insciis (ut opinamur) Illustrissimis Episcopis, in nonnullarum Galliæ Ecclesiarum Catechismos Articulis, quo populi docebantur, Attritionem, modo supernaturalis esset, sufficientem esse dispositionem ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, etiamsi nullum vel inchoatæ caritatis Dei super omnia actum includeret. Verum ubi iidem Illustrissimi Episcopi attenderunt ad Ecclesiæ Gallicanæ Comitia Generalia congregatæ relatam a nobis Declarationem, jusserunt (ut audivimus) ut Articulus ille e Catechismis ad usum Ecclesiarum suarum editis deleretur, certaque de necessitate inchoati saltem amoris in Sacramento Pœnitentiæ doctrina, incertæ illi & ad summum probabili præponeretur: neque enim in Sacramentis conferendis licitum est sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.

DISSERTATIO QUINTA.

De Virtutibus Moralibus.

Not. VIrtutes Morales, eæ sunt quæ circa mores immediate versantur: & in hoc a Theologicis differunt, quod (ut dictum est) istæ circa Deum immediate versentur, hoc est, Deum habeant pro objecto immediato. Non hic dicemus de omnibus virtutibus Moralibus, sed tantum de Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, quæ *Cardinales* dicuntur, hoc est, ad quas aliæ virtutes Morales tanquam januæ ad cardines volvuntur: seu ad quas, tanquam quæ principem inter eas locum obtinent, ceteræ reducuntur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Prudentia.

Not. PRudentiæ nomen accipitur 1. late pro ea omni veri cognitione, quæ aliqua ratione voluntatem ad bonum honestum dirigit: eo sensu fides, theologia, & habitus intelligentiæ, prudentia dici possunt. Sumitur 2. stricte pro notitia veri, quæ voluntatem dirigit, ut in his aut illis circumstan-

stantiis operetur: quo sensu est virtus inter Morales Cardinalis, de qua cum Theologis quaremus 1. quid & quotuplex sit: 2. quodnam sit illius objectum: 3. quas habeat proprietates.

CONCL. 1. Prudentia recte definitur virtus, *qua in quavis negotiorum genere cognoscitur quid tanquam honestum agendum sit, aut quid fugiendum tanquam turpe.*

Probatur 1. Cum prudentia versetur circa humanas actiones singulares, quæ sunt contingentes, differt ab aliis virtutibus intellectualibus, sapientia & scientia, quæ circa actus humanos in communi versantur. 2. Differt ab aliis virtutibus moralibus, quod cum sit notitia, non in voluntate, sed in intellectu, tanquam in subjecto, recipiatur.

Objicies. Judicium prudentiæ est aliquando falsum, ut patet in Jacob, qui accessit ad Liam, quam prudenter judicavit esse uxorem suam; licet tamen non esset ejusmodi.

Resp. neg. ant. Ad cujus probationem dico, actum, quo Jacob judicavit Liam esse suam uxorem, non fuisse actum prudentiæ; sed intellectus speculativi, cui haud dubie falsum subesse potest. Actus e contra, quo judicavit hic & nunc esse honestum ad illam accedere, fuisse judicium prudentiæ, quod quidem fuit rectum, supposito intellectus speculativi errore invincibili.

CONCL. 2. Multiplex est prudentiæ divisio.

Probatur. Prudentia dividitur in *Personalem & Gubernatricem*. Prior, solum bonum operantis, posterior, bonum communitatis attendit. Gubernatricis species sunt *OEconomica*, qua quis recte familiam regit; *Politica*, qua curatur, ut in republica leges observentur; *Legislatrix*, qua justæ conduntur leges; *Militaris*, qua recte administratur Militia. 2. Prudentia tam Personalis quam Gubernatrix dividitur in naturalem & supernaturalem. Illa hominem dirigit ad finem naturalem; ista, ad supernaturalem. 3. Prudentia tam naturalis, quam supernaturalis, alia est completa, quæ nimirum extendit se ad id omne quod est agendum; alia vero incompleta, quæ respicit aliqua tantum negotiorum genera. 4. Prudentia, sive completa, sive incompleta, nonnumquam est infusa, aliquando vero adquisita, & quidem supernaturalis, si repetitis actibus supernaturalibus comparata fuerit.

CONCL. 3. Objectum materiale prudentiæ est actio humana singularis: Formale vero est conformitas illius actionis cum veritate practica, seu quæ circa res hic & nunc agendas versetur.

Probatur prima pars. Prudentia, tota circa actiones humanas singulares versatur: de eis enim, antequam fiant, judicat, an honestæ sint, an turpes; ac præterea ad earum electionem & executionem liberum arbitrium movet & inclinat.

Probatur altera pars. Objectum formale prudentiæ est verum; nam prudentia, cum sit judicium, emanat ab intellectu, cujus solius est veritatem attingere. Illud autem verum, non est verum speculativum: nam verum speculativum est objectum sapientiæ, aut scientiæ; nec etiam verum practicum in communi sumptum; hujusmodi quippe verum attingitur ab intellectu, qui circa prima principia moralis disciplinæ occupatur: Ergo est verum singulare practicum, seu, quod idem est, conformitas actionis singularis cum veritate practica.

Objicies. Prudentia est virtus Moralis; tota enim occupatur in regulandis moribus: Sed virtutes Morales habent pro objecto bonum, non autem verum; ergo, &c.

Resp. Prudentiam esse virtutem Moralem *directive*, eo quod ejus sit judicare de mediis hic & nunc aptis ad consequendum finem honestum: Non autem *elicitive*; ipsa enim non amat bonum, nec fugit malum, sicut Justitia, Fortitudo, & Temperantia.

CONCLUSIO 4. Prudentia infusa reperitur in omnibus justis, non est vero in iis, qui sunt in affectu peccati mortalis; adquisita sæpe non est in justis, quamvis sit in peccatoribus.

Probatur prima pars. Justi, ut justi sunt, habent gratiam sanctificantem. At cum gratia sanctificante infunduntur non tantum virtutes theologicæ, ut docet Concilium Tridentinum, sed etiam morales, ut ostendunt hæc verba Catechismi Romani ad Parochos, parte 2. titulo de baptismo, numero 50. *Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ cum gratia divinitus infunduntur.*

Probatur altera pars. Prudentia infusa inclinat voluntatem ad opera, quæ in omni negotiorum genere recta sint; ac proinde supponit appetitum in omnibus negotiis rectum, cum unusquisque prout affectus est, judicare soleat; At appetitus in omnibus rectus, non est in iis, qui peccati lethalis affectu laborant.

Probatur tertia pars. Prudentia adquisita, ex frequenti exercitio actuum prudentiæ nascitur; unde ad sui generationem indiget tempore, & experimento, quæ multis, etiam justis, desunt. E contra, cum in aliquibus peccatoribus sit nonnumquam tempus & experimentum, adsitque gratia actualis, reperiri in eis possunt frequentes prudentiæ actus, qui prudentiam habitualem generent.

CONCL. 5. Duæ sunt præcipuæ proprietates prudentiæ, necessitas, & influxus in omnes alias virtutes.

Probatur prima pars. Virtus, ex Augustino, est *ordo amoris*. Amor autem non potest esse ordinatus sine prudentia. Ut enim sit ordinatus, voluntas amans debet eligere

medi

media apta ad finem honestum consequendum; sed ea non potest eligere, nisi ante intellectus de eis deliberaverit, ac expenderit, an hic & nunc sint adhibenda, an sint convenientia in his vel illis circumstantiis: ergo neque sine prudentia, ad quam illud judicium practicum spectat.

Probatur altera pars. Prudentiæ tres sunt actus, 1. Inquirere, quæ circumstantiæ necessariæ sint, ut opus honeste fiat: 2. Judicare, quænam media pro loco, & tempore adhibenda sint: 3. Recte imperare, seu movere voluntatem ad exercitium operis: sed (ut patet) tres illi actus in omnes virtutes directive influunt: ergo, &c.

QUÆSTIO II.

De Justitia.

JUstitia sumitur in Scripturis 1. pro complexione omnium virtutum, *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam* (inquit Christus Matthæi 5.) 2. pro quibuslibet pietatis operibus: *Attendite* (ait idem Christus Matth. 6.) *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*

Idem Justitiæ nomen apud Patres accipitur 1. pro Deo, ut in se est, id est, sine ordine ad creaturas. *Quando timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum* (ait Augustinus lib. 2. ad Bonifacium, c. 9.) *Est ille summus Deus vera justitia* (inquit idem Sanctus Doctor Epist. 222.) Sumitur 2. pro virtute reddente alteri debitum ad æqualitatem. *Justitia est virtus, quæ sua cuique tribuit* (ait Augustinus lib. 19. de Civitate Dei, c. 21.) De Justitia in illo ultimo sensu dicemus in hac quæstione, quæremusque 1. quid & quotuplex sit: 2. quodnam sit illius, tum objectum, tum subjectum: 3. dicemus de dominio quod quidem est fundamentum, quo nititur: 4. de Contractibus: 5. de Restitutione: 6. de Injustitia: 7. Cleri Gallicani de justitia doctrinam proponemus: 8. Dicemus de Virtutibus justitiæ annexis.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Justitia.

CONCL. 1. Justitia definitur: *Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi ad æqualitatem.*

Probatur. 1. Quatenus justitia est ad alterum, differt a reliquis virtutibus cardinalibus, quæ respiciunt solum subjectum, in quo recipiuntur. 2. differt a Religione, pietate, & observantia, quod servet æqualitatem, illæ vero nequaquam; neque enim Deo, Parentibus, & Gubernatoribus tantum possumus reddere, quantum debemus.

Objicies 1. Justitia non potest perpetuo durare: ergo immerito perpetua voluntas appellatur.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Immerito dicitur perpetua perpetuitate actus, conc. conf. nec enim necesse est, ut justus sine intermissione hunc actum eliciat: *Volo dare unicuique quod suum est*: non est perpetua in præparatione animi, nego conseq.

Objicies 2. Voluntas est subjectum justitiæ, cum omnes virtutes, quæ circa bonum versantur, recipiantur in voluntate: ergo justitia non est ipsamet voluntas.

Resp. dist. conseq. Non est voluntas sumpta pro ea animæ potentia, quam voluntatem dicimus, conc. conseq. pro proposito habituali, quod in ea recipitur, neg. conf. nam justitiæ virtus dicit habituale propositum cuique tribuendi quod suum est.

CONCL. 2. Justitia adæquate dividitur in Commutativam, Distributivam, & Legalem.

Probatur. Totuplex est justitia, quotuplex est ordo, in quo statui potest æqualitas, quæ est objectum formale justitiæ. Sed triplex est tantum hujusmodi ordo in republica; totius nimirum ad partes, partium ad totum, & partium ad se invicem. Pro priori ordine statuitur justitia distributiva, quæ præmia, aut bonum commune civibus dispensat. Pro altero constituitur justitia legalis, per quam unaquæque pars se gerit, prout bono totius expedit. Pro tertio tandem ordine est justitia commutativa, per quam pars comparti, quod ejus est, tribuit.

Quæres 1. quomodo distributiva & commutativa justitia, cum habeant idem objectum formale; nempe constituere æqualitatem, specie differant.

Resp. eas differre a se invicem ratione modi specie diversi, quo idem formale objectum attingunt. Nam justitia distributiva constituit æqualitatem, servando proportionem geometricam, ita ut qualis est proportio inter merita eorum, quibus fit distributio, talis etiam servetur in distributione bonorum: e contra justitia commutativa servat æqualitatem arithmeticam; cum efficiat, ut tantum reddatur, quantum acceptum fuit, nulla habita ratione dignitatis, aut meriti personarum, inter quos fit commutatio.

Quæres 2. ad quam justitiæ speciem vindicativa reducatur.

Resp. eam reduci ad commutativam, quia Respublica puniens malefactorem recuperat honorem, quem ille per legum infractionem læserat.

CAPUT II.

De objecto & subjecto Justitiæ.

CONCL. 1. Objectum materiale justitiæ sunt actiones, quibus cuique redditur, quod suum est.

Probatur. Justitia primario & per se versatur

ſatur circa actiones, quibus cuique redditur quod ſuum eſt, verbi gr. circa redditionem depoſiti, ſolutionem mutui, &c. ſiquidem per illas actiones conſtituitur medium, aut rei, aut rationis, quod juſtitia attingit; ſeu ponitur æqualitas, quam illa virtus intendit; ſive, quod idem eſt, ſervatur illæſum jus alterius, quod juſtitia ſibi ſervandum proponit.

CONCL. 2. Objectum formale juſtitiæ eſt æquale debitum, ſeu jus alienum ſtricte ſumptum.

Probatur. Juſtitia in actionibus, quibus cuique redditur quod ſuum eſt, intendit æqualitatem, debitum, jus ſtricte ſumptum: Ideo enim circa illas externas actiones occupatur, ut illam æqualitatem ſtatuat, ut alteri debitum reddat, ut jus alienum ſervet integrum.

CONCLUSIO 3. Imperfecta quidem juſtitia, non vero perfecta, eſt in creaturis reſpectu Dei, in Filio reſpectu Patris, in ſervo reſpectu domini.

Probatur prima pars. 1. Patres aſſeruerunt creaturam Deo per ſuum peccatum inferre injuriam, & conſequenter infringere juſtitiam; ſuppoſuerunt igitur, Deum inter & hominem nonnullam juſtitiam reperiri. 2. Filius, qui neceſſaria Patri negat, reus fit violatæ juſtitiæ; quippe qui id elargiri detrectet, quod naturali jure debet. 3. Servus qui, invito domino, fugit, incidit in peccatum furti; rapit enim bonum alienum, invito rationabiliter domino. At furtum eſt contra juſtitiam.

Probatur altera pars. Rigoroſa & ſtricta juſtitia tres conditiones includit. 1. debet eſſe ad alterum: 2. debitum ſupponit: 3. debet conſtituere æqualitatem. Sed prima & tertia non reperiuntur inter creaturas & Deum, Filium & Patrem, ſervum & dominum. Nam 1. Creaturæ ſunt Dei effectus, filii partes parentum, ſervi inſtrumenta dominorum; ac proinde nec Deus, nec pater, nec dominus ſunt perfecte aliquid aliud ab ipſis. 2. Nec creaturæ Deo, nec filii patribus æquale reddere poſſunt: ergo, &c.

Objicies in ſecundam partem. Inter creaturas & Deum, patrem & filium, poteſt eſſe vera amicitia: ergo & juſtitia ſtricte ſumpta. Non minus enim amicitia eſt ad alterum, quam juſtitia.

Reſp. neg. conſeq. Ratio eſt, quia major diſtinctio requiritur ad fundamentum ſtrictæ juſtitiæ, quam ad fundamentum amicitiæ; iſta enim aliquo modo, per affectum nimirum, identificat perſonam amatam cum amante.

Objicies 2. Filius per emancipationem redditur alter a patre: ergo in eo caſu inter patrem & ipſum poteſt eſſe perfecta juſtitia.

Reſp. poſſe tunc eſſe in bonis civilibus, non autem in debitis jure naturæ. Ratio eſt, quia [illegible] unitatem naturæ [illegible]

efficit igitur, ut in rebus, quæ ad naturam pertinent, filius & pater ſint perfecte diſtincti.

CAPUT III.

De Dominio.

Not. 1. DOminium eſt fundamentum, quo juſtitia commutativa nititur.

Not. 2. Dominium definitur vero, *Facultas diſponendi in proprium commodum de re aliqua tanquam ſua ad omnem uſum lege non prohibitum*,

Not. 3. Ea definitio convenit omni, & ſoli dominio. Nam 1. quatenus dominium eſt *facultas*, convenit cum uſu, & poſſeſſione alicujus rei; cum is, qui uſum rei habet, aut eam poſſidet, in eam habet facultatem aliquam, ſeu poteſtatem. 2. Prout eſt ad *omnem uſum*, differt ab aliis omnibus poſſeſſionum ſpeciebus: ſiquidem res, quæ poſſidetur alia poſſeſſione ab ea, quæ eſt per dominium, nec conſumi, nec diſtrahi, nec venire, nec dari poteſt. 3. Per hæc verba, *ad uſum lege non prohibitum*, excluditur diſpoſitio rei contra leges. Idque patet in pupillis, qui licet in ſuas opes verum habeant dominium, eas tamen, utpote lege prohibiti, nec vendere, nec dare poſſunt.

Not. 4. Dominium multipliciter dividitur. Et ſane aliud eſt dominium proprietatis, de quo mox actum fuit: Aliud vero juriſdictionis, quod definitur, legitima poteſtas regendi ſubditos liberos. 2. Dominium dividitur in utile, & directum. Illud confert rei uſum, non vero proprietatem: illud vero, ſi ſit imperfectum & ſemiplenum, uſum rei non importat, ſed ſolam proprietatem; ſi vero perfectum & plenum, utrumque complectitur. De dominio, cujus eſſentia & ſpecies mox explicatæ ſunt, exponemus in hoc capite: 1. Objectum: 2. Subjectum: 3. Proprietates.

ARTICULUS I.

De Objecto Dominii.

Not. QUæremus hic 1. utrum ſublunaria ſint objectum dominii: 2. an homo reſpectu alterius hominis: 3. an proprium corpus & fama reſpectu cujuslibet.

CONCL. Homo innocens jure naturæ, rerum omnium ſublunarium erat dominus.

Probatur ex Scriptura. Geneſis 1. *Faciamus hominem ut præſit, &c. Replete terram & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris.* Pſ. 8: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.*

Quæres, utrum idem dominium in homine lapſo permanſerit.

Reſp. illud permanſiſſe in ipſo genere humano, ſed non in quolibet individuo. Ratio eſt, quia poſt peccatum facta fuit rerum diviſio, quam leges humanæ, & conſuetudo confirmarunt. [illegible]

non omnes in omnia sublunaria habent dominium; nec etiam in iis, qui eo fruuntur, aque perfectum est, ac erat prius.

CONCLUSIO 2. Homo potest esse objectum dominii, seu potest esse servus & mancipium alterius hominis.

Probatur 1. ex Antiquo Testamento, in quo legimus, apud Judæos fuisse servos tam ex Israelitis, quam ex Gentilibus; cum hoc tamen discrimine, quod isti iure hereditario transferrentur in posteros; illi vero, expleto sexennio, deberent dimitti, Exodi 21. & Levitici 25.

Probatur 2. ex novo Testamento. Petrus primæ Epist. cap. 2. præcipit, ut servi conversi ad fidem, dominis, etiam discolis, obediant. Paulus 1. ad Corinth. 2. hæc ait: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es, non sit tibi curæ.*

Probatur 3. ex Patribus. Nullus ex iis, qui a Christo ad 12. usque sæculum scripsere, damnavit ut illicitam, etiam apud Christianos, servitutem legalem.

Probatur 4. ratione. Ad majus & præcipuum bonum conservandum, licet illud profundere, quod minus est: ergo, cum vita sit pretiosior libertate, licitum est, saltem ad conservationem vitæ, libertatem vendere.

Objicies 1. Servitus juri naturali contraria est, cum omnes homines nascantur liberi: ergo est illicita.

Resp. servitutem repugnare juri naturali sumpto pro prima hominum institutione; non autem sumpto pro lege prohibente; neque enim servitus est intrinsece mala sicut est peccatum.

Objicies 2. Servitus repugnat Legi Christianæ, dicente Domino Matthæi 17. *Liberi sunt filii.*

Resp. libertatem, de qua Matthæi 17. esse libertatem a peccato, non autem a subjectione legali. Nec enim lex nova jus gentium abrogavit, imo Christus suos illi subjecit Discipulos, dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Objicies 3. Nulli videntur esse justi tituli dominii in homines: ergo, &c.

Resp. neg. ant. 1. Licitus est titulus belli: Nam cum bellum det jus interficiendi hostes, dat a fortiori jus captos redigendi in servitutem. 2. Æquus est nativitatis titulus, quando quis nascitur ex matre serva; justa quippe est hæc lex, *Partus sequitur ventrem.* 3. Æquus etiam titulus condemnationis ob delicta, quorum quis reus est. 4. Denique justitiæ legibus non repugnat titulus emptionis; nam, cum quisque sui ipsius dominus sit potest se alterius obsequio mancipare.

Quæres, utrum æqualis sit conditio servorum titulo belli, ac servorum titulo emptionis.

Respondet Dominicus Soto negative. Contendit quippe, bello captos posse fugere; modo non promiserint contrarium; alios vero id non posse sine injustitia. Addit idem auctor, bona, quæ istis accidunt, quocumque medio id contingat, esse dominorum, non autem ea, quæ bello captis obveniunt.

CONCLUSIO. 3. Homo nec suæ vitæ, nec membrorum sui corporis est dominus: in famam tamen verum habet dominium.

Probatur prima pars. 1. Homo non potest pro libitu de sua vita, aut de membris sui corporis disponere. Unde Deus Deuteronomii 22. hæc ait: *Ego occidam, & ego vivere faciam*, id est, solus ego sum vitæ & necis dominus. 2. S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5. asserit quod occidens seipsum, non solum peccet contra caritatem, sed etiam contra justitiam: nocet nimirum reipublicæ, cujus est vita hominis privati.

Probatur altera pars 1. auctoritate Patrum. Ambrosius dicitur perditas mulieres excepisse propria domo, ne Mediolanensium Episcopus eligeretur; quod tamen exemplum caute est accipiendum. Hieronymus Epist. 47. lapsum suum scriptis mandavit. Varia sua occulta peccata Augustinus propalavit in libris Confessionum: ergo illi sancti Patres existimarunt, detrimentum voluntarium famæ non esse contra justitiam; quæ enim sunt contra justitiam, nullo in casu licita sunt. 2. S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4. ad 1. ait: in arbitrio *cujuscumque esse pati detrimentum suæ famæ, nisi id vergat in alterius nocumentum.* 3. Præcipui actus dominii, quoad famam, homini conveniunt. Primo enim proprio labore eam sibi comparare potest. Secundo, ablatam proprio nomine velut rem suam repetere potest pro libito. Tertio, penes ipsum est illius restitutionem condonare.

Objicies 1. Honor pretiosior est vita: ergo si homo non sit vitæ suæ dominus, a fortiori nullum habet in famam dominium.

Resp. dist. ant. Honor qui in vera coram Deo justitia positus est, conc. ant. qui positus est in æstimatione & judicio hominum corrupti hujusce sæculi, neg. ant. Nam 1. hanc honoris speciem appetere non licet: *Sanius videt* (inquit Augustinus in lib. 5. de Civit. Dei, c. 13.) *qui & amorem laudis, vitium esse cognoscit.* 2. Juxta S. Thomæ doctrinam, licet occidere invasorem vitæ, servato moderamine inculpatæ tutelæ; non licet tamen interficere injustum invasorem honoris, ut definisse videtur Innocentius Papa XI. proscribens hanc propositionem: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

Objicies 2. Bona fama a nobis non pendet, sed ab aliorum hominum opinione, in quam nihil omnino possumus: ergo, &c.

Resp.

Resp. bonam famam pendere a nobis caussaliter, quatenus scilicet ea possumus agere, quæ ex se apta sunt ad illam conciliandam & ad movendum proximos, ut bene de nobis opinentur.

Quæres 1. in quam virtutem is peccet, qui infamat seipsum.

Resp. eum peccare in caritatem, quam quisque sibi debet: nisi tamen id fiat ad aliorum ædificationem, & ad satisfaciendum pro peccatis: unde, cum utrumque illum finem Hieronymus & Augustinus sibi proposuerint, non peccarunt in caritatem sibi debitam, cum sua occulta crimina propalarunt.

Quæres 2. utrum urgente gravium tormentorum metu liceat viro detegere occultum crimen, quod scit morte postea puniendum.

Resp. non posse modo, sed etiam debere, ubi juridice interrogatur. Ratio est, quia tunc non datur caussa mortis, sed tantum detegitur caussa, per quam quis mortem meritus est. Si tamen illud crimen esset falsum, non liceret illud fateri; tum quia esset mendacium in materia gravi, quod quidem, ne in re quidem levi, licet unquam admittere; tum etiam quia accusatio hujusmodi præberet occasionem morti, quam æquum non est ut innocens patiatur, quamque ut amittat locum injustum dare non potest. Vide Hieronymum Epistola 47. quæ est ad Innocentium, ubi loquitur de muliere septies icta, & de adolescente quodam, qui crimen, falso (ut contendebat illa mulier) confessus, hæc ab ipsa audit: *Miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes?*

ARTICULUS II.

De subjecto Dominii.

Not. 1. HOc in articulo quæremus 1. utrum Religiosis aliquod dominium conveniat, tum in mobilia, tum in immobilia. 2. An clericis competat respectu redituum Ecclesiasticorum, quibus fruuntur. 3. An qui patrimonium habent, possint Ecclesiasticos reditus in expensas sibi necessarias impendere.

§. I. *An Religiosis dominium conveniat.*

CONCLUSIO. Religio potest habere dominium in res temporales, tam mobiles, quam immobiles: non autem privati Religiosi Professi.

Probatur prima pars. 1. ex Christi Collegio Religionum omnium exemplari. Possedisse illud Collegium bona nonnulla, ex Evangelio constat; legimus enim, Apostolos ex bonis communibus sæpius emisse sibi necessaria; proindeque certum est, rerum, quas habebant, in venditores verum transtulisse dominium.

Probatur 2. ex jure Canonico, quo definitur ea, quæ acquirit Monachus, adquiri Monasterio. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. concessit omnibus Monasteriis, tam virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium, exceptis Capuccinorum & Minorum de Observantia domibus, ut deinceps eis bona immobilia possidere liceret.

Probatur altera conclusionis pars ex jure canonico, & ex jure civili, quibus expresse definitur.

Quæres 1. an Episcopi assumpti ex Ordine aliquo religioso, sint incapaces cujuslibet dominii, ut erant prius in religione, in qua professi fuerant.

Respondet S. Thomas affirmative, hancque suæ responsionis rationem reddit, 2. 2. q. 88. art. 1. ad 4. Sicut religiosus, qui fit Episcopus, non absolvitur a voto continentiæ; ita nec a voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium.

Respondent Dominicus Soto, multique alii Theologi, negative, eo quod (inquiunt) Canon *Statutum* 18. q. 1. diserte asserat, quod Monachus, quem canonica electio a jugo regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea vindicandi jus habeat.

Respondemus nos, in locis, ubi viget consuetudo antiqua, ut Monachi facti Episcopi consanguineorum hereditatem adeant, adquirant, possideant dominia, eos id posse tuta conscientia, eo quod consuetudo illa antiqua (qualis viget in Gallia) sit dispensatio, seu relaxatio legis Ecclesiasticæ, quæ illos ad dominium inhabiles effecerat.

§. II. *De Dominio Clericorum in reditus Ecclesiasticos.*

Not. 1. Reditus Ecclesiastici triplicis sunt generis. Nonnullos Clericus percipit vi tituli sui beneficii: iique vel acceptæ honestæ sustentationi supersunt, vel ad eam sunt necessarii. Alios recipit propter laborem: hujusmodi sunt distributiones quæ dantur præsentibus choro canonicis fidelium, ut sunt stipenda Missarum, administrationis Sacramentorum. De iis omnibus singillatim est hic dicendum.

Not. 2. Conveniunt tum Theologi, tum Canonistæ, Clericos teneri in pios usus impendere reditus ex beneficiis perceptos, qui honestæ eorum sustentationi supersunt: idque (ajunt) ex triplici capite. 1. ratione virtutis quæ fidelitas dicitur: nimirum reditus Ecclesiastici ea intentione clericorum in manus ab Ecclesia traditi sunt, ut ex honesta sustentatione superstites pauperibus illius curæ commissis largiantur. 2. ratione virtutis quæ dicitur Religio, nempe census Ecclesiastici res sunt sacræ, quæ proinde

fine facrilegio in prophanos usus converti non possunt.

Hinc autem inferunt, gravi se peccato devincire Clericos, qui ad usus iniquos, spectacula v. gr. sæcularem fastum, delicatiores cibos, meræ curiositatis & voluptatis itinera, beneficiorum suorum reditibus utuntur; qui iis ditant consanguineos alioquin non egentes; aut qui, cum aliunde patrimonium suppetat, eorum ope ære alieno, quod non ad usus pios contraxerunt, sese liberant.

Not. 3. Licet in eo articulo unanimis sit (ut observatum est) Theologorum & Canonistarum sententia, non conveniunt tamen, an ex virtute quæ justitia stricte sumpta dicitur, clerici teneantur reditus Ecclesiasticos, suæ honestæ sustentationi superstites, in pios usus impendere. Duplex est ea de re in scholis tum Theologorum, tum Canonistarum opinio. Nonnullis placet clericos ad id non teneri ex rigore justitiæ: hoc autem fundamento nituntur, quod Clericis in reditus illos dominium stricte sumptum competat: unde inferunt, quod licet (ut dictum est) graviter peccent, cum reditus illos dilapidant; ad restitutionem tamen, nec ipsi Clerici, nec bonorum illorum heredes teneantur. Alii e contra contendunt, peccare eos contra justitiam stricte sumptam, eo quod, inquiunt, Clerici dominium proprie sumptum, proprietatem stricte sumptam, in reditus Ecclesiasticos non habeant: Unde inferunt eosdem clericos, eorumque heredes ad restitutionem teneri, si in prophanos usus, si ad consanguineos ditandos eis usi fuerint.

CONCLUSIO. Clerici dominium non habent in reditus Ecclesiasticos, qui honestæ, & ad modestiæ & frugalitatis normam exactæ sustentationi supersunt.

Probatur. Beneficia Ecclesiastica considerari possunt vel antequam erecta essent in particulares titulos, vel postquam in illos particulares titulos erecta fuerunt ab Ecclesia: atqui nec ante beneficiorum erectionem in titulos particulares, nec post illorum erectionem in particulares titulos, Clerici habuerunt olim, & nunc habent dominium in reditus Ecclesiasticos, qui honestæ eorum sustentationi supersunt: ergo revera nec, alias, nec modo, competit illis in illos reditus dominium.

Prima minoris propositionis pars sic ostenditur. In confesso est apud omnes, Ecclesiasticas facultates, Apostolorum temporibus, bona fuisse communia, in quæ nemo clericus sibi dominium vindicare poterat; neque enim bonorum, quæ a fidelibus copiose offerebantur, Apostoli proprietatem sumebant sibi; gerebant e contra se se tanquam œconomos, qui in illis dispensandis ad pauperum, & viduarum egestatem attenderent: *Qui possessores agrorum, aut domorum erant* (inquit Lucas Actorum 4.) *vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Tantum abest, ut Apostoli in illas fidelium oblationes sibi tanquam dominis aliquid tribuerent, quin postea, ut expeditiores essent ad orationem, & verbi divini prædicationem, Diaconos postea elegerint, quibus oblationum dispensationem crediderε.

Paullo post Apostolorum mortem, facultates inter Christianos desierunt esse communes, ut erant antea. Verum Judæi Decimas ex Legis præscripto ad Levitarum sustentationem offerre soliti, Gentiles quibus ante conversionem in usu fuerat, ex suis facultatibus ad Sacrificia conferre, utrique aut ex suis censibus, aut ex pretio immobilium, quæ ab eis vendebantur, offerebant Ecclesiæ, ut sive ministrorum, sive pauperum sustentationi consulerent. Oblatorum autem dispensatio penes erat Episcopum, sed ea lege, ut quidquid, accepta modesta sustentatione, supererat, reliquis ministris, viduis, ac pauperibus erogaret, *Omnium rerum Ecclesiasticarum* (verba sunt Canonis XXXVIII. ex iis qui Apostolici dicuntur, quique complectuntur disciplinam quæ in Ecclesia tribus prioribus sæculis observata est) *Episcopus curam gerat, & eas administret tanquam Deo intuente; Ne liceat autem ex eis aliquid sibi vindicare, vel propriis sibi cognatis, quæ Dei sunt, largiri: Si autem sint pauperes, ut pauperibus suppeditet, sed non eorum prætextu vendat, quæ sunt Ecclesiæ.*

Ubi per Constantinum Magnum pax Ecclesiis affulsit, Legibus etiam Imperialibus concessum est fidelibus, ut prædia, agros, immobilia Ecclesiæ offerrent. A Gentibus ad fidem conversis, Martyrum prædia, quæ, dum persecutio sæviret, fisco addicta fuerant, iisdem Ecclesiis restituta sunt. Decimæ quarum oblatio antea erat penes uniuscujusque arbitrium, lata lege tanquam vectigal sacrum persolutæ sunt. Iis mediis, Ecclesiæ facultatibus maximum augmentum accessit. Verum eadem, quæ prius, illarum facultatum dispensatio remansit; hoc est, unius Episcopi fidei & prudentiæ commissa est ea lege, ut iis & se ipsum, & pauperes reficeret, iisque in pios tantum usus uteretur.

Facti, quod mox retulimus, veritas petitur ex Concilio Antiocheno, quod medio 4. sæculo celebratum, ubique postea receptum est; sic enim habet *Can.* 25. *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habet potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia & timore. Participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis;* ita

ita ut in nullo qualibet occaſione fraudentur, juxta S. Apoſtolum ſit dicentem, Habentes victum, & tegumentum, his contenti ſimus. *Quod ſi contentus iſtis minime fuerit, convertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos . . . . Synodo Provinciæ pœnas perſolvet.'*

Non in Oriente tantum, ſed etiam in Occidente Epiſcopus tunc temporis habebatur non pro domino, ſed diſpenſatore & œconomo Eccleſiaſticorum redituum: *Ut Epiſcopus* (ait Canon 13. Concilii Carthaginienſis IV. cui Auguſtinus interfuit) *rebus Eccleſiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.*

Probata prima parte minoris propoſitionis argumenti, quod confecimus, oſtenditur altera, hoc eſt, quod Clerici ante erectionem oblationum in beneficiorum titulos, non habuerint aliquando, aut nunc habeant, dominium in reditus Eccleſiaſticos ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperſtites, ſic demonſtratur.

Licet certo aſſeri non poſſit, quo præciſe tempore ex Eccleſiæ facultatibus quibuſque; pauperibus nimirum, templorum fabricis, Epiſcopis & aliis titularibus, data pars determinate aſſignata ſit, extra tamen controverſiam eſt, id jam contigiſſe medio ſæculo quinto: eam nimirum partitionem aperte ſupponit Simplicius, qui circa medium illud tempus Romanæ Eccleſiæ præerat; ſic enim Epiſtola V. quæ eſt ad Florentium, Equitium, & Severum Epiſcopos, loquitur: *De reditibus Eccleſiæ, vel oblatione fidelium, quid deceat neſcienti, nihil licere permittat; ſed ſola ei ex his una quarta pars remittatur, duæ Eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ, ab Onagro Presbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur: ultima inter clericos pro ſingulorum meritis dividatur.*

Eamdem Eccleſiæ facultatum in quatuor partes diviſionem jam ante ſua tempora factam fuiſſe aſſerit Gelaſius Papa Epiſtola IX. cap. XXVII. ubi hæc habet: *Quatuor autem tam de reditu quam oblatione fidelium, prout cujuslibet Eccleſiæ facultas admittit (ſicut dudum rationabiliter eſt decretum) convenit fieri portiones, quarum una ſit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.*

Atqui Patres qui poſt quintum ſæculum, ac proinde poſt factam oblationum in quatuor partes diſtributionem, ſcripſerunt, non minus aperte quam ii qui antea ſcripſerant, aſſeruerunt Clericis non competere dominium in Eccleſiaſticos reditus, qui ſuperſint honeſtæ eorum ſuſtentationi.

Et ſane Patres, de quibus agitur, aſſeruerunt 1. reditus Eccleſiaſticos eſſe pauperum patrimonia, *Nihil aliud ſunt* res Eccleſiæ, (inquit Julianus Pomerius l. 2. de vita contemplativa, c. 9.) *niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Si autem res Eccleſiæ ſint pauperum patrimonia, in eos Clerici dominium non habent. Aſſeruerunt 2. Eccleſiam, clericorum quidem curæ crediđiſſe facultates ſuas, ſed earum in illos proprietatem non contuliſſe: *Non ſunt* (inquit Concilium Pariſienſe VI.) *res Eccleſiæ ut propriæ, ſed ut Dominicæ, & a Domino commendatæ, tractandæ.* Aſſeruerunt 3. Clericis earum rerum proprietatem non competere: *Cum Epiſcopus, & quilibet Prælatus* (inquit Alexander Papa III. *c. fraternitatem*, Extr. de Donationibus) *rerum Eccleſiaſticarum ſit procurator, non dominus.* Aſſeruerunt 4. Clericos qui in pios uſus non inſumunt Eccleſiaſticos reditus, non ſolum peccare contra caritatem, ſed etiam contra juſtitiam: *Quidquid* (ait Bernardus Epiſt. 2. quæ eſt ad Fulconem) *præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Et ne quis in metaphoricum ſenſum laudata ex Bernardo verba detorqueat, obſtat ipſe in hæc Evangelii verba: *Ecce nos reliquimus omnia:* eo nimirum loci ſcribit, ideo furti & rapinæ reos eſſe clericos de quibus agitur, quod meri ſint œconomi & diſpenſatores creditorum ipſis redituum: *Sacrilega* (ait) *eis, pauperibus, crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores*, NON UTIQUE DOMINI, VEL POSSESSORES, *ultra victum accipiunt, & veſtitum.*

Reſpondent adverſarii, laudatos Patres loqui de bonis immobilibus Eccleſiæ, de quibus haud dubie pro libito Beneficiarii diſponere non poſſunt: 2. In allatis ex Patribus locis agi de beneficiis, quibus ex fundatione cura animarum incumbit. 3. Bernardum locutum fuiſſe hyperbolice, imitatumque fuiſſe nonnullos ex Patribus, qui agentes de præcepto eleemoſynæ, dixerunt divites latrocinii reos eſſe, cum ſuperflua pauperibus non largiuntur.

Sed 1. ſtare non poteſt prior reſponſio, non dico cum ſenſu Patrum, ſed nec cum ipſorum verbis; loquuntur enim expreſſe de bonis, quibus uti poteſt beneficiarius ad honeſtam ſui ſuſtentationem. At ea bona non ſunt immobilia: de eis enim (etiam ut ſubveniat ſuæ neceſſitati) Clericus pro libito diſponere non poteſt.

2. Veram non eſſe alteram ſolutionem, ex eo evincitur, quod laudati Patres loquantur generatim, ſine ulla exceptione, abſque aliqua beneficiorum diſtinctione: *Quidquid retines* (inquit Bernardus) *tuum non eſt.* Præterea ſemper incumbit cura pauperum, quoties ſunt ſuperflua, cum Patres aſſerant, fundatores ſua bona crediđiſſe Clericis, tanquam diſpenſatoribus, procuratoribus & œconomis.

3. Vim noſtri argumenti non enervat tertia adverſariorum reſponſio. Nam cum Patres aſſe-

asseruerunt, reos esse furti divites illos, qui superflua pauperibus non erogant, locuti sunt de pauperibus in extrema necessitate constitutis, qui quidem tunc jus habent strictum in superflua divitum. Praeterea nunquam illi Patres asseruerunt divites non esse superfluorum dominos, ac proprietarios; ea solius Dei esse; Christi esse patrimonium: At id dixere de beneficiariis, & de facultatibus, quibus fruuntur.

Canonistae, & Theologi primi nominis eadem ratione, qua mox laudati Patres loquuntur, hoc est, asserunt, Clericos, etiam facta bonorum Ecclesiae in varias partes divisione, & iis in beneficia erectis, non esse illorum dominos, sed dispensatores tantum.

Gratianus in Canonem, *Nulli Episcoporum*, docet, Ecclesiasticos reditus in varias praebendas dividi potuisse: sed ea lege, *Ut* (inquit) *ex his quae sibi* (de Canonico loquitur) *assignata sunt primum sibi necessaria percipiat; si quae vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiae expendat.* Ne quis autem illum undecimi saeculi scriptorem de solo debito aut religionis aut caritatis, non autem de debito justitiae, exponat, obstant quae praemittit; Clericis scilicet post redituum Ecclesiasticorum divisionem in varias partes, & illorum erectionem in particulares praebendas, idem onus circa illorum dispensationem incumbere, quo antea tenebantur.

S. Raymundus qui saeculo XIII. Decretales Summorum Pontificum, jubente Gregorio IX. in corpus redegit, in Summa libro II. Titulo de Raptoribus, §. VIII. sic loquitur: *De meretricibus autem & histrionibus, de quibus quaesitum est, dico, Praelatos, & Clericos, qui res Ecclesiae talibus, vel similibus personis conferunt, vel etiam consanguineis, non propter naturam sustentandam, sed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi: item divitibus & potentibus, non propter caussam licitam vel honestam, sed propter favorem saeculi, & pompam: tales* (inquam) *Praelatos, & Clericos, qui talibus conferunt bona Ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem.* Id laudatus Canonista probat auctoritate Hieronymi, & ex Canone, *Si illi*, qui desumptus est ex Concilio Toletano.

S. Antoninus in Summa, III. parte, Titulo XV. cap. 1. §. 19. laudatis ex S. Raymundo verbis aperte subscribit: *Quidquid* (inquit) *Clerici habent, pauperum est; unde ad restitutionem tenentur omnium pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiae.*

Panormitanus in Caput *Cum secundum*, Extr. *De praebendis*, hisce verbis de caussa, de qua agitur, mentem aperit suam: *Si*, Beneficiati, *haberent patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiae, quod male expenderunt.*

Alexander de Ales non ultimus inter Theologiae Scholasticae parentes, 3. par. quaest. 36. membr. 5. art. 2. & 3. haec in eumdem scopum habet: *Clerici qui in malos usus bona Ecclesiae expendunt, sunt raptores & fures. Sed nunquid tenentur ad restitutionem, si habent aliunde unde possint restituere? Aliud certe non video, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi 1. Titul. 63. hocce promulgavit edictum: *Episcopi, Abbates, Praepositi, Parochi, ac ceteri omnes, cujuscumque dignitatis & gradus, Ecclesias, etiam eorum administrationi commissas, ac quaecumque beneficia ecclesiastica, etiam simplicia, quomodocumque etiam commendata, beneficia obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant, quibus oneribus eorum Ecclesiae, & beneficia; ex bonorum Ecclesiasticorum natura, vel ex illorum quae obtinent, propria institutione, vel ex conditione Apostolicis Litteris in provisione dictorum beneficiorum eis praesumpta, vel alia quacumque ejus generis ratione subjaceant, illisque integre satisfaciant . . . . Quod si facere omiserint, sed eos fructus sibi vindicare, vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem non debent usum, impenderint, se ex sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum sententia sacrilegii reos esse intelligant; & eorum necessaria restitutione teneri, neque ulla omnino, etiam immemorabili, consuetudine excusari.*

Ex iis autem, tum Canonistarum, tum Theologorum sententiis, sic argumentum conficitur. Illi non habent dominium in reditus ecclesiasticos eorum honestae sustentationi superstites, qui fures sunt & latrones, si in pios usus illos non expenderint; qui ad eorum, si patrimonium habeant aliunde, restitutionem tenentur: scilicet qui in rem aliquam verum & proprie sumptum dominium habet, non est fur, & latro; non tenetur ad restitutionem, etiamsi rem illam dilapidaverit. Atqui (ut ex laudatis Canonistarum, & Theologorum sententiis patet) Clerici qui etiam facta praebendarum divisione, Ecclesiasticos reditus eorum honestae sustentationi superstites; in pios usus non expendunt, fures sunt & latrones, ac praeterea ad restitutionem tenentur; ergo clerici, etiam facta praebendarum divisione, non sunt domini Ecclesiasticorum redituum, qui honestae eorum sustentationi supersunt.

Solvuntur Adversariorum Argumenta.

Not. Quae ab adversariis objiciuntur argumenta, reducantur 1. ad mutationem quam in bonis Ecclesiasticis per divisionem in quatuor partes contigisse contendunt: 2. ad ho-

diernam jurisprudentiam, quæ beneficiariis permittit, ut testamenta etiam de bonis Ecclesiasticis condant: 3. ad quædam, sed male intellecta S. Thomæ principia: 4. ad absurda quædam quæ ex nostra sententia sequi videntur: 5. tandem ad quemdam posteriorum Conciliorum & Summorum Pontificum loquendi modum. Quatuor priora argumentorum capita hic solvemus, quintum vero paragrapho proxime sequenti.

Objicies 1. Ecclesiæ bona quæ unius Episcopi œconomiæ prioribus quatuor sæculis credita fuerant, ineunte quinto in quatuor partes divisa sunt: scilicet Episcopo pars propria, ministris inferioribus altera, tertia Basilicarum fabricis, & quarta pauperibus determinate assignata est ab Ecclesia: atqui per eam bonorum Ecclesiæ divisionem in partes quatuor, Beneficiarii constituti fuerunt domini, & proprietarii redituum omnium, qui honestæ eorum sustentationi supersunt; alioquin enim frustra auctoritate Ecclesiæ facta fuisset illa divisio: ergo Clericis competunt dominium & proprietas in reditus omnes Ecclesiasticos, qui supersunt eorum honestæ sustentationi.

Resp. conc. maj. neg. min. Scilicet ea bonorum Ecclesiasticorum divisio in partes quatuor, nullam in eorumdem bonorum naturam mutationem invexit: ac proinde cum antea reditus honestæ clericorum sustentationi superstites, Dei ipsius patrimonium essent in persona pauperum, novum in illos jus clericis adquisitum non est. Et sane 1. mutatio illa, quam obtendunt adversarii, nulla aut Conciliorum, aut Patrum auctoritate probari potest. 2. Ecclesiæ, cum fidelium oblationes in partes quatuor divisit, nusquam propositum fuit, clericis in assignatas illis oblationes dominium & proprietatem transferre, tum quia intentio de qua nullo monumento constat, præsumi non debet; tum quia iniqua foret illa intentio; aperte enim esset contraria pio proposito fidelium: *Qui* (ut ait S. Thomas) *non dederunt divitias suas Prælatis propter se, sed propter pauperes: & ideo non dederunt eis, sed pauperibus: Prælatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus*. 3. Partes divisæ servant semper naturam totius quod divisum est: ergo cum ante divisionem dominium in totum nondum divisum, clericis, ut adversarii fatentur, non competeret, ita nec est aliquod in partes, in quas Ecclesiæ auctoritate divisum est. 4. Patres, Canonistæ, & primi nominis Theologi, eodem modo (ut inter nostræ conclusionis probationes dictum est) de bonis ecclesiasticis, quæ supersunt honestæ Clericorum sustentationi, post eorum divisionem, & erectionem in particulares titulos, locuti sunt, quo ante divisionem, hoc est, æque aperte asseruerant, Clericis, non competere proprietatem, ac antequam illa bona in partes quatuor dividerentur.

Nec inde sequitur, quod in argumento objiciebatur, frustra factam alioquin fuisse illam in quatuor partes bonorum Ecclesiasticorum divisionem: Nempe facta est illa divisio, ut extinguerentur rixæ, diffidia, lites quæ inter Episcopos, Capitula, Fabricæ præpositos, & Eleemosynarios ante bonorum partitionem oriri solebant, non autem ut Clerici liberarentur onere, quo prius tenebantur, alendi pauperes ex superfluis, aut ea in pios usus expendendi.

Objicies 2. Valent testamenta, quibus Clerici in gratiam consanguineorum, aut aliorum, etiam prædivitum, de reditibus Ecclesiasticis disponunt: Ergo in ipsos verum illis dominium competit, cum potestas condendi testamentum dominium in testatore supponat.

Resp. 1. per duodecim priora sæcula nec licita, nec valida fuisse Clericorum de reditibus Ecclesiasticis testamenta: idque probari potest ex Can. 49. Apostolico, ex 24. Antiocheni Concil. ex 29. tertii Carthaginiensis, ex Greg. Magno lib. 9. Ep. 14. ubi Summus ille Pontifex prohibet filio mortui in Episcopatu patris, ne vel illius vestes sumat: *Quia* (inquit) *sacris canonum legibus noscitur esse definitum, ut in his quæ antistes Episcopatus tempore adquisiverit, non alius nisi sola succedat Ecclesia*. Antiquum usum, de quo agitur, Concilium Later. III. sub Alexandro III. habitum confirmavit; sic enim loquitur: *Ecclesiastici quidam Clerici, cum ab Ecclesiis suis multa bona perceperint, bona per Ecclesias adquisita in alios usus præsumunt transferre. Hoc igitur quia & antiquis canonibus constat inhibitum, nos etiam nihilominus inhibemus. Indemnitati itaque Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.*

Resp. 2. trecentis fere ab hinc annis consuetudinem invaluisse, ut Clerici testentur, etiam de reditibus Ecclesiasticis: Inde tamen non sequitur, Clericos in reditus hujusmodi habere dominium. Ratio est, quia Ecclesia illam facultatem eis fecit, non ut ea ad consanguineos, aut alios divites ditandos abuterentur; sed ut occurreret litibus, quæ orirentur haud dubie ex difficultate bona ex Ecclesiasticis proventibus parta distinguendi a bonis, vel industria, vel hereditate, vel aliquo alio modo comparatis. Dici igitur debet, Ecclesiam Clericorum morientium conscientiæ credidisse pios usus, in quos ipsamet hos proventus impenderet, si Clericis succederet ab intestato; quemadmodum succedebat antiquitus, ut ex Canonibus probatum est.

Objicies 3. Divites, qui succedunt Clericis vi testamenti, aut ab intestato, ad restitu-

tutio-

tutionem a judicibus compelli non solent: Igitur Judices supponunt, Clericis in reditus Ecclesiasticos verum dominium competere.

Resp. divites, de quibus in argumento, non compelli quidem ad restitutionem in foro exteriori, eo quod judices scire non possint, an Clerici suis heredibus tanquam pauperibus bona Ecclesiastica per testamentum largiti fuerint, vel utrum facultates, quas reliquerunt, ex reditibus Ecclesiæ, aut ex patrimonio, vel industria, aut aliqua simili ratione comparatæ fuerint. Sed ad restitutionem in foro interiori compellendi sunt iidem divites, tum quia est de jure naturali, ac divino ut proventus Ecclesiastici in usus pios expendantur, tum etiam quia (ut habetur de regulis juris in Sexto) nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur.

Confirmatur responsum 1. auctoritate S. Caroli, qui in primo Concilio Mediolanensi, Titulo LXIII. ubi asseruit, beneficiatos qui reditus suos dilapidant, ad restitutionem teneri, sic de iis quibus eos dispensarunt, loquitur: *Noverint etiam ii, ad quos scientes hujusmodi fructus, vel aliquod ex eis commodum pervenerit, se eadem restitutionis lege teneri.*

Confirmatur 2. ex S. Raymundo, qui in Summa lib. II. Titulo de raptoribus, §. IX. hæc de iis habet, qui reditus Ecclesiasticos a Clericis accepere: *Sed quid de focariis, & hujusmodi turpibus personis, & aliis supradictis, qui sic pascuntur, vel ditantur de rebus Ecclesiæ, numquid & ipsi tenentur ad restitutionem? Utique.*

Confirmatur tandem 3. ex S. Antonino, qui III. parte Summæ, Titul. 15. cap. 1. §. 19. sic loquitur: *Male autem recipientes a personis Ecclesiasticis de bonis Ecclesiarum, videlicet de fructibus, & eleemosynis beneficiorum, ut fornicarii, & histriones, & consanguinei, non ratione indigentiæ, sed parentelæ: & lusores, & alii hujusmodi, & domini potentes per fraudes, minas, & importunitates secundum Raymundum tenentur restituere; non quidem illi qui turpiter dedit, sed auctoritate Superioris convertere in utilitatem illius Ecclesiæ, vel pauperibus erogare.*

Nec dictis obstat hæc Augustini Sententia Tractat. 6. in Joannem: *Quisquis possidet quod possidet, nonne jure humano? Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, Mea est illa villa?* Non obstat (inquam) nam ea sententia intelligitur de bonis sæcularibus, non autem de Ecclesiasticis, quæ quidem per consecrationem Deo factam, veluti naturam mutarunt suam, cum ex prophanis facta fuerint sacra: unde fatentur ii etiam qui nobis adversantur, Clericos, a quibus post honestam sustentationem in profanos usus impenduntur, contra Religionis virtutem peccare, & eos id fieri sacrilegos.

Objicies 4. Qui eleemosynam erogat, in eam verum pauperi transfert dominium: Ergo etiam qui instituit beneficium, in Clerici dominium transfert illius reditus annuos: Nam quamvis ei injungat, ut insumat in pios usus; non tamen cum tanto onere, ut obliget ad restitutionem, si dilapidaverit: sicut nec dives pauperem, qui eleemosyna abutitur, obligat ad restitutionem.

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia ex Ecclesiæ Canonibus & 12. priorum sæculorum praxi constat, beneficiorum fundatores eo fine largitos fuisse sua bona Ecclesiæ ministris, ut eas Ecclesiæ, aut pauperibus restituerent, si uterentur in prophanos usus. At idem dici non potest de divitibus, qui eleemosynam erogarunt pauperibus, qui ea abusi sunt.

Objicies 5. S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. docet, facta divisione redituum Ecclesiasticorum in quatuor partes, nempe in partem Episcopi, in portionem ministris Ecclesiasticis debitam, in fabricam templorum, in pauperum sustentationem; docet (inquam) Episcopo, proindeque cuilibet alteri Clerico, idem jus convenire in ea, quæ sibi sunt specialiter deputata, quod ei in propria bona convenit: *De his autem* (inquit) *quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis:* Sed Episcopo convenit dominium in propria bona, dicente ipso S. Thoma: *Propriorum bonorum verum habet dominium:* ergo, &c.

Resp. 1. in paucis beneficiis extare illam divisionem redituum in quatuor partes. Plures enim sunt Episcopatus, multæ Abbatiæ, multi Prioratus, in quibus nihil ex annuis reditibus est specialiter destinatum in pauperum sustentationem: Ergo ex mente S. Thomæ, illorum saltem beneficiorum titulares non habent dominium in reditus, qui honestæ sustentationi supersunt. Unde idem S. Thom. hæc ait: *Si vero non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur.*

Resp. 2. supponere argumentum, in beneficiis, in quibus reperitur facta illa divisio, S. Thomam credidisse, id omne, quod est distinctum a reliquis tribus partibus, deputatum esse Beneficiarii sustentationi. At absurdum est asserere, S. Doctorem id sensisse, cum in aliquibus Provinciis pars a capitulari mensa separata quinquaginta millium nummorum Gallicorum summam excedat, & cum aliunde de Episcoporum vivendi genere sic post antiqua Concilia loquatur Trid. Synodus sess. 25. de refor. cap. 1. *Quapropter exempla Patrum nostrorum in Concilio Carthaginiensi, non solum jubet* (Sancta Synodus) *ut Episcopi modesta supellectili & men-*

mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Expendant (quæso) eam Sacræ Synodi sententiam beneficiarii, quorum supellex, & victus nihil nisi mundanum sapiunt, ac redolent.

Resp. 3. de his, quæ beneficiarii usui honesto & modesto sunt specialiter deputata & necessaria, judicasse S. Thomam eamdem esse rationem, ac de propriis, non quantum ad omnia, sed quantum ad aliqua, nempe quantum ad integram & plenam administrationem. Alioquin ea posset, sic, ut propria bona, largiri suis consanguineis; quod tamen fieri non posse docet Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Reformatione; & ante S. Synodum, ipse S. Thomas in responsione ad primum, ubi sic loquitur: *Et ideo si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi detrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate; id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.*

Instabis. Sanctus Thomas loco relato opponit portionem, quæ usui Episcopi est specialiter deputata, opponit (inquam) portionibus, quæ ministris & pauperibus debentur; aitque ad istarum restitutionem teneri, si eas dilapidet, aut ad usum proprium insumat: Ergo censet, Episcopum non teneri ad restitutionem portionis suo usui specialiter destinatæ; alioquin distinctio, quam affert S. Doctor, per membra opposita non fieret: *Si ergo* (inquit) *distincta sint bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum, aut in cultum Divinum expendenda, non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis; ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet quidem, si immoderate sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum Caritatis.*

Resp. oppositionem unius membri cum alio non esse petendam ex restitutione, ita ut S. Thomas voluerit eum, qui retinet portionem Clericis, Fabricæ, aut pauperibus specialiter destinatam, ad restitutionem teneri; non vero illum, qui in usus pios non insumit partem, quæ sibi ex speciali deputatione contingit. Sed illa oppositio peti debet ex modo administrationis: ita ut, quamvis Episcopus portionem ministris debitam in alios pios usus convertere non possit, penes tamen eum sit disponere de propria portione, in quem usum *pium* voluerit, immo ea uti ut obsequia sibi, vel a consanguineis, vel ab extraneis præstita, moderate compenset. Confirmatur ex eo quod non sit verisimile, S. Thomam voluisse recedere a Traditione, quæ (ut ex subsequenti paragrapho patebit) expresse docuit, nec in ea quæ honestæ eorum sustentationi supersunt, nec in portionem Canonicam eidem sustentationi specialiter destinatam, Clericis dominium competere.

An beneficiatis conveniat dominium in portionem Canonicam suis usibus destinatam.

CONCL. Beneficiati non habent dominium in portionem Canonicam suis usibus specialiter destinatam.

Probatur 1. auctoritate Canonum. 1. Injungunt Sacri Canones, ut post Clerici mortem patrimonialia bona ab Ecclesiasticis separentur, jubentque, ut illa dentur consanguineis, ista vero omnia penes Ecclesiam remaneant, 12. q. 1. Canone Episcopi: *Episcopi de rebus propriis, vel adquisitis, vel quidquid de proprio habent, heredibus suis, si voluerint, relinquant: quidquid vero de provisione sua Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus.* 2. Præcipiunt iidem Canones, ut quæratur diligenter, an beneficiarius, qui moriens domos aut prædia reliquit, frueretur patrimonio aliquo, antequam beneficio donaretur. Si nullum possedisse inveniatur, jubent Canones, ut illæ domus, illaque prædia, Ecclesiæ conferantur, præsumentes scilicet, ea bona Clericum emisse reditibus Ecclesiasticis. *Placuit*, inquit Canon *Placuit*, titulo de peculio Clericorum) *ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel Clericatus sui agros, vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint*: Ergo supponunt Canones, Clericos non esse dominos, etiam portionis Canonicæ, licet suis usibus specialiter destinata sit.

Nec valet adversariorum responsio contendentium, laudatos Canones loqui de bonis, quæ Clerico post acceptam honestam sustentationem supererant, non autem de portione specialiter ejus usibus destinata. Nam 1. Illi Canones loquuntur de omnibus Ecclesiasticis reditibus, cujuscumque sint generis; utuntur enim terminis qui omnes omnino reditus complectuntur, *Omnia, quidquid*, 2. Antequam bona, quæ Clerici morientes reliquerunt, adscribantur Ecclesiæ, Canones non præcipiunt, ut inquiratur, an ii fructus ex portione Canonica, seu specialiter usui Clerici mortui assignata, provenerunt; sed simpliciter, an ex patrimonio, aut aliquo alio civi-

civili jure. Idem igitur tulerunt judicium de illa speciali Canonica portione, ac de aliis Ecclesiasticis facultatibus.

Objicies 1. Canones fidem faciunt, portionem Canonicam datam Clericis, Ecclesiæ obsequio mancipatis, esse stipendium, quod debetur eorum laboribus, quodque pro majori vel minori opera minuendum est, aut augendum. *Clerici omnes* (inquit Concilium Agathense can. 36.) *qui fideliter Ecclesiæ deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum, vel ordinationem canonicam, a Sacerdotibus, seu Episcopis consequantur*. Atqui is, cui datur stipendium, stricte & simpliciter est illius dominus: ergo, &c.

Resp. Minorem propositionem esse veram de stipendio, quod datur pro labore Civili & Politico: sic Consul est dominus annuorum redituum, quibus donatus est a Republica propter sua in eam obsequia: sed falsa est eadem propositio intellecta de stipendio, quod quis accipit propter laborem omnino spiritualem. Ratio est, quia stipendium datum pro laboribus politicis est vera merces stricte sumpta, data scilicet ei, qui laboravit, ad quemcumque voluerit usum. At idem dici non potest de stipendio accepto a Clericis propter laborem mere spiritualem: est enim potius honesta quædam eleemosyna, data tantum ad sustentationem ministri, qui operam suam in Ecclesiæ obsequium impendit. Accepta igitur illa sustentatione, ejus partis, quæ superest, quocumque casu supersit, nullo modo est dominus.

Objicies 2. Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis*, declarat, bona, aut supellectilem, quæ supersunt post mortem Clerici, cujus ecclesiastici proventus non excedunt triginta ducatorum summam, non esse numeranda inter Clericorum spolia, quæ Ecclesiæ conferri debent. Atqui non ob aliam rationem exigui illi reditus non debent numerari inter Clericorum spolia relinquenda Ecclesiæ, quam quia, cum sint Canonica portio honestæ sustentationi specialiter destinata, beneficiarius vivens strictum in eos dominium habuit: ergo &c.

Resp. 1. Pii Papæ V. decretum ad solum forum exterius pertinere, seu Summus ille Pontifex tanquam temporalis Princeps prohibet, ne in Provinciis Cameræ Apostolicæ subditis detur jus ad repetendos in foro exteriori proventus, de quibus est quæstio. Resp. 2. neg. min. Ideo enim ita decrevit SS. Papa, quod id quod summæ, de qua agitur, superest, necessarium sit ad compensandos servorum labores; vel quod ex præsumptione judicaverit, proventus, quorum meminit, Clericum aliunde, quam ex beneficiis, percepisse; plerumque enim triginta ducatorum summa beneficiario opus est, ut suæ honestæ sustentationi consulat.

De Dominio in distributionibus quotidianis.

CONCL. Canonici non sunt domini distributionum, quas ex cantu in choro percipiunt: Nec Concionatores sui honorarii: Nec celebrantes Missam eleemosynæ oblatæ: Nec Vicarii Parochorum stipendii, quo propter exhibita a se populo fideli obsequia donantur.

Probatur 1. Distributiones, honoraria, eleemosynæ, stipendium hujusmodi, alterius non sunt naturæ a reliquis bonis Ecclesiasticis, quæ beneficiarii vi sui tituli percipiunt; cum clerici jus ad ea non habeant, nisi ex officio aliquo Ecclesiastico, & opera spirituali. 2. Nec Patres, nec Canones, reditus, de quibus agitur, excepere, cum clericis in bona Ecclesiastica dominium non competere definierunt. 3. Omnia omnino bona Ecclesiastica complectitur Alexander Papa III. cap. *Quia nos*, *de Testam.* ubi sic loquitur, *De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum*.

Objicies 1. Canones definiunt, clericos debite ministrantes *lucrari stipendia, facere fructus suos*: qui quidem termini, cum intelligantur de fructibus quos clerici ex officiorum executione colligunt, eorumdem clericorum in illos fructus dominium denotare videntur.

Resp. 1. observatum superius fuisse a nobis objecta ex Canonibus verba non esse ita intelligenda, ut stipendia, de quibus loquuntur, ut fructus quos definiunt clericos facere suos, sint vera & stricta merces laboribus debita: Nam 1. idipsum conceptis terminis negat S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. in corpore, ubi sic loquitur: *Accipere aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant, non est peccatum, non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis* (ut ait Augustinus): *Qui præsunt Presbyteri, accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Deo*. 2. Ecclesia quæ mercedem illam tribueret, esset rea criminis simoniæ, juxta istud mox laudati S. Thomæ principium: *Pro spiritualium administratione aliquid dare, vel accipere tanquam mercedis pretium, simoniacum, atque illicitum est*.

Resp. 2. cum Panormitano sic loquente, *Clericus recipiendo fructus sui beneficii, dicitur illos facere suos quoad hoc, ut sibi provideat primo, de superfluis impendat in usus pios, non autem ut de ipsis possit testari, vel pro libito voluntatis facere*.

Objicies 2. Concilium Tridentinum definit clericos, qui jus habent ad quotidianas distributiones, earum *dominium* nullo modo adquirere si personaliter non impleverint com

petens sibi servitium. Hæc enim leguntur sess. 22. c. 3. de Reform. *Qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium juxta formam ab Episcopis præscribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoque modo dominium adquirant*: Ergo Concilium supponit, clericos, qui servitium hujusmodi impleverint, adquirere *dominium* in illas distributiones.

Resp. allata ex Concilio verba non esse intelligenda de dominio perfecto & absoluto, quod est positum in potestate disponendi pro libito de re aliqua; sed tantum de dominio imperfecto, quod complectitur facultatem disponendi de re ad certos usus determinatos. Ratio est 1. quia Concilium non dicit absolute, quod absentes a choro clerici non adquirant dominium in distributiones quotidianas: sed addit hæc verba, *quoquo modo*; sive quacumque ratione sumatur dominium, proprie, aut improprie. Ratio est 2. quia Synodus Tridentina non concedit dominium aliud ab eo, quod Canones concesserunt, quodque requirit natura bonorum Ecclesiasticorum: Sed canones imperfectum dumtaxat dominium concessere, illudve solum bonorum Ecclesiasticorum naturæ convenit, ut fuse supra fuit probatum.

Confirmatur responsio, 1. ex ipsomet Concilio Tridentino, quod quidem sess. 25. c. 1. asserit, nulla facta distinctione inter portionem clericorum usui destinatam, & eam quæ superest eorum honestæ sustentationi, asserit, reditus Ecclesiasticos, Dei ipsius esse: *Ne res Ecclesiasticas* (inquit) *quæ Dei sunt, consanguineis donent*.

Confirmatur 2. ex Conciliis Provincialibus, quæ post Tridentinum habita sunt, quæque, si supersit in eo nonnulla difficultas, eam plane tollunt. Quod ann. 1581. habitum est Rothomagi, Titulo *de Monasteriis*, sic loquitur: *Nec Commendatarii sibi commendatum Monasteriorum regimen, ad luxum vel prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam; sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quorum non habeant proprietatem*. Eodem plane modo loquitur, quod ann. 1585. Aquis Sextiis habitum est: *intelligant* (ait) *ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quorum non habeant proprietatem, sibi mandatum Monasteriorum regimen*.

Objicies 3. Qui offert Ecclesiæ facultates suas ut erigatur Præbenda, non aliud onus beneficiato intendit imponere, quam ut tot v. g. vicibus tremendum offerat sacrificium; nec illi in animo est, ut si, parce vivendo, reditus non impenderit, eos in eleemosynas largiatur: ergo, habita ratione intentionis fundatorum, clericus est dominus proventus assignati sibi per fundationem, cujus munera obierit.

Resp. dist. ant. Non aliud onus explicitum imponit, conc. ant. implicitum, neg. ant. eo ipso quod bona aliqua Ecclesiæ offerantur, fiunt sacra; ac proinde (ut jam observatum est) sive supersint Canonicæ sustentationi, sive ex ea fuerint, non in alios usus, quam in pios, impendi possunt. Robur additur illi solutioni ex Ecclesiæ decretis; quæ quidem, licet fundatores non expresserint, ut Clerici aut accepta honesta sustentatione, aut, præ frugalitate & parsimonia, non accepta, in pios usus res Ecclesiasticas impenderent: conceptis tamen terminis (ut superius dictum est) eis onus illud imposuerunt.

Quæres, quid intelligant Canones nomine honestæ sustentationis, quam Clericum ex proventibus Ecclesiasticis percipere posse definiunt.

Resp. 1. in definienda illa honesta sustentatione non esse habendam rationem nobilitatis personæ, quæ donata est beneficii titulo. Ratio est, quia beneficia erecta non fuerunt ad fovendum humanum fastum, & mundanum splendorem. Unde Canones nusquam injunxerunt Episcopis, ut in distributione oblationum aut aliorum redituum Ecclesiasticorum, attenderent ad clericorum nobilitatem; sed ad labores, & (ut ait Concilium Agathense) ad servitii meritum.

Resp. 2. attendendam esse Ecclesiasticam dignitatem beneficiarii; ita ut major portio assignetur Episcopo, quam Decano; Decano major, quam Canonicis; & major Canonicis, quam Presbytero præbenda simplici donato. Ratio est 1. quia clerici constituti in dignitatibus, passim ad majores expensas tenentur; iisque præ aliis convenit hoc Concilii Trid. monitum sess. 25. cap. 8. de Reform. *Admonet* (Sancta Synodus) *quascumque Ecclesiastica beneficia sæcularia, seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant*. Ratio est 2. quia expedit Ecclesiæ, ut qui primas in ea sedes occupant, ipsi etiam populo majori sint venerationi: At ad id populum movet non virtus modo, sed etiam aliquis exterior apparatus, modo tamen modestiam Clericalem, non vero humanum fastum, sapiat; ut ait Concilium Tridentinum sess. 25. de Reform. cap. 1.

Resp. 3. ad definiendum, quid requiratur ad honestam & modestam alicujus Clerici sustentationem, habendam esse rationem loci: quod enim in uno loco vix sufficit, sæpe superabundat in alio.

§. III. *Utrum Clerici quibus satis est patrimonii, possint ex Ecclesiasticis reditibus sustentationem accipere.*

Not. Non una est (fatemur) de proposita quæstion-

ctione, seu Scholasticorum seu Canonistarum, sententia. Nonnulli cum Prospero Fagnano contendunt, Clericum cui satis sint patrimonii bona, posse suam ex Ecclesiæ reditibus sustentationem accipere: Alii vero cum Thomasino nostro*, aliisque permultis, negant licere Clerico, cui ad honestam sustentationem satis est patrimonii, licite vesci posse ex Ecclesiæ reditibus. Quid nos eo de argumento sentiamus, proxima sequenti conclusione dicetur.

CONCLUSIO. Clerici, quibus ad honestam sustentationem satis est patrimonii, vesci non possunt ex Ecclesiæ reditibus.

Probatur. An aliquid liceat, aut licitum sit, judicandum est ex Ecclesiæ Canonibus, scriptis Patrum, & primi nominis theologorum operibus. Scilicet Traditio, quæ non ex aliis monumentis, quam Canonibus, scriptis Patrum, & primi nominis theologorum operibus constat, regula est, ad quam christianorum mores exigendi sunt. Atqui & Ecclesiæ Canonibus, & scriptis Patrum, & primi nominis theologorum operibus docemur, Clericum, cui ad honestam sustentationem patrimonium satis est, vesci non posse ex Ecclesiæ reditibus: ergo id revera non licet. Minor propositio sic per partes ostenditur.

Proferuntur Canones.

I. Canon, numero quadragesimus quintus inter eos qui passim *Apostolici* dicuntur, ea tantum conditione facultatem facit Episcopo vescendi ex Ecclesiæ reditibus, ut iis revera ad honestam sui sustentationem indigeat. *Jubemus* (inquit ex versione Dionysii Exigui) *rerum Ecclesiæ habere potestatem ... ut in ejus sit potestate omnia administrare, & iis qui egent, per Presbyteros & Diaconos subministrare, cum omni timore & omni religione; & etiam*, SI TAMEN INDIGET, *in necessarium suum usum accipere, & fratrum qui hospitio suo accipiuntur, ita ut ipse nullo modo egeat.*

Eadem conditione Concilium Antiochenum, quod medio quarto sæculo celebratum est in Oriente, facultatem facit Episcopo, ac proinde Clerico cuilibet, ut ex Ecclesiæ bonis honeste sibi necessaria sufficiat: *Ipse autem* (inquit Canone 25.) *sit particeps quibus indiget*, SI TAMEN INDIGET, AD SUAS NECESSARIAS EXPENSAS.

Ex iis vero Canonibus sic argumentum conficitur. Ea tantum conditione Clerici possunt vesci ex Ecclesiæ reditibus, sub qua sacri Canones vescendi facultatem illis faciunt; cum enim Ecclesia in res suas dominium & proprietatem habeat, potest, suppositis tantum quibusdam conditionibus, & non aliis, earumdem rerum usum permittere: atqui (ut ex laudatis locis patet) sacri Canones Clericis sub conditione tantum quod indigeant; hoc est, quod ex propriis bonis sustentari non possunt, facultatem faciunt vescendi ex reditibus Ecclesiasticis, ergo Clericis, qui aliunde sustentari possunt, licitum non est vesci ex Ecclesiasticis reditibus.

Respondent adversarii 1. mirum non esse, quod quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis, solis Clericis egentibus vesci liceret ex Ecclesiasticis reditibus: nullus enim (inquit Prosper Fagnanus) Ecclesiasticæ militiæ dabat nomen, nisi patrimonio nuntium remitteret.

Sed inanis est illa responsio. Nam 1. si Clerici omnes tunc pauperes essent, cur in laudatis Canonibus hac conditione: *Si tamen indiget*, Episcopo, penes quem erat auctoritas, conceditur ut ex oblatis vesci posset? 2. Falsum est Clericos omnes nuntium remisisse patrimonio: scilicet quadragesimus canon Apostolicus aperte distinguit in Clericis bona patrimonialia a bonis Ecclesiasticis; ac proinde supponit, nonnullos tunc iis abundasse: *Sint* (inquit) *manifestæ res propriæ, si tamen habet proprias; & manifesta Dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere, ne sub occasione Ecclesiasticarum rerum intercidant res Episcopi.* Eadem est, iisdemque plane verbis concepta in Concilio Antiocheno, quod laudavimus, sententia: *Justum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, ut sua Episcopus quibus voluerit, derelinquat.*

Respondent 2. alii voces istas, *Si tamen indiget*, intelligi eo sensu, quod Clerici ex Ecclesiæ bonis non plus accipere possint, quam quod ad honestam sui, & suorum sustentationem requiritur: *Hæc verba* (inquit eruditus Doctor Natalis Alexander, ex inclyto Dominicanorum Ordine, Theologiæ Moralis Tom. V. pag. 701.) *non significant, Episcopum, vel Clericum, cui sufficiens patrimonium est, Ecclesiasticis reditibus ad sustentationem suam uti non posse; sed ex hujusmodi reditibus tantum accipere, & expendere ei licere, quantum opus erit, & ad peregrinos suscipiendos, & hospitalitatem exercendam.*

Verum admitti non potest illa responsio. Nam 1. vim apertam commentarius ille Canonibus infert: nimirum Canones hisce verbis, *Quibus indiget ad suas necessarias expensas*, satis evidenter definiunt, Episcopo non licere ultra honestam sustentationem aliquid ex reditibus Ecclesiasticis sibi tribuere: ergo cum addunt, *Si tamen indiget*, aliud significant; eum scilicet ex iisdem reditibus accipere non posse ad suas necessarias expensas, si eis ad illas non indiget, hoc est, si aliunde honeste vesci possit. 2. Is loquendi modus, *Si tamen indiget*, aptus non est,

ut significet, Episcopum ad proprias expensas ex Ecclesiæ reditibus accipere posse: si enim paterfamilias œconomo diceret: Sume ex meis thesauris ad conficiendum iter in patriam tuam, si tamen re mea indigeas; non censeretur præcipere, ut quidquid ad iter est necessarium, acciperet, sed tantum, ut acciperet, si revera non haberet aliunde.

Respondent 3. aliqui, inter quos jam laudatus Prosper Fagnanus, Ecclesiæ disciplinam post erectionem beneficiorum in titulos, eorumque in partes quatuor divisionem, aliam in Ecclesiasticorum bonorum usum mutationem invexisse. Antea (ait) Clericus, cui sufficiens erat patrimonium, vesci non poterat ex Ecclesiasticis reditibus; at jam, facta illorum in partes quatuor divisione, id licite potest.

Sed illa evasio facile præcluditur. Nam 1. si Episcopus, cum penes illum erat rerum omnium summa, ea tantum conditione supposita, quod patrimonium non haberet, vesci poterat ex Ecclesiæ bonis, ea etiam tantum supposita conditione, iis jam uti potest; nec enim jus illi novum adquisitum est ex eo, quod summa illius in bona Ecclesiastica potestas, per eorum divisionem imminuta fuerit. 2. Ostendimus supra, divisionem bonorum Ecclesiasticorum in partes quatuor, nullo modo mutasse in partibus ex toto præscissis naturam rerum Ecclesiæ: ac proinde titularibus partium ex toto præscissarum idem onus incumbit, eosque eadem conditio, quæ prius, nunc afficit: ergo, cum ante divisionem Clericis, aliunde divitibus, vesci non liceret ex Ecclesiæ reditibus, nec id quoque possunt facta illorum in partes quatuor divisione.

Profertur auctoritas Hieronymi.

Hieronymus, relatus a Gratiano in Canone *Clericos*, docet 1. Clericos quibus aliunde bona ad sustentationem non sufficiunt, posse vesci ex Ecclesiæ reditibus: *Clericos autem* (inquit) *illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona*. Docet 2. eos, quibus aliunde bona sufficiunt, reos fieri sacrilegii, cum ex Ecclesiæ rebus vescuntur: *Qui autem* (ait) *bonis parentum sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt*. Docet 3. praxim Clericorum, qui, cum parentum bonis sustentari possint, rebus Ecclesiæ sustentantur, abusum esse qui præ se fert condemnationis sententiam: *Et per abusionem talium* (inquit) *judicium sibi manducant, & bibunt*.

Respondent aliqui ex iis qui nobis adversantur, 1. Hieronymum loqui de Clericis, qui licet Ecclesiæ obsequiis operam suam non conferrent, jus tamen in illius facultatum usum vindicabant sibi.

Sed 1. in laudato Hieronymi textu ne apex quidem est, ex quo sensus ille colligi possit. 2. Termini, quibus Hieronymus utitur, sunt indefiniti, ac proinde secundum Logicæ regulas, æquivalent universalibus: de omnibus igitur Clericis, sive in Ecclesiæ obsequium laborent, sive non laborent, intelligendi sunt: *Qui autem* (inquit) *bonis parentum sustentari possunt*, &c.

Respondent iterum alii, Hieronymum agere de Clericis, qui non solum ex assignata sibi portione vescuntur, sed de iis qui præterea partem pauperibus destinatam sibi tribuunt.

Verum quam falsa sit illa responsio demonstrari potest variis argumentis. Nam 1. Hieronymus Clericos qui patrimonio fruuntur, opponit Clericis, qui patrimonialibus bonis plane vacui sunt; aitque istos vesci posse ex Ecclesiæ reditibus, non autem illos: non loquitur igitur de portione hominibus egenis specialiter destinata; alioquin enim asserere non potuisset (quod asserit tamen) Clericos quibus patrimonium non suppetit, bonis illis uti posse ad sustentationem sui. Nec obstat, quod S. Doctor portionem, ad quam Clericis jus tribuit, vocet censum & reditum pauperum; *Si quod* (inquit) *pauperum est, accipiunt*. Non obstat (inquam); ideo enim docet, omnes Ecclesiæ reditus ad pauperes pertinere, quod nullus, ne clericus quidem, jus ad illos habeat, si pauper non sit, hoc est, si aliunde honeste sustentari possit.

Respondent tandem alii, Hieronymi textu contineri quidem consilium; praxis nimirum quam laudat, majoris est perfectionis; non contineri vero præceptum, quod sub peccati reatu clericos liget: *Denique* (ait R. P. Natalis Alexander) *absolute, & absque illis exceptionibus verba Canonis accipiantur, exhortationem, & consilium, non præceptum continent*.

Sed 1. gratis asseritur, Canonem illum, non præceptum, sed merum consilium continere: neque enim in verbis ex quibus constat, aliquid est, quo ad meram exhortationem, nudumque consilium determinetur. 2. Qui consilium non exequitur, reus non fit sacrilegii: at ex Hieronymo, clericus, qui licet patrimonio fruatur, utitur Ecclesiæ reditibus, reus fit sacrilegii. 3. Qui rem ad merum consilium pertinentem non agit, judicium sibi non manducat & bibit: manducat tamen, ex Hieronymo, & bibit clericus qui patrimonio fruens, Ecclesiæ reditibus vescitur.

Profertur auctoritas Juliani Pomerii.

Auctor librorum *De vita Contemplativa*, quem plures quondam putarunt esse Prosperum, sed quem jam omnes docti conveniunt

non

non esse, quam Julianum Pomerium, aperte Conclusioni nostræ favet. Docet enim 1. Ecclesiastica bona non aliud esse quam *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *patrimonia pauperum*: hinceque sequitur, clericos, qui non indigent, jus non habere, ut eis sustententur. Docet 2. ea omnia quæ ab Ecclesia possidentur, esse illi cum pauperibus communia: *Quod habet Ecclesia* (inquit lib. II. c. IX.) *cum omnibus nihil habentibus habet commune*. Hinc autem colligit: quod sicut eleemosyna non aliis quam pauperibus erogari debet, ita nec usus bonorum Ecclesiæ aliis clericis, quam iis qui indigent, concedi licite possit: *Nec aliud* (ait) *inde eis qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere*. Docet 3. Clericos qui cum aliunde honeste sustentari possint, Ecclesiæ reditus in proprias expensas impendunt, grandi se peccato devincire: *Nec illi* (ait) *qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt*. 4. Idem auctor objicit sibi Prophetæ textum, ubi dicitur Sacerdotes comesturos esse populi peccata, hoc est facultates, quas populus ad suorum peccatorum redemptionem oblaturus est: *De Clericis quidem dicit Spiritus Sanctus: Peccata populi mei comedunt*. Ad illud vero effatum, respondet intelligi ipsum de clericis, quibus aliunde non suppetit, quo possint honeste sustentari: *Sed* (inquit) *sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores, non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt*.

Ii qui nobis adversantur, respondere non possunt, laudatas ex Juliano Pomerio sententias, non de præcepto, sed de mero consilio intelligi, cum iis asseratur, gravis peccati reos se constituere clericos, qui cum habeant unde sustententur, peccata tamen, hoc est oblationes, populi comedunt: *Sine* (inquit) *grandi peccato suo*: cum asseratur 2. eos qui sic se gerunt, in se aliena peccata suscipere: *Aliena peccata suscipiunt*; cum asseratur, ejusdem criminis reos esse, cujus foret reus dives homo, qui debitam solis pauperibus eleemosynam acciperet.

Coguntur igitur qui nostræ conclusioni non subscribunt, ad aliud effugium confugere. Respondent nimirum, Julianum Pomerium loqui de Clericis qui avaritia ducti, sese in Congregationes Clericorum recipiebant, ut suo patrimonio parcerent: *Ea verba* (inquit R. P. Natalis Alexander) *perstringunt eos, quibus cupiditas ingressum in Congregationes Ecclesiasticas suadebat, non ut Ecclesiæ servirent, sed ut patrimonium augerent, & ex substantia pauperum interim viverent*.

Verum facile præcluditur effugium illud. Nam esto, quod Julianus Pomerius Clericorum illorum cupiditatem damnaverit. Sed 1. antea damnaverat in genere Clericos omnes qui, cum patrimonio vesci possent, alimenta ex Ecclesiæ bonis sumebant sibi, *Nec illi qui sua possidentes*, &c. 2. Ratio qua Clericos illos impetit, ad eos omnes spectat, quibus patrimonium suppetit: dicit nimirum, eam non aliam esse, quam quod Ecclesiæ facultates pauperibus tantum clericis concedi debeant: *Patrimonia pauperum*. 3. Idem argumentum, quod probat eos, qui Congregationibus Ecclesiasticis dant nomen, ex earumque Congregationum bonis vescuntur, licet patrimonio sufficienti potiantur, peccare graviter; probat quoque peccare eos, qui licet extra Congregationes illas versentur, & habeant patrimonium, Ecclesiæ tamen reditus in expensas sibi necessarias impendunt: nempe ideo valet argumentum Pomerii, quo bona Congregationibus illis a fidelibus oblata, sint pauperum clericorum, non autem divitum, patrimonia.

Profertur auctoritas Augustini.

Augustinus Juliano Pomerio præiverat: scilicet in sua ad Bonifacium Epistola, aperte docet, Clericos quibus sufficiens ad honestam sustentationem patrimonium suppetit, vesci non posse Ecclesiasticis reditibus, quin reos se constituant criminis rei alienæ usurpatæ: *Si privatim possidemus quod nobis, Clericis, sufficiat, non sunt illa nostra, sed pauperum*. Addendum est, Concilium Tridentinum confirmasse Canonem Apostolicum, qui superius laudatus est. *Cum* (inquit sess. 25. cap. 1.) *& Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent*; eo autem Apostolico Canone, ea tantum conditione fit facultas Clericis impendendi in expensas necessarias bona Ecclesiastica, ut tamen non habeant aliunde, quo possint honeste sustentari.

Profertur auctoritas Scholasticorum.

Adrianus Papa VI. in Commentario quem ante suum Pontificatum edidit in librum quartum Sententiarum, sic loquitur: *Ex natura bonorum ecclesiasticorum deducitur, Clericum ex patrimonio divitem, non posse ex reditibus ecclesiasticis vivere*.

Alexander de Hales, pluribus ante sæculis eadem ratione, iisdemque verbis sic mentem aperuerat suam: *Clericus habens stipendium sufficiens vel reditum, unde possit aliter quam Decimis sustentari sufficienter secundum statum personæ, potest recipere Decimas ut procurator, in necessitates pauperum, vel utilitates Ecclesiæ expendendas: non autem in usus proprios convertendas, vel in malos usus distrahendas. Immo si in usus proprios convertat, committit sacrile-*

crilegium: si in malos usus impendat, incurrit judicium.

Eamdem doctrinam propugnant Dionysius Carthusianus, Thomasinus noster, Sambovius Sorbonicus Doctor, Casuum Conscientiæ Tom. II. pag. 114. Editionis Parisiensis, in quarto; & tandem plures alii, quos loco proxime relato apud eumdem auctorem legere est.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Not. Quæ ab adversariis objiciuntur, reducuntur 1. ad auctoritatem Apostoli qui asserit, eum qui Altari servit, posse de Altari vivere; 2. ad Ecclesiæ praxim, quæ nusquam Clericis imperavit, ut patrimonium dimitterent; 3. ad textum S. Thomæ, quo Sanctus Doctor asserit peccare lethaliter Clericum, qui urgente gravi populorum necessitate, parcit patrimonio, bonaque Ecclesiæ in expensas sibi necessarius impendit. Sed hæc singillatim proponenda & solvenda sunt.

Objicies 1. Apostolus 1. ad Corinth. IX. docet, Clericis qui altari deserviunt, competere jus ex obligationibus fidelium expensas sibi necessarias sumendi: *Ita* (ait) *& Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Quam æqua sit illa Domini ordinatio; idem Apostolus probat ex antiqua Lege: *Nescitis* (inquit) *quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant?* Probat iterum ex lege naturali quæ jubet, ut miles vivat illius stipendiis cujus nomine pugnat: *Quis* (ait) *militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ex iis autem Apostoli sententiis sic argumentum conficitur. Apostolus docet, Clericum habere jus vivendi ex Ecclesiæ reditibus, eo præcise titulo, quod Ecclesiæ serviat; nec distinguit inter Clericum pauperem & divitem: ergo utrique asserit jus vivendi ex Ecclesiæ reditibus. Vis additur illi argumento ex auctoritate S. Chrysostomi, cui ita persuasum fuit, operam quam quis Ecclesiæ narraverit, esse titulum qui det jus utendi fidelium oblationibus, ut ei qui magis laboraverit, majorem portionem deberi censuerit; in eumque sensum hanc aliam Apostoli sententiam traxerit: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

Resp. 1. dist. ant. Apostolus non distinguit inter Clericum divitem & pauperem, & eam distinctionem ex natura bonorum Ecclesiasticorum, quæ solorum pauperum sunt patrimonia, supponit, conc. ant. & eam non supponit, neg. antec. Ratio est, quia eam conditionem Traditio, quæ legitima est Scripturarum interpres, supposuit; ut variis argumentis superius ostensum est.

Resp. 2. utrique Clerico, pauperi scilicet & diviti, Apostolum tribuere jus percipiendi expensas sibi necessarias ex Ecclesiæ reditibus; sed in eo casu patrimonium divitis, erit ex iis bonis quæ superflua dicuntur; ac proinde si clericus dives vivat ex Ecclesiæ reditibus, tenebitur patrimonium pauperibus erogare. Nec obstat Apostolus, cum ait, majorem ex fidelium oblationibus portionem deberi iis qui magis laboraverint: siquidem supponit, eum cujus labores graviores sunt, majori indigere alimentorum copia, tum ut exhaustas vires suas reficiat, tum ut consulat variis, quæ occurrunt, necessitatibus propriis, quarum alioquin cura animum illius in solitudinem distraheret, sicque impediretur, ne totum se daret Evangelicæ prædicationi: hincque patet, quam æquus sit Chrysostomi Commentarius in laudatum ex Apostolo textum: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

Objicies 2. Perpetua hæc fuit Ecclesiæ praxis: 1. Nusquam Clericos, etiam divites, exclusit a jure expensas sibi necessarias percipiendi ex decimis, oblationibus, & distributionibus quotidianis. 2. Nusquam coegit eos, ut patrimonium dimitterent, cum eis Beneficiorum Ecclesiasticorum titulum contulit. 3. Quovis sæculo Clericis facultatem fecit, per testamentum aut alium quemvis contractum, derelinquendi patrimonialia bona parentibus: Ergo supposuit, Clericos, etiam divites, potuisse ex Ecclesiæ reditibus vivere.

Resp. ad 1. falsum esse antecedens. Scilicet Ecclesia quovis sæculo declaravit 1. Clericos uti non posse Ecclesiæ bonis, si aliunde suppeteret eis, quo sustentarentur: *Si tamen* (inquit Concilium Antiochenum) *indiget*. Declaravit 2. eos, qui cum sint divites, Ecclesiæ reditus impendunt in necessarias impensas, fieri sacrilegii reos: *Sacrilegium* (inquit Hieronymus) *committunt*. Declaravit 3. eosdem Clericos esse reos usurpationis bonorum, quæ illorum non sunt: *Non sunt* (ait Augustinus) *illa nostra, sed pauperum.*

Resp. ad 2. variis de caussis Ecclesiam Clericis divitibus non jussisse, ut patrimonium, cum Ecclesiis adscribebantur, ac proinde cum Beneficiis donabantur, dimitterent. Nam 1. alioquin Ecclesia pluribus ministris ministerio sacro aptissimis defraudata fuisset: pauci enim reperti fuissent inter divites, qui patrimonium dimittere voluissent. 2. Ecclesia hoc emolumentum ex ministris divitibus colligebat, quod cum ministri illi non essent Ecclesiæ oneri, ex oblationibus fidelium, quibus illi ad proprium usum non utebantur,

tur, facilius pauperum indigentiæ consulerent. 3. Ob eamdem rationem Ecclesia, his etiam temporibus, hominibus divitibus beneficia confert, quod præsumat, eos, Ecclesiæ reditus, non in usus proprios, sed ad sublevandam pauperum miseriam conversos esse.

Objicies 3. Sanctus Thomas docet, Clericos, quibus patrimonium suppetit, in casu urgentis necessitatis non posse vesci ex Ecclesiæ reditibus: ergo persuasum est illi, Clericos divites extra casum illum posse reditus ecclesiasticos in usum proprium convertere; siquidem (ut ajunt) exceptio firmat regulam. Probatur ant. Sanctus Thomas 2. q. 185. art. 7. ad 3. sic loquitur: *Non enim omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum, & aliis necessitatibus pauperum, vasa cultui divino dicata distribuuntur: Et in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere; dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset.*

Resp. 1. Sanctum Thomam loco in objectione laudato non tractare ex professo quæstionem, *An Clericus qui sufficiente patrimonio fruitur, vivere possit ex Ecclesiæ reditibus, & suo eidem patrimonio parcere*: sed hancce sibi expendendam expresse proponit: *Utrum Episcopi mortaliter peccent, si bona ecclesiastica quæ procurant, pauperibus non largiantur.* At ratum est apud omnes axioma, auctorem, qui ex professo quæstionem aliquam non pertractat, cum eadem circumspectione non loqui, ac si expressè eam sibi expendendam proponeret.

Resp. 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Sanctus Thomas loquitur de speciali debito, quod Clerico in casu necessitatis imponitur: unde is est S. Doctoris sensus: *Nusquam Clericus qui patrimonio ad sustentationem sufficiente fruitur, potest Ecclesiæ facultates in expensas sibi necessarias convertere, & in primis cum populum gravis necessitas urget.* Confirmatur ex eo, quod verisimile non sit S. Thom. voluisse favere inordinato Clericorum amori in parentes, quorum, alioquin non egentium, mundanum fastum, & splendorem per redituum patrimonialium collationem foverent ac nutrirent, viventes interim ex bonis quæ idem S. Doctor post antiquos Patres sæpius asseruit esse vota fidelium, pretium peccatorum, & patrimonia pauperum.

Objicies 4. Grave sequitur incommodum ex sententia, quæ in conclusione propugnatur. Nempe si clericus ex beneficii sui reditibus vivere non possit, & parcere patrimonio, plures reperire erit clericos, qui cum spe mercedis, ex laboribus spiritualibus percipiendæ, frustrandi sint, torpebunt otio, nec suam Ecclesiæ operam conferent: ergo, &c.

Resp. 1. perutile esset Ecclesiæ, ut viri ex patrimonio divites, ecclesiasticis laboribus incumbant), ii enim cum non sint futuri oneri Ecclesiæ, redditus quos ex Beneficiis percipient, pauperibus quibus gravatur Ecclesia, largientur.

Resp. 2. divitibus clericis indignum esse labores spirituales obire, ut aut parcant patrimonio, aut ut eo rem suorum, alioquin non indigentium, augeant; ea nimirum agendi ratione probarent se pluries parentum splendorem, quam Ecclesiam facere. *Si propterea* (inquit Augustinus libro 11. de Sermone Domini in Monte, c. 24.) *evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum.* Cujus quidem effati hancce rationem profert S. Doctor, ejusdem libri cap. 16. *Quæcumque res propter aliquid aliud quæritur, sine dubio inferior est* (in æstimatione quærentis) *quam id propter quod quæritur. Quapropter si Evangelium, & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & posterius regnum Dei.* A Clericis serviendum est Ecclesiæ eodem motivo, quo Christus ipsi suam contulit operam, hoc est, non aliud sibi proponere debent, quam Ecclesiæ sanctificationem, quæ Christo non contulit opes; sed quæ (ut ait Augustinus) ab illo dotata, ab illo redempta, ab illo sanata fuit. Clerici imitentur Apostolum, qui propriis manibus victum quæsivit, ne Ecclesiis, quibus annuntiavit Evangelium, oneri esset.

Objicies 5. Plures sunt de Schola Theologi qui docent, Clericos quibus satis est patrimonium ad vitam honeste sustentandam, posse nihilominus reditus ecclesiasticos in necessarias expensas convertere: ergo revera id eis licitum est.

Resp. 1. Theologos illos loqui nullo nixos traditionis fundamento: 2. Theologis illis opponimus Conciliorum Canones, Hieronymum, Augustinum, Julianum Pomerium, Bernardum, & alios, quorum magnum est in Ecclesia pondus. 3. Iis Theologis sic cum Dionysio Carthusiano, De vita Canonicorum, c. 24. respondemus: *Securius ac salubrius creditur, aut paretur dictis Sanctorum, per quos locutus est Spiritus Dei, quam Scholasticorum quorumdam, qui suo magis, quam expedit, credunt & nituntur ingenio, auctoritatemque Sanctorum ad suam retorquent opinionem.*

ARTICULUS III.

De Dominiorum origine.

CONCLUSIO I. Creatura rationalis a Deo, ut prima caussa, dominium habet in suos actus. Ab eo quoque Adamus innocens in universum orbem dominium accepit.

Pro-

Probatur prima pars. Quælibet creatura rationalis libertate a Deo donata fuit: ergo & dominio in proprios actus, cum illud dominium sit essentiale libertati.

Altera conclusionis pars constat ex dictis de Deo Creatore.

CONCL. 2. Jure Gentium statim post peccatum introducta fuit in orbem dominiorum divisio.

Probatur prima pars. Cain obtulit de frugibus terræ, & Abel de optimis sui gregis: Sed si ambo illi fratres distincta & divisa peculia non habuissent, Abel præ Cain, propter oblata, specialem laudem promeritus non fuisset; quod est falsum.

Probatur altera pars: Statim post peccatum ratio homines docuit, supposita corruptione naturæ per peccatum, necesse esse, ut quisque suum possideret, ne lites & jurgia orirentur, & ne tellus inculta remaneret. Eodem argumento evincitur quoque, jure gentium invectam fuisse hereditariam filiorum in bona paterna successionem; nam ratione naturali statim omnes docti fuerunt, æquitati consonum esse, ut penes eos esset hereditas, in quos ipsa parentum natura transfunditur.

CONCL. 3. Jure civili & politico, in variis regionibus facta est bonorum divisio.

Probatur. Jus civile invexit primogenituræ præscriptionisque jura, nec non multas particulares leges, quæ in diversis locis diversas efficiunt dominiorum divisiones.

ARTICULUS IV.

De modis, quibus dominium transferri potest.

Dominii translatio, quæ definitur transmisso rei ab eo, qui prius eam legitime possidebat, in alterum, qui in eam nullum habebat jus, duo, ut valeat, requirit; voluntatem nempe legitimi dominii, & auctoritatem legis positivæ. Conveniunt omnes Theologi, permutationis, venditionis, mutui, donationis contractus, qui duplici illa conditione nituntur, esse media, quibus fit translatio, de qua agitur; sed dubium est inter eos: 1. An dominium per ludum alearum transferatur. 2. An per contractum cui desunt juris sollemnitates: 3. Utrum per præscriptionem. Cum non levis momenti sint illa dubia, seorsim subjicienda sunt examini.

§. I. *Utrum per ludum alearum dominium transferatur.*

CONCL. 1. Spectato solo jure naturali, per ludum alearum dominium transfertur.

Probatur. In translatione dominii per alearum ludum, nihil reperitur, quod juri naturali repugnet. 1. Non fit (ut supponitur) contra liberam legitimi dominii voluntatem. 2. Forma, sub qua fit, ex se non est injusta, cum non dicat inæqualitatem: est enim hujusmodi: *Pecuniam expono ludo, ut tu vicissim exponas tuam.* Non est etiam injusta ratione periculi, quia cuique licet rem suam nonnunquam exponere periculo, ut patet in contractu assecurationis mercium maritimarum lucrandi alienum, cum vehemens est, arguit quidem summam in ludente avaritiam, proindeque, ex S. Antonino, est peccatum mortale; sed irritum non reddit pactum, quod inter se ludentes inierunt, cum ei sit omnino accidentalis, sicut & ceteris contractibus. 4. Quod spes lucri committatur fortunæ, non est contra rationem, tum quia Christianos non latet, nihil omnino fieri casu; proindeque nomine fortunæ aliud a Dei providentia non intelligant: tum etiam quod usus fortium ad dividendum inter fratres hereditatem, non sit malus, quamvis eventus a fortuna (ut loquuntur homines) pendeat: Ergo ex nullo capite, dominii per ludum alearum translatio juri naturali repugnat.

CONCLUSIO 2. In locis, in quibus leges positivæ prohibent lucrum per alterum ludum, per ipsum nequaquam dominium transfertur.

Probatur 1. quia positivæ leges possunt contractus alioquin jure naturali validos, reddere nullos, cum id bonum commune requirit. Ita sensit Sanctus Thomas, ut patet ex his illius verbis 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. *Circa illa, quæ per aleas adquiruntur .... aliud videtur esse ulterius illicitum ex jure positivo civili, quod prohibet universaliter tale lucrum. Sed quia jus civile non obligat omnes, sed eos solos, qui sunt his legibus subjecti, & iterum per dissuetudinem abrogari potest; ideo apud illos, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem qui lucrantur, nisi forte contraria consuetudo prævaleat.*

Quæres 1. quid de lucro per aleas definierint tum Romanæ, tum Francicæ leges?

Resp. ad primum, leges Romanas nullam dare actionem victori in victum: 2. cogere victorem ad restitutionem, si victus repetat juridice pretium persolutum: *Victum in aleæ lusu* (inquit Justinianus Cod. l. 3. de Aleatoribus & Alearum usu. L. victum) *non posse conveniri, & si solverit, habere repetitionem tam ipsum, quam heredes ejus: idque perpetuo, & etiam post triginta annos.* Ex quibus verbis patet, leges Romanos a victore non auferre dominium in pretium, nisi victus in judicio repetierit.

Resp. ad secundum, Francorum leges nusquam meminisse persoluti pretii, sed tantum debiti: dominium igitur in illud non auferunt a victore, sed tantum in illud. Colli-

gitur

gitur ea responsio ex edicto a Ludovico XIII. Francorum Rege lato Parisiis, die 30. Maii anno 1611. sic enim habet: *Faisons deffenses a toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, de tenir berlans en aucune Ville, & endroits de nostre Royaume, ni s'assembler pour jouer aux cartes, ou aux dez. Declarons toutes cettes contractées par le jeu nulles, & toutes obligations & promesses faites par le jeu, quelques déguisées qu'elles soins, nulles, & de nul effet, & déchargées de toutes obligations civiles & naturelles.*

Quæres 2. an sint aliqui alii casus, quibus comparata per alearum ludum victor servare sibi non possit?

Respondet S. Thomas his verbis: *Circa ea, quæ per aleas adquiruntur, videtur aliquid esse illicitum ex divino jure, scilicet quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt minores, & furiosi, & hujusmodi, & quod aliquis trahat alium* (fraude scilicet, vel vi, vel nimium importunis precibus) *ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur: in his casibus tenetur ad restitutionem. Nisi tamen aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit illum ad ludum, quo casu non tenetur restituere, quia ille qui amisit, non est dignus recipere, nec potest licite retinere, jure positivo* (quod vetat dominium hujusmodi) *durante: unde debet de eo eleemosynam facere, in hoc casu.*

Respondemus præterea, idem ferendum esse judicium de iis, qui lucrati sunt bona Ecclesiastica: cum enim Clerici non sint eorum domini, aliquod in ea dominium ludo transferre non valent. Victo tamen, in pœnam actus illiciti, restitui non debent, sed Ecclesiæ, vel pauperibus. Idem debet dici de iis, qui vicerunt mulieres matrimonio conjunctas, quæque alia non habent bona a dotalibus, nisi tamen exigua sit summa ludo obtenta: tunc enim earum mariti alienationi consensum præbere censentur. Idem quoque statuendum est de filio-familias, qui cum non potuerit ingentem pecuniæ summam valide ludi periculo exponere, non potuit quoque valide lucrari multam summam a viro, quem vicit. Nec mirum; nam justitia postulat, ut quis non possit ludo plus obtinere, quam possit amittere.

§. II. *An per contractum, qui jure civili nullus est, dominium transferatur?*

Conclusio. Per contractum jure civili invalidum, quamvis jure naturali valeat, dominium non transfertur.

Probatur 1. Leges civiles (ut suo loco dictum est) obligant in conscientia: Ergo subditi eis obedire tenentur: ergo, si leges non habita ratione contractus, cui desunt solemnitates juris, rei per illum contractum datæ cessionem præcipiant, subditi ad illam cessionem tenentur. Sed si ad cessionem tenentur, nullum in rem datam per illum eumdem contractum dominium adquisierunt, ut patet: ergo, &c.

Non obstat, quod leges in casu, de quo est quæstio, non præcipiant cessionem sub hac formula, *In conscientia*: Nam non ex illa formula, sed ex natura sua politicæ leges subditos obligant in interiori foro.

Probatur 2. Ideo Respublica nullos & irritos facit contractus, sine præscriptis sollemnitatibus initos, ut impediat, ne absque sollemnitatibus illis (quarum usus maxime utilis est communi bono) civium bona alienentur. At Respublica finem illum non assequeretur, si in conscientia per illos contractus imperfectos dominium transferretur. Nam qui sine sollemnitatibus juris agrum vendidisset, eum postea tuta conscientia non posset repetere; immo nec ipsamet Ecclesia, si œconomus aut commutasset, aut vendidisset, non servatis requisitis ab ea formalitatibus: quod est absurdum.

Objicies 1. In casibus quibus cessat finis legis, lex nullam vim habet. Sed in contractu, qui habita ratione solius juris naturalis, valet, sed irritus est secundum jus civile, cessat finis legis, quæ sollemnitates præscribit; ideo enim præscriptæ fuerunt nonnullæ sollemnitates, ut vitentur fraudes, At in contractu, de quo est quæstio, nullæ omnino sunt fraudes, ut supponitur: ergo, &c.

Resp. veram esse majorem propositionem, cum finis cessat generaliter in Republica: sed contende falsam esse, si cesset tantum in particulari casu. Ratio est, quia lex ab accidentariis & particularibus casibus abstrahit, cum tota sit in iis, quæ ut plurimum contingant: Unde quamvis illis in casibus finis legis locum non habeat, ipsa tamen lex totam suam vim retinet; ut patet 1. in pupillo, qui licet maturi judicii supponatur, non potest tamen ante ætatem jure civili præscriptam bonorum suorum dominium in alium transferre, inconsulto & non consentiente tutore: patet 2. in viro pacifico, in quo quamvis cesset ratio legis prohibentis, ne quis arma noctu deferat, vim tamen suam & robur habet ea lex, etiam illius hominis pacifici respectu.

Objicies 2. Quando jus civile est contra jus naturale, tunc nulla est habenda ratio juris civilis; illud enim majus habet pondus, quam istud. Atqui jus civile irritans contractum naturali jure validum, est ipsi juri naturali oppositum: Illius ergo nulla est habenda ratio.

Resp. concessa majore, neg. min. Ratio est, quia exigit jus naturale, ut pars de suis facultatibus contra voluntatem totius non disponat; partes enim sunt propter totum. Renuente igitur Republica propter bonum publicum

blicum, ut per contractus initos non servatis servandis transferatur dominium, exposcit jus naturale, ut de facto non transferatur.

§. III. *Utrum dominium transferatur per praescriptionem.*

CONCLUSIO. Dominium vere transfertur per legitimam praescriptionem.

Probatur. Principes suis legibus efficere possunt, ut quis per praescriptionem dominium adquirat. Nam divisio bonorum non a lege naturali, quae omnes fecit aequales, sed legibus humanis olim invecta est, & fit his etiam temporibus: *Quisquis possidet, quod possidet* (inquit August. tract. 6. in Joannem circa finem) *nonne jure humano? Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere: Mea est illa villa?* Atqui principes suis legibus definierunt transferri dominium per praescriptionem. Haec enim leguntur lib. 1. de Praescr. *Constitutionem promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles, per triennium: immobiles vero, per longi temporis possessionem, id est, inter praesentes, decennio, inter absentes, viginti annis, usucapiantur. Et his modis in omni terra, quae imperio nostro gubernatur, dominia rerum, justa possessione praecedente, adquirantur.* Nec valet, quod ajunt nonnulli, Imperiales de praescriptione leges habere quidem locum in foro externo, non autem in foro conscientiae. Nam 1. nullus ex Patribus, quibus cognitae fuerunt illae leges, sic distinxit: 2. e contra sua auctoritate generatim & sine restrictione leges illas Ecclesia confirmavit, ut ostendi potest ex Gelasio Papa Epist. X. quae est ad Siciliae Episcopos, sic loquente; *Illud annecti placuit, ut si facultates Ecclesiae, nec non & dioeceses, quae ab aliquibus possidentur Episcopis, jure sibi vendicent, quod Triennalis lex conclusit, quia & filiorum nostrorum Principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quum legem tempus exclusit.* Ostendi potest iterum ex eo, quod Ecclesia legibus, quas de praescriptione Imperatores tulerunt, usa fuerit semper, ut caussas Ecclesiasticas dirimeret; unde in Jure Canonico expressum de praescriptionibus titulum legere est.

Objicies 1. auctoritatem nonnullorum Patrum. 1. Augustinus libro de fide & operibus, cap. 7. sic loquitur: *In jure praediorum, tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: Cum vero scivèrit; nec ab aliena possessione recesserit, tunc malae fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur.* 2. Sanctus Raymundus de hac quaestione in sua Summa agens, asserit, quod suae aetatis Theologi docerent, eos, qui post legitimam praescriptionem agnoscunt se possidere alienum, ad restitutionem teneri.

Resp. ad primum, adverbium istud *tamdiu*, intelligendum esse ante legitimam praescriptionem. Ratio est, quia post praescriptionem, id, quod possidetur, non dicitur alienum; ita ipsum Augustinum sensisse, probant haec illius verba Epist. 54. *Hoc certe alienum non est, quod jure* (id est legum auctoritate) *possidetur.*

Resp. ad secundum, quaestionem, de qua agitur, S. Raymundum dubiam reliquisse; haec enim ait: *Consulerem ei* (qui per praescriptionem aliquid possidet) *ut restitueret, saltem propter ambiguum duplicitatis. Si nollet adquiescere, non auderem sibi dare securitatem, quod sit in statu salvandorum . . . . . Non audeo etiam praecise definire eum teneri, vel esse propter hoc in statu damnandorum.* Addi potest, quod si nonnulli auctores S. Raymundi aetate praescriptionis legem, quoad forum interius, non valere censuerint; alii, & quidem insigniores, qui postea scripserunt, contrarium docuerint: inter eos sic loquitur S. Thomas quodlib. 12. art. 24. *Dicendum est, quod si quis praescribat, bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post praescriptionem.* Sic etiam Scotus in 4. dist. 15. quaest. 2. *Si lex justa potuit juste determinare prima dominia, & non minor est auctoritas legis post divisionem dominiorum, quam ante: Ergo propter eamdem caussam & eumdem finem potest juste transferre dominium. Ex hoc dico, quod praescriptio in immobilibus, & usucapio in mobilibus, est justa translatio.*

Objicies 2. Proferri non potest ratio, propter quam Imperatores legem de praescriptionibus juste condere potuerint: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Promulgata enim fuit illa lex propter bonum publicum, quietem scilicet civium & familiarum. Cum antiquarum conventionum instrumenta non raro evanescant, cum nihil sit facilius, quam falsa instrumenta pro veris supponere, mortuis scriba & testibus; par fuit ut Principes, praescriptionis lege, tot tantisque malis occurrerent, impedirentque, ne iniqui injustis litibus, & falsis testibus cives & familias vexarent.

Objicies 3. Est de jure naturali, ut Respublica invitos cives bonis non spoliet, nisi in duplici casu; 1. cum ipsa Respublica civium suorum facultatibus ad commune bonum indiget; 2. cum cives propter nefandum aliquod scelus bonorum jactura mulctari debent. Atqui, si in foro conscientiae valeret praescriptionis lex, cives sine praevio delicto, & sine urgente Rempublicam necessitatis casu, inviti nonnunquam suis bonis spoliarentur, ut patet: Ergo, &c.

Resp. neg. maj. Nam praeter duplicem allatum casum est tertius, nempe cum id exposcunt pax & tranquillitas publica (ut revera

vera exposcunt in caussa præscriptionis): Est enim de iure naturali, ut bonum privatum publico postponatur.

Quæres 1. quænam conditiones ad legitimam præscriptionem requirantur?

Resp. multas ad legitimam præscriptionem conditiones requiri. Requiritur nimirum 1. ut res ipsa sit præscriptibilis. Defectu illius conditionis laici pro caussarum Ecclesiasticarum, seu spiritualium cognitione præscriptionem Episcopis objicere non possunt.

Requiritur 2. continuata possessio, ut colligitur ex *l. Cum notissimi*, Cod. *De præscriptionibus*, ubi definitur, per litis contestationem, immo & per solam citationem impediri præscriptionem.

Requiritur 3. bona fides, *Quoniam* (inquit Concilium Lateranense IV. Can. 41.) *omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis, cum sit generaliter omni constitutioni derogandum, quæ absque mortali non potest observari peccato.* Ex quo patet, in foro conscientiæ nullam habendam esse rationem legum (si quæ tamen sint) quæ possessorem malæ fidei in sua possessione confirment.

Requiritur 4. probabiliter præsumptus titulus. Nam defectu tituli alicujus, fur, & usurarius non præscribunt: sufficit tamen, ut titulus ille sit præsumptus, quamvis de facto sit nullus: si enim esset certus, independenter a præscriptione transferret dominium.

Requiritur denique 5. tempus lege definitum. Nec mirum, cum præscriptio illud tempus essentialiter præsupponat. Ex paragr. 1. Instit. de usucapione, constat, requiri triennium ad adquirendum dominium rerum mobilium; decem vero annos inter præsentes id est eos, qui commorantur in eadem provincia: & viginti inter absentes, pro rebus immobilibus; modo tamen adsit titulus coloratus: Si enim nullus sit, requiruntur triginta anni non interruptæ possessionis bonæ fidei, sive in mobilibus, sive in immobilibus bonis laicis: at in immobilibus Ecclesiasticis requiruntur quadraginta tam jure civili Auth. *quas actiones*, Cod. *De sacro sanct. Eccles.* quam jure Canonico, Cap. *De quarto* Cap. *ad aures*. Illi quadraginta anni non sufficiunt, ut contra Ecclesiam Romanam præscribatur, quippe quod centum requirantur: Auth. *Quas actiones*.

Quæres 2. utrum dubium, an res, quæ possidetur, sit aliena, præscriptionem impediat?

Resp. affirmative. Ratio est, quia dubium impedit bonam fidem: bona enim fides idem est ac fides tranquilla & quieta, quæ certissime cum dubia non componitur. Unde actio, quæ fit cum dubio, an sit peccatum, certum est peccatum, nempe eo quod non fit ex bona fide, sive ex conscientia certa dicente Apostolo, *Quod non est ex fide, peccatum est.* Observandum est, eum, qui dubitat, an res, quam possidet, sit aliena, teneri explorare diligenter cujus sit; Si autem id detegere non valeat, potest eam servare sibi, cum in dubiis melior sit conditio possidentis, ac reo potius quam actori jura faveant.

Quæres 3. an leges civiles possint in possessorem malæ fidei transferre dominium in pœnam negligentiæ legitimi domini, qui rem suam inter præscriptionis tempus non repetit?

Resp. negative. Nec mirum: pugnat enim contra æquitatem naturalem, quod leges ei faveant, qui rem alienam per voluntarium diuturnumque scelus possidet, ut revera a malæ fidei possessore detinetur. Id tamen non impedit, quin leges juste possint legitimum dominum, qui negligens fuisse supponitur, privare actione, qua post expletum præscriptionis tempus rem suam in foro exteriori repetat: id enim nonnunquam necesse est, ut bono publico consulatur.

CAPUT IV.

De Contractibus in communi.

Not. Hic agimus de Contractibus, quod sint actus præcipui, per quos justitia exercetur. Eorum essentiam, subjectum, objectum, & divisionem exponemus.

ARTICULUS I.

De essentia Contractuum.

CONCL. Contractus recte definitur, plurium ad idem placitum conventio libera.

Probatur. Contractus recte dicitur 1. *Conventio plurium*, eo quod nemo cum se ipso pacisci possit. 2. Ea conventio debet esse *libera*. Unde ab amentibus, furiosis, & infantibus, contractus iniri non possunt.

Quæres 1. an error in alterutro ex contrahentibus contractum irritum efficiat?

Resp. affirmative, si error sit circa substantiam rei, ut cum quis vendit aurum, quod judicabat aurichalcum: secus vero si sit tantum circa qualitates, aut accidentia rei; ut cum quis emit agrum sterilem, quem fertilem putabat. Ratio est, quia in priori casu non est consensus in rem venditam, qui tamen reperitur in posteriori; in quo quidem posteriori casu licet contractus valeat, rescindi nihilominus potest in conscientia, si tamen sit solubilis: nempe ad arbitrium ejus, qui per fraudem, & dolum ita inductus fuit ad contrahendum, ut de facto non fuisset contracturus, si dolum hujusmodi perspectum habuisset. Nec mirum, ei enim, qui sic contraxit, illata est injuria. Unde in integrum debet restitui: aut, si non a contrahente,

hente, sed ab aliqua tertia persona deceptus fuerit, de rei venditæ pretio secundum prudentum æstimationem detrahi debet.

Quæres 2. an irritus sit contractus initus ex metu?

Resp. contractum, etiam ex gravi metu initum, jure naturæ esse validum; cum metus, etiam gravis, non tollat in eo, qui sui est compos, internum consensum, qui solus, spectato jure naturæ, essentialis est contractui. Rescindi tamen postea potest idem contractus in foro conscientiæ, si metus, quamvis levis, qui vera fuit illius caussa, injuste incussus fuerit, eo quod per illum metum injuria illata fuerit contrahenti, qui proinde debet in integrum restitui, modo tamen contractus juramento non fuerit confirmatus; in eo quippe casu promissis stare debet, donec per legitimam potestatem absolutus fuerit a jurameto; quam quidem absolutionem potest petere, quamvis se non periturum juraverit: *In juramento quod quis coactus facit* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.) *potest quis repetere in judicio quod solvit, vel prælato denunciare, non obstante, quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra justitiam publicam.*

ARTICULUS II.

De iis, qui contrahere possunt.

CONCL. Spectato solo jure naturali, ii omnes, qui fruuntur usu rationis, possunt inire contractus: At jure positivo multis illa potestas adimitur.

Probatur prima pars ex eo, quod jus naturale nihil aliud in contractu requirat, quam liberum contrahentium consensum. Altera vero pars colligitur ex variis juris Civilis legibus. Lex *Si curatorem habens*, pupillos reddit inhabiles ad contrahendum sine curatoris auctoritate: Sin autem nondum eis de curatore provisum fuerit, valent quidem initi ab eis contractus, sed per repetitionem in integrum restitui possunt. Lib. 3. Instit. c. 20. §. 9. decernitur, filium familias ante pubertatem, id est ante annum 14. completum, non posse valide contrahere, etiam de bonis, quorum habet proprietatem & usum, quamvis patris consentientis auctoritate muniatur.

Quæres, an pupillus teneatur ad solutionem pecuniæ, quam inconsultis tutore aut curatore, mutuo accepit?

Resp. eum teneri, si pecuniam mutuo acceptam in usus utiles & necessarios impenderit, ita ut ea pecunia factus fuerit aliquo modo ditior: non teneri vero, etiam in foro conscientiæ, si mutuo acceptum in ludis, aut in rebus minime sibi necessariis consumpserit. In priore casu non subsistit ratio legis, qua pupilli ad contrahendum inhabiles efficiuntur: in posteriore e contra tota viget ejusdem legis ratio.

Quæres, quænam sit materia contractuum.

Resp. materiam contractuum esse bona omnia, quorum quis & dominio & libera administratione fruitur. Ratio est, quia bona illa possunt in alienum dominium, aut administrationem transire.

Hinc colligitur 1. uxorem nec de dote, nec de illius fructibus posse, inscio & non consentiente marito, per contractum aliquem disponere; e contra filium familias inconsulto patre posse contrahere de bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus, cum eorum absolutum dominium & completum usum habeat. Idem dici non debet de adventitiis; nam licet eorum habeat dominium, usus tamen est patris. Unde a fortiori concluditur, eum non posse contractum inire de profectitiis, cum profectitiorum nec proprietatem, nec usum habeat.

Quæres, an filius familias contrahere possit de bonis, quæ proprio labore & industria in domo paterna lucratur.

Resp. 1. eum non posse, si ea bona nomine & auctoritate patris lucratus fuerit; ea enim bona inter profectitia numerantur. Hinc infertur, filium cauponis, fabri, aut mercatoris, post obitũ patris nihil in detrimentum coheredum posse sibi ex illis bonis retinere.

Resp. eum e contra post obitum patris posse lucra ex solis operibus artificialibus provenientia retinere sibi, si ita cum patre convenerit, deductis tamen deducendis ex alimentis, quæ accepit a patre. Ratio est, quia illa bona inter adventitia recensentur.

Quæres 3. quomodo contractus dividantur?

Resp. contractus multipliciter dividi. Dividuntur enim 1. in Innominatos, qui non habent speciale nomen, sed genericum tantum: sunt autem isti quatuor; *Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias*; & Nominatos, quibus proprium ac speciale nomen convenit, quales sunt emptio, locatio, mutuum, &c. 2. Dividuntur in onerosos & gratuitos. Priores, ii sunt, in quibus pro dato aliquid rependitur: Posteriores, in quibus pro dato nihil rependitur, v. g. donatio, commodatum, precarium. 3. Dividuntur in contractus stricti juris, & in contractus bonæ fidei. Illi, sunt ii, in quibus Judex ad verba contrahentium adstringitur. Isti vero, in quibus Judex ex æquo & bono aliquid potest arbitrari, quod a contrahentibus non fuit expressum, sed bona fide subintellectum censetur. 4. Contractus dividuntur penes effectum. Nonnulli transferunt rei dominium, ut Permutatio, Venditio, Mutuum: Alii transferunt solum usum rei, ut Commodatum, Precarium: Alii solam rei custodiam, ut Depositum, Pignus, &c.

CA-

CAPUT V.

De Venditione, & Emptione.

Not. NON agemus de singulis in specie contractibus, sed tantum de subsequentibus, Venditione nimirum, Emptione, Mutuo, Commodato, Deposito, Pignore, Precario, Locatione, Promissione, contractu Dotali, contractu Societatis, Cambio, Assecuratione, Fidejussione, & tandem de Testamentis.

ARTICULUS I.

De Contractibus in particulari.

CONCL. 1. Emptio definitur, contractus, per quem, mediante pretio determinato, dominium in rem aliquam adquiritur: Venditio vero est contractus, per quem, mediante pretio determinato, alicujus rei in alternum transfertur dominium.

Probatur & explicatur simul conclusio 1. Cum Venditio, & Emptio perficiantur mutuo paciscentium consensu, merito dicuntur contractus. 2. Cum differant a Permutatione, necesse est, ut fiant ex pacto determinati pretii. 3. Cum res vendita non debeat redire in potestatem venditoris, sed maneat penes emptorem, essentiale est Emptioni & Venditioni, ut per eas non solus rei usus (ut fit in locatione) sed ipsa etiam res, a venditoris dominio in emptoris dominium transeat.

Ex his infertur 1. post completum venditionis contractum, rem, quæ fuit vendita, non venditori, sed emptori perire, etiamsi remanserit apud venditorem, modo tamen ex istius negligentia culpabili detrimentum non contingerit. Colligitur 2. emptorem non teneri ad persolvendum aliud a promisso pretium, quamvis antequam rem emptam penes se habeat, illa eadem res casu aliquo fiat melioris conditionis, quam esset, cum empta fuit. Nec mirum: equum enim est, ut qui sentit incommodum, sentiat & commodum.

CONCL. 2. Duplex est pretium rerum, quæ vendi, aut emi possunt: Legale & Naturale, seu (ut alii vocant) Vulgare.

Probatur. Vel pretium est lege aliqua positiva determinatum, & sic est legale: vel determinandum relinquitur prudenti hominum æstimationi, & sic est vulgare. Prius, positum est in indivisibili: unde venditori ipsum augere non licet: Posterius vero, aliquam habet latitudinem; dividitur quippe in summum, medium & infimum: ita ut si medium pretium sit centum v. g. infimum poterit esse nonaginta quinque; summum; centum & quinque; aut circiter secundum prudentum æstimationem.

Quæres, unde vulgare rerum pretium peti debeat?

Resp. non peti illud pretium 1. ex eo quod res vendita, commoda sit & utilis emptori, Nam (ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 1.) alienum commodum, vendentis dominio non subjacet. 2. Nec ex eo, quod præsens numeretur pecunia, vel promittatur tantum; siquidem expectatio solutionis, est mutuum, vi cujus nihil licet recipere. 3. Nec ex brevi futura mercium copia, aut inopia, quia (ut docet S. Thomas articulo tertio ad quartum) pretium sumi debet ex præsenti rerum statu, non autem ex futuro. Unde concludit idem S. Doctor, mercatorem, qui detulit triticum ad locum, ubi est inopia frumenti, posse allatum vendere secundum pretium quod invenit, quamvis certo sciat, multos alios mercatores brevi ingentem copiam delaturos esse. Dicendum igitur, pretia vulgaria rerum sumenda esse 1. ex variis circumstantiis, v. g. penuria, vel copia mercium, emptorum, venditorum, aut pecuniæ; 2. ex detrimento quod quis incurrit ex venditione rei, quæ emptori est valde utilis, aut quæ probabiliter majoris pretii futura esset alio tempore, ad quod mercatur, deductis tamen deducendis, illam servare statuerat; 3. ex modo vendendi, sub hasta, in discessu, minutatim: modo tamen ex parte ementis, nec fraus, nec dolus venditioni locum aliquem dederint.

CONCL. 2. Materia venditionis & emptionis, sunt ea tantum, quorum venditor habet dominium.

Probatur ex eo quod venditor non possit transferre dominium earum rerum, in quas ipse nullum habet: quæ tamen translatio contractibus emptionis & venditionis essentialis est.

Hinc colligitur, emptorem, qui etiam bona fide emit a fure rem alienam, eam sibi servare non posse, ubi agnoverit verum illius dominum, a quo tamen pretium, quod persolvit, repetere non potest, nisi sciens alienam esse, eo fine comparaverit, ut postea domino redderet. Ratio est, quia nemo plus juris potest transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur. Ab ea tamen regula excipiendus est emptor, qui dum esset bonæ fidei possessor, rem a fure emptam vendidit, aut consumpsit. 1. Quia tunc tantum aliquis ad restitutionem tenetur, cum alienum injuste detinet. 2. Pretium, quod per alieni venditionem accepit, quodque bona fide fuit consumptum, non est furto comparatum. Ita haud dubie tenuit Sanctus Thomas 2. 2 q. 100. art. 6. ad 3. ubi hæc habet: *Non tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit.*

Quæres, an sicut valida est venditio rei, in quam quis plenum habet dominium, ita etiam sit semper licita?

Resp. negative. Ratio est, quia nonnunquam res vendita vergit in detrimentum, aut corporale, aut spirituale proximi. Hinc concluditur contra caritatem peccare 1. Typographos, apud quos veneunt famosi, aut amatorii libri. 2. Pictores, qui obscenas imagines aut pingunt, aut vendunt. 3. Caupones, qui vinum præbent iis, quos vident eo sese inebriaturos. 4. Pigmentarios, qui fucatum mulieribus divendunt, cum ex S. Thoma, lectione 2. c. 2. primæ ad Timotheum: *Fucatus ornatus semper sit peccatum. Mulieribus enim non permittitur ornatus nisi propter viros: at viri nolunt decipi, ut fucatæ eis appareant.* 5. Venditores taxillorum, chartarum, iis saltem, quos vident ex nimia lucrandi cupiditate ludere, aut ingentem pecuniæ summam ludo legibus politicis vetito exponere; per ludum enim vetitum, dominium rei non transfertur.

ARTICULUS II.

De Mutuo, Commodato, Precario, Deposito.

CONCL. 1. Mutuum est contractus, quo rei dominium & usus transferuntur in mutuatarium, ea lege, ut similem, tum in specie, tum in qualitate, redditurus sit.

Probatur per allatam definitionem: Mutuum ab omnibus aliis contractibus differt: 1. quidem a Venditione, quæ transfert rei dominium sine onere reddendi similem: 2. a Commodato, in quo res eadem non specie tantum, sed & numero reddi debet: 3. a Deposito, quod ita alterius fidei creditur, ut eo non possit uti, nisi explicito, aut saltem implicito deponentis consensu.

Hinc sequitur 1. rem mutuo datam perire mutuatario, quocumque casu pereat. 2. Mutuatarii, non vero mutuantis, esse omnes omnino fructus, qui ex re mutuo accepta percipiuntur.

CONCL. 2. Materia mutui, sunt solum res usu consumptibiles, quæ in determinata quantitate & qualitate consistunt.

Probatur ex eo, quod res, quæ usu non consumuntur, ad venditionem, locationem, & commodatum pertineant: unde concluditur, rei mutuo acceptæ usum & dominium esse omnino idem; unde pro illius usu aliquid sine injustitia exigi non potest a mutuante; alioquin enim bis idem ei solveretur, ipsa nempe rei substantia & ejus usus, quæ sunt omnino idem, ut videre est in tritico, oleo, pecunia, ceterisque hujusmodi.

CONCL. 3. Commodatum, est contractus, per quem usus alicujus rei, alteri gratuito conceditur, ea lege, ut eadem numero reddatur.

Illi, qui rem commodato accepit, hæc incumbunt onera. 1. Re commodata debet uti ad eum dumtaxat usum, ad quem eam accepit a domino: aut saltem ad eum, cui ex æquo & bono judicet rei dominum consensurum esse. 2. Sub pœna restitutionis, ad rei commodatæ conservationem tenetur; unde eamdem curam, quam ad conservanda propria, debet adhibere.

Cum Precarium sit Commodatum revocabile ad nutum concedentis, non differt a Commodato, nisi ratione temporis; in commodato enim dominus rem suam non potest repetere, nisi post certum determinatum tempus; in Precario vero, quoties, & quando libuerit.

CONCL. 4. Depositum, definitur contractus, per quem res aliqua alterius fidei committitur, & alter eamdem recipit in suam fidem.

Depositarii onera multa sunt. 1. Invito domino rem depositam in suos usus convertere non potest. 2. Tenetur ad restitutionem, si gravi ejus culpa perierit; immo si ex levi, cum aut indemnem promisit, aut de pretio pro illius custodia convenit, aut cum a deponente repetita, sed non reddita, fortuito periit, vel deterioris conditionis facta fuit. 3. E contra liberatur a restitutione, si rem, heri nomine a servo depositam, alteri reddiderit, quem prudenter, licet falso, judicavit esse illius servi dominum. Tunc enim (ut supponitur) nec fraus, nec dolus, nec negligentia culpabilis habent locum.

ARTICULUS III.

De Locatione, Promissione, Donatione, & Contractu dotali.

CONCL. 1. Locatio, est contractus, quo res, vel persona, ad usum, vel ad fructum pretio comparatur. Ea conclusio patet ex iis, quæ superius de emptionis, & venditionis contractibus dicta sunt.

Quæres, quænam sint locantis obligationes.

Resp. varias esse. 1. Periculum rei locatæ remanet apud locantem. Nec mirum, remanet enim rei verus dominus: Secus vero, si locator ad sustinendos fortuitos casus se ipsum per contractum obstrinxerit.

2. Tenetur detegere rei locatæ vitia, etiam occulta, quæ locatario damno esse possunt. Immo tenetur rem locatam probare, antequam pro non vitiata eam elocet. Unde L. *Si quis dolia*, §. *Locati*, hæc leguntur: *si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod interest; nec ignorantia ejus erit excusata.*

3. Debet remittere, aut saltem minuere, agri v. g. locati pretium, si casu fortuito nullus ex eo, aut modicus fructus collectus fuerit: *Nisi tamen* (ut ait Greg. IX. cap. propter sterilitatem de locato) *cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni, valeat sterilitas compensari.*

4. Li-

4. Licite non potest elocare suam domum meretricibus, concubinariis, hospitibus, qui parata exhibent cubicula ad tabellarum chartacearum, aut alearum ludos: Alioquin enim criminum, quorum iniqui illi homines fiunt rei, ipse fieret particeps, quippe qui ad ea crimina rem conferret suam.

5. Non potest servo, qui necessitate coactus elocavit se, minorem, quam par sit, mercedem rependere, nisi tamen ex caritate illum conduxerit, ejus opera alioquin non indigens.

6. Si absque caussa, cui servus nullum dederit locum, ante definitum tempus dimittat eumdem servum, totius temporis mercedem debet; nisi tamen dimissus, alteri postea se elocaverit, aut saltem facile se elocare potuerit.

CONCL. 2. Promissio est contractus, quo quis alteri se nonnihil gratuito daturum, aut quidpiam in ejus gratiam facturum pollicetur. Unde patet, eam differre 1. a pacto, quod pactum utriusque paciscentis consensum essentialiter requirat. 2. a contractibus onerosis, cum sit omnino gratuita.

Quæres, utrum promissio, sub pœna gravis peccati promittentem obstringat?

Resp. affirm. si res promissa magni sit momenti, & ab eo, cui promissa est, fuerit acceptata. Ratio est, quia acceptata promissio dat jus ad rem promissam: Unde contra fidelitatem peccat, qui non stat suis promissis.

CONCL. 3. Multi assignantur casus, quibus is, qui promisit, non tenetur stare promissis.

Probatur enumeratione: Quando accidit caussa non prævisa, ut cum quis promisit pecuniam pro eo tempore, quo postea ipsa indiget; aut is, cui facta fuerat gratuita promissio, fit infensissimus promittentis inimicus: neque enim promittens voluit se pro illis casibus obstringere. 2. Præ impotentia morali, aut physica. 3. Cum id, quod promissum fuit, est illicitum. 4. Quando aliquid, licitum quidem in se, promissum fuit, sed propter illicitum, sive illud illicitum vergat in damnum tertii, ut homicidium, adulterium, iniqua judicis sententia; sive non vergat in damnum tertii, ut sunt munera pro licita judicis sententia; pro actu scortationis, saltem in Galliis, ubi meretricium legibus non toleratur. Addi potest, nihil dari licite posse 1. in pretium turpis illius actus; sicut enim venales non sunt virtutes, ita nec venalia sunt vitia; 2. nec ut ad illum actum meretrix inducatur: naturali enim & divino jure quisque prohibetur inducere proximum suum ad peccandum; nec ut servetur liber & facilis ad perditam mulierem accessus: scilicet nemini licet parare aut servare sibi occasionem peccandi; nec denique ut illi mulieri, alioquin non multum egenti, sit subsidio; faveret enim iniquæ conditioni, in qua lucri spe allecta permanet. Confirmari possunt ea omnia 1. ex August. qui tract. 110. in Joan. (referente S. Thoma 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3.) docuit, *Quod dare res suas histrionibus vitium est immane, non virtus, nisi forte aliquis histrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subveniendum*. Confirmari possunt 2. ex iis quæ de restitutione rei ex turpi actu comparatæ inferius dicemus.

CONCL. 4. Donatio, quæ definitur *Rei alicujus gratuita concessio*, ut valeat, multas conditiones requirit.

Probatur enumeratione. Necesse est 1. ut fiat a persona quæ sit sui juris: 2. ut is cui fit, possit eam recipere: 3. ut res donata, sit donantis, nec jam alteri sit obligata: 4. ut fiat cum debitis juris sollemnitatibus, inter quas in Galliis, ex Henrici II. Edicto, quod latum est anno 1553. est inscriptio publicorum instrumentorum libro, si tamen donatum quinquaginta librarum Gallicarum pretium excesserit.

Quæres 1. quotuplex sit donatio?

Resp. esse duplicem, donationem nimirum inter vivos, & donationem caussa mortis. Per priorem, donatarius, vivente donatore, in rem datam dominium adquirit; per posteriorem vero, post mortem donatoris tantum. Ista, ad arbitrium donatoris rescindi potest; illa vero propter ingratum donatarii animum, v. gr. si in donatorem violentas manus injecerit, si atrocibus eum affecerit injuriis, si grave illius bonis damnum, vel vitæ periculum inferre, aut ad victum honestum necessaria negare præsumpserit: §. *Quod autem, ff. De Donat. inter virum & uxorem*.

Quæres 2. an mutua bonorum donatio inter conjuges valeat?

Resp. non valere in Galliis, si sit donatio inter vivos; secus, si caussa mortis. Nec mirum: alioquin enim (ut habetur in jure) conjugati, mutuo ac cæco amore sese invicem expoliarent, ad extremaque, ubi elanguisset amor, redigerentur.

CONCL. 5. Contractus dotalis est ille, quo *certa bona a muliere, vel saltem ejus nomine, dantur marito, ut onera matrimonii ferre valeat*.

Ex ea contractus dotalis idea colligitur 1. viro, quandiu matrimonium stat, convenire dominium in usum dotis; cujus tamen proprietas, uxoris est: unde de dotalibus fructibus, marito invito, mulier disponere non potest. Colligitur 2. dotem, dissoluto per uxoris mortem conjugio, non esse amplius, etiam quod usum, ipsius mariti, sed heredum uxoris, cum qua matrimonium inierat.

Quæres, utrum parentes dotem natis suis constituere teneantur?

Resp. affirmative. Ratio est, quia parentes, pro sua virili parte, tenentur natis præbere necessaria ad ferendum onera status, quem

quem sapienter amplectuntur. Hinc autem colligitur 1. parentes teneri dotem filiabus constituere, quæ dare volunt nomen monasterio pauperi: quamvis tamen cum illo monasterio pacisci non possint, nisi iis cautionibus, quæ cum agetur de Simonia, inferius referentur.

Colligitur 2. parentes teneri pariter ad dotem constituendam filiis, qui ex eorum consensu, immo & aliquando iis non consentientibus, nubere volunt, saltem in Galliis, post expletum trigesimum ætatis annum; & filiabus post expletum vicesimum quintum. Scilicet viget, etiam nunc, Edictum ab Henrico Rege II. latum anno 1556. cujus quidem Edicti is est tenor: *En tant, qu'en Nous est* (inquit laudatus Rex Christianissimus) *executant le vouloir, & le commandement de Dieu, disons, statuons, & ordonnons, que les enfans de famille ayant contractè, & contracteront cy apres mariages clandestines contre le grè, vouloir, & consentement, & au desceu de leurs pere & mere, puissent pour certe irreverence & ingratitude, mèpris, & contemnement de leurs dits pere & mere, transgression de la loy & commandement de Dieu, & offense contre le droit de l'honnetete publique, inseparabele d'avec l'utilitè, etre par lesdits pere & mere, & aucun d'eux, exheredez & exclus de leur succession, sans esperance de pouvoir quereller l'exheredation, qui aura ainsi ètè faite.... Ne voulons aussi, & n'entendons comprendre les mariages, qui auront ètè faits, & seront contractez par les fils, excedans l'age de trente ans, les filles ayant vingtcinqueans passez & accomplis, pourvù qu'ils se soient mis en devoir de requerir l'avis, & conseil de leur pere & mere; & ne seront lesdits enfans tenus audit cas d'attendre leur consentement. Ce que voulons aussi ètre gardè pour le regard des meres qui se marient, desquels suffira de requerir le conseil & avis.*

Idem illud Edictum Henrici secundi confirmarunt Henricus tertius in Comitiis Blesensibus anno 1579. & postea Ludovicus decimus tertius Parisiis anno 1629.

ARTICULUS IV.

De Contractu Societatis.

Not. 1. NOmine contractus Societatis intelligitur convenientia plurium, qui ad negotiationem, quæstumque communem, conferunt pecuniam, operam, industriam, aut aliquid aliud, quod pretio æstimari possit.

Not. 2. Nemo dubitat, quin contractus Societatis sit licitus; est enim quædam negotiationis species: at negotiatio lege, tum Canonica, tum Civili, permittitur. Sed quæri potest, quænam conditiones requirantur, ut ille contractus cum æquitate fiat.

CONCLUSIO. Multæ conditiones requiruntur, ut æquus sit Societatis contractus.

Probatur enumeratione. Necesse est 1. ut is qui pecuniam, vel animalia tradit in societatem, capitale a fortuitis casibus indemne non servet sibi. Ita definit Sixtus Papa V. in Bulla, quæ incipit, *Detestabilis*. Nec immerito: tradere nimirum pecuniam, aut animalia cum onere ea reddendi immunia a periculo quolibet, & præterea de fructu, sive determinato, sive indeterminato pacisci, non aliud est, quam pecuniam, aut animalia mutuo dare: at (ut dictum est superius) vi mutui nihil omnino recipere licet.

Necesse est 2. ut singuli socii quidpiam in commune, sive pecuniam, sive industriam, sive negotiationis instrumenta, ut sunt naves, equi, vehicula, sive labores & operam conferant; qui enim in societatem nihil confert, jus non habet, ut aliquod ex ea emolumentum percipiat.

Necesse est 3. ut lucrum, damnum, expensæ, inter socios dividantur, habita ratione proportionis eorum, quæ singuli ad societatem contulerint; par enim est, ut fructuum copia, ex majori vel minori periculo, quod conferens in se suscipiat, pro majori vel minori labore, uberior sit aut parcior.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, concluditur: tria, cum societas dirimitur, observari debere. 1. Si solum capitale absque lucro supersit, totum soli capitalis domino reddi debet. 2. Si capitale absque socii culpa perierit, soli domino pereat oportet; solius enim est domini, non sociorum. 3. Lucrum quod superest, dempto capitali, dividi debet inter socios pro rata contributionis ad societatem; æqualiter quidem iis qui æqualiter, inæqualiter vero iis, qui inæqualiter contulerunt.

Innumeræ fraudes, innumeræque usurarum palliationes, sub obtentu contractus societatis, a mercatoribus, & aliis hominibus committuntur, quas exponemus ad partem hujusce Tomi, ubi de Usura dicemus.

ARTICULUS V.

De Cambii contractu.

Not. 1. CAmbium nihil aliud est, quam lucrosa pecuniæ cum altera pecunia permutatio: hincque patet, Cambium differre ab aliis contractibus, per quos dominium confertur, quod pecunia sit adæquata illius materia.

Not. 2. Cambium multipliciter dividitur. Siquidem dividitur 1. in fictum, & reale. Posterius, est illud quo realiter fit pecuniæ

per-

permutatio; Prius vero, quo pecunia ficte tantum in aliam pecuniam permutatur. 2. Cambium *reale* subdividitur in Minutum, & Locale. Illud, est permutatio præsentis pecuniæ cum alia præsente pecunia, sed quæ vel sit inæqualium ac dispariurn specierum ut aureæ cum argentea; vel pecuniarum quæ cum diverse signatæ sint, in una regione admittuntur quidem, sed in aliis rejiciuntur. Istud, hoc est, Cambium Locale, quod & cambium *per litteras* vocant, est permutatio cum alia pecunia, quæ in alio loco ad chirographum campsoris persolvatur.

Not. 3. De Cambio quæri potest, 1. utrum reale, superaddito moderato pro campsore lucro, licitum sit; 2. utrum pro ficto aliquid recipere campsori liceat; 3. quænam ad justum & legitimum locale, seu, per litteras, cambium conditiones requirantur.

CONCLUSIO 1. Utrumque cambium Reale, Minutum & Locale, superaddito moderato pro campsore lucro, licitum est.

Probatur. Neutrum ex iis cambiis, justitiæ oppositum est. Siquidem lucrum campsori contingit vel ratione industriæ, laboris, periculi, quibus pecuniam campsario in alia regione solvendam procurat; vel ratione officii: si enim campsor sit publicus, necesse est, ut diversæ speciei pecunias conservet, quas ad mutationem paratas habeat. *Dicendum* (inquit S. Thomas in Opusculo 73. de Usuris, c. 3.) *quod ars campsoria de se est justa. Et ratio est, quia illud plus quod accipitur a campsoribus in tali permutatione monetæ, non accipitur ratione pecuniæ, quæ de se est invendibilis, sed ratione periculi, vel interesse, ut subveniatur salariis pensionum, domorum, ministrorumque, & laboribus & expensis in arte necessaria & licita, ne frustra ponant opera & sudorem suum in re licita ad utilitatem aliorum.*

CONCLUSIO. 2. Campsori non licet aliquid accipere pro cambio ficto.

Probatur 1. ex Sixto Papa V. qui id aperte definit in Bulla quæ incipit: *In eam pro nostro*. Nec immerito: nam cambium vetitum (quod & *Siccum* vocant, eo quod, siccæ arboris adinstar, nullum fructum ferre possit) simplex est mutuum; neque enim in ea cambii specie fit realis permutatio pecuniæ, nec solutio in aliqua distanti regione procuratur; at ratione mutui aliquid recipere præter sortem, aperta est usura. Hinc autem patet, usurarium esse campsorem, qui datam cambii epistolam in alio loco solvendam redimit a campsario, accepta præter sortem pecunia.

CONCLUSIO 3. Quatuor præcipuæ conditiones ad justum & legitimum per litteras cambium requiruntur.

Probatur enumeratione. Requiritur 1. ne campsor ratione dilatæ solutionis pecuniæ, campsario sine præsente pecunia datæ, quidpiam exigat, quia (ut ait S. Thomas) expectatio pretii solvendi, habet rationem mutui.

Requiritur 2. ne paciscatur de aliquo determinato, aut indeterminato interesse, in casu quo nummularius, ad quem Syngrapham mittit, non solvat pecuniam, quam campsarius a campsore sine alia præsente pecunia accepit. Tunc enim dilatio solutionis esset titulus aliquid ultra sortem recipiendi; qui tamen titulus (ut jam fuit observatum) campsorem ab usura non eximit.

Requiritur 3. ne campsor pro cambio aliquid ultra pretium a republica determinatum accipiat: quod quidem pretium, si a republica determinatum non fuerit, a peritis artis campsoriæ, habita ratione locorum distantiæ, laborum, periculorum, usus, & qualitatis monetarum commutandarum, definiri debet.

Requiritur 4. ne campsor aliquid a campsario exigat ratione laboris, vel temporis, quod vel ad numerandam pecuniam, vel ad scribendas ad suos correspondentes litteras impendit. Ratio est, quia labor ille, tum a campsore, tum ab illius correspondente, debetur ex contractus cambii natura non minus quam labor emptoris in pecunia venditori numeranda debetur.

ARTICULUS VI.

De Assecuratione & fidejussione.

Not. 1. Assecuratio est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se gratis, vel pretio, ad eam, si perierit, compensandam.

Not. 2. Fide-jussio est alienæ obligationis in se susceptio: seu, est contractus, quo quis sine pignore, & hypotheca, se se obligat accessorie, & in defectum debitoris principalis, ad solvendum pretium ab eo debitum.

Not. 3. De Assecuratione quæremus, quæ conditiones requirantur, ut licita sit: De Fidejussione, ad quod fidejussores teneantur.

CONCL. 1. Variæ ad legitimum Assecurationis contractum conditiones requiruntur.

Probatur enumeratione. Requiritur 1. ut qui mediante pretio, est assecurator, sit incertus de rei, cujus periculum in se suscipit, eventu; alioquin enim iniquum esset lucrum, quod ex assecuratione reciperet: ideo nimirum pretium aliquod ratione assecurationis potest accipere, quod rei periculum in se suscipiat.

Requiritur 2. ut assecurator non plus accipiat quam laborum & periculi quantitas a viris prudentibus æstimatur.

CONCL. 2. Fidejussor ad multa tenetur.

Probatur enumeratione. Fidejussores tenentur

tur 1. ad compensandum damnum creditori ex dilata ultra præfixum tempus solutione, ad quam debitor erat obstrictus.

2. Post datam fidem, fidejussores non possunt disponere de facultatibus æquivalentibus debito quod nondum a principali debitore persolutum est, si tamen alias æquivalentes non habeant.

3. Non possunt aliquid, quod pretio æstimabile sit, exigere propter fidejussionem; Siquidem fidejussio, est quidam mutui species: cum enim ipse fidejussor mutuum amico dare non valeat, alium per suam fidejussionem rogare videtur, ut det illius loco.

ARTICULUS VII.

De Testamentis.

Not. DE Testamento quod est, *Voluntatis justa sententia de eo, quod quis post suam mortem vult fieri*, quæremus hic 1. utrum absque juris sollemnitatibus celebratum valeat. 2. an qui per fideicommissum institutus est heres, possit, tuta conscientia, hereditatem tradere fidei-commissario, quem Leges excludunt a successione.

CONCLUSIO 1. Irritum est, etiam in foro conscientiæ, Testamentum, quod conditum est sine requisitis a jure sollemnitatibus.

Probatur ex iis, quæ superius dicta sunt de contractibus in communi: ibi enim ostendimus, irritos esse, tum in foro conscientiæ, tum in foro exteriori, contractus, quibus desunt requisitæ a jure sollemnitates.

Respondent nonnulli, testamenta excipi debere a regula, quæ de contractibus in communi asserta est: hoc est, condita absque juris sollemnitate testamenta valere in conscientiæ foro, seu heredes obligare, quamvis in eodem conscientiæ foro alii contractus sine juris sollemnitatibus celebrari non valeant.

Sed inanis est illa responsio. Nam 1. Testamenta non minus subjiciuntur Principum legibus, quam ceteri contractus, qui inter vivos celebrati fuerint, scilicet non minus per ea, quam per contractus venditionis, v. gr. emptionis, donationis, perturbantur familiarum pax & tranquillitas, quibus servandis per juris sollemnitates consulitur. 2. Eodem modo jura de testamentis loquuntur, ac de ceteris contractibus, quibus desunt præscriptæ a legibus conditiones: nam l. *hac consultissima*, Cod. *de Testamentis*, hæc habentur. *Ubi testamentum non fuerit conscriptum, pro infecto haberi convenit. Ex imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti non volumus.*

Nec audiendi sunt qui contendunt, leges illas intelligi de testamento condito ab homine, qui perfecte sui non esset compos; non autem de condito ab homine, qui dum plene sua ratione frueretur, coram aliquibus, & ipso etiam qui heres esset ab intestato, viva voce alienum heredem nuncupaverit.

Non sunt (inquam) audiendi. Nam 1. quamvis de facto constaret, hereditas in foro exteriore adjudicaretur ei, cui hereditas ab intestato debetur: ergo etiam in foro interiori adjudicari debet; de isto nimirum, in hoc capite, idem ferri debet judicium ac de illo: alioquin enim Ecclesia deberet abrogare eam judicandi formam, qua absolvitur is, qui sine injustitia, ac proinde sine peccato mortali, non potest adhærere in praxi latæ a laicis judicibus sententiæ. 2. Si valeret illa responsio, sequeretur, tutorem ad eas aliquando angustias redigi, ut peccatum lethale, cui etiam nullam occasionem dedisset, vitare non posset, quin omnium propriarum facultatum detrimentum pateretur: Nempe si pupillus, cujus curam gerit, ab intestato succederet consanguineo, qui per testamentum in foro exteriori invalidum, externum heredem nuncupavit, & tutor hereditatem pupillo suo servaret, in foro conscientiæ, ex adversariis, peccaret lethaliter. Si vero non servaret, ad illam pupillo ex propriis bonis restituendam a judicibus sæcularibus compelleretur. Sed absurdum est consequens: ergo & antecedens.

Objicies. Ex conclusione, in qua statuitur, non valere, etiam in interiori foro, conditum absque requisitis a jure sollemnitatibus testamentum, sequitur, virum morti proximum, qui sui juris est, quique perfecte suæ mente fruitur, non posse aliquando condere testamentum; videlicet cum in iis est circumstantiis, in quibus juris sollemnitates servari non possunt. Sed hoc videtur absurdum esse, neque enim verisimile est, Rempublicam velle, sapientem virum ad eam necessitatem redigere; ergo, &c.

Resp. sequelam illam, in se ipsa spectatam, nonnihil quidem incommodi continere; non vero si consideretur in ordine ad bonum publicum & ad tranquillitatem Reipublicæ, quæ alioquin impedire non posset, ne per fraudem plura mortuis hominibus circa bonorum suorum dispensationem imponerentur.

Objicies 2. cum Cabassutio nostro. Probabilis est opinio, quæ asserit, valere in foro interiori testamenta, quibus desunt juris sollemnitates; Probabilis est pariter ea, quæ contendit ea irrita esse; ac proinde jus stare debere penes possessorem, sicut in omnibus fere aliis ambiguitatibus, saltem donec a re possessa per declarativam judicis sæcularis sententiam evincatur: ergo, &c.

Resp. neg. ant. seu, nego, jus in eo casu stare debere penes possessorem. Ratio est 1, quia ideo judex in casu, de quo agitur, hereditatem adjudicat ei, cui ab intestato debebatur, quod

quod supponat, invalidum fuisse testatoris testamentum: ergo absque legitimo titulo possessor retinet rem sibi per invalidum instrumentum datam. 2. Ideo possessor retineret rem, quam jam penes se habet, quod dubius esset, an valeret testamentum, quod in illius favorem conditum est: Sed in casu, de quo agitur, nequaquam potest esse dubius; clarissime nimirum (ut supponitur) videt deesse illi testamento sollemnitatem essentialiter a jure requisitam: non enim tunc magis debet dubitare de nullitate testamenti, quam si ipsemet judex esset, ad eumque similis caussa judicanda deferretur: At, si ipsemet judex esset, ex ipsiusmet Cabassutii principiis, certo, sine errore, sine culpa, decerneret, irritum esse ac invalidum testamentum, cui juris sollemnitates defuissent: ergo apud semetipsum, idem, ante Magistratus declarationem, ferre debet judicium. 3. In conflictu duarum opinionum probabilium, eligi debet in praxi sententia, quæ legi favet; at opinio, quæ docet, hominem, de quo est quæstio, non posse retinere rem, quam per invalidum testamentum accepit, legi aperte favet: ergo eam in praxi tenetur eligere.

Quæres, utrum heres ab intestato, teneatur solvere legata per testamentum, cui hoc unum defuerit, quod conditum non sit cum præscriptis a jure sollemnitatibus?

Resp. 1. eum ad solvenda teneri in iis provinciis, in quibus vigent Romanæ leges: hæc enim habentur lib. 2. *Institut.* Titul. 23. §. ultimo: *Quod si is, a quo relictum dicitur, confiteatur quidem aliquid a se relictum esse, sed ad Legis subtilitatem recurrat, omnino solvere cogendus est.*

Resp. 2. in Galliis heredem teneri legata ob pias caussas solvere, etiamsi in legatis hujusmodi non fuerint servatæ juris sollemnitates; immo quamvis irritum sit ipsiusmet testamentum defectu debiti testium numeri: Ita enim, teste Caballutio nostro, fert apud Francos recepta consuetudo. Secus vero, si illa legata ad caussas sint prophanas: sic nimirum ferunt Regum Christianissimorum statuta, quæ (inquit idem Cabassutius) a Parlamentis ad litteram servantur in eo, de quo agitur, casu. Sed de hoc facto fides sit penes illum auctorem.

CONCL. 2. Qui per fidei commissum institutus est heres, non potest tuta conscientia, hereditatem tradere fidei commissario, quem a successione leges excludunt.

Probatur. Leges justæ (ut de Legibus agentes diximus) obligant, non in foro tantum exteriori, sed etiam in foro conscientiæ: ergo bona, quæ alteri traduntur contra legum intentionem & dispositionem (ut fit in casu, de quo est quæstio) illicite & injuste traduntur.

Ex iis infertur, eum qui per fidei commissum hereditatem, aut legatum accepit, filio spurio aut naturali deferenda, teneri hereditatem, aut legatum, penes eos relinquere, qui ab intestato succederent. Ratio est, quia is qui per fidei commissum rem aliquam accepit, eadem ratione se se gerere debet, ac si a defuncto nullum omnino testamentum conditum fuisset. Nisi tamen quod accepit, absolute requiratur ad spurii aut naturalis filii sustentationem, nec ad eamdem sustentationem legitimi filii eadem necessitate requiratur. Scilicet est de jure naturali, ut pater spuriis alimenta præbeat.

Confirmatur nostra responsio ex S. Hieronymo, qui de fidei commissis Epistola II. sic loquitur: *Provida, severaque legis cautio: & tamen nec sic refrænatur avaritia: Per fidei commissa legibus illudimus.*

CAPUT VI.

De Restitutione.

Not. QUÆ ad restitutionem pertinent, ad hæc capita reducemus: quæremus 1. unde oriatur illius obligatio: 2. utrum sit ad salutem necessaria: 3. quænam sint caussæ ab ea eximentes: 4. quinam ordo in illius executione servari debeat.

ARTICULUS I.

Unde oriatur restitutionis obligatio.

Not. CERTUM est, restituendi obligationem oriri ex quadruplici capite: 1. ex acceptione: 2. ex cooperatione ad acceptionem: 3. ex parte rei acceptæ: 4. ex parte damni quod illatum est. De quadruplici illo ad restitutionem obliganti capite seorsim agendum est.

§. I. *De restituendi obligatione ex parte acceptionis.*

Not. Tribus modis alienum accipi potest: 1. illicite, invito illius domino: 2. illicite quidem, sed domino consentiente: 3. juste & licite. Qua ratione ex illo triplici accipiendi modo ad restitutionem teneamur, subsequentes conclusiones aperient.

CONCL. 1. Qui rem alienam illicite, & cum injuria accepit, tenetur ad restitutionem; & præterea pœnæ legibus definitæ subjicitur.

Probatur prima pars. Justitiæ commutativæ, in quam peccavit is, qui illicite & cum injuria accepit, munus est redintegrare æqualitatem a fure vel a raptore læsam: atqui æqualitas illa redintegrari non potest, nisi res ablata legitimo illius domino restituta fuerit; aut, si res ipsa non extet, saltem illius pretium: ergo, &c.

Probatur altera pars. Principes a Deo ju(s)
habe(nt)

habent potestatem in eos animadvertendi, qui malefactores sunt: at illi potestati, ex Apostolo (ut de Legibus agentes superius diximus) omnis anima subjecta est; ergo qui illicite & cum injuria rem alienam accepit, pœnis per leges definitis subjicitur.

Quæres, an diversæ pœnæ pro variis furibus, & diversis alienæ rei raptoribus, juste a Legibus definitæ fuerint?

Resp. affirmative. Ratio est, quia fures furibus nonnunquam gravius peccant, aut saltem peccare præsumuntur, ut patet ex sequentibus exemplis: 1. Domestico furi gravior pœna, quam externo, decernitur, eo quod non tantum contra justitiam peccet, sed etiam contra fidelitatem.

2. Furi nocturno gravior quoque decernitur, quam diurno, quia non fortunis tantum, sed etiam vitæ, insidias struere præsumitur. 3. Exercentes latrocinium in viis publicis, severius castigantur, quam qui in privatis locis, eo quod publicam viatorum securitatem tollant.

CONCL. 2. Qui illicite, id est, contra leges, alienum accepit, tenetur ad restitutionem, quamvis non invito domino acceperit.

Probatur. Contra prohibitionem legum, dominium in rem aliquam adquiri non potest, ut de translatione dominii differentes, ostendimus. Ergo qui contra leges alienum accepit, ad restitutionem tenetur.

Hinc concluditur 1. usurarios teneri iis restituere, a quibus, licet consentientibus, acceperunt usuras, cum & naturali & positivo jure usuræ prohibitæ sint.

Concluditur 2. Judices servare non posse pecuniam, aut munera, quæ acceperunt a litigantibus, sive pro justa, sive pro injusta sententia; id enim vetant tum divinæ, tum humanæ leges.

Concluditur 3. in Galliis apparitores, qui una & eadem die latas a magistratibus sententias in plures jure exequuntur, non posse a singulis totum uni executioni definitum per leges pretium accipere. *Pour obvier aux grandes exactions, que font les Huissiers, ou autres Sergens, qui ne craignent de prendre salaire excessif de plusieurs journées selon le nombre des executions, faites par jour. Nous voulons* (inquit Franciscus I. Rex Christianissimus in edicto a se lato anno 1535.) *& ordonnons que lesdits Huissiers & Sergens ne puissent pour un jour besoignans hors des Villes, prendre salaire que d'une journée tant seulement, jaçoit qu'en iceluy jour ils fassent plusieurs executions, & pour plusieurs personnes.*

Concluditur 4. accepta a muliere conjugata propter adulterium, vel propter fornicationem a soluta, si non sit meretrix publica, nullibi posse retineri, eo quod ubique, saltem apud Christianos, castigentur illa scelera. Nec mirum, sicut enim res sordida pretio æstimari non potest, ita nec iniquum opus compensari.

Idem quoque ferri debet judicium in Galliis de pretio scortationis; Meretricium quippe prohibetur apud Francos, nec legibus politicis toleratur.

Aliud senserunt plures Canonistæ, aliud quoque S. Thomas pro iis regnis, in quibus Meretricium pœnis non coercetur: *Dicendum est* (inquit S. Doctor 2. 2. qu. 62. art. 5. ad 2.) *quod aliquis dupliciter dat: uno modo quia ipsa datio est illicita, & contra legem, & talis meretur amittere, quod dedit. Et quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere. Alio modo aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita; sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde & mulier potest sibi retinere, quod ei datum est.*

Sed observandum est in casu, de quo Canonistæ & S. Thomas, pretium, quod perditæ mulieri publicæ persolvitur, in locis ubi Meretricium toleratur, non esse flagitii mercedem, sed illius qualiscumque utilitatis, quam ex meretricibus percipit Respublica. Nec tam existimari debet datum ab eo, qui flagitium emit, quam ab ipsa respublica, majora, quæ vitare studet, flagitia hoc dispendio dirimente.

CONCL. 3. Qui juste & licite alienum accepit, aliquando ad restitutionem tenetur. Qui rem sibi debitam vi, vel dolo abstulit, nonnunquam illo eodem onere non premitur, aliquando vero premitur.

Probatur prior conclusionis pars. Contingit nonnunquam, ut res accepta fuerit sub falso titulo, vel ex suppositione facti, quod veritate non nitebatur. Sed tunc urget restitutionis præceptum. Nam 1. sic Augustinus loquitur de Aurelio Episcopo Carthaginiensi, qui acceptas a viro, cui non erat spes futuræ prolis, facultates reddidit ubi accepit, genitam ipsi postea fuisse prolem: *In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.* 2. Jus civile decernit, ut nulla habeatur ratio testamenti, quod pater ex falsa de morte filii suppositione condiderit.

Probatur altera conclusionis pars. 1. Non tenetur ad restitutionem, qui accepit rem, quam, etiam fatente possessore, vel sic declarante judicis sententia, scit sibi esse debitam. Nec est, quod quis objiciat, peccare eum aliquando, qui, ordine juris prætermisso, rem suam sibi vindicat. Nam omne peccatum non obligat ad restitutionem ejus, quod ablatum est, quia quodlibet non est contra justitiam. E contra tenetur ad restitutionem, qui rem sibi non manifeste debitam abstulit; æquum est quippe, ut possessor, etiam ante litis contestationem, in integrum restituatur per redditionem rei ablatæ, necnon fructuum, qui ex ea percepti

suns

sunt. Unde concluditur, Innocentium Papam XI. merito proscripsisse hanc propositionem: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

Concluditur iterum, filios familias, qui pro suo labore, sive rure, sive in officina patris, tantum sibi, non contentiente patre, surripiunt, quantum datum fuisset externo artifici, peccare contra justitiam; proindeque ad restitutionem teneri.

§. II. *De restituendi obligatione ex parte cooperationis.*

CONCL. Iis qui illicitæ & injustæ acceptioni rei alienæ efficaciter cooperati sunt, incumbit restitutionis obligatio.

Probatur 1. ex eo, quod hujusmodi homines injustæ acceptionis sint rei, juxta illud Apostoli ad Romanos 1. *Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* 2. Gregorius IX. Extrav. *de injuriis*, Cap. *Si culpa*, sic loquitur: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, sive ex negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat; si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

Quæres, quot modis efficaciter cooperari possit detrimento per injustam rei alienæ acceptionem illato?

Resp. novem modis, quos hi duo versus complectuntur,

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

Nunc illi modi quibus quis justitiam lædit, ac obligatur ad restitutionem, seorsim explicandi sunt.

Jussio.

1. Igitur qui jussione, sive auctoritate, qua pollent, influunt in damnum proximo illatum, tenentur ad restitutionem. Hujusmodi sunt 1. Respublicæ, quæ cives injustis vectigalibus opprimunt. 2. Aulici, qui sua apud Principem gratia abutuntur, ut eos, quos oderunt, mittant in exsilium, ubi necessariis sumptibus suas facultates exhauriunt. 3. Urbium aut aliorum locorum præfecti, qui amicos liberant publicis oneribus, ut aliis imponant. 4. Judices, qui sive per dolum malum, sive præ imperitia culpabili, iniquas ferunt sententias. 5. Denique medici, qui ut pharmacopolis prosint, inutilia ægrotis remedia præscribunt.

Consilium.

Ad restitutionem tenentur, qui per suum consilium sunt alieni detrimenti suasores, vel dolo malo, seu ut rei per furtum ablatæ fiant participes, aut ut vindictam in inimicum exerceant: vel etiam dolo malo, seu scienter, ut cupiditati alienum accipientis faveant, aut ignoranter ignorantia culpabili. Unde hæc juris axiomata, *Concilii non fraudulenti nulla obligatio est: Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, habent locum tantum in foro exteriori, aut si in interiori, respectu eorum dumtaxat, in quibus ignorantia culpabilis non præcessit.

Ratio est, quia quamvis post acceptum consilium fur sit adhuc liber ad furandum, vel non furandum, agit tamen ex influxu morali suasoris, proindeque suasor fit furti moralis caussa.

Si tamen idem suasor ante externum furti actum revocet, quod dedit, consilium, liberatur ab onere restitutionis, modo consilium fuerit de jure, per assertionem nimirum rei illicitæ tanquam licitæ, non autem si fuerit de facto injusto: Nec mirum: nam in priori casu per manifestationem veritatis desinit influxus suasoris, non vero in posteriori; licet non sit certus, immo dubius sit an ex dato a se consilio furtum subsecutum fuerit: *Tunc* (inquit S. Thom. 1. 2. qu. 62. art. 7.) *tenetur consiliator, aut palpo, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi caussis fuerit injusta acceptio subsecuta.*

Consensus.

Restitutionis onere tenentur, qui injuriosæ acceptioni præbent consensum, quo nomine (inquit *Sylvius*) comprehenduntur omnes illi consentientes, faventes, approbantes, suffragantes, a quorum consensu, favore, approbatione, vel suffragio, pendebat, ut injusta actio fieret, aut non fieret.

Ejus generis sunt 1. duces, qui militibus, urbis, aut vici, aut familiæ deprædationem postulantibus, injuste indulgent, præsertim in Galliis, cum (ut patet ex statutis Ludovici XIII. anno 1633.) teneantur de iniquis omnibus militum exactionibus. 2. Iis quoque accensendi sunt magistratus, qui scribis, aliisque similibus permittunt, ut ultra definitum suo labori pretium, quidpiam a litigantibus accipiant. 3. Iis pariter annumerandi sunt parochiani, qui, vel ex negligentia, vel ex malitia, consentiunt in facultatum parochiæ usurpationem factam a pagi domino. 4. Alieno damno consentire censentur judices, qui in damnationem innocentis suum ultimi dant suffragium, quamvis jam completus sit suffragiorum numerus requisitus, ut sententia valeat. Ratio est, quia non tantum tenentur rectum consilium dare; sed etiam admonendo, si fieri possit, efficere, ut collegæ injusta judicia rescindant.

5. De-

3. Denique detrimento proximi consentiunt Notarii, qui cum voluntariam habeant jurisdictionem, ligant mutuatarios instrumentis usuram palliatam continentibus; saltem si ea instrumenta in usurarii gratiam conficiant, secus tamen si ad preces mutuatarii: Nec mirum, in priori enim casu cooperantur usurario, & in posteriori mutuatario, cui (ut supponitur) mutuum est necessarium.

Palpo.

4. Palpones, qui adulationibus suis & laudibus probabiliter existimantur induxisse ad acceptionem injuriosam, tenentur ad restitutionem. Palponis autem nomine intelligitur adulator, ille nimirum, qui laudando, applaudendo, commendando, caussa est detrimenti, quod reipsa subsecuta fuit.

Inter Palpones sunt 1. nobiles, qui laudant duello confligentes, aut eos qui a duellis temperant, ignaviæ insimulant coram iis, qui gravem aliquam injuriam acceperunt a proximo. 2. Eis accenseri debent, qui adulationibus, quas comitantur detractiones, efficiunt, ne hereditas ad eos transeat, qui, alioquin successione non indigni, ab intestato succedere deberent.

Recursus.

5. Restitutionis præceptum urget recursum præbentes, seu (ut ait S. Thomas) receptatores latronum, & eis patrocinium præstantes. Unde colligitur teneri ad restitutionem 1. eos qui domo sua latrones, aut res furto ablatas excipiunt. 2. Qui nomen præbent ad simulatos contractus, ut sic locorum dominos jure ex venditione debito spolient. 3. Qui per fidei commissum accipiunt hereditatem transferendam postea in eos, quos leges ab hereditate excludunt.

Participans.

6. Restitutioni obnoxius est participans, sive (ut loquitur S. Thomas) qui participat in crimine latrocinii, aut in præda. Participans (ait Sylvius) intelligi potest dupliciter, aut qui participat in crimine tanquam socius furti, vel alterius maleficii, v. g. simul furando, scalas, fure ascendente, sustinendo, excubias, aliis furantibus, agendo, instrumenta suppeditando: aut qui solum participat in præda, seu re furtiva. Hinc concluditur 1. generum, qui a socero bona furto ablata in dotem uxoris accepit, non posse ea servare sibi, ubi primum aliena esse noverit; eum, qui adfuit convivio ex rebus furtivis, teneri ad restitutionem pro rata ciborum, quos comedit.

Mutus.

7. Restitutionem debet Mutus, seu is, qui tacet, cum loquendo, consilium aut præceptum dando, impedire potest, ne alteri damnum inferatur. Hinc infertur teneri ad restitutionem: 1. Advocatos, qui præ cupiditate, malitia, aut præsumptione, argumenta prætermittunt, quibus partium caussam obtinerent: 2. Patres familias, qui filios, aut servos suis consiliis, aut præceptis non avocant a furto: 3. Servum domesticum, qui silet, dum latro heri bona surripit.

Non obstans.

8. Restitutionis debitor est, Non obstans, id est, qui cum possit & ex officio teneatur alterius damnum impedire, illud tamen non impedit. Ex quo infertur locorum dominos teneri ad restitutionem latrociniorum, quæ fiunt in pagis suis, cum (ut loquitur Doctor Angelicus) per eorum defectum latrones increscunt: 2. Caupones, in quorum domibus hospitibus sarcinularum nonnihil perit, nisi tamen absque cauponum culpa ab aliis hospitibus idipsum subreptum fuerit; aut nisi iidem hospites noluerunt suas sarcinas arcis a cauponibus exhibitis concludere; aut nisi vis major cauponi domui illata fuerit.

Non manifestans.

9. Denique ad restitutionem tenetur Non manifestans, sive qui commissum ab aliquo latrocinium non detegit. Hinc sequitur, debere restitutionem 1. eos, qui non obtemperant Ecclesiæ, quæ per monitorium præcipit furti manifestationem: 2. Servos qui latrocinia conservorum aut aliorum, hero non aperiunt. Observat Sylvius post S. Thomam, tres requiri conditiones, ut mutus, non obstans, non manifestans, teneantur ad restitutionem. 1. ut ex justitia obligati sint loqui, obstare, vel manifestare; 2. ut reipsa non impedierint damnum: 3. ut rationabiliter potuerint impedire, & absque imminenti & gravi, aut rerum suarum, aut vitæ periculo.

Quæres, an ii, qui aliquo ex novem modis relatis alieni injustæ acceptioni cooperantur, teneantur in solidum ad restitutionem?

Resp. affirmative. Ratio est, quia omnes & singuli illi, de quibus est quæstio, influunt in injustam rei alienæ acceptionem. Nonnulli tamen ad restitutionem magis obligantur, quam alii (ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 7. ad 2.) ubi sic loquitur: *Ad secundum dicendum, quod principaliter tenetur restituere ille, qui est principalis in facto: principaliter quidem, præcipiens; secundario vero, exequens, & consequenter alii per ordinem. Uno tamen restituente illi, qui passus est damnum,*

alius

alius eidem restituere non tenetur : sed illi , qui sunt principales in facto , & ad quos res pervenit, tenentur aliis restituere, qui restituerunt.

§. III. *De obligatione restitutionis ex parte rei acceptæ.*

Not. Res, quam quis penes se habet, vel accepta fuit per furtum , aut simoniam; vel inventa fuit ; vel bello parta ; vel per injustam emptionem & venditionem adquisita ; vel per donationem, vel per commodatum , mutuum , locationem , depositum . De restitutione rerum, quæ commodato, mutuo, locatione, deposito accepta sunt, satis superque diximus agentes de contractibus in particulari. Unde hic de iis tantum agemus, quæ furto, inventione, bello, donatione fuerunt adquisita.

CONCL. 1. Res, vel rapina , vel furto accepta, eadem numero debet restitui,si extet;si vero non extet, illius pretium restituatur oportet.

Probatur 1. ex Scriptura . Exodi 22. hæc leguntur: *Si inventum fuerit apud eum, quod furatus est vivens , sive bos , sive asinus , sive ovis, duplum restituet.* Quod rei furto ablatæ extanti superadditur, pœna est, quam Judex in antiqua lege infligere tenebatur. 2. Is, a quo res per furtum ablata est, verum habet in eam dominium, etiamsi sit penes furem : Ergo ipsamet est ei restituenda , si extet in specie. 3. Præcipit justitia commutativa, ut servetur æqualitas, seu, ut tollatur læsio illata per injuriam : ergo si res furto aut rapina ablata penes furem aut raptorem non sit, fur, aut raptor, debent illius pretium restituere.

Quæres 1. an fur debeat non tantum rem, quam surripuit , restituere , sed etiam fructus quos ex ea percepit?

Resp. teneri restituere fructus rei naturales, v. g. frumentum, quod collegit ex agro, quem rapuerat : non autem industriales, cujusmodi sunt ii, qui percipiuntur ex rebus usu consumptibilibus, & iis, quarum dominium & usus non possunt separari. Ratio est, quia pecunia, aliaque usu consumptibilia, ex seipsis sterilia sunt : non autem ea quæ usu non consumuntur , ut ager , equus , & similia . Unde infertur 1. usurarium non debere mutuatario emolumentum, quod ex usuraria pecunia collegit , nisi in mutuatario locum habuerint lucrum cessans, aut damnum emergens . Ita expresse docet S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 3. Infertur 2. servum posse servare sibi lucrum , quod ex cambio pecuniæ acceptæ ab hero ad solvendum creditorem percepit . Infertur 3. furem , qui pecuniam alienam exposuit periculo ludi , non teneri restituere, saltem pecuniæ domino, lucrum, quod ludo comparavit.

Quæres 2. utrum fur , aut raptor possint repetere pecuniam , quam ad boni alieni augmentum aut conservationem insumpsere ?

Resp. cum distinctione : si necessarias fecerint impensas , repetent : si utiles , eas , si velint, auferent sine læsione prioris status rei. Ita decernitur in Jure Civili, L. *Dominium*, *Cod. de rei vend.*

Quæres 4. an debeat ablatum restitui , quamvis domino minime necessarium?

Resp. Affirmative. Ratio est 1. quia solus rei dominus est ejus dispensator . 2. Alioquin famuli , aut famulæ domesticæ principum, aut aliorum prædivitum, ingentia committerent furta absque obligatione restitutionis: quod est absurdum.

Quæres 5. utrum vir post mortem uxoris abscondere possit , & retinere nonnihil ex bonis in communitate comparatis, hac ratione nixus, quod pro illis bonis ipsemet, non mulier, sudaverit, adieritque pericula, quibus uxor nullo modo sese exposuit?

Resp. negative. Ratio est, quia id, quod vir ille, supra sortem sibi debitam , retineret , certum esset furtum , cum lex & contractus matrimonialis dividant æqualiter bona in communitate adquisita.

Quæres 6. an quis surrepta in extrema necessitate ad sui sustentationem , teneatur postea restituere, si possit.

Resp. affirmative. Ratio est, quia surrepta in extrema necessitate habet rationem mutui. Nam is penes quem erat, non amittit illius dominium ex eo,quod alteri sit absolute necessaria.

CONCL. 2. Rerum inventor nonnunquam potest eas servare sibi ; nonnunquam vero ad earum restitutionem tenetur.

Probatur . Res inventæ duplicis sunt generis. Nonnullæ sunt (ait S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 1. ad 2.) quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus , sicut lapilli & gemmæ , quæ inveniuntur in litore maris . Nonnullæ vero fuerunt aliquando in bonis alterius . Quæ prioris sunt generis , occupanti conceduntur (ait idem S. Doctor) si tamen eas Princeps non reservarit sibi, ut potuit reservare, & quibusdam tantum eas quærendi facultatem facere. Eadem est ratio (prosequitur laudatus Doctor) de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis , quorum non extat aliquis possessor. Nec mirum, habentur enim pro derelictis . Si tamen quis eas non in agro proprio, sed in alieno repererit; in locis ubi vigent Romanæ leges , earum rerum medietatem debet agri domino, in Galliis tertiam earum partem potest servare sibi , tertiam debet agri possessori , tertiam quoque domino pagi, in quo est ager ille.

Res, quæ non ita pridem fuerunt in bonis alienis , retineri non possunt ab inventore , nulla enim lex extat , quæ in illum earum rerum dominium transferat : Ipsum quoque non habet a voluntate legitimi illarum domini , cum ii qui rerum suarum jacturam patiuntur , velint , ut sibi reddantur : unde solent eas diligenter requirere , & gratias

agere.

agere, si reddantur, etiam postquam quærere desierunt. Res igitur, de quibus est quæstio, vero earum domino, si tamen cognosci possit, restituendæ sunt; si vero post adhibitam moralem diligentiam incognitus remaneat, pauperibus erogandæ sunt.

Confirmantur dicta hactenus auctoritate Gregorii Papæ VII. qui apud Antonium Augustinum lib. 35. tit. 10. sic loquitur: *Quoniam Dei judicio nonnullos naufragio perire cognoscimus ..... statuimus, & sub anathematis vinculo, ut a prædecessoribus nostris statutum est, jubemus, ut quicumque naufragum quemlibet, aut bona illius invenerit, tam eum, quam omnia sua dimittat.*

CONCL. 3. Injusto bello parta servati non possunt.

Probatur ex eo quod possessionis eorum, quæ injusto bello comparata sunt, non alius sit titulus quam rapina. Unde infertur 1. subditum, qui nonnihil bello, quem movit in principem, adquisivit, semper teneri ad restitutionem, cum nullum unquam subditi in principem bellum possit esse justum: 2. teneri quoque ad reparandum damnum, quod populis iniquo illo bello intulit.

CONCL. 4. Nonnulli sunt casus, in quibus accepta per donationem debent restitui.

Probatur enumeratione aliquorum ex iis casibus, 1. Qui pecuniam accepit ab eo, qui ære alieno erat multum gravatus, tenetur eam creditoribus restituere. 2. Restitutionis lege tenentur quoque ii, qui adiere eorum bona, qui vel ira, vel odio natos suos, alioquin dignos, hereditate spoliarunt. 3. Idem præceptum eos urget, qui a filiis familias, a mulieribus conjugatis, aliisque qui liberam non habent bonorum administrationem, aliquid, quod magni sit momenti, accipiunt.

ARTICULUS II.

De Necessitate restitutionis.

CONCL. Restitutio est ad salutem necessaria.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ. Ezechielis 33. hæc leguntur: *Si pignus restituerit impius rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, vita vivet, & non morietur.* Hæc Matthæi 22. ait Christus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Hæc quoque Paulus ad Romanos 13. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*

Probatur 2. auctoritate Patrum. Augustinus Epist. 54. hæc scribit: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi potest, non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Hæc etiam Bernard. Ep. 77. *Nulla illi pœnitentia remittitur peccatum, si cum possit, non restituit ablatum.*

Probatur 3. hac ratione. Qui rem alienam detinet invito domino, justitiam violat, quia impedit, ne dominus utatur dominio, quod habet in rem suam. Caritatem quoque lædit; facit enim alteri, quod sibi fieri nollet: ergo quandiu est in eo statu, remanet in affectu peccati. Sed necessarium est ad salutem, non remanere in affectu peccati mortalis: ergo & rem alienam restituere.

Objicies 1. Restitutio non est ad salutem necessaria necessitate medii, cum ignorantia ab ea excuset; nec etiam necessitate præcepti, saltem naturalis; illud enim præceptum non est negativum, cum per illud (si quod sit) imperetur actus; nec etiam affirmativum, saltem juris naturalis, cum in Decalogo non contineatur.

Resp. præceptum restitutionis esse affirmativum, quatenus præscribit actum justitiæ commutativæ, redditionem scilicet rei alienæ, & simul etiam negativum, quatenus vetat, ne retineatur alienum invito domino. Ex quo patet ipsum septimo decalogi præcepto contineri: *Non furtum facies*, perinde enim est, rem alienam invito domino retinere, ac eam furari.

Objicies 2. Nonnunquam impossibilis est restitutio; ergo non est ad salutem necessaria, cum Deus impossibilia non jubeat.

Resp. nullo unquam tempore restitutionem esse impossibilem quoad animi præparationem, licet quoad actum externum aliquando propter inopiam debitoris mandari non possit executioni.

Objicies 3. Dici non potest, quo tempore obliget restitutionis præceptum: ergo nullum est.

Resp. obligare, quantum ad internum propositum, quoties in mentem venit alicui, quod alienæ rei, invito domino, sit possessor; quantum vero ad exteriorem actum, urget, ubi primum fieri potest.

Instabis. Non est necesse, ut restitutionis actus externus statim fiat, ut quis resurgat a peccato, nec etiam ut vitet novum: ergo, &c.

Resp. ad utrumque esse necessarium; ad primum quidem, cum ex Augustino, *non remittatur peccatum, nisi*, actu *restituatur ablatum*, si id possibile sit. Ad secundum etiam, saltem in triplici casu. 1. Si habens alienum, proponat non restituere: 2. quoties rei dominus eam legitime petit: 3. cum detentor alieni, videt legitimum dominum gravi premi necessitate. Extra illos casus per dilationem restitutionis non committitur quidem novum peccatum, sed prius augetur, ita ut si tempus, in quod differtur, sit longius, circumstantia illa multum aggravet furti peccatum. Nec obstat, quod dilatio restitutionis non noceat legitimo domino, multumque prosit mercatori v. g. rem alienam detinenti. Nam 1. per accidens est, quod dilatio reti-

restitutionis rei domino non noceat. 2. Nemo jus habet utendi aliena pecunia invito domino.

Objicies 4. Contingit nonnunquam, ut fieri statim non possit restitutio absque eo quod debitor ad inopiam, immo & ad mendicitatem, reducatur: ergo, saltem in illo casu, præcepti restitutionis executio potest differri.

Respondet Covarruvias, debitorem, qui habita ratione status, & dignitatis, gravissimam pateretur jacturam ex prompta restitutione, posse aliquandiu eam differre, modo leve tantum & non grave detrimentum ex ea dilatione creditori immineat.

Respondet Sylvius 2. 2. quæst. 62. art. 8. his verbis: *Si quis non potest statim restituere, aut debita solvere sine notabili detrimento suarum rerum, vel sui status juste adquisiti, potest restitutionem, sive solutionem differre, donec sine tali detrimento id possit, modo tamen ipse creditor non patiatur ejusmodi damnum. Quæ clausula ideo additur, quia debitor etiam magno suo damno tenetur statim restituere, vel debita solvere, si alioquin creditor pateretur gravem jacturam.*

Objicies 5. Leges civiles permittunt debitoribus, qui publice bonis suis cedunt, ut retineant suæ artis instrumenta, nec non proventus illos, qui ad sustentationem necessarii sunt: ergo (illis saltem hominibus) integra alieni restitutio non est ad salutem necessaria.

Resp. 1. neg. conf. si enim gravi sua culpa & laute vivendo debitores inciderint in paupertatem, frui non possunt in foro conscientiæ legum beneficio.

Resp. 2. si casu, & mala aliorum fide id contigerit, gravatos ære alieno posse retinere necessaria ad parce vivendum: si tamen aut labore suo, aut quocumque alio modo, pinguiorem fortunam postea consequantur, bona quæ sibi obvenerunt, cedere tenentur.

Ex hactenus dictis tria colligenda sunt. 1. absolutionis incapacem esse illum, qui licet possit, non vult restituere ea, quæ injuste possidet: 2. ejusdem absolutionis beneficio donandos non esse, qui prorogant in longius tempus restitutionem, ad quam tenentur. 3. admittendos pariter non esse ad reconciliationis gratiam illos, qui urgente mortis periculo, cum ipsi per se possint restituere, satis habent, restitutionem per testamentum injungere suis heredibus. Nam (ut ait Dominicus Soto de justitia & jure lib. 3. q. 7.) non habent illi sincerum & candidum animum restituendi: qui enim tunc non restituunt, judicium apertum perhibent, quod neque si vixerint, restituent; atque adeo restituendi intentio illis non est, nisi conditionalis, si moriantur: quæ profecto ad pœnitentiam non sufficit.

ARTICULUS III.

De caussis a restitutione eximentibus.

Not. Quæremus hic 1. utrum bona fides, qua quis alienum consumpsit, eximat a restitutione: 2. an qui internuncio alienum restituendum commisit, liberetur restituendi onere, si internuncius vel amiserit, vel retinuerit creditam sibi pecuniam: 3. utrum teneatur restitutionis lege, qui alienum vel erogavit pauperibus, vel contulit in templorum extructionem aut ornatum: 4. denique, an per præscriptionem, publicam bonorum cessionem, eadem restituendi obligatio tollatur.

CONCLUSIO 1. Bonæ fidei possessor, qui alienum consumpsit, restitutionis lege non tenetur.

Probatur 1. Bonæ fidei possessor ad restitutionem non tenetur ratione *injustæ acceptionis*, cum nec illicite, nec injuste, alienum acceperit; nec etiam ratione *rei acceptæ*, cum, ut supponitur, eam penes se non habeat. 2. Idipsum asserit S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. *Non tenetur*, inquit, *restituere fructus consumptos, qui bona fide possedit*. Unde colligitur, non tantum in foro fori, sed etiam in foro poli, locum habere civilem legem, §. de petit. hered. L. *Utrum autem*, ubi decernitur, bonæ fidei possessorem ad rei consumptæ, cujus usu non factus fuit locupletior, restitutionem non teneri; censetur autem alieni detentione factus fuisse locupletior, cum eo usus est, ut debita solveret; vel cum insumendo in usus domesticos, reditibus suis pepercit.

Quæres 1. an bonæ fidei possessor, qui alienum a fure per donationem acepit, teneatur postea pretium legitimo domino persolvere? 2. An qui alienum emptum a fure, pluris vendiderit quam comparaverit, ratione bonæ fidei, pretium superexcedens sibi servare possit?

Resp. ad primum affirmat. Ratio est, quia nullo titulo extans illud, quod superest, pretium, bonæ fidei possessor potest servare sibi.

Resp. ad secondum neg., cum illud pretium minime fuit consumptum. Nam extante pretio apud illum venditorem, extat æquivalenter res vendita. Præterea ideo tantum bonæ fidei venditor extans rei pretium servare posset, quod ad illius emptionem suam pecuniam insumpsisset, quam postea recuperat per venditionem: At illa ratio non habet locum, ut patet, cum quis alienum dono accepit ab eo, qui non erat verus illius dominus: ergo, &c.

Ex his infertur 1. Usurarium, qui bona fide consumpsit acceptas a mutuatariis usuras, non teneri ad restitutionem, cum ea consumptione non est factus ditior: quod quidem in praxi vix contingit. 2. E contra pos-

possessorem malæ fidei non liberari a restitutionis præcepto, quamvis eam postea consumpserit absque eo, quod factus fuerit locupletior, immo quamvis fortuito aliquo casu eam amiserit; nec immerito, cum malæ illius fidei quodcumque rei periculum debeatur.

CONCLUSIO. 2. Cum internuncius non restituit alienum, debitor aliquando tenetur iterato solvere, aliquando vero non tenetur.

Probatur 1. Tenetur, si dubiæ probitatis internuncium elegerit: tunc enim peccavit contra prudentiam. 2. Tenetur iterum, si rem alienam injuste acceperit, quamvis probatæ probitatis internuncio usus sit. Ratio est, quia debitoris culpa casum, quamvis fortuitum, præcessit. Confirmatur ex eo, quod æquum sit, ut creditor nullum omnino damnum ex iniqua alterius acceptione patiatur. 3. Si per mutuum acceperit alienum, pecuniam v. gr. triticum, vinum, oleum, remanet obligatus ad restitutionem, cum internuncius creditori non reddidit mutuo acceptum: quocumque casu id acciderit, sive ex dolo internuncii, sive ex eo, quod in itinere per vim spoliatus fuerit. Ratio est, quia mutuatarius, rei acceptæ per mutuum est dominus, donec de facto creditori persoluta fuerit. 4. E contra, si debitor per depositum, locatum, commodatum, rem alienam acceperit, liberatur restituendi onore, quamvis restitutio facta non fuerit ab internuncio, alioquin fideli, quacumque ratione id acciderit. Ratio est, quia ubicumque res deposita, locata, commodata, perit sine debitoris culpa, domino suo perit; modo tamen nulla in oppositum conventio intercesserit.

Non est prætermittendum Navarræ saluberrimum de internunciis monitum: nempe confessarium, aut alium quemvis restitutionis internuncium monet, ut pro securitate debitoris testetur per creditorum syngraphas, se dato pretio fecisse satis.

CONCLUSIO 3. Debitor qui rei acceptæ dominum novit, non liberatur a restitutione per illius in pauperes erogationem: Secus vero si incertus de domino, moralem adhibuerit diligentiam, ut eum detegeret.

Probatur prior pars 1. ex eo quod per erogationem alieni in pauperes, dominus rem suam non accipiat; nondum igitur redintegrata est æqualitas, quam justitia commutativa præscribit. 2. Priorem illam conclusionis partem definierunt Patres, inter quos sic apud Gratianum 1. q. 1. Cap. *Non est putanda*, loquitur Gregorius Magnus, *Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur.*

Probatur altera pars. 1. Is, qui moralem adhibuit diligentiam, ut dominum rei acceptæ detegeret, antequam in pios usus eam insumeret, non tenetur ad restitutionem *rei acceptæ*, cum eam penes se non habeat; nec ratione *injustæ acceptionis*, cum eamdem illam rem secundum prudentiæ ac præscriptas a canonibus regulas distribuerit.

Quæres, in quo posita sit moralis diligengentia, quam debitor adhibere tenetur ad detegendum certum rei restituendæ dominum?

Resp. 1. eam positam esse, in accurata inquisitione secundum judicium prudentum; Illa autem accurata inquisitio non solet fieri intra breve tempus; sed diuturniori opus est.

Resp. 2. Confessariis omnibus maxime utile esse hoc Synodi Carnotensis an. 1526. statutum: *Probibemus, ne de bonis & vagis restitutionibus Confessores aliquid ad suam, vel suorum utilitatem prætextu divini officii, vel alias, retineant. Sed restituta, si sexaginta solidorum summam non excedant, distribuant infra mensem in eleemosynas, ubi major erit necessitas. Quod si major sexaginta solidis restitutio sit, deferatur ad nos, aut officialem nostrum, ut in similes usus convertatur, & non in aliam quampiam caussam. Item ut in Sacramento pœnitentiæ committendi abusus suspicio tollatur, districte inhibemus sub pœna suspensionis, ne illas presbyteri celebrent Missas, quas in confessione injunxerunt celebrandas.* Resp. 3. mandandum esse executioni illud Sylvii monitum: *Si sine gravi incommodo potest, debitor videtur debere monere, vel pauperes, penes quos adhuc extant bona incerta, ut ipsi ea dominis restituant; vel ipsos dominos, ut sciant a quibus ea repetere debeant.*

CONCLUSIO 1. Per legitimam præscriptionem tollitur restitutionis obligatio.

Probatur ex eo quod (ut supra probatum fuit) per legitimam præscriptionem valide, etiam in foro conscientiæ, transferatur rerum dominium,

CONCLUSIO 2. Per bonorum cessionem, debitor restitutionis onere non liberatur.

Probatur ex eo quod si is, qui bona cessit, postea aliquid adquirat, teneatur illud creditoribus tradere. Unde etiam in foro interiori compelli debet ad laborandum juxta modum, qui suo statui, ac conditioni conveniat. Duo tamen consequitur juris beneficio: 1. ut non possit incarcerari pro debitis, quæ contraxit: 2. ut si quidpiam deinceps adquisierit, non in amplius conveniatur, quam ejus sustentationi supersit.

Quæres, an filii per cessionem hereditatis paternæ liberentur a solutione debitorum, quæ pater contraxit?

Resp. affirm. Ratio est, quia creditor non potuit sibi obligare, nisi paterna illorum filiorum bona, aut materna, si mater debitis secundum leges consenserit. Non sunt tamen filii hujusmodi tuti in conscientiæ foro, si quidpiam occulte surripiant & abscondant de paterna hereditate; nec uxores quoque quæ communitatis bonis nuntium in foro

ex-

exteriori remittentes, nonnulla dolose sibi servant, quæ in creditorum notitiam, nisi ab illis mulieribus detegantur, devenire non possunt.

ARTICULUS IV.

Quinam in restitutione sit ordo servandus.

Not. ORDO in restitutione servandus potest considerari, vel ex parte debitorum, vel ex parte creditorum, De eo igitur secundum duplicem illum respectum est agendum.

CONCL. 1. Ordo ex parte debitorum servandus in restitutione, certis quibusdam regulis definiri potest.

Probatur enumeratione illarum regularum. 1. Dum plures restitutioni adstringuntur in solidum, is qui rem habet adhuc in specie existentem, aut æquivalentem, qua nimirum factus fuit ditior, tenetur primus ad restitutionem. Hoc vero non restituente, tenetur secundo ordine is, qui jussione damnum alteri intulit: nec mirum, est enim caussa principalis. Tertio ordine, qui iniquæ jussionis executor fuit. Quarto is, qui consuluit. Quinto ille, qui sciens sua excepit domo eos, qui damnum intulerunt. 6. Is, qui cum teneretur ex justitia, seu ex officio, alienum detrimentum impedire, non impedit tamen.

2. Cum omnes & singulos in solidum urgeat præceptum restitutionis, si præcipuus damni auctor restituerit, ad nihil omnino, sive in ejus auctorem, sive in personam læsam, ceteri tenentur. E contra si una ex minus præcipuis damni caussis restituit, caussæ magis præcipuæ tenentur indemnem eam efficere: nec mirum, siquidem minus præcipua caussa per suam solutionem debiti, negotium magis præcipuæ utiliter gessit.

CONCL. 2. Ordo ex parte creditorum consideratus, aut naturali jure, aut positivo definitur.

Probatur prior pars. Jus naturale exposcit, ut in concursu creditorum, quibus omnibus solvendis bona debitoris non sufficiunt, hic restitutionis ordo servetur. 1. Res aliena, si extet in specie, reddi debet ei, a quo, sive injuste, sive juste, accepta fuit. 2. Debita certa anteponenda sunt incertis, hoc est, eis, quorum creditor ignoratur. 3. Onerosa, ut sunt contracta ex emptione, locatione, permutatione, solvi debent ante debita gratuita. 4. Realia, quibus affectatum est pignus, Personalibus, sive Chirographariis sine pignore, anteponi debent. 5. Ubi una & eadem res pluribus est oppignorata, præferendi sunt anteriores in hypotheca non privilegiata.

Probatur altera pars. Jus positivum quædam creditoribus hypothecariis præ ceteris privilegia concessit, quæ hic enumeranda sunt. 1. Qui suam credidit pecuniam ad ædificandam, vel reparandam domum, vel navim alterius, aut aliquid aliud hujusmodi, specialem habet in res illas hypothecam, ratione cujus præferri debet omnibus etiam anterioribus hypothecariis, sive generalibus, sive in ea re specialibus: Nec mirum, cum sine hujusmodi mutuo pignus illud vel non extitisset, vel saltem modicum commodum anterior creditor ex illo percepturus fuisset. Idem respectu aliorum hypothecariorum, licet anteriorum, dici debet de eo, qui pecuniam suam contulit ad emendum equum v. g. postulat enim æquitas, ut ceteris præferatur is, qui est caussa, cur debitor equum, aut rem aliam habeat.

2. Jus positivum, in mercibus specialem hypothecam aliis omnibus specialibus anteponendam concedit ei, qui pro earum vectura suam pecuniam tradidit: eamdem quoque in supellectili, aut mercibus in domum a conductore comparatis, indulget ei qui illam domum elocavit.

3. Doti mulieris hypotheca specialis tribuitur in omnibus viri bonis, itaut mulier, aut ejus heredes, anteponantur ceteris creditoribus habentibus anteriorem hypothecam generalem, non vero habentibus expressam & specialem, eo quod æquum non sit, ut per subsequens matrimonium anteriores omnes creditores excidant jure suo speciali.

4. Leges in hypothecam, quæ est in favorem fisci, reliquis, etiam anterioribus, jus prælationis annuunt, sive debitor cum fisco contraxerit, ut contingit in receptoribus, & redemptoribus vectigalium; sive alius quivis debitum tributum non solverit.

Quæres 1. utrum qui specialem, & anteriorem habent hypothecam non privilegiatam, ita ceteris pariter non privilegiatis præferri debeant, ut iis totum debitum solvendum sit, quamvis nihil sit futurum, quo posterioribus hypothecis satisfiat?

Resp. affirmat. Ratio est, quia is qui prior est in tempore, potior est in jure; nec immerito; nam ratione prioris hypothecæ specialis, res oppignorata debetur creditori; æquum igitur non est, ut per hypothecam posteriorem, & ejusdem ordinis, jure excidat suo.

Quæres 2. utrum creditoribus personalibus prioribus, in detrimentum posteriorum, debeantur omnia debitoris bona, cum requiruntur ad exhaurienda anteriora debita?

Resp. negative; ferunt enim lex & consuetudo in Galliis receptæ, ut nullus ex personalibus creditoribus anteponatur aliis personalibus, etiam posterioribus concurrentibus. Inter eos dividuntur debitoris bona sine ullo discrimine anteriorum, aut posteriorum obligationum, ita ut singuli pro rata, & partem lucri & partem jacturæ sortiantur, recipiendo & amittendo, ut dici solet, solidum pro libra. Unde si postquam integre

satisfactum fuit creditoribus hypothecariis, trecenti aurei ex discussione supersint, sintque sex chirographarii creditores, quibus singulis centum aurei debeantur, singulis assignanda est portio quinquaginta aureorum: si creditorum illorum jura sint inæqualia, proportio inæqualis servari debet in divisione pro rata inæqualitatis, tam in divisione facultatum viventis debitoris, quam in inventario facultatum hereditatis.

Observandum est (inquit Caballutius noster) in communi bonorum discussione revocandas esse omnes, tum solutiones, tum alienationes factas intra illum annum, qui discussionem præcessit; ut nimirum in discussionis massam, & partitionis inter creditores faciendæ molem reducantur: Sed (ait idem auctor) si quis creditor, sive realis, aut hypothecarius, sive personalis, ac chirographarius, ante annum illum aliquid in solutum acceperit, non potest quidem conveniri, ut solutum reducat in discussionem communem; at si consummata discussione supersint creditores, quibus bona debitoris non sufficiant, illi creditores, si anterius, aut potius jus se habere putant, possunt intentare regressus actionem, quæ post discussos principales debitores, & fidejussores, adversus tertios possessores moveri solet.

Quæres 3. an debitor, solutis realibus creditoribus, quem voluerit ex personalibus, alteri possit anteponere?

Resp. 1. eum posse tuta conscientia præferre posteriorem personalem, a quo, sive in judicio, sive extra judicium, interpellatus fuerit, aliis personalibus creditoribus omnino silentibus. Ratio est, quia inter creditores mere personales diligentia in petendo parit jus prælationis præ aliis creditoribus personalibus, etiam tempore prioribus. Confirmatur illa ratio ex *L. Pupillus*, 24. §. *quæ in fraud. cred.*

Resp. 2. debitori, qui omnibus creditoribus solvendis est impar, non licere posteriores personales anteponere prioribus similiter personalibus, si non magis ab illis interpellatur, quam ab istis: alioquin enim tenebitur de damno & expensis creditoris potius jus habentis, scilicet creditor potest id, quod alteri in sui detrimentum solutum fuerit, in judicio repetere; Creditor tamen qui recepit, potest sibi solutum retinere quamdiu ad restituendum a judice non compellitur: neque enim tenetur rei suæ, quam possidet, jacturam sponte subire, ut aliis prospiciat.

Quæres 4. an debita contracta ex delicto, furto v. gr. usura, prius quam contracta ex conventione licita, solvi debeant?

Resp. videri nobis probabiliorem eorum opinionem, qui asserunt, liberum esse debitori, quæ ex illis debitis voluerit, solvere; nisi tamen contingat superesse in specie rem propriam unius creditorum, equum v. gr. aut commodatum, aut furto ablatum: vel nisi accedat ex una parte privilegium hypothecæ, aut anterioritas (ut loquuntur) unius debiti præ alio.

CAPUT VII.

Doctrina Cleri Gallicani de justitia.

Not. Justitia violatur per furtum, rapinam, adulterium, homicidium, turpi lucro, judicum corruptelis, alieni, invito rationabiliter domino, detentione, & usura. Quæ sit Cleri Gallicani doctrina de furto, diximus Tom. III. Diss. 4. q. 1. c. 8. art. 7. quæ de adulterio, ibid. art. 6. quæ de homicidio, ibid. art. 5. Superest igitur ut hic aperiamus, quid idem Clerus de turpi lucro, judicum corruptelis, & alieni detentione docuerit. Id autem exsculpemus ex variis propositionibus, quæ ab eodem Clero in Comitiis generalibus ann. 1700. damnatæ sunt.

Prima propositio. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Censura. *Hæc propositio est falsa, perniciosa, & furta, etiam gravia, approbat.*

Secunda propositio. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Tertia propositio. *Etiamsi donatario perspectum sit, bona sibi donata a quopiam, ea mente ut creditores frustrentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.*

Censura. *Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur, & justitiæ regulis repugnant.*

Quarta propositio. *Incantatores, aliique ejusmodi deceptores (Magi, Astrologiæ judiciariæ professores, Arioli, Conjectores) ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum, licite servare possunt bona his modis adquisita.*

Censura. *Hæc propositio intellecta de præditis falsis ac deceptoriis artibus, falsa est, temeraria, fovendis fallaciis, etiam diabolicis, idonea.*

Quinta propositio. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Sexta propositio. *Possunt judices accipere munera a litigantibus, nec tenentur restituere quæ acceperint ad pronuntiandam sententiam injustam.*

Censura. *Hæ propositiones, falsæ sunt, perniciosæ, verbo Dei contrariæ, & judicum corruptelas inducunt.*

CA-

CAPUT VIII.

De Virtutibus justitiæ annexis.

Not. 1. VIrtutes quæ justitiæ annexæ sunt, quasque Scholastici vocant partes justitiæ potentiales, novem a S. Thoma referuntur; Religio, Pœnitentia, Pietas, Observantia, Gratitudo, Vindicta, Veritas, Amicitia, & Liberalitas.

Ratio, cur novem illæ virtutes ad justitiam reducantur, petitur ex eo quod novem illæ virtutes creaturam rationalem inclinent ad actus qui sunt ad alterum, quique proinde ad justitiæ virtutem, quæ essentialiter est ad alterum, reducuntur.

Not. 2. Non est nobis mens hic de singulis illis justitiæ annexis virtutibus differere, sed tantum de Religione, quæ quidem definitur, Virtus quæ cultum Deo tamquam primo omnium principio debitum tribuit.

Not. 3. Religionis actus, sunt Devotio, seu prompta Deo serviendi voluntas cum aliquo fervore conjuncta, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Juramentum, Sanctificatio Sabbati, Oratio, Votum. De duobus tantum illis posterioribus actibus, Oratione nimirum & Voto, dicemus in hoc capite.

ARTICULUS I.

De Oratione.

Not. IN hoc articulo dicemus 1. de Oratione in genere; 2. de Oratione Dominica: 3. de Oratione quæ propria est Sacerdotum & Monachorum, & quæ passim Horarum canonicarum, seu Breviarii nomine appellatur. 4. tandem de Oratione Mentali.

§. I. *De Oratione in genere.*

CONCLUSIO 1. oratio recte definitur a S. Thoma, *Actus rationis practicæ, voluntatis desiderium explicantis, & ab alio aliquid postulantis.*

Probatur, & simul explicatur allata definitio. 1. Oratio dicitur *Actus rationis*, eo quod sit interna quædam locutio cum eo, ad quem preces diriguntur; at interior locutio, non est actus voluntatis, sed mentis, sed rationis. Dicitur 2. Actus rationis *practicæ*, non autem speculativæ tantum, quia non ad metaphysicam cognitionem veri, sed ad boni alicujus impetrationem præcipue ordinatur. Dicitur 3. Actus rationis *explicantis desiderium voluntatis*: ei nimirum cui funditur, proponit orantis affectum. Dicitur denique 4. *Ab alio aliquid postulantis*, eo quod explicet desiderium rei, quæ non est in orantis sibi relicti potestate.

CONCL. 2. Oratio singulis adultis est necessaria necessitate præcepti Naturalis, & Divini positivi.

Probatur prima pars. Jure naturali creatura adorationis internæ. & gratiarum actionis actum debet divino suo creatori: cum hoc tamen discrimine, quod creatura innocens gemere non debuerit, cum e contra oratio hominis lapsi cum gemitu conjuncta esse debeat: unde de Adamo innocente Augustinus dicit, *Non gemebat, sed laudabat*; & e contra Scriptura de nobis per peccatum lapsis dicit, quod Spiritus interpellet pro nobis *gemitibus inenarrabilibus*, hoc est (ut sancti Patres interpretantur) nos gemere faciat.

Probatur altera conclusionis pars. Christus Lucæ 18. sic loquitur: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Præterea mores nostros ad Decalogi & Evangelii normam componere non possumus sine speciali per Christum auxilio, juxta illud Christi apud Joan. c. 15. *Sine me nihil potestis facere*: at illud auxilium, quamvis nonnunquam detur minime petentibus, ut v. gr. initium fidei, passim tamen iis solum confertur, qui orant ex fide quæ per dilectionem operatur: *Non habetis* (ait Jacobus in Epist. Can. cap. 4.) *propterea quod non postulatis*: quibus quidem verbis consonat hæc Augustini sententia, in libro de dono perseverantiæ, c. 16. *Cum constet Deum, alia etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam; profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat.*

CONCL. 3. Oratio multipliciter dividitur, hoc est, variæ sunt orationis species.

Probatur enumeratione. Oratio dividitur 1. in *Publicam*, quæ scilicet nomine totius populi fidelis ab Ecclesiæ ministris in templis potissimum celebratur; & in *Privatam*, quæ ad singulos pertinet, & de qua hæc habet Paulus 1. ad Timoth. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus sine ira, & disceptatione.*

Dividitur 2. in mentalem & vocalem. Priorem, quæ mente solum funditur, maxime utilem esse probat hæc Ambrosii sententia in lib. 6. de Sacramentis, cap. 4. *Qui in silentio orat, fidem defert, & confitetur, quod Deus scrutator cordis & renis sit, & orationem suam ante ille audiat, quam ore eic fundatur.* Posterior, seu vocalis, non mente tantum, sed etiam ore exterius exprimitur. Si quæ ore tantum funditur, utilis non est ad placandum Deum (inquit Cardinalis Bellarminus), sed confert potius ad provocandum illius iram, juxta illud Dei ipsius apud Isaiam, c. 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Hincque patet Orationem vocalem non sic appellari, quod ore tantum fundatur.

Dividitur 3. ab Apostolo 1. ad Timoth. 2. in Obsecrationem, Orationem, Postulationem, & Gratiarum actionem: *Obsecro igitur primum omnium fieri Obsecrationes, Orationes, Postulationes, Gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Per ea autem verba Paulum rem eamdem diversis nominibus exprimere, contendunt aliqui Patres. Censent alii, unum membrum alteri nonnihil addere. Per obsecrationes Augustinus intellexit *Deprecationes malorum*, per Orationes *Petitiones bonorum*, quæ nobis necessaria sunt: Postulationes Theodoretus interpretatur *Interpellationes*, seu adversariorum accusationes. Tandem per *Gratiarum actiones* intelligitur pia & grata beneficii a Deo accepti memoria. Vide S. Thomam 2. 2. tota q. 83. Vide etiam Bellarminum in Tractatu de Oratione.

§. II. *De Oratione Dominica.*

Not. 1. Oratio Dominica est regula, ad quam omnia cordis desideria exigere tenemur: *Forma est* (inquit Augustinus Serm. XVI. Editionis novæ cap. 4.) *desideriorum*. *Non licet tibi aliquid petere, quam quod ibi scriptum est.*

Not. 2. De oratione Dominica egerunt Tertullianus in libro *De oratione*: Cyprianus in opere, quod inscripsit *De Dominica Oratione*; Augustinus in variis Sermonibus, & in libro *de dono perseverantiæ* a capite secundo usque ad capus quintum inclusive; Sanctus Thomas 2. 2. q. 83.

CONCL. 1. Quæcumque per orationem a Deo peti possunt, continentur in oratione Dominica, quæ incipit, *Pater noster qui es in cælis*.

Probatur ex eo quod Oratio Dominica contineat tum ea, quæ ad gloriam Dei, tum quæ ad nos ipsos spectant.

Prima nimirum petitione; *Sanctificetur nomen tuum*, oramus, ut Dei nomen omnibus innotescat, ab iisque sanctificetur: quod quidem fit (inquit Bellarminus) quando homines relictis idolis, vel peccatis, agnoscunt Deum verum, illi credunt, in eum sperant, eum toto corde diligunt, laudant, prædicant, venerantur; atque ita illud impletur, quod Malachias aliquando futurum prædixit: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus*.

Altera petitione, *Adveniat regnum tuum*, postulamus consecutionem beatitudinis, quæ in Dei clara visione & summo ejus amore posita est: quam quidem beatitudinem ubi adepti fuerimus, Deus perfecte in nobis regnabit, destructa nimirum cupiditate, & omnibus nostris hostibus superatis.

Tertia petitione. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, Deum rogamus, ut nobis præbeat auxilia, quibus ejus mandata fideliter observemus, & quibus præparatam nobis gloriam promereamur: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*, ait Apostolus 1. ad Thessalon. 4.

Quarta petitione: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, precamur, ut Deus suppeditet alimenta sustinendæ vitæ nostræ, tum spirituali, tum corporeæ necessaria, seu præcipue petimus sacramentorum, concionum, scripturæ, aliorumque ejus generis subsidia; panem vero corporeum non tanquam finem primarium, sed veluti quidpiam, quod pani spirituali superaddatur.

Quinta petitione, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, rogamus Deum, ut peccata quorum rei sumus, condonet nobis. Nomine enim debitorum non aliud, quam peccata, intelligi necesse est, cum Lucæ 11. eadem, de qua agitur, petitio, his exprimatur terminis, *Et dimitte nobis peccata nostra*, cui quidem petitioni hæc sententia additur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, qua non significatur, Deum nos imitari solitum esse, sed dicimus illatæ nobis injuriæ condonationem viam esse, qua impetremus, quam petimus, reatuum veniam.

Sexta petitione, *Et ne nos inducas in tentationem*, precamur (ajunt Hieronymus, Cyrillus Catechesi 5. mystagogica, Augustinus Epist. 21. cap. 3.) non quidem, ut non tentemur, sed ne a tentatione vincamur. E contra Tertullianus in lib. de oratione, Gregorius Nyssenus oratione 5. de Oratione Dominica, Chrysostomus ad c. 6. Matthæi, docet nos petere, ut tentatio ne quidem nos aggrediatur. Duplicem illum sextæ petitionis sensum sic nonnulli auctores conciliant, ut velint peccatum non futurum peti tamquam finem, immunitatem vero a tentatione tamquam medium; tentatio enim neminem urget, quin periculo criminis exponat.

Tandem septima petitione, *Sed libera nos a malo*, rogamus (interpretibus Patribus Græcis) ne diabolus infensissimus inimicus noster, nobis noceat: At secundum Patres Latinos, oramus Deum, ut liberet nos a calamitatibus hujus vitæ, in quas per Adæ peccatum incidimus.

Quæres 1. an qui ex animo illatas sibi injurias non remittit, debeat prætermittere hanc sententiam, qua quinta petitio concluditur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?*

Respondet Cassianus collatione 9. cap. 22. eam sententiam sua ætate nonnullos solitos fuisse prætermittere, ne scilicet in sua oratione Deo mentirentur; sed inutilis erat ea cautio, cum, etiamsi ea verba prætermitterent, suorum peccatorum veniam sperare non possent: quippe quod aperte a Chri-

sto

sto dictum sit: *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra*. Præterea (ut advertit Catechismus Romanus) quivis e fidelium numero preces suas fundit totius Ecclesiæ nomine, in qua pios aliquot esse necesse est, qui debitoribus debita ex animo dimittunt.

Quæres 2. an qui ex animo remittunt injurias, & tamen in affectu alterius peccati voluntarie perseverant, quinta petitione, *Dimitte nobis*, &c. aliquid impetrare possint?

Respondet Bellarminus his verbis: *Vel is, qui in peccato voluntarie perseverat, cupit sibi dari gratiam perfectæ conversionis, eamque serio postulat, vel non cupit, nec serio postulat. Si cupit gratiam conversionis, quamvis interim concupiscentia victus peccatum non relinquat, non inutiliter dicit Deo*: Dimitte nobis debita nostra: *Nam qui cœpit opus bonum inspirando illi desiderium & petitionem conversionis, perficit sine dubio, si cum perseverantia petat ille, ut Deus ipsius adjuvet infirmitatem, & rebellem ad se convertat propitius voluntatem. Sin autem non cupit gratiam conversionis, neque ex animo illam petit, sed vel orat solis labiis ex consuetudine, vel (quod gravius est) ut videatur ab hominibus; is non solum nihil impetrat, sed etiam oratio ejus fiet in peccatum, cum in singulis fere petitionibus mentiatur. Quomodo enim dicere potest*: Pater noster, *qui non vult esse filius?* Et sanctificetur nomen tuum, *per quem nomen Dei assidue blasphematur?* Adveniat regnum tuum, *qui nihil magis timet, quam Dei adventum?* Fiat voluntas tua, *qui suam, non Dei voluntatem semper facit?* Hactenus eruditus Cardinalis.

CONCL. 2. Omnes, excepta quinta, orationis Dominicæ petitiones intelligi possunt de dono perseverantiæ, quod a Sanctis postulatur.

Probatur ex Augustino. Sanctus Doctor sic loquitur in libro de dono perseverantiæ, cap. 2. *Cum ipsa oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eamdem Dominus docuit; quando oratur a Sanctis nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligatur.* Ejusdem libri c. v. hæc iterum habet: *Quinto Orationis loco dicimus*, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: *in qua sola petitione non invenitur posci perseverantia.*

Idem Augustinus laudat auctoritatem Cypriani, sigillatimque probat, S. Martyrem omnes petitiones Orationis Dominicæ (quinta excepta) explicuisse de dono perseverantiæ, quod a Sanctis in eadem oratione Dominica poscitur.

In primam petitionem: *Sanctificetur nomen tuum*, laudat hæc Cypriani verba; *Id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus.*

In secundam petitionem: *Adveniat regnum tuum*, sic idem Augustinus c. 2. loquitur: *Qui cum dicimus*, Adveniat regnum tuum, *non aliud poscimus, nisi ut veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus Sanctis. Ergo & hi qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate, quæ illis data est, perseverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque ad finem, certum est esse venturum.*

In tertiam petitionem: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, sic ad mentem ejusdem Sancti Martyris loquitur, c. III. *Quam*, perseverantiam, *petunt utique etiam Sancti qui faciunt voluntatem Dei, dicentes in oratione*, Fiat voluntas tua: *Cum enim jam facta sit in eis, cur, ut fiat, adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod jam esse cœperunt?*

In quartam petitionem profert c. 4. hanc Cypriani sententiam: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes, a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur*; in quam quidem sententiam sic Augustinus loquitur: *Hæc verba sancti hominis Dei, perseverantiam prorsus a Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt*: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *ne a Christi corpore separentur: sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separari mereantur, crimen admittant.*

In sextam petitionem: *Ne nos inducas in tentationem*, c. 6. sic idem Augustinus loquitur: *Imperavit autem Deus, ut sancti ejus dicant orantes*: Ne inferas nos in tentationem: *Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, ut non possit, vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere*. In hujus autem rei probationem, ad capitis calcem profert hanc B. Cypriani sententiam: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis superbe arroganterque aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat; cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit*: Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: *Ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo; quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.*

Ex ea, ad S. Cypriani mentem, Orationis Dominicæ explicatione, Augustinus hanc ejusdem libri cap. 7. conclusionem adversus Semipelagianos elicit: *Si ergo alia docu-*

menta non essent, Dominica Oratio nobis ad caussam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur.

§. III. *De Horis Canonicis.*

Not. Quæremus hic 1. quid Horarum Canonicarum nomine intelligendum sit; 2. Quibusnam recitandi horas canonicas onus incumbat: 3. Quænam requirantur, ut quis illi debito faciat satis: 4. Quid sacri Canones de iis qui Choro adesse tenentur, statuerint.

Quid sint Horæ Canonicæ.

CONCL. Horæ Canonicæ definiuntur, Preces vocales, ex præscripto canonum, corporis Ecclesiæ nomine recitandæ a personis quibusdam, quibus id oneris specialiter commissum est.

Explicatur definitio. Dicuntur 1. *Preces vocales*, ut excludantur mere mentales. 2. Recitandæ *ex præscripto Canonum*; per quod differunt ab iis quas quilibet privatus potest eligere. 3. *Nomine Corporis Ecclesiæ*, eo quod sint preces publicæ, sive in choro a Canonicis, sive extra chorum & privatim a clericis persolvantur. 4. *A personis, quibus id oneris specialiter commissum est*; quia alioquin totius Ecclesiæ nomine fieri non censentur.

Quæres 1. cur illæ preces dicantur Horæ Canonicæ. 2. cur Breviarium.

Respondeo ad primum, eas dici 1. *Horas*, eo quod certis horis diurnis & nocturnis recitandæ sint: 2. *Canonicas*, tum quod canonibus, sive, quod idem est, Ecclesiasticis legibus præscriptæ & determinatæ fuerint; tum etiam quia clerici, quibus præcipue eas persolvendi onus incumbit, sunt ii, quos passim Canonicos dicimus; eo quod (ut ait Yvo Carnotensis) canonicarum regularum observationi ceteris arctius se obstrinxerint; aut quod olim Ecclesiæ Canoni inscripti, præbendam, aut sportulam reciperent.

Respondeo ad secundum, illas preces dici *Breviarium*: 1. quia sunt quoddam Scripturarum & Sanctorum Patrum compendium; 2. eo quod sint longiorum precum, quæ quondam erant in usu, contractio. Illa contractio ineunte sæculo decimo tertio primum facta est in sacello Romani Pontificis, & ob id preces, de quibus agitur, vocatæ fuerunt *Officium breviatum Curiæ Romanæ*. Sanctus Franciscus in sua regula injunxit suis Religiosis, ut Divinum officium, *secundum ordinem Ecclesiæ Romanæ* recitarent; quæ quidem verba Franciscani de officio, quod tunc fiebat in Curia Romana, interpretati sunt. Correxit Haymo præpositus illorum generalis contractum illud officium; contractionem & correctionem Gregor. Papa IX. probavit. Nicolaus III. ejus usum urbis Romæ Ecclesiis præscripsit; obtemperarunt omnes, una excepta basilica Principis Apostolorum, in qua, etiam nunc, obtinet antiqua Horarum Canonicarum forma. Contractum illud idem officium postea plures Ecclesiæ Occidentales admiserunt; unde illud vocarunt *Breviarium* per oppositionem ad veterem formam, qua prius utebantur.

Quinam ad Horas Canonicas teneantur.

CONCL. Ad Horas canonicas tenentur 1. constituti in aliquo ex sacris ordinibus; 2. Clerici beneficiati, sive pingue sit eorum beneficium, sive tenue: 3. Religiosi Professi in quibusdam Religionibus, quæ Breviarii recitationem præscribunt.

Probatur 1. Quod ad Horas canonicas tempore Sancti Thomæ tenerentur Subdiaconi, & Clerici, qui Ecclesiasticis beneficiis potiebantur, ostendunt hæc ejusdem sancti Doctoris verba opusculo 65. cap. 1. *Dicendum, quod ad has septem horas tenentur Sacerdotes, & alii Clerici constituti in sacris ordinibus, sive habeant beneficium, sive non, & omnes illi qui percipiunt Ecclesiastica stipendia, in quocumque ordine sint.* Antiquum illud debitum confirmavit Leo Papa X. in Bulla quæ incipit: *Supremæ dispositionis*, ubi sic loquitur: *Statuimus quoque & ordinamus, ut quilibet habens beneficium, cum cura, vel sine cura, & post sex menses ab obtento beneficio officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata recitationis officii; sed eos tanquam injuste perceptos, in fabrica hujusmodi beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso privetur; cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit: Deo tamen, ultra præmissa, de dicta omissione redditurus rationem.* Eamdem legem sua auctoritate Pius Papa V. in Bulla quæ incipit, *Ex proximo*, confirmavit.

2. Quod ad easdem horas teneantur omnes clerici, qui vel tenui beneficio potiuntur, ostenditur ex eo quod Summi Pontifices, qui de eo onere locuti sunt, nusquam exceperint clericos, de quibus agitur; immo eos complexi fuisse videntur his generalibus terminis, quibus usi sunt, *Quilibet*, *Omnes*. Generalem illam loquendi formulam imitatæ sunt Synodi Gallicanæ: Rhemensis habita anno 1583. titulo de Breviario, hæc habet: *Quisquis beneficium aliquod Ecclesiasticum adeptus est, sciat se ad preces quotidianas, quæ Breviario continentur, recitandas obligari.* Sic Burdigalensis eodem anno celebrata, *Omnes ipso*

ipso jure obligantur, *quicumque beneficiis Ecclesiasticis potiuntur*. Nec obest exiguitas beneficii; nam (ut advertit S. Antoninus) imputare sibi debent clerici, quod tenuium illorum beneficiorum titulum receperint aut retineant. Cum tamen negetur a multis relata hactenus statuta omnes omnino beneficiatos comprehendere, poterit quisque clericus, quoad hoc, sui Episcopi judicio stare; nam quando lex aliqua positiva dubia est, penes Episcopum est illius explicatio.

3. Religionis professis incumbere idem onus, colligitur ex consuetudine ubique observata, quæ expressæ legis vim habet. Viguisse illam consuetudinem, ac debitum invaluisse ante Concilium Viennense sub Clemente V. probant hæc ejusdem Clementis verba in Clementina *Dudum* de celebratione Missarum: *Clerici tam Religiosi, quam alii Cardinalium sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac quorumcumque Pontificum... Commensales & Domestici... ut illud quod iidem Cardinales, seu Pontifices, dicunt officium, licite dicere valeant, nec ad dicendum aliquod aliud teneantur, sacra approbatione Concilii indulgemus*.

Quæres 1. an qui Ecclesiastica pensione donati sunt, ad Breviarium teneantur?

Respondeo negative; ad alias enim preces non tenentur, quam ad eas, quæ parvo Beatæ Mariæ Virginis officio continentur; ita definiit Pius Papa V. in Bulla 135. *Quicumque*, inquit, *pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas*, ut clericus, *percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium*.

Quæres 2. an clerici a suorum ordinum, vel beneficii functionum executione suspensi, vel depositi, aut excommunicati, ab onere persolvendi horas canonicas liberentur?

Respondeo negative: pœnæ scilicet, de quibus est quæstio, non liberant a vinculo, quo prius clerici ratione beneficii, aut ordinis tenebantur. Confirmatur ex eo quod e contra suspensionis, depositionis, aut excommunicationis status, in quo versantur, debeat illos movere ad fundendas prolixiores preces, quibus veniam criminum obtineant, propter quæ ab Ecclesia in eos animadversum est.

Quæres 3. num aliqui sint casus, quibus clericos non urget præceptum recitandi Horas canonicas?

Respondeo affirmative. 1. enim ægrotantes, quorum morbum ex Medici judicio augeret attentio ad illas preces necessaria, eo præcepto nequaquam tenentur: nec ii, qui capti sunt oculis, saltem quoad partes quas non sciunt memoriter, quasque cum socio, quem penes se habeant, recitare non valeant; nam quoad eas, quas commendarunt suæ memoriæ, præcepto Ecclesiastico tenentur. Unde merito Innocentius Papa XI. proscripsit hanc molliorum quorumdam Casuistarum propositionem: *Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. 3. Ea lege liberantur, qui alicui caritatis exercitio, quod non potest differri absque proximi detrimento, dant operam, nec postea Horas persolvendi tempus superest.

Quænam requiruntur, ut quis horas canonicas persolvendi debito faciat satis.

CONCL. Multa sunt ad debitam Breviarii recitationem necessaria.

Probatur enumeratione. Requiritur 1. ut illud numero officium persolvatur, quod pro ea die præscriptum est: non enim Breviarii, ut sic, sed prout has, vel illas preces continet, recitationem Ecclesia injunxit. Unde infertur 1. Alexandrum Papam VII. merito damnasse hanc propositionem: *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto*. Infertur 2. eum qui per inadvertentiam officium unius diei recitavit pro officio alterius, teneri eodem die, si commode id possit, illud persolvere, quod omisit.

2. Clerici seorsim degentes, nullique societati approbatæ, cujus usus fuerit contrarius, alligati, quamdiu versantur in diœcesi, ex qua sunt oriundi, debent uti eo Breviario, quo diœcesis utitur; cum enim sint membra Cleri ejus diœcesis, in qua nati sunt, & in qua degunt, ceteris ejusdem Cleri membris, & Episcopo capiti sese conformes exhibere tenentur. Si vero in aliena versentur, possunt illius usum sequi, juxta hanc præclaram Augustini sententiam Epistola 118. quæ est ad Januarium: *Quæ per loca terrarum regionesque variantur ... totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit*.

Nec obstat constitutio, *Quod a nobis*, Pii Papæ V. qua declarat, *neminem ex iis, quibus dicendi psallendique munus impositum est, nisi sola formula*, Breviarii Romani, *satisfacere posse*. Nam 1. illa constitutio locum non habet in Galliis, nec in multis aliis orbis regionibus, cum in eis promulgata nequaquam fuerit. 2. In illa eadem Bulla excipiuntur Ecclesiæ, quæ peculiari Breviario ducentis ante Pium V. annis utebantur. 3. Laudatus Pontifex de iis Clericis loquitur: *Qui horas canonicas ex more & ritu Romanæ Ecclesiæ, jure, vel consuetudine dicere, vel psallere debent*: non autem de ceteris.

Requiritur, ut statis & determinatis a jure horis Breviarium persolvatur. Sed hoc ita dictum velim, ut 1. non peccet lethaliter, qui ante mediam noctem totum diei officium recitat;

citat; ita S. Antoninus 2. par. tit. 13. cap. 4. & 5. ubi sic loquitur: *Non videtur de se esse mortale, quandocumque tarde quis dicat officium, dummodo non transeat dies, qui tantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem.* 2. ut ne quidem venialiter delinquat, qui propter honestam aliquam caussam aliquantulum vel antevertit, vel protrahit tempus Canonicum; nec qui extra chorum tempus chori Cathedralis Ecclesiæ servat. Ratio est, quia potuerunt capitula ex approbatione Episcoporum antiquam circa horas disciplinam in aliam novam commutare. 3. Ut tantum quis peccet, cum multum recedit a legitimo tempore: *Censetur ab eo longe recedere* (inquit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 18.) *qui tunc alicujus horæ officium persolvit, cum verba quæ leguntur, aut canuntur, cum tempore nullâ ratione conveniunt, ut si quis ante lucem dicat, Jam lucis orto sidere, vel ante meridiem, Jam sol recedit igneus.* Excipi tamen debent ab illa Bellarmini regula matutinum & laudes, quæ mox a cœna, vel etiam paullo ante possunt recitari; invaluit enim illa consuetudo: unde is qui eo tempore legit hæc hymni, qui sæpe occurrit, verba, *Somno refectis artubus, spreto cubili surgimus*, antiquorum in persolvendis Deo laudibus diligentiam veneretur oportet, compensetque singulari attentione & pietate illius diligentiæ defectum. Confirmat illam exceptionem auctoritate S. Thomæ, qui quodlibeto 5. art. 28. hæc scribit: *Consideranda est intentio ejus, qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscumque horis canonicis; si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiæ & voluptati vacet, non est absque peccato: si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum & honestarum occupationum, licite potest de sero dicere matutinum, & in aliis horis canonicis tempus prævertere! sed aliquantulum tantum.* Nam (ait mox laudatus Cardinalis) *esse peccatum saltem veniale, a canonico tempore in officio persolvendo multum recedere, communis est sententia Theologorum & Canonistarum.*

Quæres 1. an qui matutinum post occasum solis recitat, possit laudes in sequentem diem differre?

Respondeo affirmative. Nam 1. multa sunt in laudibus, quæ cum matutino tantum tempore convenire possunt; hujusmodi sunt ista: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te. Ecce jam noctis tenuatur umbra. Ales diei nuntius lucem propinquam præcinit. Aurora jam spargit polum, terris dies illabitur.* Laudes, quas simpliciter Matutinum majores nostri vocabant, a nocturnis seorsim ac divisim recitabantur; ista enim in omnibus Cathedralibus Ecclesiis incipiebant media nocte, illæ vero paulo ante solis ortum. Nec est, quod quis objiciat rubricas Breviarii Romani, quibus asseritur laudes immediate conjungendas esse nocturnis: Nam 1. (ut jam observatum fuit) non obligant illæ rubricæ nisi eos, qui de jure & consuetudine tenentur Romanæ Ecclesiæ ritui peculiari adhærere. 2. loquuntur rubricæ de iis, qui matutinum ante solis ortum recitant: ii enim, ut cum tempore verba conveniant, non debent laudes multum post solis ortum differre.

Quæres 2. utrum hac ætate laudabilius sit officia singularum horarum suis propriis temporibus celebrare, quam multa simul sine ulla horarum & temporum distinctione conjungere?

Respondet Cardinalis Bellarminus affirmative. 1. Enim sic satisfit Ecclesiasticæ intentioni, quæ ideo in certas horas diurnas, atque nocturnas officium distribuit, ut in iisdem horis, atque adeo per omnes totius diei partes, Deum laudemus. 2. Sic etiam maxima utilitas ex officii recitatione ad nos accedit, dum tam crebro ad nos redimus, & a tumultibus sæculi ad pacem animum revocamus. 3. Sic denique labor precum horariarum in tot partes divisus, ita minuitur, ut levissimus, ac pene nullus inveniatur, proindeque majori cum pietate & attentione brevissimæ illæ preces recitentur.

5. Denique requiritur in recitante breviarium pietas, quæ duo dicit, attentionem nimirum ex parte intellectus, & nonnullam in impio contritionem ex parte cordis. Necessitas attentionis colligitur ex ipsa orationis natura; nihil enim aliud est ex Augustino, quam pius mentis affectus directus ad Deum. 2. Ex eo quod Deus damnet in Scriptura, voce non corde orantes: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Ex quo infertur, eum, qui per insignem aliquam horæ partem voluntarias patitur evagationes mentis, non satisfacere Ecclesiæ præcepto: neque enim syllabarum prolationem dumtaxat externam præcipit, sed orationem, de cujus essentia est interna intentio non ad sonum verborum tantum, sed vel ad sensum quem includunt, vel saltem ad Deum ad quem diriguntur. Necessitas contritionis alicujus impio horas recitante colligitur ex Scriptura: *Non est* (inquit Ecclesiast. cap. 15.) *speciosa laus in ore peccatoris:* qui nimirum non affectu tantum habituali, sed etiam actuali inhæret suo peccato; unde ait David Ps. 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

Quid sacri Canones de iis statuerint, qui choro adesse tenentur.

Quæritur, quod de Canonicis, & aliis qui tenentur adesse choro, statuerint Ecclesiasticæ leges?

R. 1.

Respondeo 1. eos Ecclesiasticis legibus prohiberi, ne in choro secum invicem confabulentur; 2. ne litteras aut alias scripturas legant; 3. ne dum in communi cantantur horæ, dicant privatim officium; 4. ne exeant ante finem horarum: ita Concilium Basileense sessione 4.

Respondeo 2. iisdem legibus eos teneri 1. ad cantum cum ceteris: *Dum psallitur* (inquit Concilium Burdigalense, habitum ann. 1583.) *Canonici omnes & sacellani, nisi per invaletudinem, aut aliam legitimam caussam impediantur, psallant; nec maneant in suis sedibus otiosi*. 2. Ut per se & non per substitutos sua obeant officia: *Omnes vero Divina per se & non per substitutos compellantur obire officia* (ait Concilium Tridentinum sess. 24. de reformat. cap. 12.), *atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*. Ex quo concluditur, peccare eos, qui horarum minorum, Primæ nimirum, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii recitationem vicaria tantum opera persolvunt. 3. Ut distributiones acceptas restituant, cum abfuerunt a choro, aut quando non cantarunt cum ceteris: *Distributiones vero* (ait mox laudata Tridentina Synodus) *qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui vero, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant*, *juxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit*, Consuetudinem, *quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus*.

§. IV. De Oratione Mentali.

Nos Non hic tradimus mentalis orationis regulas; sed dicemus tantum de Oratione *Quietis*; de eaque quæremus 1. quid de ea dogmatizent Quietistæ: 2. quibus argumentis eorum systema impugnari possit.

Quæ sit Quietistarum de Oratione doctrina.

Doctrina de Oratione quietis, quam ii, qui Quietistæ dicuntur, postremis hisce temporibus docuerunt, hisce propositionibus continetur.

Prima propositio. *Contemplatio, vel oratio Quietis, in eo posita est, quod quis ubi se in Dei præsentia per actum fidei obscuræ, simplicis, & amantis constituerit, in ea sine ullo vel rationis, vel voluntatis, vel alicujus alterius potentiæ actu otiosus maneat*.

Secunda propositio. *Reverentiæ in Deum debitæ reus est, qui primum illum actum iterato elicere tentaverit: scilicet tam constans est, ut perduret toto vitæ tempore, nisi per actum contrarium revocatus fuerit; tantæque virtutis, ut in se simul & semel omnium aliarum virtutum actus, & quidem eminentiori modo, contineat; unde fit, ut illum necesse non sit iterare*.

Tertia propositio. *Sine contemplatione quam meditatio adjuverit, ne passus quidem unus ad perfectionem fieri potest*.

Quarta propositio. *Scientia sacra, & ipsa etiam Theologiæ doctrina, impedimento est contemplationi, de qua non homines docti, sed ipsi dumtaxat contemplativi judicium ferre possunt*.

Quinta propositio. *Perfecta contemplatio versatur circa ipsam tantum divinitatem. Incarnationis Dominicæ, vitæ & passionis Christi mysteria apta non sunt contemplationi objecta: immo illam impediunt: unde contemplativi, ut ea a sua mente removeant, debent in primis satagere; nec possunt, nisi veluti fugiendo, de illis cogitare*.

Sexta propositio. *Nec corporis macerationes, nec pœnitens vita contemplativis conveniunt. Hominis conversio non a purgationis & pœnitentiæ, sed a contemplationis via incipere debet. Contemplativi, devotionis sensibilis effectus, teneras cordis affectiones, lacrimas oculorum, & eo etiam animi solatia, quorum Spiritus Sanctus sit auctor, contemnere & fugere debent, tanquam res quæ contemplationem impediunt*.

Septima propositio. *Perfecta & vera contemplatio uni Dei essentiæ, personis & attributis veluti spoliatæ, inhærere debet. Actus fidei erga Deum sic conceptum, perfectior est & magis meritorius, quam actus, qui circa Deum cum personis & attributis conceptum versatur*.

Octava propositio. *In contemplatione jam adquisita, anima cum Deo unitur immediate: quamobrem ad eam plane inutilis est idea qualibet, vel imago, vel species*.

Nona propositio. *Omnes contemplativi, in ipsa actuali contemplatione tam graves patiantur labores & cruciatus, ut Martyrum labores & cruciatus non adæquent modo, sed etiam superent*.

Decima propositio. *Cum offertur Missæ sacrificium, dum Sanctorum festa celebrantur, satius est inhærere actui suæ fidei & contemplationis, quam ad ipsa Christi mysteria, & ad Sanctorum, & varias illorum vitæ circumstantias attendere*.

Undecima propositio. *Librorum spiritualium lectio, prædicatio verbi divini, oratio vocalis, Sanctorum invocatio, impedimento sunt contemplationi, & orationi; quæ oratio affectus dicitur, cuique nulla est adhibenda præparatio*.

Duodecima. *Pœnitentiæ sacramentum animabus interioribus & contemplativis necessarium non est ante Eucharistiæ communionem, sed iis tantum quæ sunt in via activa, quæque adhuc incumbunt meditationi*.

Decima tertia. *Meditatio Deum non respicit fidei luce, sed lumine naturali, licet in spiritu & veritate: unde nullius est coram Deo meriti*.

Deci-

Decima quarta. *Is, qui semel dedit se contemplationi, redire non debet ad meditationem: alioquin a meliori in pejus proficeret.*

Decima quinta. *Si tempore contemplationis accidant cogitationes terrestres & animales, de iis expellendis satagendum non est, nec ad aliquam piam cogitationem est recurrendum: sed e contra delectandum est in eo cruciatu.*

Decima sexta. *Nec actio, nec affectio interior, licet cum reflexione productae fuerint virtute purae fidei, possunt Deo placere, quia ex amore proprio nascuntur, quoties ante omnem mentis applicationem, & ante omnem ex parte nostra applicationem, a Spiritu Sancto inspiratae non fuerint. Unde in contemplatione, vel in oratione affectuum, permanendum est in otio & in actione, & sic expectanda est miraculosa Spiritus sancti inspiratio.*

Decima septima. *Quisquis est actu in contemplatione, vel in oratione Quietis; sive religiosus sit, sive filius familias, vel alio modo alteri subjectus; non debet tunc obedire regulae, nec superiorum mandata servare, ne contemplationem interrumpat.*

Decima octava. *Contemplativi ita immunes esse debent a rerum omnium affectu, ut a se longius repellant, & aspernentur ipsa etiam Dei dona, ipsos Dei favores, & ut ipsarum etiam virtutum amore sese ipsos expolient. Tandem ut ab omnibus rebus liberi sint, ea etiam debent agere, quae modestiae & honestati repugnant; modo tamen ex iis non sint, quae decalogi praeceptis expresse adversantur.*

Decima nona. *Contemplativi nonnunquam tantos excessus patiuntur, ut omnis eis adimatur usus liberi arbitrii; ita ut cum in gravissima peccata exterius incidunt, interius tamen eorum minime rei sint; unde quae tunc egerint, confiteri non debent: idque Jobi exemplo confirmatur: scilicet cum injuriis proximum lacesseret, irae & blasphemias in Deum evomeret, nullo modo peccabat; eo quod ea omnia violento daemonis impulsu perageret. Apta vero non est Theologia Scholastica, aut Moralis, ut de iis violentis fluctibus judicium ferat: sed opus est supernaturali spiritu, qui in paucissimis reperitur, & in quibus non de interiori per exterius, sed potius de exteriori per interius judicandum est.*

Ex propositiones, quas exscripsimus ex Actis condemnationis Quietistarum, quae apud Illustrissimum & Doctissimum Meldensium Episcopum legere est ad calcem libri, quem gallice inscripsit: *Instructions sur les états d'oraison*, respective desumptae sunt ex Epistola Falconi ad mulierem poenitentem, ex Molinosi damnatis ab Innocentio XI. propositionibus, ex Analysi orationis mentalis Patris Dom. Francisci de la Combe, ex libro cui titulus Gallicus, *Moyen court*, &c. ex alio, cui hac est superscriptio, *Cantique des Cantiques interpretè selon les sens mystiques*; & tandem ex manuscripto quodam quod inscribitur, *les Torrens*: qui quidem omnes libri variis, tum Romanae Inquisitionis decretis, tum plurium Gallicanae Ecclesiae Episcoporum Instructionibus Pastoralibus, seu (ut vocant) Mandatis, damnati sunt.

Quae sint argumenta, quibus Quietistarum dogmata impugnari possunt.

I. Non dari in perfectis animabus actum continuum contemplationis, quae nec exercitiis externis, nec mentis evagationibus, nec ipso somno dormientium interrumpatur, variis argumentis ostendi potest. 1. Nec Scriptura, nec Traditione nititur illius actus perpetuitas. 2. E contra perpetuitati actus, de quo est quaestio, adversantur Patres, ut videre est apud Augustinum lib. 9. Confessionum c. 10. Bernardum & alios passim, a quibus asseritur, homines etiam perfectos *raptim* tantum nonnunquam perfecta frui contemplatione. 2. Ea est actus semel eliciti a voluntate natura, ut desinat, etiam virtualiter, aut per actum contrarium, aut per moralem aliorum actuum interruptionem. 3. Si perpetuus sit actus quo quis per puram fidem, & castum amorem Deo seipsum dedit, nusquam debebit iterari: at iteratus est tamen a viris etiam perfectissimis: *Diligam te* (ait Psaltes regius Ps. 17. licet jam se totum tradidisset Deo) *fortitudo mea*. Paulus sincere petierat, ut liberaretur ab Angelo Satanae, qui eum colaphizabat: & tamen ter, hoc est saepius, eamdem iteravit orationem, *Ter* (inquit 2. ad Cor. 12.) *Dominum rogavi*. Ipse etiam Christus non semel, sed tertio oravit, ut ab eo passionis calix transiret.

II. Explicitos fidei actus, & distinctas petitiones convenire animabus, etiam perfectissimis, ostenditur ex eo, quod alioquin sequeretur 1. perfectos contemplativos nusquam teneri, immo nec posse, quin exciderent ex perfectionis statu, elicere explicitos fidei actus in mysteria, quae in Apostolorum symbolo continentur: sicque reddere symbolum, imperfectorum tantum esset & incipientium: quod dictu impium est, cum tam saepe Apostolus ipse plura illius capita in suis Epistolis distincte recitaverit, eorumdemque capitum explicitam fidem hominibus etiam perfectissimis unanimi consensu tota traditio praeceperit, ut agentes de fide probavimus.

Sequeretur 2. perfectam contemplationem versari circa solam divinam essentiam, cum exclusione attributorum, personarum, Dei Verbi incarnati, ceterorumque Salvatoris mysteriorum; ac proinde Prophetae, qui tam saepe particularia Dei attributa, Christi futuri mysteria, contemplati sunt, inter imperfectos habendi forent; Paulus ipse, qui

tam sæpe sibi Christi labores, mortem, passionem, resurrectionem ob oculos ponit, e perfectorum statu dejiciendus esset: quod quidem quam blasphemum sit, nemo non videt.

Sequeretur 3. Orationem Dominicam, quæ perfectæ orationis est forma, recitari non debere a perfectis contemplativis: scilicet (inquiunt) omnes ad unam orationis Dominicæ petitiones continentur eminenter in actu perfectæ contemplationis; immo si sigillatim illæ petitiones iterentur, impedimento erunt perfecto contemplativorum statui, qui ex Quietistis, totus est circa divinam essentiam in se sumptam; nec circa singularia, licet in se sanctissima, versari potest. Præterea (inquiunt) singularia desideria, singulares petitiones, proprium interesse sapiunt; ac proinde perfectos, qui quolibet interesse spoliati esse debent, ut toti sint Deo, minime decent. Apostoli igitur, licet id a Christo jussi, non potuerunt, quin dejicerentur e perfectorum numero, orationem Dominicam recitare: tota Ecclesia imperfecta est, cum toties & ore ministrorum, & ore omnium fidelium, recitat orationem Dominicam: immo sacra liturgia, in qua tot sunt petitiones singulares, ad imperfectos tantum, non autem perfectos pertinet. Paulus repetebat inter imperfectos, cum eliciebat actum desiderii esse cum Christo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*.

Quod dictum est de petitionibus, locum habet & in gratiarum actione. Si enim actus speciales post elicitum actum puræ fidei circa divinam essentiam, perfectorum statui (ut Quietistæ volunt) adversentur, fideles perfecti jubendi erunt ut a gratiarum actionibus temperent, ne suam cum divina essentia in se sumpta unionem interrumpant: sicque tot præcepta, quibus specialiter injungitur gratiarum actio, tot exempla sanctissimorum hominum, qui tam sæpe speciali ac distinctæ gratiarum actioni sese dederunt, imperfectis tantum, non autem perfectis, documento erunt.

III. Actus reflexos & perspectos convenire, & necessarios esse perfectis, ostenditur ex eo quod contrarium dogma Scripturis & traditioni adversetur. Et sane 1. Scriptura & traditio perfectis etiam hominibus præscribunt, ut attendant ad proprios actus, ut revolvant suæ conscientiæ latebras, ut continuo circa se ipsos vigilent, ut peccata in memoriam revocent, quo illa speciali contritione detestentur: at nullum ex his sine actibus reflexis fieri potest: ergo actus reflexi sunt etiam perfectis hominibus necessarii. 2. Reflexio humanam egestatem & miseriam ponit ob oculos, movetque homines, ut auxilia petant, quibus infinitæ illi egestati, altissimæ illi miseriæ consulatur. 3. Reflexio movet ad gratiarum actionem, ad fiduciam, filialemque timorem, reliquarumque virtutum praxim; non igitur imperfectis tantum, sed etiam perfectis, propria est: Ecclesia filiis suis jubet; ut de incertitudine perseverantiæ usque in finem sæpius cogitent, quo nimirum ad illam, ut par est, petendam excitentur: at id sine actibus reflexis fieri minime potest.

IV. Perfectos debere a Deo petere æternam salutem, & propriam sanctificationem, ostenditur ex eo, quod æterna salus, quæ in Dei perfecta cognitione, & amore perfecto posita est, ab his omnibus, qui ad normam a Christo Apostolis præscriptam orare satagunt, peti debeat & desiderari; nimirum non aliud quam æterna salus, & media quæ ad eam consequendam conferunt, in oratione Dominica petuntur, ut post Cyprianum demonstravit Augustinus in libro de dono perseverantiæ: unde impia est propositio, quæ asserit, perfectos contemplativos debere esse indifferentes circa æternam salutem, circa media quæ ad eam comparandam necessaria sunt. Velle jubemur omne id, quod Deus vult ut velimus: at Deus vult, ut velimus nostram propriam & aliorum hominum salutem; ipse enim pium illud desiderium, bonam illam voluntatem inspirat nobis: nam, Augustino teste, in hæc Apostoli verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, Deus in nobis per suam gratiam efficit, ut nostram & aliorum salutem velimus.

V. Perfectos curare debere de pravis cogitationibus, de motibus inordinatis, qui in animo, & nonnunquam etiam in corpore exoriuntur, ostenditur ex eo, quod Scripturæ id aperte variis modis præcipiunt.

Nam 1. Ideo Scriptura, mentis, & corporis mortificationem etiam perfectis præscribit, ut illius ope aut extinguant, aut saltem comprimant insurgentes libidinis æstus: unde est illud Pauli: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*. 2. Eædem Scripturæ vetant, ne libidini consentiamus: ergo adhibenda est singularis cura, ne alicui libidini consentiamus. 3. Paulus, qui se ipsum, ad Philippenses scribens, inter perfectos recenset, non tanquam indifferentem circa æstuantis concupiscentiæ vim se se gessit, cum Dominum sæpius deprecatus sit, ut a se auferret Angelum satanæ, qui eum colaphizabat. Indifferentes quoque non sunt circa pravos illos motus homines illi, qui licet perfecti sint, jubentur hanc orationis Dominicæ petitionem exprimere: *Ne nos inducas in tentationem*. Sane mirum non est, quod Quietistarum hodiernorum coryphæus Michael de Molinos spurcitiis etiam crassissimis se dederit: cum enim axioma esset apud ipsum, petenda non esse auxilia, quibus fremens concupiscentia comprimatur, justo Dei judicio factum est, ut in illas spurcitias præceps ruerit.

VI. Ani-

VI. Animam quæ perfectionis statum attigerit, quæ purissimum fidei amorem consecuta sit, non posse sine grandi scelere, absoluto & reali sacrificio propriam salutem, cujus privatio non pœnas inferni tantum, sed etiam odium Dei complectatur, Deo offerre, æternæque damnationi consentire, cum persuasum erit ei, sic Dei ferre supremam voluntatem, variis argumentis demonstratur. Siquidem 1. sacrificium illud est rei intrinsece malæ: nempe privatio caritatis, odium Dei, sunt res per se malæ; ac proinde nulla in suppositione animæ, non dico perfectæ, sed nec imperfectissimæ, permitti possunt. 2. Sacrificium de quo agitur, realis est & verus desperationis actus; ac proinde gravissimum est adversus spei virtutem peccatum. 3. Licet ex Sanctis aliqui usi sint terminis, qui in speciem addictioni pœnis favere viderentur, nusquam tamen realiter faverunt; sed argumentati sunt ex suppositione, quam certo judicabant impossibilem: sic hæc Pauli verba: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*, sunt, Chrysostomo teste, argumentum ex suppositione impossibili; ita ut is sit eorum sensus: Si per impossibile (Deus enim cum sit infinite sapiens, & infinite justus, id velle non potest) vellet me a Christo quoad torrentem illum voluptatis, quo potabit electos, separare; si me pœnis æternis, servato tamen sincero in illum amore, addicere vellet, & ea lege mihi fratrum salutem concedere; ejusmodi suavitatis privationem, illum pœnarum sensum, pro salute fratrum eligerem; tanta est mea in illos caritas. 4. Denique licet Deus voluntate, quam *Beneplaciti* vocant, nonnullos pœnis æternis addicere velit, & negare eis singulare perseverantiæ donum; nusquam tamen pro morum nostrorum regula, æterna illa & occulta decreta proposuit nobis; sed unam, quam *Signi* vocant, voluntatem: at ea *Signi* voluntate vult, hoc est, præcipit nobis, ut æternam salutem sincere velimus; ut ab eo per Christi merita semper eamdem æternam salutem speremus; ut media, quæ ad eam comparandam necessaria sunt, ab illo distincte flagitemus.

VII. Hoc Quietistarum principium, Nihil nos unquam agere debere, nisi *per inspirationem*, quam sine aliquorum distinctorum actuum exercitio otiosi expectare debeamus, falsum est omnino: cum enim per inspirationem non intelligant ordinaria gratiæ excitantis auxilia, sine quibus haud dubie nihil quod ad æternam salutem conferat, tentare possumus, juxta illud Evangelii, *Sine me nihil potestis facere*; sed intelligant miraculosam, extraordinariam, & passivam Spiritus Dei impressionem, audiri minime debent. Nam 1. Deus non imperfectos tantum, sed etiam perfectos, passim regit & movet per ordinaria gratiæ excitantis auxilia. 2. Expectare semper miraculosas & extraordinarias impressiones, peccatum est, quod in Scripturis Dei tentatio vocatur. 3. Scriptura & traditio continent innumera exempla sanctorum, qui cum ordinariis gratiæ auxiliis per varios virtutum actus se se excitarunt & cohortati sunt ad currendum in stadio perfectionis; qui proinde extraordinarias divini Spiritus impressiones non expectaverunt.

VIII. Hoc aliud eorum dogma; Non esse curandum de expurgandis per pœnitentiam peccatis venialibus, de deponendo illorum affectu ad frequentem, immo & ad quotidianam Eucharistiæ communionem, falsissimum esse demonstravimus in nostro de Sacramentis tractatu: & hic iterum ex S. Francisco Salesio possumus ostendere; is enim sapientissimus animarum moderator ad Eucharistiæ communionem singulis hebdomadis statuendam exigit, ut quis non solum a peccatorum mortalium perpetratione, verum etiam a vitiosa in culpis veniales affectione, liber sit ac solutus; ac præterea ut cælestem hunc cibum ex caritate vehementer appetat: nempe docet, illud desiderium esse in anima, ut in corporibus esuries, integræ atque optimæ valetudinis argumentum.

Iis, quos hucusque retulimus, erroribus opponenda est 1. Bulla Innocentii Papæ XI. adversus Molinosum, lata Romæ XII. Kal. Decembris ann. 1687. Opponenda est 2. Constitutio in forma *Brevis*, Innocentii Papæ XII. lata die 12. Maji an. 1699. Opponendi sunt 3. quatuor supra triginta articuli adversus Quietistas Issiaci prope Parisios conscripti a tribus doctissimis Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus. Opponenda sunt 4. varia mandata, variæ declarationes plurium Nostratium Episcoporum. Legendi sunt etiam libri editi ab Illustrissimo Meldensium Episcopo, quorum hic est titulus: *Summa doctrinæ, Schola in tuto, Mystici in tuto. Instruction sur les états d'oraison.*

ARTICULUS II.

De Voto.

Not. HOC in articulo quæremus 1. quid & quotuplex sit votum: 2. quænam sint voti materia & forma: 3. quodnam habeat subjectum, seu quinam vovere possint: 4. dicemus de illius effectibus: 5. denique de variis modis, quibus potest mutari.

§. I. *Quid & quotuplex sit Votum.*

CONCLUSIO 1. Votum definitur promissio facta Deo de meliori bono.

Explicatur. Votum dicitur 1. *Promissio*, eo quod sit fidei oppigneratio: 2. *Facta Deo*,

Deo, quia est actus virtutis, quæ dicitur religio: 3. *De bono*, quod nempe de re Deo grata esse debeat, cum votum in illius honorem emittatur: 4. *De meliori bono*, id est, quod majus non impediat; hinc concluditur, nullum fore votum ejus, qui matrimonium voveret.

CONCL. 2. Multiplex est voti divisio.

Probatur. Votum dividitur 1. in absolutum & conditionatum. Illud emittitur absque ulla conditione, istud vero aliquam conditionem præsupponit. Hujus generis sunt, quæ a periclitantibus fieri solent; ajunt enim: Si evasero, ibo visum limina Apostolorum, dabo nomen approbatæ religioni. Vovens non tenetur voto conditionato, nec etiam absoluto, si ad eorum executionem aliquid ab eo independens necessario præsupponatur; sic qui vovit se convolaturum ad Carthusianos; voti liber est, si Carthusiani illum admittere detrectent: e contra qui promisit se daturum nomen alicui religioni approbatæ, nullam in particulari determinans, voto tenetur, ut ait S. Thomas, quamvis ab aliquibus religionibus repulsam passus fuerit.

2. Votum dividitur in Personale, Reale, & Mixtum. Prius est illud, quo persona, vel actio illius vovetur. Alterum, quo nec persona, nec ejus actio, sed ejus tantum res voventur. Tertium denique, quo & persona, vel ejus actio & illius bona promittuntur.

3. Dividitur in Expressum seu Explicitum, & in Tacitum sive Implicitum. Istius speciei est votum continentiæ, quod emittitur ab iis, qui subdiaconi consecrantur: Ejus quoque generis erat olim votum Monachismi, dum scilicet quis habitum monachalem induebat.

4. Dividitur in Perpetuum, quod fit absque temporis limitatione, ut votum castitatis in totam vitam; & in temporale, quod emittitur ad certum, & determinatum tempus; hujusmodi est quo quis abstinentiam a piscibus pro quadragesimali tempore pollicetur.

5. Denique dividitur in Sollemne, & Simplex; Istud, sponsalibus (inquit Basilius de virginitate) illud vero, matrimonio correspondet; unde præter promissionem, (ait Innocentius Papa I. Epistola 2. cap. 12. & 13.) personæ voventis actualem traditionem, & institutas ab Ecclesia sollemnitates includit. Vota sollemnia tria numerantur, ex quibus secundum institutionem Ecclesiæ professio religiosa constat, scilicet vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. Votum paupertatis est quo aliquis possessis & possidendis nuntium remittit, ut instar pauperum vivat absque divitiis, absque splendore, absque superfluis rerum commodis, absque aliqua rei cujuspiam proprietate. Votum continentiæ est illud, quo quis non solum matrimonio renuntiat, sed etiam omni carnali copulæ, & omni carnis inquinamento. Votum obedientiæ est, quo quis voluntati propriæ renuntiat, ut præpositi sui nutibus obtemperet, non simpliciter quidem, sed secundum regulam quam profitetur. Emittunt obedientiæ votum sacerdotes in sua ordinatione; unde jure divino tenentur suis Episcopis morem gerere in iis, quæ ad Ecclesiæ utilitatem spectant, servatis tamen regulis quas jura & leges præscribunt.

§. II. *De materia & forma voti.*

CONCL. 1. Materia voti non est 1. res illicita: 2. nec indifferens: sed est bonum possibile ac liberum.

Probatur prima pars, ex eo quod res illicita Deo displiceat. Hinc Jephte, de quo Judicum 11. qui voverat occisionem ejus, qui primus ei post relatam ex Ammonitis victoriam occurrisset, nec debuit, nec potuit interficere filiam, quæ prior occurrit. Altera pars ex eo colligitur, quod ex re indifferenti nihil Deo gloriæ accrescat. Tertia vero ex eo quod stultum sit ea promittere, quæ penes promittentem nec sunt, nec esse possunt; hinc irritum est votum de non peccando etiam venialiter. 4. Denique ex eo colligitur, quod ea quæ necessario futura sunt, stulte promittantur: hinc quis vovere non potest se moriturum. Possunt tamen voveri ea, quæ jam alio titulo debentur: unde Augustinus docet, impudicum posse castitatem vovere, quamvis aliunde, & naturali & divino jure ad eam tenetur.

CONCL. 2. Forma voti non est voluntas adimplendi, quod promissum est; sed est voluntas promittendi, idest, voluntas proferendi verba eo modo, quo fides solet oppignorari.

Probatur prima pars. Promissio & ejus executio a se invicem distinguuntur; proindeque votum non est positum in voluntate adimplendi, quæ promissa sunt.

Altera pars colligitur 1. ex S. Thoma qui 2. 2. q. 99. art. 4. ad 4. docet, promissionem juratam non solvi per retentionem intentionis. 2. ex eo quod verba, quæ instituta sunt ad significandum mentis conceptum, etiam coram Deo obligent, si voluntarie & serio proferantur. 3. Alioquin fraus & dolus impiis voventibus sæpe patrocinarentur: vota nimirum in fraudem Ecclesiæ fingere possent; quod est absurdum.

§. III. *De iis, qui vovere possunt.*

CONCL. 1. Subjectum voti est homo qui ratione fruitur, & sui juris est.

Probatur prima pars: 1. Ex jure Canonico, quo nulla & irrita declarantur vota emissa ante pubertatis annum, id est, duodecimum completum in puellis, & decimumquartum in viris. 2. Votum est essentialiter voluntaria promissio; hinc pueri, amantes, & furiosi,

& furiosi, voti cujuslibet sunt incapaces: nec immerito, cum votum sit actus virtutis, qui libertatem in operante necessario præsupponit.

Probatur altera pars 1. ex Scriptura. Numerorum 30. mandatur, quod si puella in domo patris sui, & adhuc existens in puellari ætate, quidpiam voverit, rea voti non teneatur, nisi illius pater consenserit; idem quoque de muliere conjugata dicitur; 2. ex eo quod promitti non possit, quod alterius est, quam promittentis, hoc est, quod est in aliena potestate: Ergo in iis, in quibus aliquis subditus est alteri, votum stare non potest. Hinc infertur 1. Monachum vovere non posse horarum, vel precum aliquarum recitationem, quia nullum est tempus, quo Prælatus non possit ei aliquid præcipere, quod cum ejusmodi precibus componi non valeat. Infertur 2. nec uxorem sine consensu viri, nec puellam sine consensu patris aliquid ex iis, quæ ad dispensationem domesticam spectant, posse Deo promittere; quamvis vovere possint ea, quæ ad propriam personam pertinent. Puella enim post expletum pubertatis annum potest vovere castitatem, sicut mulier eamdem vovere potest, sed quam post mariti obitum servatura sit.

Quæres 1. utrum pueri teneantur implere vota, quæ illorum nomine parentes emiserint; nec non heredes vota eorum, quorum facultates adierunt?

Resp. ad primum, negative, si pueri post annum pubertatis emissa pro se a parentibus vota suo assensu non firmaverint. Resp. ad secundum, affirmative, si illa vota sint realia, non autem si personalia extiterint.

Quæres 2. an vota ex metu emissa valeant?

Resp. 1. valere, si metus usum rationis non tollat, & sit a caussa extrinseca: hinc valent vota eorum, qui metu naufragii pium aliquod opus Deo promittunt. Resp. 2. ea valere quoque si metus juste incussus fuerit; hinc voto tenetur mulier lapsa, quæ sororum pœnitentium religioni dat nomen, ut pœnam suo crimini debitam declinet. Resp. 3. non valere si injuste incussus fuerit idem metus, idque ex jure positivo vota sic emissa irritante; si tamen per quinquennium non reclamarit, qui per vim professus est in aliquo monasterio, tenetur reus voti, eo quod silentium illud sit ad votum prius exterius emissum virtualis consensus.

Quæres 3. Quid de votis, quæ quis ex ignorantia emiserit, sentiendum sit?

Resp. ignorantiam culpabilem non eximere a voto: hinc qui temere vovent, rei sunt, si votum non impleant. Resp. 2. ignorantiam inculpabilem liberare a voto: hinc multi monachi non tenentur observare regulam in iis, quæ non sunt contra substantiam votorum, sed tantum tenentur servare eam, prout a piis alioquin monachis observari videbant, dum voverent.

§. IV. *De Votorum effectibus, & modis, quibus mutari possunt.*

CONCL. 1. Multiplices sunt voti effectus.

Probatur enumeratione 1. Vota ligant, Eccl. 5. *Quodcumque voveris, redde;* idque multo magis quam promissio hominibus facta. Hinc mortaliter peccant, qui vota non implent; nisi tamen res promissa parvi sit momenti, ut est recitatio Angelicæ salutationis.

2. Votum efficit, ut actus sit magis meritorius, quia efficit, ut a religione, quæ ceteris virtutibus moralibus præstantior est, imperetur.

3. Si sit sollemne irritum reddit subsequens matrimonium, non quidem jure naturali, sed canonico; ut in commentario nostro historico, & dogmatico de Sacramentis ostendimus.

CONCL. 2. Vota variis modis mutari possunt.

Probatur. Vota mutari possunt per irritationem; per eam enim (ut supra offensum fuit) votum ejus, qui in alterius est potestate, nullum redditur.

1. Per commutationem, qua nimirum voti materia in aliam permutatur; a quolibet quidem, si sit in meliorem; a superiore vero, si sit in inæqualem, aut minorem, juxta hæc S. Thomæ verba 2. 2. q. 88. art. 12. *Prælatus in Ecclesia gerit vices Dei, & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in persona Dei determinet, quid sit Deo acceptum.*

3. Mutari possunt per dispensationem, qua fit, ut id quod erat materia voti, propter novam aliquam circumstantiam desinat esse illius materia; vel quia sit malum, vel indifferens, vel impeditivum majoris boni. *Non est voti dicendus transgressor,* inquit Innocentius Papa III. l. 3. Decretalium, tit. 34. c. 5. *qui quod vovit, auctoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere. Sane significavit nobis Rex Hungariæ, quod, cum in regni perturbatione consilium & auxilium tuum sibi senserit hactenus profuisse, utilitati ejus non modicum derogaret, si Jerosolymam, sicut ex voto teneris, regno pergeres impacato.* Ad hoc ut licita sit tam ex parte dantis, quam ex parte recipientis dispensatio, necesse est, ut fiat ex caussa certo justa, aut saltem de qua dubium est, an justa sit: *Ideo* (ait laudatus Angelicus Doctor, art. 12. q. 88. ad 2.) *in manifestis dispensatio Prælati non excusaret a culpa, puta si Prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis, nulla apparente caussa obstante.* Justæ autem dispensationis caussæ sunt. 1. majus Ecclesiæ bonum. 2. defectus requisitæ considerationis in emissione voti, qui quidem defectus plerumque occurrit in iis, quos vel morbus premit, vel urget metus impendentis gravis alicujus mali-

mali . 3. impossibilitas ex parte materiæ, ut fit in iis , qui ante morbum votum de jejunio emiserunt.

Quæres 1. quinam sit Prælatus , ad quem votorum dispensatio spectat?

Resp. 1. Tria esse vota , in quibus solus Romanus Pontifex , ordinarie , non quidem ex aliquo iure scripto, sed ex consuetudine, quæ æquivalet reservationi virtuali , potest dispensare . Ea autem vota sunt . 1. votum castitatis perpetuæ ; 2. votum dandi nomen religioni approbatæ : 3. votum peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum , ad urbem Hierosolymitanam.

Sed advertendum est 1. in voto peregrinationis hujusmodi, dispensandi facultatem reservatam non esse respectu Episcoporum, qui jure communi utuntur ; sed eorum tantum quibus olim consuetum erat non ex jure communi , seu ex privilegio , dispensare : alicubi tamen usus contrarius invaluit : ideoque servandus . Observandum est 2. circa votum castitatis perpetuæ , Episcopum dispensare posse in aliquibus casibus , nempe si vovens post votum contraxit matrimonium, sive matrimonium fuerit consummatum , sive non ; modo tamen ad Romanum Pontificem facilis aditus non pateat ; si immineat periculum infamiæ, vel incontinentiæ ; si ex injusto metu votum emissum fuerit; si voti conditio nondum impleta fuerit.

Resp. 2. in aliis a mox relatis votis Episcopum posse dispensare , v. gr. a voto Religionis non approbatæ a Summo Pontifice , a voto castitatis non perpetuæ , a voto abstinendi ab usu matrimonii , a voto austerioris Religionis.

Quæres 2. an Romanus Pontifex possit dispensare circa votum sollemne castitatis, seu emissum in approbata per Ecclesiam religione?

Respondet S. Thomas negative , eo quod , inquit , illud votum sit quædam spiritualis consecratio personæ : consecrationes autem tolli non possunt a suis subjectis sine eorum destructione , ut in vase sacro videre est.

Respondet e contra Scotus affirmative : Contendit nimirum , votum sollemne castitatis non differre essentialiter a voto simplici , sed tantum accidentaliter , nempe penes sollemnitatem , quam asserit juris esse Ecclesiastici . Unde concludit quod sicut Ecclesia potest in voto simplici dispensare , ita & in voto sollemni.

QUÆSTIO III.

De Fortitudine.

CONCL. 1. Fortitudo definitur Virtus coercitiva timoris , & audaciæ moderativa imitantibus periculis.

Probatur 1. Fortitudo est virtus specialis, cum specialem honestatem , nempe firmitatem in suscipiendis periculis, & in laboribus tolerandis constantiam includat. 2. Dicitur virtus *coercitiva timoris* , impedit nimirum , ne periculorum timor mentem perturbet , aut voluntatem ad aliquid indecorum determinet. 3. Dicitur quoque *moderativa audaciæ* , eo quod comprimat temeritatem ; efficit nempe , ne quis plus tentet , quam suadet recta ratio . 4. Ubi nulla sunt pericula locum non habet fortitudo , cum circa specialem difficultatem superandam versetur.

CONCLUSIO 2. Objectum materiale fortitudinis sunt pericula & labores , formale vero est difficultas superandi pericula & tolerandi labores.

Probatur prima pars ex eo quod fortitudo circa pericula , & labores tota versetur , ut supra dictum est . Altera vero pars ex dictis quoque sequitur ; in periculis nimirum adeundis, & tolerandis laboribus , fortitudo difficultatem specialiter attingit.

CONCL. 3. Subjectum immediatum fortitudinis est voluntas prout est appetitus sensitivus irascibilis.

Probatur ex eo quod fortitudinis virtus resideat in anima , prout tendit ad bonum arduum , fugitque grave aliquod malum . Sed anima sic considerata , est idem cum appetitu sensitivo irascibili. Ita sentiunt Philosophi, qui animæ potentias ab ipsa realiter non distinguunt.

CONCLUSIO 4. Fortitudinis actio duo sunt , Aggressio , & Perpessio.

Probatur . Ratio nonnunquam exigit , ut qui bonum impugnant, arceantur : At arceri non possunt , nisi per aggressionem , quæ fortis sit ac prudens . 2. Necesse est, ut sustineantur incommoda , quæ virum virtute præditum sæpius premunt : proindeque opus est illi perpessionis actu.

Quæres, in quo ex mox relatis actibus major emineat fortitudo?

Respondet S. Thomas , perpessionem esse actum aggressione præstantiorem . Ratio est, quia difficilius est stare immotus in periculis, quam ipsa adire pericula . Nec mirum; malum enim præsens magis movet , quam futurum . Ex illo principio S. Doctor concludit , martyrium esse fortitudinis actum præstantissimum; quippe quod non in aggressione , sed in perpessione totum positum sit.

CONCLUSIO 5. Quatuor sunt virtutes Fortitudini annexæ , Magnanimitas nimirum , Magnificentia , Patientia , Perseverantia.

Probatur . Quatuor illæ virtutes in rebus difficilibus ad fortitudinis exercitium requiruntur . Nam 1. ex parte Aggressionis , necesse est, ut vir fortis magno sit animo, ut ardua intrepide tentet ; illum autem animum Magnanimitas tribuit . Requiritur quoque , ut non deficiat , cum difficilia mandat executioni ; proindeque ei opus est Magnificentia , quæ de-

definitur virtus magnorum operum effectiva. 2. Ex parte Sustinentiæ seu Perpessionis requiritur, ut animus difficultate malorum præsentium per tristitiam non frangatur: at ea in malis constantia non habetur, nisi per patientiam. 3. Tandem requiritur, ut vir fortis ex sua constantia, diuturniori difficilium passione victus non excidat: sed id habet tantum per perseverantiam. Ergo Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia sunt quatuor virtutes, quæ fortitudini annexæ sunt. Vide apud S. Thomam fusius pertractata, quæ hic de fortitudine, annexisque illi virtutibus a nobis compendiose tradita sunt.

QUÆSTIO IV.

De Temperantia.

Not. HIC dicemus 1. de essentia & objecto Temperantiæ: 2. de variis illius speciebus: 3. de virtutibus ei annexis: 4. de jejunio, quod ad eam tanquam effectus ad caussam reducitur.

CAPUT PRIMUM.

De essentia & objecto Temperantiæ.

CONCL. 1. Temperantia definitur, Virtus quæ moderatur usum rerum, quæ ad delectationem movent.

Explicatur definitio. Temperantia 1. dicitur *moderari*, non vero omnino *tollere* omnem usum delectabillium: peccaret nimirum contra rationem, qui nec cibo, nec potu uti vellet; peccaret pariter conjugatus, qui debitum reddere detrectaret. 2. Dicitur moderari *usum*, non vero *affectum* seu amorem delectabilium; amor quippe delectabilium propter se rectæ rationi repugnat, cum ratio doceat, in omnibus operibus deliberatis quærendam esse honestatem. 3. Temperantia dicitur moderari usum rerum, quæ *sensus ad delectationem movent*, eo quod id, quo omnes etiam spirituales actus humani in debita mensura continentur, non sit habitus specialis, ut est Temperantiæ virtus; sed conditio essentialis cuilibet virtuti morali, cum sit de illius essentia, ut in mediocritate consistat.

CONCL. 2. Objectum materiale Temperantiæ sunt omnes delectationes corporeæ, sed præsertim eæ quæ ex cibo, potu, rebus venereis percipiuntur: Objectum vero formale, est earumdem delectationum usus honestus.

Probatur prima pars. Temperantia circa omnes delectationes sensuum versatur; est enim in illorum usu specialis superanda difficultas, cum sit periculum, ne homo illis aut utatur præter mensuram, aut propter finem indebitum.

Altera pars patet ex eo, quod cibus, potus, rei venereæ usus, intensiorem & fortiorem excitent sensationem in anima, quam ceteræ res delectabiles. Tertia tandem pars colligitur ex eo, quod Temperantia non ad aliud inclinet, quam ad delectabilium usum honestum, seu rationi consentaneum: per hoc enim a ceteris virtutibus cardinalibus differt. In quo autem positus sit ille usus honestus, docet Augustinus libro de moribus Ecclesiæ cap. 21. ubi sic loquitur: *Habet vir temperans in rebus mortalibus, & fluentibus, vitæ regulam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu.*

CAPUT II.

De variis Temperantiæ speciebus & virtutibus illi annexis.

CONCL. 1. quatuor sunt Temperantiæ species, Castitas, Pudicitia, Abstinentia, & Sobrietas.

Probatur. Multiplicantur generis alicujus species secundum diversa specie objecta, quæ ab illo genere attinguntur: Sed temperantia quatuor objecta specie diversa attingit; 1. enim moderatur actum conjugalem, 2. actiones quæ ad illum ordinantur, ut sunt tactus, & oscula: 3. delectationes quæ ex alimentis percipiuntur; 4. delectationes ad quas potus movet. Castitas est species temperantiæ consideratæ secundum priorem respectum; pudicitia secundum alterum: abstinentia secundum tertium: & sobrietas secundum quartum.

Quæres, quotuplex sit castitatis status?

Resp. triplicem esse, conjugalem nempe, vidualem, & virginalem. Castitas conjugalis est donum Dei, quo venereorum usus intra conjugii limites coercetur. Libido quæ in illo usu reperitur, mala est; unde ejus experimentum voluntarium illicitum est, nisi fine honesto compensetur, generatione scilicet filiorum, & debiti redditione. Immunis non est conjugalis castitas a variis ærumnis: scilicet conjugatos carnis tribulationem pati, docet Apostolus 1. ad Corinth. 7. Posita est autem tribulatio illa carnis in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis nutriendisque filiis, in timoribus & mœroribus orbitatis, &c.

Vidualis castitas est Dei donum, quo quis in perpetuum respuit veneris illecebras, quas expertus est sive licite sive illicite: qui enim vult nubere, corpore viduus est, non animo.

Virginalis castitas definitur, donum Dei, quo quis animæ & corporis integritatem Deo consecravit. Non amittitur per quodlibet experimentum venereæ voluptatis; potest quippe contingere, ut virgo sit quæ voluptatem veneream passa sit, sive dormiendo, sive per violentiam barbaricam, ut

ut ait August. lib. 1. de Civit. Dei, c. 25. Sed, teste eodem Augustino, servata etiam corporis integritate, deperditur ab eo qui vel semel venereæ voluptati consensum præbet: Neque enim (ait S. Doctor) virgo est, quæ ad deceptorem suum vitianda pergit.

CONCLUSIO 2. Tres sunt virtutes, quæ temperantiæ sunt annexæ, mansuetudo, clementia, & modestia.

Probatur 1. auctoritate S. Thomæ, qui tres illas virtutes ad temperantiam reducit 2. Illæ virtutes annexæ sunt temperantiæ, quæ in objectis, circa quæ versantur, imitantur modum, quem temperantia circa propriam materiam servat: Atqui mansuetudo, clementia, & modestia modum illum imitantur: Sicut enim temperantia comprimit passiones, quæ sunt circa delectabilia, ita mansuetudo, clementia, & modestia iis modum præscribunt, quæ sunt circa actiones externas. Mansuetudo quippe sic iram coercet, ut non sinat eam exurgere, nisi cum oportet, & sicut oportet, seu ea mensura ac ordine, quibus fuerit necessarium. Clementia vindictam refrænat, ne scilicet exsiliat extra fines debitos, nonnihilque minuit ex pœna quæ reo debetur. Modestia modum statuit, quem quis servare debeat in humanis affectibus & actibus externis, cujusmodi sunt corporis gestus, cultus, vestitus.

Quæres 1. num mulieres peccent exterioribus cultu & ornatu, quem præseferunt?

Respondet S. Thomas 2. 2. qu. 169. art. 2. his verbis: *Potest mulier licite operam dare ad hoc quod viro suo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur ... Et ideo si mulier conjugata ad hoc se ornet, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum, quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et, si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant: Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio, quantum ad hoc, est de viris.* Hactenus S. Doctor.

Respondet his verbis ad idem quæsitum S. Carolus in instructionibus, quas pro Confessariis edidit: *Si quis vestitu splendidiore induitur, vel eo se ornat ob finem peccati mortalis, utique mortaliter peccat. 2. Qui sumptuosi vestimenti gratia vel ipse delinquit, vel alii ejus nomine præceptum Domini vel Ecclesiæ transgrediuntur. 3. Si caussam præstet conjugi, .. ve ad quos spectat ejus sustentatio, ut plusquam privatæ opes ferunt, in vestitum impendant. 4. His adde eos, qui ornatus gratia, non sine peccato mortali supersedent eleemosynis necessariis, aut legata pia non exequuntur; aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt. 5. Qui pro veste mercedem operantis denegant solvere, vel differunt. 6. Qui ære alieno sic se obruunt, ut cum tempore, solvendo pares non sint futuri. 7. In hoc ordine ponendi sunt, qui ut se splendide vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt. 8. Qui ita se exhauriunt, ut filias, cum ad ætatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint. 9. Non solum mortaliter peccatur, cum factæ expensæ in vestes, ordinem & facultates domesticas excedunt, verum etiam peccatum committitur in modo se se exornandi. Quid enim si ornatus ad lasciviam pertrahat, ut revera per se pertrahunt mulierum reserati sinus, detecta contra modestiam brachia, cæteraque ejusmodi corporis nuditates?*

CAPUT IV.

De Jejunio.

Not. Quæremus hic 1. utrum jejunium sit aliquo jure præceptum: 2. utrum omnes jejunii lege teneantur: 3. an unica in die refectio ad jejunium requiratur: 4. qua diei hora jejunium frangere liceat: 5. an jejunantes, carnibus, ovis, lacticiniis convenienter interdicantur.

ARTICULUS I.

Quo jure jejunium præcipiatur, & quinam ad illud teneantur.

CONCL. 1. Jure naturali & Ecclesiastico jejunium præcipitur.

Probatur prior pars ratione S. Thomæ. Jure naturali quisque tenetur satisfacere pro peccatis præteritis, temperare a futuris, & spiritualia meditari. Ergo si ad ea necessarium sit jejunium, ut est aliquorum hominum respectu, jure naturali præcipitur.

Probatur altera pars ex variis legibus, quas Ecclesia de jejunio sancivit, quasque in jure canonico legere est. Eæ autem leges, licet humanæ, fideles in conscientia ligant, ut harum Instit. tomo 1. ostensum est.

Quæres, quænam tempora jejuniis Ecclesia destinarit?

Resp. 1. destinatum fuisse Quadragesimale tempus ex traditione Apostolica. Ratio est, quia Quadragesimale jejunium quovis sæculo observatum fuit a fidelibus, nec illius initium aliquo in Concilio reperitur: ab Apostolis igitur fuit determinatum, juxta regulam, quam Augustinus tradit Epist. 118.

Resp. 2. quatuor anni tempora, quæ Ministrorū con-

consecrationem præcedunt, merito fuisse jejuniis destinata, tum ut singulæ anni partes pœnitentiæ consecrentur, tum ut pio illo opere moveatur Deus, ut optimos in messem suam operarios mittat.

CONCL. 2. Omnes fideles jejunii lege tenentur, nisi tamen adsit justa caussa quæ ab ea lege quempiam eximat.

Probatur prima pars ex eo, quod leges feruntur secundum quod multitudini conveniunt. Unde legislator in eis statuendis attendit id quod communiter & in pluribus accidit.

Probatur altera pars ex eo, quod mens legislatoris humani non sit ad ea obligare, quorum executionem æqua ac rationabilis caussa impedit. Unde tunc iis in casibus non ligat jejunii lex, in quibus legislator eam non tulisset, si menti casus hujusmodi occurrissent.

Quæres, quinam lege jejunii eximantur?

Resp. a lege communis jejunii immunes esse 1. pueros usque ad tertium septennium: *Quamdiu* (inquit S. Thomas) *sunt in statu augmenti, quod est ut in pluribus usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus secundum modum suæ ætatis.* Dictum est in responsione, pueros eximi a lege *communis* jejunii, non vero specialis, quod ipsis etiam pueris præcipitur, ut magna, quæ impendet, calamitas avertatur: *Quandoque tamen* (inquit Angelicus Doctor) *magna tribulatione imminente, in signum pœnitentiæ arctioris etiam pueris jejunia indicuntur.*

2. Peregrinantes & operarii eximuntur a lege jejunii, cum tantus est eorum labor, ut sine valetudinis detrimento observari non possit; si tamen iter susceptum fuerit voluptatis caussa, aut labor differri possit sine detrimento, nec peregrini, nec artifices jejunii lege liberantur. *Dicendum* (inquit S. Thomas) *quod circa peregrinos & operarios distinguendum videtur, quia si peregrinatio & operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis & exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda.* Hinc colligitur, Ecclesiasticæ legis reos esse Pictores, Tonsores, Sutores, aliique hujus generis artifices, quorum gravia non sunt opera, cum non jejunant. Ejusdem peccati consciæ sunt mulieres, quæ non jejunant, quod capite (ut ajunt) nonnunquam laborent; quod non dormiant, si incœnatæ decumbant; & a fortiori, quod e sua forma exteriori, quam depereunt, per jejunium excidant. Nec aut molliores Confessarii, aut impii Medici, qui illis lenocinantur, eas in foro conscientiæ tutas efficiunt.

3. Jejunii lege liberantur pauperes qui ostiatim victum quærunt, quod nempe ipsis cibi ad unam, quæ honesta sit, refectionem satis non sit. *Pauperes* (ait S. Thomas) *qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiæ, a quibus tamen excusari videntur illi qui frustratim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat.*

4. Mulieres prægnantes, aut nutrices, lege jejuniorum eximuntur; ne scilicet jejunium fetui, aut parvulo lactenti noceat.

Quæres 2. num quisque se ipsum a jejunio eximere valeat, cum caussam adesse judicat?

Respondet S. Thomas his verbis: *Si caussa sit evidens, ut est gravis morbus, aut opus valde laboriosum, per se ipsum licite potest homo statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facili recursus ad Superiorem haberi. Si vero caussa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi.*

ARTICULUS II.

An unica in die refectio ad jejunium requiratur, & qua hora solvi possit.

CONCLUSIO 1. Unica in die refectio ad jejunium requiritur.

Probatur. Id in jejuniis semper fuit observatum, tum apud Latinos, tum apud Græcos, ut unica in die refectio sumeretur. Illius usus meminit S. Thomas 2. 2. quæst. 146. art. 6. ubi sic loquitur: *Ecclesiæ moderamine statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur.*

Hanc rationem reddit S. Doctor, quod nempe unica comestione concupiscentia refrænetur quidem, sed tamen naturæ infirmitati consulatur. Eidem consuetudini patrocinatur lis, quam sæculo undecimo Latini Græcis intentarunt, quod serotinis horis cœnulam ex herbis & fructibus pararent.

Objicies 1. Aliquibus ab hinc sæculis usus apud Latinos invaluit, ut sub vesperam præter solitam hora meridiana comestionem, serotinis horis cœnula utantur: ergo altera comestione jejunium non solvitur.

Resp. cœnulam illam tolerari ab Ecclesia, cujus quidem multis sæculis firmata consuetudo, optima est legum interpres. Sed monendi sunt fideles, eam cœnulam debere esse parcissimam, quippe quæ adhibeatur ad refrigerium potius quam ad sustentationem: unde S. Carolus hunc illius modum figit, Act. Mediol. pag. 812. *Semel tantum in die post meridiem cibum capiant. Quod si aliquid alicui amplius erit, vesperi panis unicam cum dimidia & vini poculum capere liceat.*

Hinc

Hinc concluditur 1. ferri non debere hoc cujusdam recentioris assertum: nempe *ad collationem serotinam posse licite sumi quartam partem eorum, quæ jejunanti sufficerent ad prandium, seu justam refectionem cujuscumque cibi, seu panis, seu fructuum, seu piscium.*

Colligitur 2. non accurate servari jejunii leges ab iis qui hauriunt in cœnula juscula ex iis expressa, quæ maxime nutriunt, quæque propter spiritus, quibus abundant, multæ ciborum copiæ adinstar sunt.

Objicies 2. Aliquorum Casuistarum dogma est, non frangi jejunium per iteratas in die plures cœnulas: ergo &c.

Resp. proscriptam fuisse illorum Casuistarum doctrinam, quippe quod subsequentem propositionem Alexander Papa VII. damnaverit: *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etiamsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Objicies 3. Electuariis pluries in die uti licet absque jejunii dispendio, ut his verbis docet S. Thomas: *Non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio.* Idem S. Doctor asserit, potum post & ante sumptam comestionem, jejuniorum diebus nequaquam prohiberi; sic enim loquitur: *Non intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus ... Et ideo licet pluries jejunantibus bibere.*

Resp. supponere S. Doctorem electuaria ebibi in pacissima quantitate & cum necessitate, ita ut sint loco medicinæ decoquendis cibis necessariæ: hæc enim habet: *Etsi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Unde colligitur, peccare contra jejunii legem eos omnes, quibus electuaria ad ciborum decoctionem non sunt necessaria.

Resp. ad secundum, S. Thomam de eo tantum potu loqui, qui parum nutrit, ut est aqua, quique (ut ipsemet loquitur) non ad nutritionem, sed ad alterationem corporis & digestionem ciborum assumptorum assumitur. Hinc patet, eos a S. Doctoris mente alienos esse, qui censent, hausto pluries vino, etiam usque ad ebrietatem, peccari quidem contra virtutem temperantiæ, non vero contra jejunii leges.

CONCL. 2. Non licet solvere jejunium nisi circiter horam meridianam, seu juxta antiquum Romanum computum, ante horam sextam aut circiter.

Probatur ex eo quod sic ferat, quæ nunc servatur, Ecclesiæ consuetudo: quæ quidem ab antiquo more plurimum dissita est, cum certum sit, majores nostros aut ad solis occasum, aut ad horam nonam, quæ tertia est pomeridiana, suum jejunium protraxisse. *Hactenus* (inquit S. Bernardus serm. 3. de Quadragesima) *usque ad horam nonam jejunavimus soli. Nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi, Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles, & ignobiles, simul in unum dives & pauper.*

Ex his patet, decipi eos, qui jentaculum matutinis horis adhibent, & comestionem amplissimam sub vesperam parant.

Patet 2. plerasque mulieres ex jejunio parum fructus percipere: quamvis enim ipsum ante meridiem non solvant, nec quoad illud caput peccent contra Ecclesiasticam legem, toto mane indulgent somno, proindeque nihil debilitationis, aut mortificationis eis accidit ex jejunio, sicque Ecclesia in iis mulieribus fine suo, libidinem nempe per carnis mortificationem comprimendi, frustratur.

ARTICULUS III.

Quibus cibis jejuniorum diebus uti liceat.

CONCL. Jejunantes, carnibus, ovis, ac lacticiniis interdicuntur.

Probatur ex Ecclesiæ legibus, quas fusius pertractatas legere est apud Thomassinum nostrum libro accuratissimo ac doctissimo, quem de jejuniis conscripsit. Nec illæ leges per non usum evanuerunt, ut colligitur ex hac propositione, quam Alexander Papa VII. damnavit: *Non est evidens, consuetudinem non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obligare.*

Probatur 2. ratione Sancti Thomæ. *Jejunium* (inquit art. 8.) *ab Ecclesia institutum est ad reprimendas concupiscentias carnis: quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis & venereis. Et ideo illos cibos jejunanti interdixit, qui & in comedendo maxime habent delectationem, & iterum maxime ad venerea provocant*; hujusmodi autem esse carnes, ova, ac lacticinia, S. Doctor contendit.

Quæres, an qui, urgente publica aliorum ciborum inopia, ab Episcopo dispensantur, ut jejuniorum diebus carnes manducent, an (inquam) a jejunii lege liberentur?

Resp. negative. Ratio est, quia ii qui dispensantur, ut ovis ac lacticiniis utantur, non ob id censentur eximi a jejunii lege: ergo nec ii quibus indulgetur, ut carnibus utantur. Præterea Ecclesia & jejunium & abstinentiam a carne prohibet: at is cui duplex opus impositum est, & qui uno ex iis per dispensationem liberatus est, non censetur alio liberari.

De jejunio, & cautionibus in illius dispensationibus concedendis, legenda sunt quæ S. Carolus in Conciliis Mediolanensibus statuit; legi quoque debet Instructio Pastoralis de quadragesimali jejunio, quæ ab Eminentissimo Cardinale DE NOAILES, Archiepiscopo Parisiensi, hocce anno 1702. promulgata est.

DISSERTATIO SEXTA.

De peccatis in genere.

Not. IN hac dissertatione agemus 1. de essentia peccati: 2. de illius objecto: 3. de illius subjecto: 4. de caussis illius: 5. de mutua ab invicem peccatorum distinctione: 6. de connexione quam inter se habere possunt: 7. de illorum inæqualitate: 8. de illorum effectibus: 9. de varia illorum divisione: 10. Cleri Gallicani de peccatis doctrinam proponemus. Itaque dissertatio hæc decem quæstiones complectetur.

QUÆSTIO I.

De essentia peccati.

Not. CUM rei essentia in illius definitionibus posita sit, hic, ut peccati essentiam explicemus, operæ pretium est, ut varias illius definitiones a Patribus traditas proponamus.

CONCLUSIO 1. Peccatum in genere, recte definitur, Inordinatus sui & creaturarum amor.

Probatur ex Augustino, qui lib. 14. de Civitate Dei, cap. 28. sic loquitur: *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: cælestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* Unde sic arguitur: Virtus, ex Augustino, posita est in amore Dei usque ad contemptum sui: ergo a contrario peccatum est amor sui usque ad contemptum Dei. Præterea, ex eodem Augustino, virtus non aliud est, quam ordo amoris, seu amor ordinatus: ergo a contrario, peccatum nihil aliud est, quam amor inordinatus.

Quæres, in quo posita sit amoris inordinatio?

Resp. positam esse in eo, quod aut diligantur quæ diligenda non sunt, aut non eo ordine diligantur quo sunt diligenda, aut ut utamur fruendis, aut utendis fruamur: quænam autem sint res quibus uti debemus, & quænam sint quibus fruendum est, seu quænam sint quæ propter alias amare debemus, & quænam quæ propter seipsas amari debent, docet Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 3. ubi sic loquitur: *Res ergo aliæ sunt, quibus fruendum est; aliæ, quibus utendum est; aliæ quæ fruuntur & utuntur. Illæ, quibus fruendum est, beatos nos faciunt* (Pater nimirum, Filius, & Spiritus Sanctus, ut ibidem asserit Augustinus); *istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem, adjuvamur, & quasi adminiculamur, ut ad illa quæ nos beatos faciunt, pervenire atque inhærere possimus.*

Quæres 2. utrum illa definitio conveniat omni & soli peccato?

Resp. affirmative. Et quidem convenit 1. peccato personali, quod quidem cum sit actualis, aut habitualis conversio ad creaturam, est actualis, vel habitualis sui aut alterius creaturæ amor inordinatus. Convenit 2. peccato originali; ideo enim infantes, quibus nondum remissum est, sunt in statu peccati, quod habitualiter, inordinate, utpote amore prædominanti, seipsos diligant. Convenit 3. peccato, sive mortali, sive veniali. De mortali quidem id evidens est: de veniali vero facile probari potest: licet enim homo per peccatum veniale finem suum simpliciter ultimum, hoc est, finem ultimum totius vitæ, in creatura non constituat: constituit tamen finem ultimum secundum quid, hoc est, finem operis alicujus particularis, cum operi illi amore inhæreat, nec ad Deum, ut par est, illud referat.

CONCL. 2. Peccatum recte definitur: *Factum, dictum, vel concupitum contra æternam Dei legem.*

Probatur 1. ex Augustino, a quo conceptis terminis libro 22. contra Faustum, c. 27. traditur illa definitio. 2. Definitio illa convenit omni peccato materialiter sumpto: siquidem peccatum perficitur, vel opere, vel ore, vel mente, ac proinde materialiter sumptum, est vel factum, vel dictum, vel concupitum. Convenit quoque peccato sumpto secundum formale, hoc est, secundum malitiam quam includit: in eo nimirum posita est actus alicujus malitia, quod sit contra æternam Dei legem, id est, adversus legem quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.

Objicies 1. Ex Augustino lib. 1. Retract. c. 1. peccatum sola voluntate committitur: ergo peccatum non est factum, vel dictum, sed concupitum tantum.

Resp. dist. ant. Sola voluntate committitur, hoc est, non est peccatum, si non sit voluntarium, conc. ant. sola voluntate committitur, hoc est, non perficitur alio, quam voluntate, neg. ant. Ipse nimirum Augustinus non semel meminit peccati operis, oris, & cordis.

Objicies 2. Peccatum originale non est aut factum, aut dictum, aut concupitum; neque enim infantes, quibus nondum per baptisma remissum est, capaces sunt aut facti, aut dicti, aut concupiti: ergo allata definitio non convenit omni peccato.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Infantes per propriam voluntatem non sunt capaces alicujus vel facti, vel dicti, vel concupiti, conc. ant. per alienam voluntatem, Adami nimirum in quo peccaverunt, neg. ant. *Peccatum originale* (ait Augustinus lib. 1. Retractationum, c. 13.) *voluntarium dici poterit in parvulis, quia ex primi parentis voluntate contractum est, factumque quodam modo hereditarium.*

Objicies

Objicies 3. Peccatum omissionis, est peccatum stricte ac proprie dictum: atqui allata definitio non convenit peccato omissionis; quod quidem tantum abest, ut sit factum, vel dictum, vel concupitum, quin e contra sit omissio aut facti, aut dicti, aut concupiti: ergo allata peccati definitio non valet, cum definitio omni definito convenire debeat.

Resp. ad 1. conc mai. neg. min. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia (ut Logici docent) affirmatio & negatio ad idem genus reducuntur: unde qui dicit peccatum esse factum, vel dictum, vel concupitum, implicite complectitur omissionem facti, vel dicti, vel concupiti.

Objicies 4. Non est de essentia peccati, quod sit contra legem æternam: ergo immerito dicitur quod peccatum sit factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam Dei legem. Probatur ant. Sunt actus aliqui, qui independenter ab æterna Dei lege sunt peccata, ut patet in odio Dei & in mendacio; quæ quidem sunt intrinsece mala, etiamsi considerentur in instanti rationis ante æternam Dei legem: ergo, &c.

Respondent nonnulli Thomistæ, odium Dei, & mendacium, in illo, quod supponitur, rationis instanti, non esse mala formaliter (ut vocant), sed tantum materialiter & fundamentaliter: in illo nimirum instanti (inquiunt) opposita sunt divinis perfectionibus, divinæ scilicet bonitati, & incommutabili illius veritati.

Respondent alii, quibus subscribimus, ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. odium Dei, & mendacium, esse in instanti rationis ante æternam Dei legem peccata.

Ratio est, quia in illo instanti odium Dei, & mendacium non sunt contra regulam, non sunt contra rectum ordinem; cum ante legem æternam, nulla sit agendorum regula, nullus rerum ordo: ipsa enim est prima agendorum regula, ipsa est quæ ordinem naturalem constituit, jubet conservari, ac perturbari vetat.

Instabis. Augustinus lib. 1. de libro arbitrio cap. 3. approbat, quod Evodius dicit; Adulterium non ideo malum, quia prohibitum, sed ideo prohibitum, quia malum: ergo quidam sunt actus, qui in instanti rationis, ante legem æternam considerati, sunt peccata.

Resp. dist. ant. Non ideo malum, quia prohibitum lege positiva, conc. ant. quia prohibitum lege æterna, neg. ant. Scilicet Sanctus Augustinus agit eo loci de legibus humanis: unde quærens adhuc c. 3. & 4. cur malum sit, respondet, ideo malum esse, quia libidine fit, id est, amore rerum, quas quisque invitus amittere potest; libidinem vero asserit ideo malam esse, quia discordat ab æterna lege, qua nimirum justum est, ut omnia sint ordinatissima.

Instabis iterum. Si Deus mendacium, aut libidinem non prohiberet æterna lege, adhuc tamen mendacium & libido essent in se mala: &c.

Resp. in ea suppositione mendacium & libidinem non fore mala, quia contra morum regulam non fierent; sicut enim linea curva esse non posset, si nulla esset rectitudo, a qua declinare posset; ita nec esset peccatum, si nulla esset lex a qua deficeret. Ex simili & falsa suppositione Augustinus in libro 3. de libero arbitrio, cap. 20. contendit, quod si concupiscentia & ignorantia a Deo essent, Deus non foret culpandus, sed laudandus: *Si* (inquit) *difficultas*, id est, infirmitas agendi bonum, quæ oritur ex concupiscentia, *& ignorantia, essent primordia naturæ, non esset culpandus, sed laudandus Deus:* Scilicet in ea falsa suppositione obsequi concupiscentiæ non esset peccatum; ac proinde Deus, si concupiscentiam indidisset homini, non foret auctor peccati.

QUÆSTIO II.

De materiali, formali, & subjecto peccati.

CONCLUSIO I. Materiale peccati est quilibet actus humanus, formale vero est privatio debitæ rectitudinis.

Probatur prima pars. Illud est materiale peccati, ex quo peccatum physice constat: atqui peccatum physice constat ex actu humano; immo essentialiter est actus humanus, cui (ut mox dicetur) deest debita rectitudo: ergo actus humanus est materiale peccati.

Objicies 1. Peccatum omissionis est peccatum stricte sumptum: sed actus humanus non est illius materiale: siquidem excludit omnem actum, & in hoc differt a peccato commissionis; ergo materiale peccati non est actus humanus.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Peccatum omissionis excludit omnem actum a lege præceptum, conc. ant. omnem actum simpliciter, neg. ant. Hoc est, peccatum omissionis jejunii v. g. excludit quidem actum externum jejunii, lege præscriptum, sed non excludit actum, per quem eligitur omissio jejunii.

Probatur altera pars ex dictis superius de actuum humanorum malitia, quam quidem in mera debitæ rectitudinis privatione essentialiter esse positam asseruimus: Rectitudo autem illa, cujus peccatum est privatio, non est aliud, quam conformitas actus cum regulis morum, ut agentes de bonitate actuum humanorum suo loco diximus.

Objicies 2. Materia debet esse indifferens ad quamlibet formam, hoc est, debet per se esse apta ad recipiendam quamlibet formam: atqui datur aliquis actus humanus, qui non

non est indifferens ad quamlibet formam moralem, seu & ad bonitatem, & ad malitiam; neque enim malitia potest inesse actui quo Deus amatur: ergo actus humanus non est materiale peccati.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Actui, quo Deus diligitur, non potest inesse malitia reduplicative, & specifice, prout est amor Dei, conc. ant. generice, & prout est actus humanus simpliciter, neg. antecedens: hoc est, amor Dei secundum suum genus, id est, prout est actus humanus deliberatus, indifferens est ad malitiam & bonitatem; ac proinde nihil impedit quin in omni peccato se se per modum materialis habeat.

Probatur altera pars ex dictis superius de malitia actuum humanorum, quam quidem in mera debitæ rectitudinis privatione essentialiter esse positam asseruimus. Rectitudo autem illa, cujus peccatum est privatio, non est aliud, quam conformitas actus cum regulis morum, ut agentes de bonitate actuum humanorum suo loco diximus.

CONCL. 2. Qualibet creatura rationalis, quam Deus nondum in bono confirmavit, est subjectum peccati.

Probatur. Nulla unquam creatura rationalis extitit hactenus, aut aliquando futura est, quæ in via non possit non peccare, immo quæ actu non peccaverit, una excepta Virgine Deipara, quam, propter singulare privilegium ei concessum, nusquam actu peccasse, tenet Mater Ecclesia.

Quæres, num peccatum in anima, aut in ejus potentiis immediate recipiatur?

Resp. In peccato duo esse distinguenda, materiale scilicet & formale. Primum, cum sit actus, habet pro subjecto immediato potentiam a qua emanat; sic hæresis, cum dicat errorem, licet includat consensum voluntatis, immediate recipitur in potentia, ad quam spectat veritatis cognitio, hoc est, immediate recipitur in intellectu. Formale peccati, cum sit (ut dictum est) mera debitæ rectitudinis privatio, ipsomet actu recipitur.

QUÆSTIO III.

De caussis peccati.

Not. PEccati causæ sunt duplicis generis, nonnullæ enim sunt internæ, ignorantia nimirum & concupiscentia: aliæ vero externæ, mundus nempe & diabolus; de singulis illis caussis breviter hic a nobis est agendum, & quærendum præterea, utrum Deus sit caussa efficiens, seu physica, seu moralis, peccati.

CAPUT PRIMUM.

Utrum ignorantia, & concupiscentia sint caussa peccati.

CONCL. 1. Ignorantia aliquando est caussa peccati.

Probatur. Quod respectu peccati se habet per modum removentis prohibens, est caussa peccati; ideo enim qui evertit columnam, qua nititur ædificium, est caussa ruinæ ædificii, quod removeat prohibens, ne ædificium corruat: atqui ignorantia respectu peccati se habet per modum removentis prohibens; removet nimirum cognitionem, quæ si adesset, voluntas ad actum qui a parte rei est contra legem non ferretur, juxta illud Apostoli: *Si cognovissent, Dominum gloriæ nunquam crucifixissent.*

Quæ autem ignorantiæ species sint caussa peccati, & quæ ipsa sit peccatum, jam ex parte exposuimus iis locis, ubi expendimus, quænam augeant, minuant, tollant voluntarium: ac præterea de eo quæstio occurret inferius, ubi de singulis peccati speciebus dicetur.

CONCL. 2. Conscientia est caussa peccati.

Probatur 1. ex c. 1. Epistolæ Canonicæ Jacobi: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus; concupiscentia vero cum conceperit, parit peccatum.* 2. Concupiscentia nihil aliud est, quam propensio, quæ post peccatum unicuique inest fruendi se ipso & creaturis aliis, seu amor inhærendi sibi, aut cuivis alteri creaturæ; atqui propensio illa est caussa peccati: movet enim ad id, quod per se malum est, seu ad fruitionem creaturarum, quæ quidem est mala, cum lex æterna jubeat, ut Deo solo fruamur, ceteris vero utamur tantum.

Quæres, quot modis mens se se circa concupiscentiæ motus habeat, & quandonam eis suum consensum præbere censeatur?

Resp. varios esse motus mentis circa objecta, ad quorum amorem a concupiscentia provocatur. Primus dicitur simplex objecti delectabilis apprehensio; alter delectatio morosa, seu quædam veluti confabulatio cum objecto; tertius est consensus, quem voluntas præbet concupiscentiæ suggestioni.

Simplex objecti delectabilis apprehensio non est peccatum, si nec in se, nec in caussa, voluntaria fuerit: omnem nimirum rationis usum prævenit. Hincque patet, quam merito Concilium Tridentinum Lutheranos damnaverit, quod contenderent, primos concupiscentiæ motus, quantumcumque sint involuntarii, esse peccata. Verum licet simplex objecti delectabilis apprehensio per se non sit peccatum; eniti tamen debet quisque christianus, ut illam mali apprehensionem, quantum in se est, devitet: id enim

vigilantiæ, quam Christus toties in Scripturis commendavit, officii est ac muneris.

Morosa delectatio est peccatum, si adsit consensus, aut in delectationem, aut in actum, ad quem delectatio movet: ille vero consensus adesse censetur, saltem virtualiter & interpretative, cum mens non inde se avertit, licet possit & debeat avertere.

Tandem consensus, vel est actualis, vel virtualis, vel interpretativus, & semper est peccatum, immo est ipsummet peccatum, seu est actus, in quo posita est peccati ratio.

Nonnulli nuper contenderant, consensum in ipsum actum peccaminosum non esse peccatum mortale, si in consentiente remaneat alicujus caritatis actualis sensus: asserueraut, satis non esse ad peccatum mortale, ut concupiscentia transitorie dominetur, sed præterea requiri, ut dominetur permanenter, hoc est, diuturno aliquo tempore: sed scriptorum illorum doctrinam damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. ad Comitia Generalia congregatus, ut infra dicetur.

Merito Clerus Gallicanus declaravit, propositionem, quam notavit, esse Augustino contrariam: nempe lib. 12. de Trinitate, c. 12. docet delectationes morosas esse peccatum sufficiens ad pertrahendum hominem in damnationem æternam, nisi per Sacramentum culpa remittatur: *Ita dici potest* (inquit) *in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem posse sine viro damnari: absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.*

Ad calcem operis de Trinitate satis aperte testatur, quantum oderit eas delectationes, quæ furtim in animum irrepunt: *Multæ sunt* (ait Deum alloquens) *cogitationes meæ tales quales nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire: & si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis: sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente.*

CAPUT II.

Utrum Mundus & Diabolus sint caussæ peccati.

CONCL. 1. Mundus est caussa moralis peccati.

Probatur. Mundus movet moraliter ad peccatum, scilicet amatorum mundi colloquiis, exemplis, externo vultu, mores vel optimos corrumpi, quotidiana experientia docemur.

Quæres, quot modis mundus sit caussa peccati; hoc est, quot modis ad peccatum hominis voluntatem pertrahere soleat?

Resp. Mundus ad peccatum moraliter pertrahere tribus modis.

Primo provocat perversa doctrina, qualis est hæreticorum, pseudo-prophetarum, & Casuistarum illorum qui sic habenas relaxant hominibus, ut permittant & sua auctoritate confirment regulas, quæ Decalogo, positivis legibus, divinis & humanis adversantur.

Provocat 2. pravis exemplis & consuetudinibus, unde Augustinus in libro 3. de doctrina christiana c. 10. sic loquitur: *Sed quoniam proclive est humanum genus non ex momentis ipsius libidinis, sed potius suæ consuetudinis, æstimare peccata, fit plerumque, ut quisque hominum ea tantum culpanda arbitretur, quæ suæ regionis & temporis homines vituperare, atque damnare consueverunt; & ea tantum probanda, atque laudanda, quæ consuetudo eorum, cum quibus vivit, admittit: eoque contingit, ut si quid Scriptura vel præceperit, quod abhorret a consuetudine audientium, vel quod non abhorret, culpaverit, si animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent.*

Ex judicio, quod quis ad mundanæ consuetudinis normam exegerit, innumera sequuntur mala. Hinc enim fit, ut ambitus ad munera sive Ecclesiastica, sive Civilia, sæculo deditis hominibus laudabilis videatur; ut ingentium divitiarum adquisitio, quæque possidentis conditionem minime decent, innocens judicetur: ut elegans, superba, ac vana supellex, laudanda censeatur; ut impudicus mulierum ornatus dicatur honestus; ut spectacula, saltationes, ludi, cantilenæ, musicorum concentus, & cujuscumque generis oblectamenta, nihil mali continere credantur; ut tandem alia hujusmodi quæ Christianæ modestiæ, castitati, mortificationi adversantur quam maxime, veluti indifferentia judicentur.

Provocat 3. auctoritatis abusu, ut cum ii qui in potestate constituti sunt, jubent ea fieri, quæ sunt adversus Dei legem; ut cum pater præcipit nato, ut rebus sæculi serviat; cum mater potestate sibi tradita per naturam abutitur, ut filiam suam ad mundanos cœtus, sæculi colloquia, spectacula, choreas pertrahat. Verum ut subditi in iis casibus a suis superioribus caveant, meminisse debent illius Petri sententiæ in Actis, *Oportet magis obedire Deo, quam hominibus*. In suam mentem revocare debent hanc Christi regulam: *Qui amat patrem aut matrem suam plus quam me, non est me dignus.*

CONCL. 2. Diabolus est caussa peccati.

Probatur 1. ex Scriptura, qua docemur, diabolum sub specie serpentis Evam, & postea Adamum innocentes ad peccatum impulisse; circuire eum, tanquam leonem qui quærit quem devoret; immisisse eum in cor Judæ, ut Christum Judæis traderet. Unde passim tentator appellatur.

Quæres 1. quot modis diabolus ad peccatum pertrahat?

Resp. diabolum ad peccata pertrahere 1. transfigurando se in Angelum lucis, & sub ea forma consilia maxime nociva hominibus nonnunquam dedit: 2. Diabolus, licet animam immediate movere non possit, id enim Deo soli proprium est; movet tamen mediate & indirecte, per imaginationem nimirum, cui (Deo permittente) nonnumquam illudit per species, quas in ea efformat, quæque, ex lege unionis animæ cum corpore, mentem avocent ac distrahant.

Quæres 2. quid diabolus sibi in hominum tentatione proponat?

Resp. diabolum velle 1. ab hominibus Dei loco adorari: 2. impedire, ne verus Deus colatur ut decet: 3. efficere ut homines concupiscentiæ serviant. Ut autem Dei loco haberetur, idolatriam in mundum invexit. Ut impediret, ne Deus verus sincere, ut par est, adoretur, introduxit hæreses, artes superstitiosas, aliaque ejusmodi quæ virtuti religionis opposita sunt. Ut concupiscentiæ regnum promoveat, delectabilia, vana, ambitiosa imaginationi proponit. Tantæ sunt in hominem infirmum diaboli vires, ut non nisi auxiliante Christo vinci ac superari possint; unde & jubemur Deum deprecari, ut ab illius viribus, artibus, insidiis nos liberet: malum enim sunt, a quo liberari in oratione Dominica petimus, *Libera nos a malo*.

CAPUT III.

Utrum Deus sit caussa peccati.

Not. DEus duobus modis fingi posset esse caussa peccati, moraliter nimirum & physice: moraliter quidem suadendo, præcipiendo, non impediendo peccatum; physice vero, producendo ipsam peccati malitiam, aut physice voluntatem ad eamdem malitiam determinando.

CONCL. 1. Deus non est moralis caussa peccati.

Probatur 1. Deus non suadet peccatum; e contra in Scripturis homines hortatur ad non peccandum, ipsosque, propositis gravissimis pœnis, a peccato deterret. 2. Deus non præcipit peccatum, immo tum in veteri, tum in novo Testamento illud prohibet; 3. Quamvis peccata non impediat, non est tamen moralis illorum caussa: ut enim aliquis sit caussa moralis actus alicujus, satis non est, ut illum, quamvis possit, non impediat, sed præterea requiritur ut illum impedire debeat: atqui Deus non debet impedire peccata; exigit nimirum illius providentia, ut creaturam rationalem, quæ naturaliter sui juris est, sibi ipsi permittat aut ad bonum, aut ad malum, aut ad pœnam, aut ad præmium: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Deus non est caussa physica peccati.

Probatur. Deus non est caussa physica peccati respectu sui ipsius, hoc est, non est caussa physica peccati, quod ipse admittere possit; est enim infinite bonus, infinite sapiens; atqui ens infinite bonum, infinite sapiens, non potest peccare; alioquin dari posset ens illo melius, illo sapientius, illud nimirum quod peccare non posset: ergo, &c.

Præterea, Deus non est caussa efficiens peccatorum quæ a creatura rationali committuntur. Nam 1. non producit malitiam peccati; siquidem malitia peccati non producitur: posita nimirum est in mera privatione debitæ rectitudinis, quæ quidem privatio (ut patet) non est ens physicum. 2. Non est caussa efficiens determinando ad actum, ex quo resultat malitia: tum quia (ut harum Instit. Tom. 1. dictum est) Deus physice voluntatem non determinat ad actus liberos ordinis naturalis, sed tantum ad eos qui sunt ordinis supernaturalis: tum etiam quia, dato etiam quod ad entitatem physicam actuum, qui sunt ordinis naturalis, voluntatem physice determinaret, non determinaret tamen ad malitiam, eo quod, cum malitia sit defectus, cadat tantum in caussam determinatam defectibilem: ut patet in anima, quæ licet physice determinet pedem claudum ad motum, non est tamen caussa claudicationis; sed ille defectus unice refertur ad caussam deficientem, seu, ad pedem cui desunt, quæ necessaria sunt ad motum rectum, & minime deficientem.

Objicies 1. Primi Regum 2. filii Heli dicuntur non obtemperasse patri, quod Deus vellet eos occidere; ergo Deus voluit inobedientiam filiorum Heli. Resp. conc. ant. dist. conseq. voluit permissive, conc. efficienter, neg. Cum Deus in multa filiorum Heli crimina pœna mortis animadvertere statuisset, permisit, non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, ut inobedientiæ rei constituerentur.

Objicies 2. Lib. 2. Reg. cap. 16. Dominus præcepit Semei, ut Davidi malediceret: ergo Deus est auctor peccati: qui enim peccatum præcipit, est illius caussa moralis.

Resp. dist. ant. Dominus præcepit Semei præcepto improprie sumpto, ut malediceret Davidi, conc. ant. præcepto proprie sumpto, neg. ant. Præceptum improprie sumptum non aliud est, quam permissio: unde sensus est, Deum permisisse maledictionem illum

illam in Davidem fieri, eaque usum fuisse ad castigandum Davidis peccatum, & ut ei caritatis, ac mansuetudinis occasionem daret. Desumpta est illa responsio ex Augustino, qui in libro de gratia & libero arb. c. 20. sic loquitur: *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens, & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem proprio suo vitio malam in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit* (subtrahendo gratiam); *ideo dictum est: Dicit ei Dominus. Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum. Nec caussa tacita est, cur ei Dominus isto modo dixerit, maledicere David, hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit, ut videat* (inquit) *Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto ejus in die isto. Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum.*

Objicies 3. Augustinus l. 5. contra Julianum c. 3. asserit, Deum, non per patientiam tantum, sed etiam per potentiam, impios tradidisse desideriis eorum: quam quidem sententiam cum Julianus arguisset in Augustino: *Quomodo ergo per potentiam tradentis Dei putandi sunt in talia facta cecidisse?* S. Doctor ei opponit Apostoli verba ad Rom. 9. *Posuit hæc duo Apostolus, & patientiam & potentiam, ubi ait: Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia, vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, &c.* Unde sic arguitur: Impios per potentiam tradere desideriis eorum, est operari iniqua impiorum desideria: atqui, ex Augustino, Deus per potentiam tradit impios in desideria cordis eorum: ergo Deus illa operatur, ac proinde est caussa peccati.

Resp. dist. maj. impios per potentiam tradere desideriis eorum, quatenus illa desideria habent rationem culpæ, est operari iniqua impiorum desideria, conc. maj. quatenus habent rationem pœnæ, neg. maj. hoc, non autem illo modo Deus *per potentiam* impios tradit desideriis eorum; hoc est, justo judicio per potentiam suam novis peccatis utitur, ut castiget præteritas illorum iniquitates, efficitque ut eorum desideria, quæ peccata sunt, sint etiam pœnæ præteritorum peccatorum; quod negabat Julianus: unde Augustinus, postquam variis Scripturæ locis, ac præsertim hac Apostoli sententia, 2. ad Thessalon. 10. *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; & ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*; probavit aliqua esse facta, quæ simul sunt peccata, & peccatorum pœna juste a Deo inflicta, sic Julianum alloquitur: *Ecce pœna peccati, & peccatum est. Utrumque claret, breviter dictum est, aperte dictum est, cujus alia verba in tuam sententiam frustra detorquere conatus es.*

Objicies 4. Ille est caussa peccati, qui concurrit ad actum, cui malitia est intrinseca; qui enim operatur id cui aliud est intrinsecum, censetur & aliud operari: atqui Deus concurrit ad actum cui malitia est intrinseca: nimirum concurrit ad odium Dei, quod quidem ita est intrinsece malum, ut bonum esse non possit: ergo, &c.

Resp. prætermissa eorum opinione, qui contendunt, Deum non alio modo concurrere cum creatura, quam per continuam illius conservationem, dicendum est, odium Dei physice sumptum (secundum quem respectum Deus ad illud concurrit) esse actum humanum, qui abstrahit a malitia, quæ illi, considerato prout est aversio a Deo, est intrinseca. Unde in forma resp. dist. ant. Malitia est intrinseca odio Dei, prout est odium Dei, seu aversio a Deo, conc. ant. simpliciter prout est actus humanus, neg. ant.

QUÆSTIO IV.

De distinctione peccatorum ab invicem.

Not. 1. Actus ab invicem distingui possunt, vel numero, vel specie: Numero quidem, in quantum sunt actus individuales: Specie vero, in quantum diversis specie virtutibus opponuntur: sic furtum differt ab alio furto tantum numerice; sic e contra furtum specie differt ab adulterio.

Not. 2. Plura sunt, ex quibus peti potest sive numerica, sive specifica distinctio peccatorum; præceptum scilicet, interruptio, objectum materiale, finis operantis, circumstantiæ; hic igitur quærendum est, utrum ex iis capitibus tum numerica, tum specifica peccatorum distinctio petatur.

CONCL. 1. Nec specifica, nec numerica distinctio peccatorum sumitur ex præcepto.

Probatur. Si aut numerica, aut specifica peccatorum distinctio peteretur ex præcepto, tot essent aut numero aut specie peccata, quot sunt aut numero aut specie præcepta, quibus peccata opponuntur: atqui falsum est consequens; scilicet unum numero ac specie peccatum nonnunquam opponitur præceptis numero, & specie distinctis: sic furtum quod hic & nunc admittitur, opponitur legi naturali, legi positivæ divinæ, legi positivæ humanæ, civili & Ecclesiasticæ; quæ quidem leges & numero & specie differunt; & tamen furtum semel admissum, nec numero, nec specie differt.

CONCL. 2. Distinctio numerica peccatorum sumitur aut ex interruptione, aut ex objecto materiali, circa quod peccata versantur.

Pro-

Probatur prima pars. Ab eo sumitur distinctio numerica peccatorum, ex quo fit, ut actus, non unus fit, sed multiplex; atqui ex interruptione fit ut actus sit multiplex: sic qui hodie furatur, distinctum numero peccatum admittit ab eo quod heri admisit furando: nec mirum; actus enim qui moraliter interruptus fuit, non censetur perdurare usque ad tempus, quo alius actus elicitus est.

Quares, quandonam accidat illa moralis interruptio?

Resp. accidere eam 1. cum prioris actus voluntas revocata fuit, aut per contrariam voluntatem, aut per pœnitentiam. 2. Cum ea voluntas, licet habitualiter permanens, actu tamen desiit per cogitationem voluntariam de re aliqua quæ nullam habet cum priori voluntate connexionem. 3. Cum inter unum & alium actum tantum temporis intercedit, ut prudentum judicio, unus actus cum alio actu non colligetur: sic qui odio in fratrem ante somnum exarsit, & expergefactus eumdem odii actum renovat, duplex peccatum admittit. Excipiendus est tamen ab ea regula vir, qui in actu, quem elicuit, virtualiter perseverat: ut patet in eo qui mane proficiscitur, ut serotinis horis inimicum interficiat: is enim quamvis in itinere cogitet de variis rebus quæ ad inimici necem nulla ratione referuntur, non duplicis tamen, sed unius tantum numerice peccati reus est.

Probatur altera pars, seu distinctionem numericam peccatorum sumi quoque ex distinctione objectorum materialium, quæ intra eamdem speciem multiplicia sunt: ideo enim triplicis peccati reus est, qui tres homines uno ictu perimit, quod actus, quo interficiuntur illi homines, versetur circa triplex objectum materialiter & numerice distinctum.

Eamdem ob caussam, hoc est, propter multiplicationem objectorum materialium, impius apud Sacerdotem accusare tenetur varios tactus impudicos, aut morosas delectationes, quæ fornicationem subsecutæ sunt; nimirum non dicunt ordinem ad fornicationis actum prius habitum, nec ex illo sequuntur, sed oriuntur ex mera operantis malitia: secus de iis dicendum est, quæ brevi fornicationem præcesserunt: unum nempe cum illa actum constituunt, utpote quæ ad eam tanquam proxima dispositio censeantur.

CONCL. 3. Specifica peccatorum distinctio petitur ex objectis specie diversis, circa quæ peccata versantur.

Probatur. Ideo qui furatur, committit peccatum specie diversum ab eo qui mentitur, quod furtum versetur circa objectum specie diversum ab objecto circa quod mendacium versatur. Præterea peccatum ab eo sumit distinctionem specificam, a quo sumit privationem specie distinctam; scilicet peccatum positum est in privatione rectitudinis quæ actui humano debita sit: atqui privatio specie distincta sumitur ab objecto specie diverso; objecta enim specie diversa, si mala sint, privationem includunt specie diversam, privationem nimirum rectitudinum, quæ in virtutibus, quibus illa objecta opponuntur, includuntur: sic perjurium est specie diversum a furto, quod perjurium dicat privationem specificæ rectitudinis quæ continetur in virtute religionis, per quam perjurium prohibetur.

CONCL. 4. Specifica distinctio peccatorum sumitur aliquando a fine operantis; nonnunquam etiam a circumstantiis, quæ actum peccati comitantur.

Probatur prior pars. Specifica distinctio peccatorum sumitur ab eo, quod in peccato principem tenet locum: atqui finis operantis specie diversus ab objecto peccati nonnunquam in actu peccati principem tenet locum; cum nimirum actus peccati sumitur non quidem prout elicitus, sed prout ex volitione finis specie diversi imperatur: unde qui furatur, ut postea se se commaculet adulterio, potius adulter, quam fur, appellatur.

Probatur altera pars. Ab eo petitur specifica distinctio peccatorum, per quod actus peccati privatur honestate specie diversa ab ea, qua ratione actus peccaminosi privatur: atqui actus peccati, ratione circumstantiarum aliquando privatur honestate specie diversa ab honestate qua privatur ratione sui: idque patet in furto quod quis in templo committit; in eo nimirum furto, non solum est privatio honestatis, quam justitiæ virtus præscribit, sed etiam est privatio honestatis, quam virtus religionis imperat. *Vide* quæ superius dicta sunt iis locis ubi egimus de specificatione actuum humanorum.

QUÆSTIO V.

De connexione peccatorum.

CONCL. Peccata non sunt inter se connexa. Unde qui unius reus est, necessario reus non est aliorum.

Probatur 1. ex Scripturis, quibus docemur, homines justos reos esse plurium peccatorum venialium; quamvis tamen immunes sint a quolibet peccato mortali.

2. Objecta peccatorum non sunt inter se connexa: ergo nec ipsa peccata. 3. Peccata speciem sumunt a privatione honestatis, quæ est in virtutibus, quibus opponuntur: Atqui ejusmodi privatio non est connexa cum aliis privationibus; siquidem privatio illius honestatis, quæ est in misericordia, nullam habet connexionem necessariam cum privatione illius honestatis, quæ in justitia reperitur.

Objicies 1. Virtutes omnes, saltem in statu pec-

perfecto sumptæ, inter se invicem connexæ sunt: ergo peccata sunt pariter inter se connexa.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia (ut observat S. Thomas) virtutes omnes in uno tertio conveniunt, in caritate nimirum, quæ quidem totum operantis affectum colligit: peccata vero, cum sint creaturarum amor, tantum abest, ut in unum colligant totum operantis affectum, quin e contra ad multa, & quidem opposita, objecta sensibilia, distrahunt.

Objicies 2. Si peccata non essent inter se connexa, fieri posset, ut qui unum admisisset, non esset aliorum omnium reus: Sed id falsum est; siquidem contrarium docent hæc verba Jacobi in Epistola Canonica, cap. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus:* ergo, &c.

Resp. 1. textum illum non favere Stoicis qui censuerunt, peccata omnia esse æqualia: non enim dicit Jacobus eum, qui infringit aliquod legis præceptum, esse *æqualiter* reum, ac si omnia ad unum infregisset. Resp. 2. eumdem textum non favere quoque Calvinistis, quibus placet, omnia, etiam justorum opera, peccata esse mortalia: neque enim Jacobus eo loci de quibuscumque peccatis loquitur, sed de iis tantum, quibus præcipua Decalogi mandata violantur, ut patet ex subjuncta declaratione: *Quod si non mæchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

Resp. 3. dist. ant. Factus est omnium reus, hoc est, non servat totam legem, conc. ant. factus est omnium reus, hoc est, infringit omnia & singula præcepta legis, neg. ant. Ratio est 1. quia Jacobus ipse expresse asserit, loqui se de homine, qui aliqua legis præcepta servaverit: *Quod si* (inquit) *non mæchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Ratio est 2. quia Jacobus eo loci probare vult, eum qui reus est vitii acceptionis personarum, de quo paullo ante locutus fuerat, esse vere transgressorem legis; ac proinde incurrere eam maledictionem quam Lex vel unius ex suis præceptis transgressoribus minatur, ut post Moysen hisce verbis testatur Paulus in Epist. ad Galatas cap. 3. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*: at ut Jacobus probaret eum, qui reus est vitii acceptionis personarum, in illud Legis maledictum incurrere, necesse non fuit, ut doceret, eum reum esse aliorum omnium Legis mandatorum; sed e contra satis fuit, ut ostenderet, hominem illum vere esse transgressorem Legis; ac proinde subjici eum maledictioni, quam Lex minatur ei qui eam etiam collective, hoc est, secundum omnia & singula præcepta quæ continet, non servaverit. *Vide* Augustinum, Epistol. ad Hieronymum, veteris Editionis 29.

QUÆSTIO VI.

De peccatorum inæqualitate.

Not. Stoicis olim visum est, peccata omnia esse inter se æqualia: ita ut non minus reus sit qui leve, quam qui grave peccatum committit. Ut eum errorem confutemus, quæremus hic 1. utrum peccata omnia sint æqualia: 2. unde sumatur inæqualitas peccatorum.

CONCLUSIO. 1. Omnia peccata non sunt inter se æqualia.

Probatur ex Scriptura, quæ expresse asserit aliqua peccata esse aliis graviora. Thren. 4. *Major est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Joannis 19. idem dicitur de peccato Judæ proditoris respectu peccati, quod a Pilato in damnatione Christi admissum est: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Præterea iisdem Scripturis docemur, peccata quædam esse quæ gravius castigantur, quam alia: nam Genesis 4. Lamech gravius castigatur, quam Cain. Matthæi 11. Tyriis & Sodomitis remissius erit in die judicii, quam Judæis. Matthæi 5. Quidam in peccato gradus constituuntur, quibus homo fit reus judicii, concilii, aut gehennæ: ergo, &c.

Probatur 2. ratione. Peccatum est recessus ab ordine quem recta ratio præscribit, quemque lex æterna conservari jubet, perturbari vetat: atqui recessus ab illo ordine non est æqualis; nimirum recessus ille oritur ex inordinata conversione ad creaturam; illa vero conversio non est in omnibus peccantibus æqualis, e contra modo est major, modo minor, eo quod inter eos qui creaturam inordinate diligunt, nonnulli sint, qui tenacius & intensius, quam alii, eam amant: ergo &c.

Objicies. Peccatum positum est formaliter in privatione debitæ rectitudinis: atqui privatio debitæ rectitudinis est æqualis in omnibus peccatis; non enim datur privatio quæ sit alia major, vel minor, cum & ratione & experientia doceamur, privationes non suscipere magis & minus.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Privationes quæ nihil omnino retinent de forma, cujus sunt privationes, non suscipiunt magis & minus, conc. ant. quæ aliquid retinent de forma, cujus sunt privationes, ut in nobis respectu sanitatis, cujus sunt privationes, videre est, neg. ant. Inter istas, non autem inter illas, privatio quæ peccato essentialis est, recenseri debet: nec mirum: neque enim in quocumque peccato tollit omnem rationis ordinem, sed aliquem tantum.

CONCL. 2. Essentialis inæqualitas peccati sumitur ex objecto, ad quod actus peccati ex se tendit.

Pro-

Probatur. Actus morales (ut superius ostensum est) mortalitatis speciem essentialem desumunt ab objecto: unde sic arguitur. Ex eodem fonte essentialis inæqualitas peccati sumitur, ex quo peccati species sumitur atqui essentialis species peccati sumitur ex objecto: ergo, &c.

Hinc autem colligitur 1. peccata quæ sunt immediate contra Deum, ut idololatria, blasphemia, & alia hujusmodi, esse essentialiter omnium gravissima. Ea proxime excipiunt, quæ sunt contra hominem, ut homicidium. Tertium vero locum tenent quæ sunt contra externa hominis bona, ut furtum, aliaque ejus generis mala.

Colligitur 2. ea peccata esse secundum essentiam graviora, quæ præstantiori virtuti, eodem oppositionis modo, contrarietatis nimirum, aut privationis, opponuntur; pejus enim habent objectum, & peccantem privant majori bono. Monitum volumus lectorem, non sine caussa addita fuisse hæc verba: *Quæ eodem oppositionis modo præstantiori virtuti opponuntur*: scilicet ideo addita sunt, quod constet, peccatum quo Sacrum omittitur die festo, minus esse peccato homicidii, quod quidem est commissionis peccatum.

CONCLUSIO 3. Inæqualitas accidentalis peccatorum petitur ex circumstantiis intra eamdem speciem, aut aggravantibus, aut minuentibus malitiam actus.

Probatur. Circumstantiæ quæ intra eamdem speciem remanent, conferunt (ut superius dictum est) ad malitiam actus: atqui non conferunt ad essentialem, cum non sint actui intrinsecæ: ergo conferunt ad solam malitiam, seu gravitatem accidentalem.

Quæres, utrum malitia, quæ ex circumstantiis advenit actui, sit (absolute loquendo) nonnunquam gravior malitia, quæ eidem actui accidit ex objecto?

Resp. affirmative: idque patet in homicidio, quod licet ratione objecti minus sit peccatum, quam blasphemia; tamen ratione circumstantiarum quæ illud comitantur, & ratione effectuum qui ex eo sequuntur, simpliciter in praxi gravius est peccatum, quam blasphemia.

Ex his colligitur 1. peccatum a persona publica commissum, accidentaliter gravius esse peccato quod privatus admisit; nimirum ratione scandali. Colligitur 2. majorem malitiam accidentalem reperiri in furto viginti aureorum, quam in furto decem tantum, eo quod subreptio viginti aureorum, secundum se, legitimo domino magis noceat, quam subreptio decem aureorum tantum.

Quæres, utrum malitia, quæ ex circumstantiis advenit actui, nonnunquam gravior sit malitia essentiali quæ ex objecto petitur?

Resp. affirmative: idque videre est in homicidio, quod quidem licet ratione objecti sit minus peccatum, quam blasphemia; ratione tamen circumstantiarum quæ illud comitantur, & effectuum qui ex illo sequuntur, absolute loquendo, in praxi gravius est uno blasphemiæ peccato.

QUÆSTIO VII.
De effectibus peccatorum.

Not. TRes concipi possunt effectus peccati; macula nimirum, reatus pœnæ, & tandem aliud peccatum: hic igitur quærendum est 1. utrum peccatum, cujus actus jam transiit, maculam permanentem causset in anima: 2. utrum causset quoque reatum pœnæ 3. utrum unum peccatum nonnunquam sit pœna alterius peccati præteriti.

CONCLUSIO. 1. Peccatum, licet illius actus transierit, maculam permanentem caussat in anima.

Probatur. Peccatum caussat id, ratione cujus anima, etiam postquam actus peccati transiit, non est Deo grata: sed id non aliud est, quam macula: ergo peccatum maculam caussat in anima.

Quæres, in quo posita sit natura maculæ quæ per actum peccati contrahitur?

Resp. 1. maculam non esse positam in sola obligatione ad pœnam; siquidem obligatio ad pœnam præsupponit maculam peccati; scilicet ideo quis obligatur ad pœnam, quod peccati maculam contraxerit. Præterea, etiamsi Deus statuisset nullam peccatori pœnam infligere, peccator tamen peccati maculam contraxisset. 2. Macula peccati non est posita simpliciter in peccasse: nempe ipsum peccasse manet in homine etiam postquam per sacramentum pœnitentiæ delevit contractam ex peccato maculam. 3. Non est quoque in sola inordinatione voluntatis, hoc est, in habituali creaturarum amore prædominante: siquidem per actum imperfectæ contritionis, modo includat inchoatum Dei amorem super omnia, tollitur prædominans creaturarum amor; & tamen, nisi actu pœnitentiæ sacramentum receptum fuerit, contracta per peccata macula non tollitur. 4. Dicendum est igitur, maculam peccati non aliud esse, quam ipsam Dei offensam, quæ licet actu transierit, nondum tamen per Sacramentorum virtutem est remissa. Ratio est, quia creatura rationalis ratione offensæ nondum remissæ odio habetur a Deo, exosa est illi & gratia sanctificante destituta est.

CONCL. 2. Reatus pœnæ, hoc est, debitum, seu obligatio ad pœnam, est effectus peccati.

Probatur. Illud est effectus peccati, quod per peccatum contrahitur: atqui per peccatum contrahitur debitum, seu obligatio ad pœnam: quemadmodum enim per actum virtutis homo justus meretur præmium, ita per actum peccati creatura rationalis contrahit obligationem ad pœnam.

Quæ-

Quæres 1. utrum pœna, quæ peccato debetur, debeat esse æterna?

Resp. 1. fide catholica certum esse, peccatum mortale in hac vita quoad culpam non dimissum, in futura puniendum esse æterna pœna. Ratio est, 1. quia æternam illam pœnam Scripturæ aperte recensent. Isaiæ 66. de iis, qui in statu peccati lethalis mortui sunt, dicitur: *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Hæc quoque de iisdem leguntur Apocalypsis 14. *Cruciabuntur igne & sulphure in sæcula sæculorum.* Tandem Matthæi 25. Christus sic in ultimo judicio allocuturus est reprobos: *Ite maledicti in ignem æternum.* Nec audiendus est Origenes, cum respondet, æternitatem in laudatis Scripturæ textibus non sumi proprie, seu pro duratione quæ nullum unquam finem habitura sit; sed improprie tantum, pro duratione nimirum, quæ diu quidem stabit, sed quæ tamen tandem aliquando desinet. Non est (inquam) audiendus: siquidem æternitas beatæ vitæ, quæ in Scriptura electis promittitur, proprie ab ipso etiam Origene sumitur: ergo proprie quoque sumi debet æternitas pœnarum, quæ, ex Scriptura, reprobis infligentur.

Resp. 2. pœnam quæ peccato mortali debetur, non fore æternam tantum ab extrinseco, seu ex lege qua Deus peccato mortali infligi voluit cruciatum æternum; sed etiam ab intrinseco, hoc est, ratione malitiæ quæ peccato mortali est intrinseca. Ratio est, quia peccatum mortale includit malitiam & gravitatem in esse moris simpliciter infinitam, cum sit offensa in personam infinitam, Deum nempe; cum non ab alio, quam ab homine Deo persona infinita, condigne pro eo satisfieri potuerit: ergo ei debetur pœna infinita, non quidem in intensione, seu in acerbitate, cum creatura, utpote finita, illius capax non sit, sed infinita in duratione tantum.

Præterea peccatum mortale ex se dicit inordinationem perpetuam, cum secundum suam naturam importet irreparabilem aversionem a Deo, & conversionem ad creaturam, non absimili ratione, qua mors ex se importat perpetuam vitæ privationem: Sed æterna inordinatio, ex intrinseca sua malitia, exigit pœnam quæ perduret semper; nulla enim alia secundum justitiæ rigorem illi conveniens est.

Hinc vero solutum manet adversariorum argumentum, petitum ex eo, quod facti prohibiti commissio, aut omissio actus imperati, brevissimo tempore perdurent; ac proinde pœna æterna cum eis minime sit proportionata. Nam licet tum electio rei prohibitæ, tum omissio imperatæ, finitæ sint in esse physico, sunt tamen infinitæ in esse morali: Unde non alia pœna, quam æterna iis, seu commissioni, seu omissioni, in illo esse morali consideratis, est proportionata.

Resp. 3. Peccatum veniale non remissum quoad culpam in hoc sæculo, per accidens in alio sæculo puniendum esse pœna æterna: Secus vero si quoad culpam in hac vita dimissum fuerit.

Ratio primæ partis est, quia peccata venialia in hoc sæculo quoad culpam non dimissa, quoad eamdem culpa in damnatis non dimittentur in altero: tum quod dimissio culpæ, etiam venialis, non fiat sine aliqua applicatione meritorum Christi; at ejusmodi applicatio nullum omnino locum in inferis habet: tum etiam quod damnati nusquam detestaturi sint venialis peccati culpam; neque enim salutaris detestatio peccati potest esse sine aliquo pio motu per Salvatoris gratiam, quæ quidem in inferis nemini concedetur: ergo peccatum veniale in inferis non dimittetur quoque quoad pœnam: scilicet æquissimum est, ut tamdiu perduret pœna, quamdiu delicti culpa, & illius amor perdurant.

Ratio alterius partis est, quia ideo peccatum veniale non dimissum in hoc sæculo, in damnatis punietur æterna pœna, quod illius culpa in æternum permansura sit: ergo cum peccatum veniale quoad culpam in hoc sæculo dimissum fuerit, ipsi etiam, per accidens, æternum supplicium in altera vita non debebitur.

Dices. Peccatum veniale quoad culpam, non autem quoad pœnam in hac vita dimissum, in damnatis punietur aliqua pœna: sed illa pœna non potest esse ad tempus tantum; alioquin enim quædam aliquando foret mitigatio in damnatorum pœnis: quod quidem repugnat receptæ apud theologos doctrinæ.

Sed nullius est roboris illud argumentum: siquidem (ut ait S. Thom. in 4. Sentent. dist. 11. q. 1. art. 1. ad 5.) *Non est inconveniens, quod, quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur.*

CONCL. 3. Quædam sunt quæ simul sunt peccata, & peccatorum pœna.

Probatur argumentis, quibus S. Augustinus libro 5. contra Julianum, cap. 3. utitur.

I. Laudat hæc Apostoli verba: *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* In ea autem verba sic loquitur S. Doctor: *Et hic utique vides caussam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippe, quid mali ante fecissent, & adjunxit: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Proinde*

inde præcedentis est hæc pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum, quod verbis consequentibus explicat.

II. Laudat plures alias, tum Veteris, tum Novi Testamenti sententias, & inquit, *Non est peccatum, & pœna peccati, ubi legitur: Dominus enim miscuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius?*

Non est peccatum, & pœna peccati, ubi Deo dicit Propheta: Quid errare fecisti nos, Domine, a via tua, obtudisti corda nostra, ut non timeremus te? Non est peccatum, & pœna peccati, ubi rursus Deo dicitur: Ecce tu iratus es, & nos peccavimus, propterea erravimus & affecti sumus sicut immundi omnes?

Non est peccatum & pœna peccati, ubi legitur de gentibus quas debellavit Jesus Nave, quia per Dominum factum est, confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israel, ut exterminarentur?

Non est peccatum & pœna peccati, quod non audivit Roboam Rex plebem bene monentem, quoniam sicut Scriptura loquitur, erat conversio a Domino, ut statueret verbum suum, quod de illo locutus est in manu Prophetæ?

Non est peccatum & pœna peccati in eo quod scriptum est, Amasiam Regem Juda noluisse audire Joam Regem Israel bene monentem, ne procederet ad bellandum? Sic enim legitur: Et non audivit Amasias, quoniam a Deo erat, ut traderetur in manus, quoniam quæsierunt Deum Edom.

Et multa alia commemorare possumus, in quibus liquido apparet, occulto judicio Dei fieri perversitatem cordis, ut non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati: Nam credere mendacio, & non credere veritati, utique peccatum est. Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto judicio Dei, sed tamen justo, etiam pœna peccati monstratur. Quale est etiam illud quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus: Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, & ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. *Ecce pœna peccati peccatum est. Utrumque claret, breviter dictum est, aperte dictum est, ab eo dictum est, cujus alta verba in tuam sententiam* (Julianum alloquitur) *frustra detorquere conatus es.* Hactenus S. Doctor.

Quæres, quomodo peccatum ex parte Dei sit pœna præcedentis peccati?

Resp. peccatum sumptum pro reatu culpæ, non esse ex parte Dei pœnam quæ præcedentibus peccatis infligatur; scilicet culpa a Deo efficienter esse non potest, ut tamen esse deberet, si ex parte Dei pœna esset peccatori inflicta; e contra peccatum sumptum pro eo, quod ipsum non impedit, est, ex parte Dei, pœna præcedentis peccati: hoc est, Deus peccata præcedentia castigat aliis peccatis, in quantum eum, a quo desertus est, deserit, non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam: *Cum ergo* (inquit Augustinus in lib. 5. contra Julianum, cap. 3.) *dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est; & fit ei peccatum consequens præcedentis pœna peccati.*

QUÆSTIO VIII.

De divisione peccatorum.

CONCLUSIO 1. Peccatum dividitur in peccatum Originale, & in peccatum Personale.

Probatur. Peccatum dividitur in illud quod aliena voluntate, Adami nimirum, commissum per viam generationis in posteros traducitur; & in illud quod cujuslibet hominis propria voluntate committitur: Sed illud est peccatum originale; istud vero, personale: ergo peccatum dividitur in Originale, & Personale.

CONCLUSIO 2. Peccatum Personale dividitur in Actuale, & Habituale.

Probatur. Peccatum personale, vel transit, vel remanet. Si primum, est peccatum actuale; si secundum, est peccatum habituale. Prius, est actus, vel omissio difformis regulis morum; posterius, secundum aliquos, est inordinata conversio ad creaturam remanens in anima ex peccato actuali, quod præcessit; secundum alios vero, non aliud est, quam macula, seu offensa Dei, quæ in anima post peccatum actuale remanet, donec per gratiam sanctificantem deleatur.

CONCLUSIO 3. Peccatum actuale multipliciter dividitur.

Probatur enumeratione tum variarum specierum, quas peccatum actuale sub se continet, tum variorum modorum quibus committitur.

I. Peccatum actuale, aliud est cordis, aliud oris, aliud operis. Primum, interius in animo, ut hæresis, perficitur: Alterum perficitur locutione, ut mendacium: Tertium opere, ut facinora & flagitia quæ ab Apostolo ad Romanos 1. recensentur: ut homicidium, adulterium, & alia hujusmodi.

Per peccata Cordis, Oris, Operis, intelliguntur etiam varii ejusdem actualis peccati gradus, ita ut per peccatum *Cordis*, significetur voluntarium illius desiderium: per peccatum *Oris*, externa illius manifestatio per locutionem; per peccatum *Operis*, exterior ejusdem consummatio. Triplicem illum peccati gradum videre est in ira, qua quis in-

fra-

fratrem ardet: hæc enim concipitur in corde, erumpit in verba contumeliosa, tandem exterius se prodit per facta injuriosa, ut sunt percussio, & alia hujusmodi.

II. Peccatum, sive cordis, sive oris, sive operis, subdivirur ratione objecti 1. in peccatum in Deum; 2. in peccatum in nos ipsos, animam scilicet, aut corpus nostrum; 3. in peccatum contra proximum. Ratio est, quia tria illa sunt objectum caritatis, & aliarum virtutum: ergo sunt pariter objecta peccatorum, quæ caritati, & aliis virtutibus opponuntur: Oppositorum enim (ut ajunt Logici) eadem est ratio.

III. Peccata in Deum, in nos ipsos, in proximum, subdividuntur ratione modi, quo admittuntur, in peccata commissionis, & in peccata omissionis. Primum, consistit in productione alicujus actus oppositi regulis morum: posterius vero, est carentia actus debiti, seu lege præscripti: per prius, infringitur præceptum negativum, per posterius e contra præceptum affirmativum infringitur.

IV. Peccatum ratione subjecti, iterum subdividitur in Carnale, & in Spirituale. Prius, ex S. Thoma, illud est quod carnali voluptate consummatur, ut sunt gula, luxuria; posterius, cujus consummatio fit actione spirituali; ejusmodi generis sunt invidia, & superbia. Quæ prioris sunt generis, quoad adhæsionem ad objectum, & quoad infamiam, sunt majora; quæ vero posterioris, ceteris paribus, quoad culpam sunt graviora.

V. peccata ratione effectus dividuntur in mortalia & venialia. Illa, uno ictu (ait Augustinus) animam perimunt, seu mortem inferunt animæ: quippe quæ caritatem expellant, per quam unam anima vivit; proindeque peccantem excludunt a regno cælorum. Ista, seu venialia, animam vulnerant quidem, sed non ad mortem; non enim tollunt amorem Dei super omnia, nec proinde ipsam gratiam sanctificantem: unde simpliciter & absolute non avertunt ab ultimo fine, sed minuunt caritatis fervorem, cælestisque beatitudinis assecutionem retardant.

VI. Peccata ratione caussæ intrinsece ad ea moventis, sunt peccata vel ignorantiæ, vel infirmitatis, vel malitiæ. Prima, sunt vel actus, vel omissio, quæ ex hominis inertia procedunt. Altera, sunt quæ ex passione, seu ex ardore concupiscentiæ, proficiscuntur: Tertia, sunt quæ ex plena voluntate, ac libertate, absque ignorantia, & passione sensitiva, committuntur.

VII. Nonnulli recentiores peccatum dividunt in Philosophicum, & Theologicum. Prius definiunt, illud quod opponitur quidem rationi, sed non Deo: posterius vero quod & rationi & Deo contrarium est.

De illa posteriori peccati divisione nihil hic dicemus, quippe quæ fictitia sit. Quæcumque enim rectæ rationi opponuntur, opponuntur quoque æternæ legi, cum ratio non aliud sit, quam æternæ legis participatio per inspirationem luminis & amoris; & aliunde lex æterna non aliud sit, quam summa ratio in Deo existens, quæ (ut in nostro tractatu de legibus dictum est) ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.

Excogitata fuit a recentioribus quibusdam illa peccati divisio, ut excusarentur ii omnes, qui nescientes Deum existere, innumeris facinoribus & flagitiis se ipsos deturparunt; immo & eos etiam ex fidelibus, qui dum peccant, advertunt quidem actum suum esse legi naturali, seu rationi dissentaneum, sed non advertunt esse illum contra Deum ipsum, aut esse injuriam illi illatam: eo progressi fuerant illi scriptores, ut assererent, ipsa etiam adulteria posse esse peccata philosophica tantum, ita ut per ea adulteri pœnam quidem temporalem, sed non æternam, demererentur. Sed doctrinam illam damnavit Clerus Gallicanus, ut quæstione decima dicetur.

QUÆSTIO IX.

Quæ sit doctrina Cleri Gallicani de peccatis.

Not. UT eamdem, in dissertatione de peccatis in genere, methodum servemus, quam servavimus in præcedentibus, operæ pretium est, ut hic exscribamus censuram, quam nonnullis circa peccata propositionibus Clerus Gallicanus, ad Comitia Generalia anno 1700, in Palatio Regio San Germano congregatus, inussit.

Prima propositio. *Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare.*

Censura. *Hæc propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias, aliaque peccata excusat, & ut talis a Clero Gallicano* (in Comitiis Generalibus anni 1641.) *jam damnata est.*

Secunda propositio, ab Inquisitoribus Romanis coram Alex. Papa VIII. die 24. Aug. 1590. jam damnata. *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pæna dignum.*

Censura. *Hæc propositio scandalosa est, temeraria, piarum aurium offensiva, & erronea.*

Ter-

Tertia propositio. *Pleraque peccata, de quibus ait Apostolus, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, & quæ expresse adversantur præceptis Decalogi, mortalia dici possunt, . . . quoniam . . . horum facinerum rei aut amisere omnem caritatis sensum, aut exiguum retinent, ita ut ipsis omnino dominetur cupiditas.*

Quarta Prop. *Id tamen intelligi posset, adhibito eo temperamento, ut qui plane repugnantes, ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati, acri dolore tangerentur ob commissum peccatum: tam certo affirmari non potest excidisse illos gratia, aut incurrisse pœnam damnationis: quamquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis & transitoria potuit esse hujusmodi dominatio, qua voluntatis antiqua dispositio non mutatur ..... hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina S. Augustini.*

Censura. *Hæ propositiones, quæ divinæ caritatis habitum docent, aut significant posse consistere cum peccatis adversus decalogum, ac de quibus ait Apostolus, quod* qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt; *falsæ sunt, erroneæ, verbo Dei contrariæ.* Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate .... aut quæ conventio Christi ad Belial? *ad excusanda & imminuenda cujusvis generis peccata viam aperiunt, & imponunt sancto Augustino.*

Quinta propositio. *Hinc inferre debemus, eum consensum qui præbetur cogitationibus pravis, cum tendit ad delectationem cogitandi tantum de re illicita, puta de ulciscenda injuria, secundum Augustinum, non esse aliud, quam veniale peccatum, licet ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum.*

Censura. *Hæc propositio quaslibet cogitationes & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa, concupiscentiam fovet, in tentationem, & in gravius peccatum inducit, contraria* (lib. 12. de Trinitate c. 12.) *& injuriosa sancto Augustino.*

DISSERTATIO SEPTIMA.

De peccato Originali.

Not. QUæ ad peccatum originale spectant, reduci possunt ad illius existentiam, essentiam, propagationis modum, pœnas, & subjectum: hic igitur quærendum est 1. utrum existat peccatum originale, 2. quid sit; 3. quomodo propagetur; 4. quodnam sit illius subjectum, hoc est, quinam contrahant originale peccatum; 5. denique quibus castigetur pœnis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum existat peccatum originale.

Not. SAnctus Augustinus libro de hæresibus, num. 88. docet, Pelagium, Cælestium, & illius discipulos negavisse existentiam originalis peccati. In eum Pelagianorum errorem abierunt elapso proxime sæculo plures hæretici, & in primis Sociniani, qui hæresim illam cum aliis fere omnibus, quæ in Conciliis Generalibus jam diu proscriptæ fuerant, innovarunt.

CONCLUSIO. Datur peccatum originale, hoc est, qui ex Adamo per libidinem generantur, contrahunt peccatum, quod ideo originale dicitur, quod uniuscujusque hominis per viam ordinariam geniti originem comitetur.

Nostra conclusio probari potest 1. ex Scriptura; 2. ex Traditione Patrum; 3. argumentis ex ratione naturali petitis.

CAPUT I.

Proferuntur Scripturæ testimonia. Ex veteri Testamento.

PRimo. In libro Job, c. 14. juxta versionem Septuaginta interpretum, hæc leguntur, *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram;* juxta vero vulgatam nostram: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Unde sic arguitur: Infans, cujus est unus dies super terram, non est mundus a sorde; conceptus est de immundo semine, eumque Deus solus potest mundum facere: sed sordes illa, immunditia illa, non aliud sunt, quam peccatum; nullius enim rei natura per se sordida est, & immunda: *Vidit Deus* (inquit Scriptura) *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Illud autem peccatum non est actuale, cum infantes, utpote ratione destituti, actu peccare non possint: ergo est peccatum originale, seu peccatum, quod per originem trahitur. Augustinus in libro 20. de Civit. Dei c. 26. urget argumentum illud, eoque utitur ut probet, Judæorum sacrificia non fuisse oblata ab hominibus quolibet peccato vacuis, cum omnes originis peccatum contraxissent. *Ceterum* (inquit S. Doctor) *ex quo commissa prævaricationis caussa, inde* (*primi parentes*) *dimissi sunt, atque humana in eis natura damnata est, excepto uno Mediatore, & post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, nemo mundus a sorde, sicut scriptum est, nec infans, cujus est vita unius diei super terram.*

II. Propheta Rex Psal. 50. sic loquitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in*

& in peccatis concepit me mater mea. Ea verba usurpat David, ut argumenta conquirat, quibus ad se divinam misericordiam flectat; proindeque intelligi non possunt de peccatis parentum; neque enim argumento ex alienis peccatis petito uti potuisset, ut ad se Dei misericordiam flecteret; & præterea falsum supposuisset ea ratio, scilicet certum est, Davidem non ex fornicatione, vel adulterio, sed ex honesto, sanctoque conjugio natum fuisse. Unde sic argumentum conficitur: Idem debet ferri judicium de aliis hominibus via ordinaria genitis, ac de Davide: atqui David contraxit peccatum originale; natus est nimirum in iniquitate: at ea iniquitas non est actualis: ergo originis est iniquitas.

Dices: Propheta Rex ait, se natum non *in iniquitate*, in singulari numero, sed *in iniquitatibus*, in plurali numero: ergo non loquitur de peccato, quod per originem contraxerit; peccatum enim quod per originem contraheretur, non esset multiplex, sed unum tantum.

Verum inanis est illa responsio. Scilicet in uno Adami peccato, quod totam postea infecit humanam speciem, non una, sed multiplex fuit noxa; ac proinde de eo peccato quasi in plurali numero loqui potuit Propheta Rex. Nititur illa responsio auctoritate S. Augustini, qui Enchiridii cap. 45. sic de Adami peccato loquitur: *Superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia semetipsum præcipitavit in mortem & fornicatio, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit appetivit.*

III. Genesis 17. hæc habentur: *Masculus cujus caro præputii circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.*

In eam autem Scripturæ sententiam, S. Augustinus observat 1. severam illam interminationem: *Peribit anima ejus de populo suo*, non intelligi de morte temporali, cum & circumcisis, suo quoque tempore infligatur. Observat 2. caussam, cur masculi non circumcisi anima peritura sit de populo suo, esse, quod Dei pactum irritum fecerit: *Quia pactum meum irritum fecit.* Observat 3. circumcisionem antiquitus medium fuisse, quo impediri poterat, ne masculi anima periret de populo suo.

His tribus observationibus præmissis, S. Doctor ex laudato Geneseos textu eruit triplex argumentum pro existentia peccati originalis. Infans non circumcisus, spiritualiter mortuus est, nec in altera vita ad populum suum, sanctos nimirum Patriarchas, apponetur: atqui mortis illius spiritualis, ejusmodi defectus appositionis ad populum, non alia est caussa, quam peccatum, non actuale quidem, cum infantes octo dierum non sint illius capaces: ergo solum peccatum originale: *Quid enim peccati, quæso, parvulus propria voluntate commisit* (inquit August. in libro de peccato originali c. 30.) *ut alio negligente, & eum non circumcidente, ipse damnetur damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror incussus est, cum de justis, quando moriebantur, tunc potius diceretur. Et appositus est ad populum suum; vel appositus est ad patres suos; quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur quæ illum separet a populo suo, si populus ejus ipse est populus Dei. Quid sibi ergo vult pro nullo propriæ voluntatis admisso tanta damnatio? nisi quia infans pertinet ad massam damnationis, & juste, ex Adam natus, nisi inde fuerit, non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus.*

Præterea (est aliud Augustini argumentum lib. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 11.) Ille reus est peccati originis, qui in Adamo irritum fecit Dei pactum: sed infans octo dierum irritum fecit in Adamo Dei pactum: ergo reus est peccati originalis: *Dicat iste, si potest* (verba sunt Augustini de Juliano loquentis l. 2. de nupt. & concupisc. c. 11.) *quomodo puer ille testamentum Dei dissipavit octo dierum: quantum ad ipsum attinet, innocens infans, & tamen nullo modo Deus vel Scriptura sancta id mendaciter diceret. Tunc ergo dissipavit testamentum Dei, non hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Tandem. Id existit (tertium est argumentum Augustini in lib. 3. contra Julianum c. 18.) In cujus remedium quondam instituta fuerat circumcisio: atqui circumcisio quondam instituta fuerat in remedium peccati originalis, seu ad medendum peccato, in quo infans Dei pactum irritum fecerat: ergo existit peccatum originale.

Sed hæc satis sint de antiquo Testamento, jam ex Novo ostendenda est peccati originalis existentia.

Testimonia ex Novo Testamento petita.

Ex Cap. 5. Epistolæ ad Rom.

Apostolus in Epistola ad Romanos, c. 5. sic loquitur: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde sic arguitur. Datur peccatum quod per unum hominem in hunc mundum intravit, quod omnes in primo homine admiserunt; atqui illud

illud peccatum non aliud est, quam peccatum originale, seu, quod origine contrahitur: ergo, &c.

Pelagiani nullum non moverunt lapidem, ut argumenti ex laudato Apostoli textu petiti vim declinarent. Respondebant igitur 1. per mortem illam, cujus in Apostoli textu fit mentio, intelligi non debere corporis mortem (quam nolebant Adami lapsum in mundum invexisse) sed mortem animæ, quæ ex ipso peccato sequitur. Respondebant 2. ipsummet esse actuale peccatum Adami, quod in mundum intravit, non propagatione, sed imitatione.

Sed pravum illum sensum, & acutissime & solidissime variis argumentis confutavit Augustinus.

Nam 1. in ea suppositione falsa esset Apostoli propositio: cum enim Angelus ante hominem peccaverit, peccatum non per unum hominem, sed per Angelum in mundum intrasset: nimirum Angelus sua inobedientia hominibus pravo fuit exemplo: unde & ipsum Adamus, cum peccavit, imitatus est, & nos imitamur, quoties infringimus Dei præceptum, divinumque ejus jugum a nostra cervice excutere conamur. Augustini est argumentum illud lib. 2. de Nuptiis & Concupisc. c. 17.

2. Si Apostolus de peccato imitationis loqui voluisset, dixisset potius, per unam feminam, quam per unum hominem, peccatum intrasse in mundum. Ita ratiocinatur Augustinus lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum, c. 16. *Numquid* (ait) *Evam non imitarentur peccantes, aut peccatum generis humani non magis ex ipsa sumit initium? A muliere initium factum est peccati, & propter illam, sicut scriptum est, morimur omnes. Cur ergo non vis attendere, propterea potius Apostolum, unum dixisset hominem, per quem peccatum intravit in mundum, quia non imitationem, sed generationem volebat intelligi; sicut enim a muliere initium peccati fuit, sic initium generationis a viro est.*

3. Si eo in loco Apostolo propositum fuisset loqui de imitationis peccato, non debuisset opponere uni homini, per quem peccatum intravit in mundum, Adamo nimirum, alium hominem; Christum scilicet, per quem intrasset justitia; nempe ad imitationis exemplum debuisset Abelem proponere; is enim nullius justi imitator, primus justitiæ præbuit exemplum: at Adamo tamen, per quem peccatum in mundum intravit, Christum, per quem invecta est justitia, opposuit: ergo propositum non fuit Apostolo loqui de peccato imitationis.

4. Eadem ratione, ex Apostolo, peccatum per Adamum intravit in mundum, qua justitia in eum per Christum invecta est; eodem enim modo, ex eodem Apostolo, Adamus est caussa peccati, quo Christus est caussa justitiæ: atqui Christus non est caussa justitiæ per imitationem tantum, sed per realem, & veram justitiæ communicationem: ergo Adamus pariter, non per imitationem tantum, sed per realem & veram peccati communicationem, est caussa peccati. Augustini est illud argumentum, l. 1. de peccatorum meritis c. 9.

S. Doctor urget idem argumentum lib. 6. contra Julianum c. 12. sic enim ratiocinatur: *Sicut non imitantur Christum parvuli, quia nondum possunt; & tamen ad ejus gratiam spiritualem pertinere possunt: ita sine imitatione primi hominis, contagione tamen ex ipso carnalis generationis obstricti sunt. Si autem propterea vis eos a primi hominis alienos esse peccato, quia eum non sunt imitati propria voluntate, ista ratione alienabis eos & a justitia Christi, quia nec ipsum imitati sunt propria voluntate.* Vide idem argumentum fusius pertractatum in lib. 2. Operis imperfecti, cap. 101.

5. Apostolus eodem sensu in Epistola ad Romanos asseruit, per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, quam eo quo 1. ad Corint, 5. hanc sententiam protulit: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* At illa sententia intelligitur de vera & reali corporis resurrectione Christi, ut probet futuram corporum nostrorum resurrectionem: ergo Apostolus, cum in Epistola ad Romanos asserit per Adamum peccatum & mortem intrasse in mundum, intelligi debet de peccati & mortis reali ingressu in mundum, non autem de metaphorico, qui fit per imitationem. Ita ratiocinatur idem Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 8.

Objicies 1. Si peccatum per generationem, non autem per imitationem tantum, in mundum intravit, non per *unum* hominem (ut asserit Apostolus) sed per *duos* intrare debuit: siquidem generatio, non per unum, sed per duos efficitur: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Siquidem (ait Augustinus lib. 2. Operis Imperfecti c. 83.) *Ideo dictum est, per unum hominem, non per duos, quia non a femina concipiente & pariente, sed a viro seminante est generationis exordium: aut, quia jam non sunt duo, quando per coitum una fit caro.*

Objicies 2. Si mors in mundum per Adamum intravit, primi hominis iniquitas multo plus virtutis ad nocendum habuisset, quam gratia Christi ad medendum obtineret: neque enim Christi gratia aufert mortem, cujus debitum per primi parentis peccatum contractum fuisset: Sed absurdum est consequens: ergo mors, ergo peccatum, per unius delictum, non generatione, sed imitatione tantum intravit in mundum.

Resp.

Resp. neg. sequelam mai. Nam (ut ait Augustinus lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum, cap. 97.) Gratia Christi 1. aufert originalis peccati reatum; 2. dimittit etiam peccata, quæ homines addiderunt, juxta illud Apostoli: *Gratia vero ex multis delictis in justificationem*; 3. donat, ut contra carnis concupiscentiam Spiritus concupiscat; 4. si quando in hoc certamine venialiter vincitur homo, delicta dimittit oratio; 5. quamvis damnabiliter vincatur, ipsa dat humiliorem pœnitentiam, cui tribuitur indulgentia; 6. donat postremo vitam æternam & animæ & corpori: *Quomodo ergo* (ait Augustinus) *plus nocuit primi hominis iniquitas, quam profuit secundi hominis, hoc est Christi, bonitas?*

Ideo autem in hac via non perfecte nos reparat Christi gratia: 1. ut magnitudo peccati intelligatur: 2. quia si merces fidei continuo redderetur, jam nec fides ipsa esset; quæ mala præsentia videns, ideo pie tolerat, quia bona promissa, non videns, fideliter & patienter expectat. Ita respondet Augustinus l. 1. Operis imperfecti, cap. 75.

Objicies 3. Apostolus (argumentum est Juliani, apud Augustinum lib. 2. Operis imperfecti cap. 142.) docet, multo in plures abundasse beneficia, quam dispendia: at id falsum esset si peccatum per generationem, non autem per imitationem, traduceretur; neque enim iis omnibus, qui in Adamo peccarunt, prosunt Christi merita: ergo Apostoli locus ex Epistola ad Romanos intelligi debet de peccato per imitationem, non autem per generationem contracto.

Resp. neg. maj. hoc est, nego, Apostolum dixisse, gratiam Christi *in magis multos* abundasse, sed simpliciter, *magis* abundasse. *Non dixit Apostolus* (verba sunt Augustini) *gratiam abundasse in magis multos, sed magis abundasse. In comparatione namque pereuntium pauci sunt qui salvantur; sine comparatione autem & ipsi multi sunt.* Quo autem sensu Christi gratia magis abundaverit, superius jam exposuimus, ubi dictum est magis abundasse in prædestinatis: multo enim plura sunt dona quæ per gratiam eis conferuntur, quam dispendia quæ per Adami peccatum contraxerunt, ut eodem in libro cap. 100. Augustinus asserit.

Objicies 4. In hac Apostoli sententia: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; vox *Omnes* de *multis* tantum intelligitur; ita ut sensus sit omnes adultos in Adamo peccasse, non autem parvulos, cum, utpote ratione destituti, Adamum imitari non possint: Scilicet eos, quos Apostolus *Omnes* dixerat, *multos* postea dixit 1. ad Corinth. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Si enim in his verbis, *ita & in Christo omnes vivificabuntur*, vox, *Omnes*, non sumeretur pro *Multis*, sed pro *omnibus*, Apostolus falsum dixisset; siquidem omnes qui per Adam nascuntur, non renascuntur per Christum. Ita discurrit Julianus apud Augustinum l. 2. Operis imperfecti, c. 145.

Resp. utroque in loco vocem, *Omnes*, sumi universaliter: ita ut sensus sit, quod sicut omnes qui intrant in mundum, peccarunt in Adamo, ita etiam omnes qui vivificantur, in Christo vivificantur.

Petita est ea responsio ex Aug. l. 6. contra Julian. c. 12. *Cum autem* (inquit) *multos, quos dixit postea, non vis intelligi omnes, quod ubi prius dixerat, ideo existimas dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur, poteris hoc dicere & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt gentes, non omnes gentes ei fuisse promissas: quia dictum est in alio loco: Patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideo sic locutam fuisse Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa, sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, id est, quaternario continentur. Et rursus possunt esse aliqua multa, non tamen omnia, sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt: non enim omnium est fides, ait Apostolus.*

Quod autem dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes: &, Patrem multarum gentium posui te, easdem omnes multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam cum dictum, Per unum in omnes transiisse peccatum; & postea, Per unius inobedientiam peccatores constituti multi, ipsi sunt multi, qui & omnes. Similiter cum dictum est, Per unius obedientiam justi constituuntur multi, non aliquibus exceptis, sed eosdem multos, omnes oportet intelligi; non quia omnes justificantur in Christo: sed quia omnes, qui justificantur, non aliter possunt justificari, quam in Christo; sicut possumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes, non quia omnes homines intrent in eamdem domum; sed quia nemo intrat, nisi per illam.

Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum; quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; id est, ex prima origine generis humani, nemo ad mortem, nisi per Adam, & nemo per Adam, nisi ad mortem, & nemo ad vitam nisi per Christum, & nemo per Christum, nisi ad vitam. Eo igitur tendit ea Augustini responsio, ut in utroque textu, quem Julianus objecerat, vox *Omnes*, de *Omnibus* intelligatur.

Ex eodem capite 5. Epistolæ ad Romanos.

Apostolus in Epistola ad Rom. c. 5. sic loquitur: *Commendat autem suam caritatem*

Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Unde sic arguitur: Christus non tantum pro adultis, qui illum imitari potuerint, sed etiam pro parvulis, qui non potuerint illum imitari, mortuus est: atqui Christus non est mortuus, nisi pro iis qui peccarunt; non enim mortuus est, nisi pro mortuis morte spirituali, hoc est, morte peccati; ergo parvuli non quidem propria voluntate, sed aliena, Adami nimirum, mortui sunt; hoc est, peccarunt. Ita ratiocinatur Augustinus libro 3. contra Julianum, cap. 1.

Respondebat Julianus, Christum mortuum quidem esse pro peccatoribus, hoc est, mortuum eum esse etiam pro iis qui nunquam peccarunt.

Sed responsum illud variis argumentis Augustinus ibidem convellit. *Primo* (ait) *nusquam legis in divinis auctoritatibus, mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis, qui nullum habuerunt peccatum. 2. Dicit Apostolus secunda ad Cor. 5.* Quoniam unus pro omnibus mortuus est, *ostendens fieri non potuisse, ut moreretur, nisi pro mortuis: ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est Deus; quia ergo non in tempore, restat ut in peccato, esse mortuos omnes, si pro omnibus mortuus est Christus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum. Quamobrem si nullum trahunt peccatum parvuli, non sunt mortui; si non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus nisi pro mortuis; tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans dixisti, Christum etiam pro parvulis mortuum: nullo modo igitur negare permitteris eos habere originale peccatum.*

Huc referri potest quod ait Apostolus ad Rom. 5. *Etenim Christus pro impiis mortuus est.* Referri etiam potest, quod Sanguis Christi fusus sit in remissionem peccatorum; quod testetur ipsemet Christus filium hominis venisse *quærere & salvum facere quod perierat. Quod est pretium* (ait Augustinus l. 3. Operis imperfecti, c. 139.) *quo fit, ut renascantur parvuli, nisi sanguis agni immaculati, qui cum sit effusus, clamat ipse agnus; nec non ipse ait, Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem? Tu vero dicis illum Sanguinem, etiam pro parvulis fundi, & negas eis per illum peccata ulla dimitti.*

Ex iis locis, in quibus Christus dicitur Jesus, Salvator, Redemptor.

I. Christus, est Jesus parvulorum qui baptizantur, cum enim deferuntur ad baptismum, deferuntur ad Jesum, ut sit illis Jesus, id est, Salvator: ergo perierunt, antequam ad Jesum deferantur, non utique propria voluntate, cum illius capaces non sint, sed aliena, Adami nimirum, in quo omnes peccaverunt. Augustinus urget argumentum illud serm. 14. de verbis Apostol. *Qui dicit, aliquibus baptizatis Christum non esse Jesum, omnino a sancta fidei regula alienus est. Qui autem dicit, infantium ætatem non habere quod salvet Jesus in ea, nihil aliud dicit, quam Christum Dominum, fidelibus infantibus, id est, in Christo baptizatis non esse Jesum. Jesus enim quid est? Interpretatur Jesus Salvator: Salvator est Jesus: quos non salvat, non habendo quod in eis salvet, non est illis Jesus.*

II. Sicut Christus est Jesus, seu Salvator parvulorum, ita etiam est eorum Redemptor; quemadmodum ergo non est illorum Salvator, nisi ipsi habeant, unde salventur, hoc est, peccatum; ita nec illorum est Redemptor, nisi habeant unde redimantur id est, captivitatem sub peccato, & peccati principe diabolo.

Augustinus utramque illam conditionem, & Salvatoris, & Redemptoris, in Christo conjungens, sic loquitur in libro de peccatorum meritis c. 24. *Quis audeat dicere, non esse Christum infantium Salvatorem, nec Redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato?*

Ex locis, in quibus de Baptismo agitur.

Duplex ex Baptismo desumitur argumentum ad probandam peccati originalis existentiam; Unum quidem ex eo quod Baptismus parvulis detur in remissionem peccatorum; Alterum ex eo quod Baptismus sit parvulis ad salutem necessarius necessitate medii.

Primum argumentum. Baptismus parvulis datur in remissionem peccatorum; ergo parvuli ante baptismum rei sunt peccati originalis. Antecedens constantissime negatum est a Pelagianis; licet enim ultro faterentur, infantes baptizari, ut adoptentur in filios Dei, ut heredes fiant regni cælorum; contendebant tamen, eos in remissionem peccatorum minime baptizari: unde sic eos urget Augustinus l. 3. contra Julianum, c. 3. *Non eos dicitis non debere baptizari, sed pro magnitudine sapientiæ vestræ, res mirabiles dicitis. In Sacramento Salvatoris baptizantur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exsufflantur, sed a potestate diaboli non eruuntur. Hæc sunt sententiarum portenta vestrarum.* Itaque illud antecedens, quod Pelagiani negare cogebantur, variis momentis ex Augustino demonstratur.

Ba-

Baptismus est sacramentum mortis Christi: ait enim Apostolus: *Quicumque baptizati sumus, in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus*; atqui sacramentum mortis Christi datur in remissionem peccatorum; siquidem sacramentum mortis Christi debet exhibere illius mortem; hoc est, sicut Christus peccato, cujus similitudinem in carne ferebat, mortuus est; ita & peccato: nemo autem peccato moritur, nisi per remissionem peccatorum: ergo baptismus datur in remissionem peccatorum. Eam rationem urget Augustinus l. 8. contra Julianum, c. 1.

Alterum argumentum. Si parvuli peccatum originale non contraherent, baptismus eis ad salutem necessarius non esset: nempe baptismus ad salutem eis necessarius non est, qui sunt innocentes: atqui si parvuli peccatum originale non contraherent, essent innocentes: ergo baptismus eis ad salutem non est necessarius; contra quod tamen ipse Christus edixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cælorum*.

Respondebant olim Pelagiani, baptismum parvulis non esse necessarium ad vitam æternam, sed tantum ad regni cælestis consecutionem: unde inferebant, parvulos, qui sine baptismo moriuntur, non consecuturos quidem esse regnum cælorum; sed propter innocentiam habituros esse vitam æternam.

Augustinus pluribus in locis responsum illud convellit. Scilicet docet 1. parvulos, si sint innocentes, juste excludi non posse a regno cælorum. Docet 2. parvulos non baptizatos, non modo regnum cælorum non habituros, sed nec ipsam vitam æternam; licet a regno cælorum (quod tamen falsum est) distingueretur. Itaque sic S. Doctor argumentatur: Vita æterna extra regnum cælorum est verum exsilium: atqui innocentes (ut sunt in Juliani suppositione) infantes, ad imaginem Dei creati, eo exsilio mulctari non possunt: ergo nec excludi ex regno cælorum: *Quid igitur offenderunt* (verba sunt Aug. l. 6. contra Julianum, c. 4.) *quos pariter innocentes, mundos, ad imaginem creatos, annumerabiles ab isto numero alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis prævenit largitate beneficii, separans tot imagines suas a regno suo? Si hoc eis non erit malum: non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei: Si autem amabunt, & tantum amabunt*. Itaque S. Doctor hic argumentatur. Vita æterna extra regnum cælorum verum ac durum est exsilium: atqui parvuli (in Juliani suppositione) exsilio mulctari non possunt. *Quid offendit, dic mihi*, (verba sunt Augustini Serm. 14. de verbis Apostoli) *ut non intret in regnum cælorum, ut separetur a sorte Sanctorum, ut fit exsul a societate Angelorum? Videris enim tibi misericors, quia non aufers ei vitam, damnas tamen quem separas a regno cælorum; damnas, non eum percutis, sed in exsilium mittis. Si amatur patria, magna pœna: Si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde qui societatem non quærit Sanctorum, qui non desiderat regnum cælorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate: si autem desiderat, pœna est de fraudata caritate; sed si (quod vis) parva sit pœna, & ipsa pœna magna est, si nulla culpa est hic: defende justitiam Dei, quare vel pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omnino peccatum?*

Docet 2. parvulos non baptizatos non modo regnum cælorum non habituros, (quod Julianus fatebatur) sed nec ipsam vitam æternam: idque variis argumentis demonstrat. I. Novitatis arguit dogma, quod vitam æternam a regno cælorum distinguit: *Ergo* (inquit Sermone 14. de verbis Apostoli) *est æterna vita extra regnum cælorum. Primus hic error adversandus ab auribus, extirpandus a mentibus. Hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cælorum, esse salutem æternam præter regnum Dei*.

II. Vita æterna iis tantum concedenda est, quibus tribuetur resurrectio vitæ: atqui parvulis non baptizatis vitæ resurrectio non tribuetur, nimirum resurrectio in carnem incorruptibilem est effectus resurrectionis spiritus, quæ quidem non nisi per baptismum adquiritur: *Ad quam beatam perfectionem* (inquit Aug. in libro de peccato Origin. c. 39.) *hujus, quod nunc datur, sancti lavacri gratia pervenitur; quia enim regeneratione spiritus modo fit, ut peccata omnia præterita remittantur, ejus merito fiet etiam regeneratio carnis in æternam vitam, quia in ipsa carne incorruptibiliter resurgente peccatorum omnium incitamenta sanantur*.

III. Ut quis vitam æternam habeat, necesse est, ut Christi carnem manducet, juxta illud Evangelii, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*; at non manducatur in voto etiam implicito, nisi facta per baptismum mystico corpori Christi insertio præcesserit, ut docet Aug. lib. 1. de peccatorum meritis c. 20. Ergo sine Baptismo vita æterna non habetur.

IV. Ii tantum habebunt vitam æternam, qui in filium Dei crediderint; ait enim Dominus Joannis tertio: *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non habet vitam æternam, sed ira Dei manet super illum*: quæ quidem verba non minus ad infantes pertinere, quam illa: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, docet Aug. l. 1. de peccatorum meritis, c. 20. In qua igitur ait (horum genere) *ponetis infantes? An in eorum qui credunt in filium, an in eorum qui sunt increduli filio? In neutro, ait aliquis*, quia

quia cum adhuc credere non possunt, nec increduli deputandi sunt. Non hoc judicabat ecclesiastica regula, quæ baptizatos infantes, fidelium numero adjungit. Porro si isti qui baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti sacramenti, quamvis suo corde atque ore non agant quod ad credendum, confitendumque pertineat, tamen in numero credentium computantur: profecto illi quibus sacramentum defuerit, in eis habendi sunt, qui non credunt filio; atque adeo si hujus inanes gratiæ de corpore exierint, sequitur eos, quod dictum est: Non habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos. *Et unde hoc, quando eos clarum est peccata propria non habere, si nec originali peccato teneantur obnoxii?*

V. Vita æterna non est præter Christi societatem: sed ab illa societate prorsus alieni sunt qui baptizati non sunt: ergo parvuli qui hinc exeunt sine baptismate, vitam æternam a regno cælorum distinctam non consequuntur. Petitum est illud argumentum ex Aug. Epist. 225. veteris Editionis: *Testimoniis divinorum eloquiorum dilucidissime apparet, nec præter Christi societatem, ad vitam salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire, nec divino judicio injuste aliquem posse damnari, hoc est, ab illa vita & salute separari. Unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, quando parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, idest, Christi corpori, membrisque socientur, manifestum est ad damnationem, nisi eis consultum fuerit, pertinere: non autem damnari possent, si peccatum utique non haberent. Vide apud Augustinum plura similia loca.*

Ex locis, in quibus agitur de igne æterno.

Primo. Dominus judicaturus est vivos & mortuos, nulla ætate excepta. 2. Alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram: nullus locus medius erit pro infantibus, sive baptizatis, sive non baptizatis. 3. Ad dexteram pertinet regnum cælorum. 4. Ad sinistram ignis æternus. 5. Ignis ergo æternus regno cælorum opponitur; proindeque qui in regno cælorum non erunt, erunt utique in igne æterno. 6. Regnum cælorum vocatur ibi a Deo vita æterna, cum ita concludit: *Tunc abibunt ipsi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam*. Atqui parvuli sine baptismo decedentes non erunt in vita æterna, ut jam ostensum est: erunt igitur in æterna combustione. Ita ratiocinatur Aug. serm. 14. de verbis Apostoli.

Ex locis in quibus agitur de morte secunda.

Duplex mors distinguenda est, prima & secunda: *Nosse debemus* (inquit Aug. serm. 162. de Tempore) *duas esse mortes. Dicitur enim mors prima, dicitur & [illegible] Porro primæ mortis duæ sunt [illegible] qua peccatrix anima per culpam [illegible] tore suo; Altera, [illegible] est per pœnam de corpore suo. [illegible] cunda, est & animæ & corporis [illegible] terna*. De hac secunda morte [illegible] Scriptura, Apoc. c. 20. *Beatus & sanctus [illegible] habet partem in resurrectione prima: [illegible] secunda mors non habet potestatem*. [illegible] ibid. v. 9. dictum est: *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*: v. 14. subjungitur: *Hæc est mors secunda*. Et c. 21. v. 8. *Incredulis autem, & execratis, & incredulis, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda*.

Hanc duplicem mortem, id est, Primam & Secundam, Deus primo parenti, si peccaret, minatus est: *Quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini*. Cum duplicis illius mortis debito nascuntur, qui ex Adamo per viam seminalem propagantur; ab illa duplicis mortis obligatione illi tantum infantes liberantur, qui per Christi gratiam renascuntur: Ergo infantes qui sine baptismo moriuntur, cum prima morte teneantur, damnabuntur & secunda: ac proinde tantum abest, ut habituri sint vitam æternam, quin potius in mortem sempiternam præcipitandi sint. Vide argumentum illud fuse pertractatum apud Aug. serm. 162. de Tempore, nec non l. 15. de Civ. Dei, c. 3. 4. & 14.

Præterea qui non sunt cum Christo, necesse est ut sint cum diabolo; nam post peccatum primi parentis nihil omnino inter Christum & Diabolum, medium tenet: *Sicut* (ait Aug. l. 1. de peccatorum meritis, c. 28.) *per unum omnes ad condemnationem, sic per unum omnes ad justificationem: nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo*. Id vero ex ipsiusmet Christi verbis: *Qui non est mecum, contra me est*; S. Doctor confirmat. Atqui tantum abest, ut diabolus habeat vitam æternam, quin e contra miseria æterna in igne crucietur: ergo & infantes qui sine baptismo moriuntur.

III. Parvuli nondum baptizati sunt sub potestate diaboli, atqui ii tantum sunt sub potestate diaboli, qui peccati alicujus rei sunt: ergo infantes nondum baptizati rei sunt alicujus peccati, non actualis quidem, ergo originalis. Ita ratiocinatur Aug. l. 1. de Nuptiis & Concupiscentia, c. 20.

Idem argumentum urget S. Doctor l. 2. Operis imperfecti, n. 76. ubi sic loquitur: *Dic, parvulos, cum baptizantur, non erui de potestate tenebrarum, & cum magna injuria Dei per universam Ecclesiam exorcizari & exsufflari imagines Dei*. Vide idem argumentum

tum l. 1. de peccatorum meritis c. 34. libro de peccato originali c. 40. l. 2. de nuptiis & concup. c. 18.

CAPUT II.

Profertur argumentum ex Traditione petitum.

Not. 1. Nihil hic dicemus de Patribus, qui post Augustinum vixere; in confesso nimirum est, quotquot a S. illius Doctoris ætate, tum in Oriente, tum in Occidente floruerunt, agnovisse in hominibus, qui via ordinaria generantur, peccatum originale; sed nonnullorum ex Patribus, qui tribus prioribus sæculis scripserunt, textus referemus, ut eamus obviam Pelagianis, qui de existentia peccati originalis S. Augustinum novitatis insimularunt. Sic enim loquuntur apud eumdem Augustinum libro 2. de nuptiis & concupiscent. c. 13. *Confitearis ergo necesse est, originale quod finxeras, interiisse peccatum*. Ad quæ verba sic respondet S. Doctor: *Non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credidit antiquitus: sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus*. Eam a se & ab Ecclesia Catholica calumniam Augustinus variis in locis depellit, sed præsertim lib. 1. contra Julianum c. 3. & aliis.

Nempe Sanctus Doctor laudat 1. Cyprianum, qui consultus a Fido Episcopo, utrum infans statim post nativitatem baptizandus sit, an vero ad octavum usque diem illius baptisma protrahi debeat, respondit, statim baptizari debere; eo quod infantes solo baptismate consequi possint remissionem non quidem proprii, sed alieni peccati: at alienum illud peccatum non in alio, ex eodem Cypriano, positum est, nisi quod infans *secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit*.

Laudat 2. idem S. Doctor Reticium Episcopum Augustodunensem, qui in Opusculo, quod jam non extat, asserit, *Ignorantiæ prisca delicta* per baptismum in infantibus *deleri*, eosque in illo sacramento *veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuere*. Reticii testimonio conjungit auctoritatem Olympii Hispani desumptam ex quodam illius sermone, qui quidem licet Augustini tempore fidelium manibus tereretur, jam tamen nullibi extat.

Laudat 3. Hilarium Pictaviensem, qui de hac Apostoli sententia, *In quo omnes peccaverunt*, sic loquitur: *In quo, id est, in Adam omnes peccaverunt. Manifestum, in Adam omnes peccasse quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati sunt in peccato*.

Laudat 4. S. Ambrosium, qui lib. 1. in Lucam asserit, parvulos per baptismum a malitia reformari. Vide apud eumdem Aug. lib. 1. contra Julianum c. 2. plures alios in eumdem scopum Ambrosii textus.

Laudat 5. Irenæum, qui lib. 4. adversus hæreses, c. 5. & c. 6. asserit, homines non salvari *ab antiqua serpentis plaga*, nisi per fidem in Christum; nonnisi per eam fidem *resolvi eos vinculis, per quæ protoplasti peccato alligati eramus*.

Laudat 6. S. Athanasium, qui in Opere de Incarnatione Verbi, sic loquitur: *Ut lapso Adamo in omnes homines peccatum dimanavit: ita domino præcedente, rigor ille in nos tandem transmeabit*. Vide apud eumdem Augustinum plura alia Athanasii loca.

Laudat 7. S. Basilium, qui sermone 1. de jejunio, hæc scribit: *Si jejunasset a ligno Eva, non isto indigeremus jejunio: non enim opus habent valentes medico, sed male habentes*.

Laudat 8. S. Gregorium Nazianzenum, qui in Oratione in Natalem Christi, paullo post initium, sic loquitur: *Sicut in Adam omnes mortui sumus, ita in Christo omnes vivificabimur*.

Laudat 9. S. Joannem Chrysostomum, qui in sua ad Olympiam Epistola sic loquitur: *Quando enim Adam peccavit, illud grave peccatum & omne genus humanum in commune damnavit*. Laudat & ejusdem S. Patris plures alios textus petitos tum ex homilia de resuscitatione Lazari, tum ex homil. 10. in Epist. ad Romanos.

Iis Patribus adjungi potest Tertullianus, qui in libro de testimonio animæ cap. 3. sic de Adamo loquitur: *Exinde totum genus humanum de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit*. In libro de anima c. 2. scribit, ex fidelibus natos eo sensu ab Apostolo *Sanctos* vocari, quod parentum fidelium cura baptismate sint abluendi. In libro 1. contra Marcionem c. 22. supponit, & sibi, & Marcioni persuasum esse quod omnes per primi parentis peccatum, peccati maculam contraxerint.

Adjungi potest & laudatis veritatis testibus S. Justinus Martyr, qui in Dialogo cum Tryphone expresse asserit, totum genus humanum *per Adam in mortem, seductionemque serpentis concidisse*. Asserit quoque in Apologia II. ad Antoninum, unumquemque in baptismo renasci.

Origenes, Pelagianis quoad originalis peccati existentiam favisse quidem videtur in lib. 2. Periarchon cap. 9. ubi hujus vitæ miserias refundit non in peccatum originale, sed ad superiorem vitam actam in peccatis, quorum animæ postea in corporibus pœnas darent. Verum multis aliis in locis catholicam de peccato originali doctrinam profitetur. Scilicet Homilia VIII. in Levit. expresse docet, uno excepto Christo, quemlibet hominem in peccato nasci: addit, baptisma

ptisma parvulis dari *in remissionem peccatorum*; hincque concludit, esse aliquid infantibus quod indulgentia, & remissione indigeat: *Cum utique* (ait) *si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.*

Iis, quæ hucusque dicta sunt pro asserenda peccati originalis existentia, addendum est argumentum petitum ex unanimi consensu omnium, quæ florebant, Ecclesiarum eo tempore quo Pelagius negare ausus est, Adami peccatum in illius posteros transfundi: Scilicet illæ Ecclesiæ & Carthagine, & Romæ, & Diospoli, dogma hujusmodi, ubi primum prodiit, damnarunt: ergo doctrinam contrariam ex iis hauserant, qui florentissimis illis Ecclesiis præfuerant, antequam Pelagius ipse prodiret in lucem. Tanta eo in capite fuit Ecclesiarum vis, ut Pelagius earum definitioni, saltem verbo tenus, coactus sit adhærere, ne intentato sibi fulmine obrueretur. Urget argumentum illud August. L. 1. contra Julianum, c. 3. *Hactenus* (inquit) *alios Episcopos Orientales 14..... quos uno loco simul inventos in istum consessum introducere valeamus; illos ipsos, qui Pelagio judices præsederunt, eumque ut homines nullo ex altera parte urgente adversario, putantes Catholicum pronuntiarunt. Nisi enim in eorum conspectu damnasset eos qui dicunt, &c.... nullo modo inde indemnatus exiisset.*

CAPUT III.

Asseritur existentia peccati originalis argumento ex ratione petito.

S. Augustinus in l. 22. de Civ. Dei c. 22. texuit catalogum miseriarum, quibus homo a primis infantium vagitibus usque ad extremos morientium halitus premitur. Eæ vero miseriæ non in aliam caussam refundi debent, qnam in peccatum originale: ergo existit peccatum originale.

Quidam ex Philosophis miserias illas refundebant in naturam, quæ a scopo suo aberraverit, & operi suo nobilissimo parum fuerit æqua. Ita Tullius apud August. l. 4. contra Julianum cap. 12. Verum naturam eo in capite arguere, quid aliud est, quam ipsum creatorem reprehendere? siquidem natura, prout opifex est, a creatore minime distinguitur.

Alii ex Philosophis contendebant, miserias, de quibus agitur, refundi debere in quamdam materiam inobsequentem & inobedientem, ex qua factus sit mundus, quamque plurimi defectus necessario consequuntur: sicut (inquiebant) rubigo ferrum, & fragilitas lignum, præter artificis voluntatem. Sed ita philosophari, non aliud est, quam dicere, Deum infirmum & impotentem, ut mundum conderet, indiguisse aliqua materia, quam ipse non fecerit: aut si eam fecerit, non in omnibus obsequentem potuerit habere.

Placuit aliis Philosophis, animas in superiore aliqua vita, antequam carni commiscerentur, peccavisse, & inde in peccatorum pœnam præcipites actas fuisse in carneos carceres, in quibus puniantur. Sed huic sententiæ adversatur Apostolus ad Roman. 9. ubi de electione Jacob, & Esau reprobatione loquens, ait, quod cum nondum nati essent, aut aliquid boni, aut mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.

Manichæi duplicem quamdam naturam commenti sunt, alteram per se bonam quæ ipsius divinæ substantiæ esset emanatio: alteram per se malam quæ de gente esset tenebrarum: Cum autem (inquiebant) ex duplicis illius naturæ commistione Mundus a Deo bono factus sit, necesse est, ut in ipso homine sit quidpiam bonum, & quidpiam malum: ac proinde (addebant) mirum non est, quod homo, quandiu est in hac vita, plurimis miseriis afficiatur. Verum illius doctrinæ tum impietatem, tum absurditatem demonstravit Augustinus in operibus, quæ ab eo contra Manichæos exarata sunt. Inter eas autem rationes, quæ principem tenet locum, est ea quæ petitur ex Scripturæ locis, quæ docent, omne ens a Deo esse; ac proinde omne ens esse in se bonum, nullumque ex natura esse malum.

Pelagiani aliam inierunt viam. Scilicet contenderunt 1. ignorantiam veri, & difficultatem ad bonum, cum quibus nascimur, ceterasque vitæ calamitates quibus obruimur, esse naturæ prius institutæ conditiones ingenitas, & (ut loquebantur) humanæ naturæ primordia. Contendebant 2. illam ignorantiam veri, eam ad bonum difficultatem, eas calamitates, non esse mala, sed aut bona, aut indifferentia; occasiones esse ad piorum & justorum exercitationes. Contendebant 3. eas, sive ignorantiam, sive difficultatem, sive calamitates, ipsam etiam mortem, futuras fuisse in humano genere, etiamsi Adamus non peccasset. Vide August. lib. 4. ad Bonifacium cap. 2.

Verum illud Pelagianorum systema, quo funditus evertitur catholica de peccato originali doctrina, variis Augustini principiis confutari potest.

Primo quidem, calamitates quas patimur, esse mala, Scripturis aperte docemur. Ait enim Job: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Sic etiam loquitur Propheta Rex: *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.* Hæc quoque leguntur Ecclesiast. 4. *Jugum grave quod imposuit Deus super humeros filio-*

filiorum Adæ a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ. Eodem spectant hæc Sapientiæ verba: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Plures sunt alii similes Scripturarum textus.

II. Id malum est, ad cujus tolerantiam indigemus auxilio virtutis; non enim opus est virtute, nisi ad malum, ut par est, perferendum: atqui virtutis auxilio indigemus, ut hujusce vitæ miserias, ut par est, perferamus: ergo illæ miseriæ sunt aliquod malum. Augustini est illud argumentum lib. 19. de Civit. Dei, cap. 4.

III. Humanam vitam cum fletibus ipsi infantes, tanquam Prophetæ suæ calamitatis, exordiuntur: hinc Augustinus libro 2. Operis imperfecti c. 16. sic exclamat: *O dementiam singularem! hoc disputare, an insanire est? cum miseria se natos esse parvuli flendo testantur; & felices eos dicis?*

IV. Mors, cui omnes homines subjacent, summo est horrori cuilibet homini: ergo non est connaturalis homini, sed pœna peccati, cujus reus est: Si autem peccati pœna est; ergo & malum & miseria. Ita Augustinus libro 2. Operis imperfecti cap. 186.

V. Innumera sunt corporis & animæ vitia, surditas v. gr. cæcitas, fatuitas, & alia ejusmodi, quæ sane non esse mala, nemo nisi fatuus dicere audebit. Hinc Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 4. loquens de puerorum infantia, quam multis laudibus Julianus extollebat, multum eam ipse deprimit.

VI. Nonnulli infantes a dæmone vexantur; id enim aperte Scripturæ testantur: at vexatio illa malum est grave: ergo est pœna præcedentis peccati, non actualis quidem, sed originalis. Ita Augustinus argumentatur lib. 5. contra Julianum capite quinto.

VII. Malum nihil aliud est, quam substantiæ, seu naturæ, corruptio, vel defectus. Cum præterea substantiæ corruptio sit duplex, una voluntaria, & culpabilis, qua nimirum animus diligendo creaturam pro creatore, ad id quod minus est, vergit: altera, involuntaria & inculpabilis, qua scilicet peccatum aliquod castigatur; necesse est, ut duplex sit malum; unum quod quis injuste facit: alterum, quod quis juste patitur. Illud, proprie peccatum dicitur; istud vero, pœna peccati. Prima mali species a Deo esse non potest: at posterior, ipsius est Dei tanquam vindicis: *Cum ergo* (inquit Augustinus in libro contra Fortunatum) *duo sint genera malorum, peccatum, & pœna peccati: peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet*: at licet malum pœnæ ad Deum tanquam vindicem pertineat, non est tamen prima illius caussa, sed sola cupiditas; ad cupiditatem enim, tanquam ad primam caussam, malum omne refunditur ab Apostolo: *Si enim* (inquit August. in libro contra Fortunatum) *radicem omnium malorum quæris, habes Apostolum dicentem, radicem omnium malorum esse cupiditatem: radicem radicis quærere non possum.* 2. Solum malum culpæ, seu peccatum, potest esse prima caussa mali pœnæ: ejusmodi enim est naturalis ordo rerum, quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat, ut peccatum præcedat pœnam, non e contra pœna peccatum: *Si enim* (ait August. lib. 3. de lib. arb. c. 9.) *peccatis animarum detractis, miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis.*

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, sic argumentum conficitur: In eis est peccatum originale, qui multis miseriis premuntur; nam illæ miseriæ sunt jam in homine ad Dei ipsius fruitionem creato, & semel posito rerum statu, ut se habet, aliquod malum pœnæ; pœna autem si justa sit, præsupponit peccatum: nam, ut ait Augustinus lib. 1. Operis imperfecti cap. 39. *Sub Deo juste miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest*: atqui infantes premuntur multis miseriis, quæ habent rationem mali; ac proinde, cum non sint malum culpæ, necesse est, ut sint malum pœnæ, ergo in infantibus est peccatum originale. Ita argumentatur Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. ult. multisque aliis in locis, quos studiosus lector adire poterit, quosque hic brevitatis caussa prætermittimus.

CAPUT IV.

Solvuntur quæ adversus peccati originalis existentiam objiciuntur.

Not. QUæ contra peccati originalis existentiam objiciuntur, reducuntur 1. ad nonnulla Scripturæ loca; 2. ad quosdam Justini Martyris, Clementis Alexandrini, Lactantii, Theodoreti, & Chrysostomi textus; 3. ad argumenta quædam ex absurdis petita, quibus Julianus adversus Augustinum agens, usus est.

Solvitur argumentum ex Scripturis petitum.

Objicies. Ezechielis c. 18. hæc leguntur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit; & impietas impii erit super eum:* atqui, si daretur peccatum originale, falsa esset illa sententia; filius enim portaret iniquitatem patris.

Resp. 1. dist. maj. Filius non portabit iniquitatem patris, si iniquitatis paternæ non sit sit particeps, conc. maj. si illius particeps sit, neg. maj. Qui ex aliis hominibus generantur, fiunt participes culpæ, cujus Adamus per suam ino-

inobedientiam factus fuit reus: unde mirum non est quod tot tantisque malis infantes in hac vita premantur, & tot ac tantis in altera, si hinc exeant non regenerati, castigandi sint.

Resp. 2. dist. maj. Filius non portabit iniquitatem actualem patris, conc. maj. originalem, neg. Ezechielem non de ista, sed de illa tantum loqui evidens est, scilicet consolari voluit Judæos, apud quos invaluerat hoc proverbium: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt:* at ea ratione Judæos solatur, ut, si parentes iniquos non imitentur, pœna, saltem æterna, qua parentes castigati sunt, ipsi minime castigandi sint: *Si autem* (inquit) *impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & morte,* æterna, *non morietur.*

Solvuntur quæ objiciuntur ex Patribus.

Objicies 1. Auctor quæstionum & responsionum ad Orthodoxos, quem dicunt esse Justinum Martyrem, quæst. 88. asserit, Jobi sententiam: *Nemo mundus a sorde*, &c. ad infantes non pertinere: ergo censet, peccatum originale in parvulis non reperiri.

Resp. 1. auctorem illum non esse Justinum Martyrem qui circa medium secundum sæculum floruit; nempe meminit Origenis, qui octoginta annis post Martyrem Justinum vixit. Resp. 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia auctor, de quo agitur, quæstione 88. agit de Peccato actuali: *Porro* (inquit) *natura ad peccandum natur est, qui per liberi arbitrii delectum sibi ipsi dux est*: ac proinde mirum non est, quod asseruerit, textum ex Jobo petitum ad infantes non pertinere, hoc est, non probare eum, infantes esse alicujus actualis peccati reos.

Objicies 2. Clemens Alexandrinus libro 3. Stromatum, aperte negat originale peccatum. Scribens adversus Encratitas, sive Tatianos, qui (ut ait Epiphanius hæresi 46.) *Saluti primi hominis contradicunt, & nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus faciunt; nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem, sive feminam:* scribens (inquam) adversus Encratitas, negat Adami peccatum infantibus imputari; quem quidem articulum Encratitæ suo dogmati tanquam basim sustinebant; ex eo enim concludebant nuptias, seu actum conjugalem, per quem tantum malum propagaretur, esse malum: *Dicant ergo* Encratitæ, sive Tatiani, *nobis* (inquit) *ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Ada cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, consequenter ut dicant, malam esse generationem, non solum eam, quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ, propter quam etiam corpus.* Addit, Davidem ex conceptu nullum traxisse peccatum: *Et quando dicit David: In peccatis conceptus sum dicit prophetice quidem matrem suam, sed Eva mater fuit viventium: & si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum.*

Præterea eorumdem Stromatum lib. 5. confutans Basilidem, qui ex verbis Job inferebat, infantium animas aliquid in vita superiore peccasse antequam carni conjungerentur, ne minimam quidem facit mentionem peccati originalis, quamvis argumentum quod pertractabat, eum veluti cogere videretur, ut illius existentiam assereret.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. nego, quod Encratitæ peccatum originale tanquam basim suo dogmati substraverint; e contra dogmati suo substernebant peccatum actuale in superiore vita commissum, & in cujus pœnam animæ corporeis vinculis illigarentur; idque etiam aperte demonstrant verba, quibus Clemens Encratitas urget: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus?* unde hæc alia ejusdem Clementis verba: *Quomodo sub Ada cecidit execrationem?* intelligenda sunt de execratione, in quam per peccatum actuale, quod in superiore vita, hoc est, ante unionem animæ cum corpore, admissum fuerit. Eadem ratione explicari debent hæc alia: *Sed non ipse David in peccato*, intelligenda sunt de peccato actuali, de quo Clementem inter & Encratitas erat quæstio; non autem de peccato originali, de quo non agebatur.

Objicies 3. Tertullianus in libro de resurrectione carnis cap. 47. mortem quidem corporis refert in Adami prævaricationem, sed ad eamdem prævaricationem non refert animæ mortem, seu maculam; ergo Tertullianus non alium effectum peccati Adami agnovit, quam carnis, non autem animæ mortem.

Resp. dist. ant. Tertullianus in lib. de resurrectione carnis, animæ maculam non refert in Adami peccatum, & refert alibi, conc. ant. & non refert alibi, neg. ant. Ideo in loco qui nobis objectus est, Tertullianus de sola corporis morte loquitur, quod ad quæstionem, de qua eo loci agebat, conferret, seu ad quæstionem de corporis resurrectione, quæ a Marcione negabatur, quamque Tertullianus probandam susceperat: in eo autem positum est illius argumentum, quod sicut antiquus Adam corpori mortem intulerat; ita & novus, qui est Christus, vitam illi collaturus sit. Jam vero quod idem Tertullianus animæ mortem, seu maculam, refuderit in Adami peccatum, superius variis ex ipso laudatis testimoniis ostensum est; quibus & addi potest illud capitis octavi lib. 7. de resurrectione carnis: *Caro, in baptismate, abluitur, ut anima emaculetur.*

Obji-

Objicies 4. Lactantius, Crispi Caesaris praeceptor, calamitates omnes, quas in hac vita patimur, refert non in peccatum originale, sed ad solam naturam: ergo non agnovit existentiam originalis peccati; alioquin enim in ipsum, sicut & postea Augustinus, non vero in naturam calamitates illas retulisset. Probatur ant. ex ejusdem Lactantii lib. 7. Instit. cap. 3. ubi de vita beata disserens, pugnam carnis adversus animam, aliasque miserias docet insertas nobis fuisse, ut essent exercitationis occasio: *Cur igitur* (inquit) *eum,* Deus, *mortalem*, hominem, *finxit atque fragilem... ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum, ac bonorum, per quam posset premium immortalitatis adipisci*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Lactantius calamitates, quas patimur, sumptas in ordine ad finem, ad quem conferunt, conc. ant. sumptas quoad veram caussam & originem, ex qua oriuntur, neg. ant. hoc est, Lactantius docet, naturam, seu Deum, eas in homine miserias permittere, ut sint in homine exercitationis occasio: sed non docet, naturam esse primam caussam, & primam originem illarum miseriarum. Scilicet Lactantius contra Philosophos probandum susceperat, hominem propter Deum fuisse conditum, & universum orbem propter hominem. Ubi vero illud principium variis argumentis confirmavit, solvit c. 5. ejusdem libri hanc ab Epicuro propositam quaestionem: *Si tantum honoris hominis Deus habuit, ut ipsius caussa mundum fabricaret... cur mortalem, fragilemque constituit?* asseritque, ita Deum se gessisse, ut homines iis malis uterentur ad virtutem & praemium: *Ut ad illud* (inquit) *aeterna vita ineloquibile praemium, summa cum difficultate, & magnis laboribus pervenirent.* Itaque Lactantio satis fuit adversus Philosophos ostendere finem, quem Deus sibi in hominis anima cum fragili corpore illiganda proposuit; nec opus fuit, ut altiorem & abstrusiorem caussam, nempe originis peccatum, expresserit; ne scilicet nova illa difficultate Philosophos ab amplectenda veritate deterreret, quos ad verae sapientiae cultum adducere sibi constituerat. Itaque Lactantius oeconomiae caussa, tacet peccatum originale; sed illud non negat: unde ex ejus silentio nihil contra ejusdem peccati originalis existentiam concludi potest.

Objicies 5. S. Gregorius Nyssenus in Oratione de infantibus praematura morte abreptis, ab Hierio quaesitus, an infantes illi ad universale judicium vocandi essent, respondet exclamandum cum Apostolo, O ALTITUDO! 2. Docet, infantes esse omnis malitiae expertes, nec indigere sanitate: *Puellus* (inquit) *infans simplex, omnisque malitiae expers... sanitate quae per purgationem contingit, non indigens*: ergo Gregorius, &c.

Resp. Gregorium Nyssenum eo in loco loqui de infantibus baptizatis. Nam 1. unice loquitur de infantibus qui in lucem prodierunt, non autem, de iis qui utero materno moriuntur: *Qui* (inquit ibidem) *in aere fuit.* 2. Asserit, infantes, de quibus agit, hoc est, baptizatos, beatitudine fruituros esse, non aequali quidem ei, qua donandi sunt adulti qui baptismate initiati sunt: Addit, eam infantium felicitatem proprie dici non debere retributionem, quia retributio est cum operibus praecedentibus correlativa. Nec obstat, quod Gregorius Nyssenus dubitaverit, an qui infantes mortui sunt, in universali judicio sistendi sint coram Christo judice: Nam sicut tempus quo futurum est universale judicium, incertum est; ita & Gregorio incertus fuit modus, quo judicium illud fieri debet: unde cum Apostolo exclamandum dixit, *O altitudo!* Sed si Gregorii sententia ex aliis ejus operibus investigetur, evidenter patebit, persuasum ei fuisse, existere peccatum originale. Instar omnium sint haec ejus verba in libro de vita Moysis: *Occultior quaedam* (inquit) *traditio & verus sermo ad nos usque descendit, quo creditur, posteaquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino a clementia divina neglectam, neque absque suo patrocinio dimissam.*

Objicies 6. S. Joannes Chrysostomus in hom. 1. ad Neophytos, scribit, infantes ideo baptizari, ut eis addatur sanctitas, non autem ut abluantur a peccato: *Hac de caussa* (inquit) *etiam infantes baptizamus, cum vel quamvis non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint*: ergo &c.

Resp. dist. ant. Sanctus Joannes Chrysostomus scribit, infantes baptizari, quamvis non sint coinquinati peccato actuali, conc. ant. peccato originali, neg. ant. Ratio est, quia Graeca Chrysostomi verba non habent *peccato*, in singulari numero, sed *peccatis*, in plurali; sic enim latine reddi debent: *Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes.* Ita respondet Augustinus l. 1. contra Julianum, c. 3. Quaerenti vero Juliano, cur, si ea fuerit mens Chrysostomi, non addiderit, *propria*, hisce verbis Augustinus respondet: *Quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur; tali enim quaestione nullius, vel nullus pulsabatur, & vobis nondum litigantibus, securius loquebatur.* Vide alia ejusdem S. Patris opera, quae inter nostrae conclusionis probationes superius allata sunt.

Instabis 1. Chrysostomus hom. 10. in Epistolam ad Romanos docet, mortem ex Adamo quidem in ejus posteros transmissam fuisse, non vero peccatum inobedientiae, cujus factus est reus: *Adamo* (inquit) *peccante, ac mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, eos*

tale esse, nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id vero quam, obsecro, congruentiam, consequentiamque habeat? Invenietur enim, nec pœnas habere qui talis fuerit, siquidem non ex ipso peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum hoc Peccatores, *significat? Mihi videtur tantumdem significare, quantum illud, Supplicio obnoxii & mortis rei*: ergo Chrysostomus non solum peccata actualia, sed originale ab infantibus minime baptizatis excludit.

Resp. dist. ant. Chrysostomus docet, actuale peccatum inobedientiæ, cujus Adamus factus est reus, in nos transmissum non fuisse, conc. ant. alioquin enim (ut ibidem ait Chrysostomus) ei qui non peccasset, pœna infligeretur: peccatum quod sit actualis peccati Adami effectus, neg. ant. nempe mors, ex Chrysostomo, pœna est quæ omnibus hominibus infligitur: ergo supponit demeritum quod præcesserit; pœna enim est correlativa ad demeritum: illud autem demeritum non est actuale, cum infantes, qui tamen morti obnoxii sunt, incapaces sint alicujus actus: ergo est originale tantum.

Objicies 7. Theodoretus docuit, remissionem peccatorum non esse effectum baptismatis; ut autem id probet, utitur Ecclesiæ praxi, quæ infantes abluit, licet nullius peccati rei sint: *Si enim* (inquit lib. 5. hæretic. fabul. c. 18. adversus Messalianos) *hoc solum opus erat baptismatis, quorsum infantes, qui peccatum nondum gustaverunt, baptizarentur?* ergo &c.

Resp. dist. ant. Theodoretus docuit, remissionem peccatorum actualium non esse solum effectum baptismatis, conc. ant. remissionem actualium, & ipsius etiam originalis, neg. ant. Ratio est, quia de eadem peccati specie loquitur Theodoretus, de qua inter Ecclesiam & Messalianos erat quæstio: Sed quæstio erat de solis peccatis actualibus; hæc enim sola Messaliani contendebant per baptismum, quasi adhibita novacula, tolli; originale vero non per baptismum, sed per orationem dimitti; quod quidem absurdum esse Theodoretus probat ex Ecclesiæ praxi, quæ infantes abluit, quamvis rei sint solius originalis peccati.

Solvuntur argumenta ex ratione petita.

Objicies 1. Christi justitia non prodest iis, qui non credunt; ergo neque peccatum Adæ nocet non peccantibus: at infantes non peccant, cum sint expertes libertatis: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Christi justitia non prodest iis, qui nec propria nec aliena voluntate credunt, conc. ant. qui non propria quidem, sed aliena voluntate credunt, neg. ant. Dist. pariter conseq. Ergo neque peccatum Adæ nocet non peccantibus, aut propria, aut aliena voluntate, conc. conseq. non peccantibus quidem propria, sed aliena, neg. conseq. Desumptum est ex Augustino responsum illud; nempe lib. 3. de peccat. meritis c. 2. docet, quod sicut justitia Christi prodest aliena voluntate credentibus, eorum nimirum a quibus aut offeruntur, aut baptizantur, aut ipsius Ecclesiæ: ita Adami iniquitas nocet iis qui aliena voluntate, in primo scilicet hominum parente, peccarunt.

Objicies 2. Homines baptizati carent originalis peccati culpa; ergo eam in posteros transmittere non possunt: nemo enim dat quod non habet.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia homines baptizati non generant secundum spiritum, secundum quem sunt filii Dei; sed secundum carnem, secundum quam, cum in ea vigeat libido, sunt adhuc filii sæculi. Ita ratiocinatur Augustinus in lib. 2. de Nuptiis, & Concupisc. cap. 34.

Objicies 3. Si anima inficeretur peccato originali, illud peccatum in Deum ipsum refundi deberet; sed absurdum est consequens: ergo, &c. Probatur maj. Quæ rei alicui ab origine conveniunt, refunduntur in ejusdem rei caussam efficientem; sic ignis calor in Deum creatorem refunditur, eo quod igni ab origine conveniat: atqui Deus est caussa efficiens, & quidem unica, animæ; neque enim anima per traducem ab homine, sed per creationem a Deo producitur: ergo peccatum originale in Deum refunderetur.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. maj. Quæ rei alicui ab origine conveniunt, refunduntur in ejusdem rei caussam efficientem, si ei conveniant ex vi actionis, per quam producitur, conc. maj. secus neg. maj. Peccatum originale non accidit animæ ex vi actionis, per quam a Deo producitur, sed ex vi unionis cum corpore; quod ratione seminis, est pars ipsiusmet Adami. Anima ex vi suæ creationis se habet sicut aqua purissima: quemadmodum igitur aqua, in se licet purissima, corrumpitur, si vase immundo & sordido concludatur: ita & anima fœditatem contrahit ex sua cum carne vitiata conjunctione. *In carne* (inquit Augustinus lib. 5. contra Julianum, cap. 3.) *sicut aqua in vase vitiato corrumpitur.*

Objicies 4. Non peccat ille qui nascitur, cum electionis capax non sit: non peccat ille qui genuit, alioquin enim illicitus esset conjugii usus: non peccat ille, qui condidit: per quas igitur rimas inter tot præsidia peccatum fingis ingressum? Argumentum est Juliani apud Augustinum in lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentia c. 18.

Respondet hisce verbis Augustinus: *Quid quæris latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem* (ait Apostolus), *per unius delictum* (ait Apostolus)

per

per unius hominis inobedientiam (*ait Apostolus*). *Quid quaeris amplius ? quid quaeris apertius ? quid quaeris inculcatius ?*

Objicies 5. Si peccatum originale per generationem traduceretur in posteros, sequeretur usum matrimonii fore illicitum; in eo enim casu usus matrimonii foret peccati caussa: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. seq. maj. Ad 2. dist. ant. In eo casu usus matrimonii per accidens foret caussa peccati, conc. ant. per se; neg. ant. hoc est, usus matrimonii non est caussa, aut occasio peccati, nisi in quantum exercetur cum libidine: at illa libido, *per se*, usui matrimonii annexa non est: illius enim expers fuisset in Adami innocentis nuptiis: sed *per accidens* tantum, in quantum scilicet fit per semen ex Adamo corrupto decisum: unde, si non propter illam libidinem, sed prolis generandæ caussa, matrimonii usus exerceatur, illicitus non est, quamvis malum, peccatum nimirum originale, præter exercentis intentionem sequatur. Ita Augustinus lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum cap. 42. Addit idem Sanctus Doctor in l. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 18. *Propter hanc*, libidinem, *fieri, ut etiam de justis, & legitimis filiorum Dei, non filii Dei, sed sæculi filii generentur, quia & ii qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant, ex quo filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filii sæculi.*

Objicies 6. Omne peccatum est voluntarium: atqui peccatum originale non potest in infantibus esse voluntarium: ergo nec peccatum. Juliani est illud argumentum; scilicet quærenti de parvulis, *Per quid subjicerentur diabolo, quos Deus facit*, respondente Augustino, *Per peccatum, non per naturam*, sic Julianus urgebat: *Sed non potest esse sine sexibus fetus, ita nec sine voluntate potest esse peccatum.*

Resp. dist. maj. Omne peccatum est voluntarium, vel physice, vel moraliter, conc. maj. physice tantum, neg. maj. Dist. pariter min. Atqui peccatum originale non potest in infantibus esse voluntarium physice, conc. min. voluntarium moraliter, neg. min. Ratio est, quia licet infantes non sint capaces actus quo physice, hoc est, propriæ voluntatis actu, peccatum eligitur, sunt tamen capaces electionis moralis, ejus nimirum quæ fit ab eo qui se habet tanquam, non physicum tantum, sed etiam morale aliorum caput: In quantum enim sunt membra illius moralis capitis, eorum voluntas moraliter in capitis voluntate includitur: proindeque æquum est, ut malum quod eligitur a capite, membris etiam imputetur, sicut æquum est, ut pacta conventa inter principem, & populi majores natu, ab omnibus civibus serventur. Augustini est illa responsio; sic enim Pelagianis argumentum illud urgentibus respondet lib. 4. Operis imperfecti c. 90. *Ad hoc peccati genus ex libera voluntate perventum est, non ejus propria qui nascitur; sed ejus in quo omnes originaliter fuerunt, quando communem naturam mala voluntate vitiavit. Non habent ergo parvuli tempore conceptus, vel ortus sui, peccandi voluntatem: sed ille tempore prævaricationis suæ magnum illud peccatum libera voluntate commisit, a qua originalis peccati contagium humana natura contraxit.*

QUÆSTIO II.

Quid sit peccatum originale.

Not. Circa essentiam originalis peccati varie varii opinati sunt. Mathias Illyricus, Lutheranus, & non ultimus ex Centuriatoribus Magdeburgensibus, in libello de justitia originali docuit, originale peccatum esse substantiam, in quam per primi parentis inobedientiam anima posterorum illius immutata fuit; ita ut ex substantiali imagine Dei, facta fuerit substantialis imago diaboli.

Albertus Pighius Controversia 1. de peccato originali, contendit, peccatum originale esse ipsummet Adami peccatum, quod Deus illius posteris imputet ea ferme ratione, qua princeps patris rebellionem imputat filio.

Plures Thomistæ contendunt, peccatum originale esse meram privationem justitiæ originalis, seu justitiæ, in qua Deus primos parentes condiderat, cujus quidem privationis, concupiscentia, seu propensio ad malum, sit effectus. Non pauci alii, secuti (ut putant) S. Augustinum, docent, essentiam peccati originalis non in alio positam esse, quam in concupiscentia. Quid nos de ea controversia sentiamus, subsequentibus conclusionibus aperietur.

CONCL. 1. Peccatum originale non est substantia.

Probatur 1. Omnis substantia, cum rationem entis habeat, est a Deo; primum enim in unoquoque genere, est caussa ceterorum: atqui peccatum originale non est a Deo; implicat nimirum, ut id, quod per se malum est, sit ab ente quod bonum est per essentiam. 2. Peccatum, reduplicative prout est peccatum, non est ens, sed debitæ rectitudinis privatio, eo nimirum principio usus est Augustinus contra Manichæos agens, ut probaret, non existere primum aliquod substantiale principium nequam, ex quo mala omnia nascerentur. 3. Mathias Illyricus falso supponit, animam substantialiter per primi parentis peccatum immutatam fuisse; scilicet, mutatio in substantia spirituali fieri potest tantum per mutationem voluntatis, aut intellectus; at illa mutatio non potest substantialiter animam immutare: siquidem non mutatur voluntas, nisi per mutationem affectuum, nec intellectus nisi per subtractionem

aut

aut augmentum luminis; sed nec affectuum mutatio, nec subtractio luminis possunt substantialiter animam immutare: sunt enim variæ modificationes, quæ substantiæ in suo esse physico remanenti de novo accidunt: ergo &c.

Objicies 1. Imago Dei est substantia: ergo & imago diaboli: sed peccatum originale non aliud est, quam imago diaboli: ergo peccatum originale est substantia.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia imago Dei in homine est vis illius intellectiva: homo enim est imago Dei, in quantum est substantia intellectu & voluntate prædita: e contra vero imago diaboli non aliud est, quam inordinatio voluntatis, hoc est, conversio ad bonum commutabile, & aversio a bono incommutabili: illa autem conversio, illa aversio non sunt substantia aliqua de novo producta, sed accidentales tantum animæ modificationes.

Objicies 2. Peccatum originale hominem constituit diaboli filium: atqui homo non constituitur diaboli filius, nisi per substantiam diabolicæ similem; scilicet filius gerere debet substantialem patris similitudinem: ergo, &c.

Resp. cum S. Augustino libro contra Adimantum, c. 5. aliquem tribus modis posse esse alterius filium: 1. quidem per naturam; sic Adamus est omnium hominum pater: 2. per doctrinam; eo sensu Apostolus Corinthios vocat filios suos: 3. denique per imitationem, & in hoc ultimo sensu intelligi debet textus, qui ex Joanne nobis objectus est.

Probatur. 2. Peccatum originale non est ipsum in individuo Adami peccatum.

Probatur. Ipsum in individuo Adami peccatum posteris illius non communicatur; est enim formalis & singularis inobedientia Adami: atqui peccatum originale posteris Adami communicatur, non autem solæ illius pœnæ; ita enim definit altera Synodus Arausicana canone 11. ubi hæc habentur: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini, asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus hominum transiisse testatur; injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, Per unum hominem, &c.*

Concilium Trident. sess. 3. c. 11. docet, peccatum originale omnibus inesse, ac unicuique proprium: atqui ipsum actuale Adami peccatum non est unicuique proprium. 2. Eadem sacra Synodus mox laudata sessionis tertiæ canone 4. definit, parvulos in remissionem peccatorum baptizari, ut in eis regeneratione mundetur quod ex generatione contraxerunt: ergo in parvulis non est sola denominatio externa petita ex præterito Adæ peccato, sed verum aliquid & reale peccatum. Idem docet Augustinus in lib. 3. de peccatorum meritis, cap. 8.

Objicies. Apostolus in epistola ad Romanos asserit 1. omnes peccasse in uno Adami peccato: *In quo* (inquit) *omnes peccaverunt*. Asserit 2. Judicium esse ex uno delicto in condemnationem. Asserit 3. Per unius hominis inobedientiam, & per unius delictum peccatores constitutos esse multos: Sed eæ loquendi formulæ significant, unum in individuo esse peccatum Adami & posterorum illius: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. scilicet eæ loquendi formulæ significant, Adami peccatum esse caussam peccati originalis, quod inhæret singulis illius posteris; non autem quod ipsummet Adami peccatum actuale, sit formaliter ipsum posterorum peccatum. Confirmatur ex eo quod sicut ex his Apostoli verbis: *Per unius obedientiam justi constituti sunt multi*, concludi non potest, hominem esse justum per ipsam actualem Christi obedientiam; sed tantum eam actualem obedientiam esse caussam meritoriam nostræ justificationis; ita nec ex hoc loquendi modo, *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, colligi potest, homines constitui formaliter peccatores & reos per ipsam actualem Adami inobedientiam; sed tantum quod ea actualis inobedientia constituantur peccatores.

CONCL. 3. Materiale peccati originalis est concupiscentia: ita expresse docet S. Thom. 1. 2. quæst. 82. art. 3.

Probatur 1. auctoritate S. Augustini, qui in omnibus fere suis operibus contra Pelagianos, dicit peccatum originale esse concupiscentiam, ut videre est lib. 1. contra Julianum, cap. 13. lib. 2. cap. 11. lib. 4. cap. 1. ejusdem libri c. 8. lib. 6. c. 19. lib. 1. de nuptiis & concupisc. c. 19. lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 12.

CONCL. 4. Peccatum originale, sumptum secundum esse formale, est concupiscentiæ reatus.

Probatur 1. auctoritate S. Augustini qui expresse docet, peccatum originale esse concupiscentiæ reatum; ut videre est in libro 1. de nuptiis & concupiscentia c. 19. 26. 31. iis enim in locis aperte docet peccatum originale remanere actu, transire vero reatu: *Manet* (inquit) *actu, transit reatu*. Non aliud in parvulo nondum per baptisma renato Deus odit, quam concupiscentiæ reatum, non aliud in eodem parvulo damnationis est caussa; non aliud est in eodem parvulo quod adversetur æternæ legi, quam idem concupiscentiæ reatus: ergo peccatum originale sumptum secundum esse formale, est reatus concupiscentiæ.

Quæres, quid intelligatur per illum concupiscentiæ reatum?

Resp. 1. non intelligi reatum pœnæ. Ratio

tio est, quia reatus pœnæ in parvulo nondum regenerato præsupponit peccatum originale: nempe reatus pœnæ, est debitum, quo quis, ex justitiæ regulis, obnoxius est pœnæ; est obligatio ad pœnam subeundam: atqui & illud debitum, & illa obligatio præsupponunt peccatum; siquidem sub Deo justo nemo, nisi mereatur, miser esse potest.

Resp. 2. concupiscentiæ reatum, esse reatum culpæ, seu privationem justitiæ originalis: ita loco superius laudato expresse docet S. Thomas; & quidem merito: nam ex eo quod infantis anima propter finem supernaturalem, ut supponitur, creata, privetur justitia originali, necessario sequitur, eam esse immundam & iniquam: habitualiter ipsam esse concupiscentiæ, seu creaturarum amoris mancipium ac servam; esse extra ordinem illum quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat; in eo nimirum positus est ille ordo, ut anima uni Deo per amorem subjecta, creaturæ per eumdem amorem dominetur.

Objicies. Si formale peccati originalis in reatu culpæ positum sit, explicari non poterit, quomodo idem peccatum originale per baptismu in parvulis deleatur: sed absurdum est consequens: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia parvulis per baptismum infunditur caritas, quæ cum eorum animam cum Deo uniat, ac conjungat, tollit concupiscentiæ dominium ac imperium; delet ejusdem concupiscentiæ reatum & culpam, restituitque animæ, quod præcipuum erit in justitia originali, gratiam nimirum sanctificantem: *Jam procul dubio cernis* (inquit Augustinus libro 2. contra Julianum cap. 5.) *atque concedis esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus, qui ex illo contractus fuerat, auferatur in baptismo.*

QUÆSTIO III.

De caussa proxima transfusionis peccati originalis.

Not. TRes sunt sententiæ. Prima docet, caussam proximam peccati originalis esse animæ generationem, ita ut anima non minus quam corpus a parentibus generetur; hincque concludit, quod sicut parentes corporis morbos filiis suis plerumque communicant, ita etiam in animam peccatum originale, quod, materialiter saltem, positum est in concupiscentia, in posteros transfundatur. Eum propagationis modum pluribus in locis Augustinus asseruit, sed de eo postea ad mortem usque dubitavit, ut patet ex ejusdem S. Doctoris epistola 28. quæ est ad Hieronymum, nec non ex libro de anima c. 13. ubi expresse scribit, se ideo ab asserenda animarum creatione retardari, quod non concipiat, quomodo innocens anima juste in carne creetur, ubi peccatum contrahat. Altera sententia supponit 1. Deum in una primi hominis voluntate, omnium illius posterorum voluntates inclusisse; supponit 2. Deum abstrahendo a libidine, qua proles generatur, pactum iniisse cum Adamo, aut de transfundenda in illius posteros justitia originali, si ipse in ea staret, nec impositum sibi de non edendo fructu vetito præceptum transgrederetur; aut de subtrahendo posteris omnibus eamdem justitiam originalem, si ipse inobediens fieret.

Tertia sententia docet, proximam caussam originalis peccati in parvulis esse libidinem, cum qua a parentibus generantur.

CONCLUSIO 1. Peccatum originale non transfunditur in posteros per actionem, quæ sit eorum animæ generativa.

Probatur. Licet Augustini tempore Ecclesia expresso decreto nondum statuisset, quid de animarum productione sentiendum sit, statuit tamen postea, definitque (ut in secundo harum Instit. Tomo dictum est) eas a parentibus non generari, sed a Deo immediate creari, infundique corporibus, quibus uniuntur. Ergo animæ per parentes generatio non est caussa transfusionis peccati originalis in posteros.

CONCL. 2. Peccatum originale non transfunditur in posteros vi pacti, quod Deus cum primis parentibus inierit.

Probatur 1. Nullum est ejusmodi pacti vestigium aut in Scripturis, aut in traditione: ergo sine fundamento asseritur. 2. Altum est de eo pacto silentium apud Augustinum, licet toties de propagatione peccati originalis contra Pelagianos disseruerit. 3. Sententia quæ peccati originalis transfusionem per pactum illud explicat, abstrahit a libidine, cum qua parentes filios generant: at abstractio illa cum Augustini principiis non cohæret, ut mox dicetur; ergo, &c.

CONCL. 3. Caussa proxima transfusionis peccati originalis in posteros, est generantium libido, seu concupiscentia.

Probatur variis Augustini principiis.

I. S. Doctor in generantium concupiscentiam, tanquam in caussam proximam, refundit peccatum, quod eorum posteri nascendo contrahunt: *Hac concupiscentia* (inquit in libro de nuptiis & concupiscentia cap. 23.) *quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione transit in posteros.* Eodem modo loquitur lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum cap. 250. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 6.

II. Idem S. Doctor Pelagianis quærentibus, *Quomodo peccatum transit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus per baptismum esse dimissum?* sic respondet lib. 2. de peccatorum meritis cap. 15. *Propter hanc*

ergo,

ergo; concupiscentiam, *fit, ut etiam de justis & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii sæculi generentur: quia & ii qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant, quod filii Dei sunt, sed ex quo adhuc*, per concupiscentiam, *filii sæculi*.

III. Idem S. Doctor non ex alio capite peccatum originale depellit a Christo, quam quod conceptus non sit ex maris cum femina conjunctione, quæ quidem in statu naturæ lapsæ non fit sine æstuantis concupiscentiæ motu: *Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per concupiscentiam carnis transit, transire* (inquit lib. 5. contra Julianum cap. 13.) *in eam carnem non potuit, quam non per illam Virgo concepit*. Eodem modo loquitur in lib. 1. de nuptiis cap. 2. nec non lib. 6. contra Julianum capite ultimo, & passim aliis in locis, ubi quæstionem illam pertractat.

Quæres, quomodo per parentum concupiscentiam peccatum originale in illorum posteros transfundatur?

Resp. Augustinum modum, de quo agitur, explicare lib. 3. contra Julianum cap. 14. lib. 5. cap. 4. lib. 2. de nuptiis cap. 8. lib. 2. operis imperfecti contra Julianum cap. 389. lib. 6. contra Julianum c. 7. lib. 1. de nuptiis cap. 19. Loca illa lector ad quæstionis, de qua agitur, solutionem consulere poterit.

QUÆSTIO IV.

De subjecto peccati originalis.

Not. Nomine subjecti, hic eos intelligimus, ad quos peccatum originale transfunditur: quæri autem potest 1. utrum humanitas Christi peccatum originale contraxerit: 2. an Virgo Deipara: 3. utrum alii omnes homines.

CONCL. 1. Fide Catholica certum est humanitatem Christi nec contraxisse, nec contrahere debuisse peccatum originale.

Probatur. Ille nec contraxit, nec contrahere debuit peccatum originale, qui per concupiscentiæ ardorem conceptus non est; scilicet (ut superius dictum est) concupiscentia sola est via, per quam Adami peccatum in posteros propagatur: atqui Christus non fuit conceptus per ardorem concupiscentiæ, neque enim conceptus fuit ex virili semine, sed Spiritus sancti operatione mirabili, ex purissimo sanguine virginis efformatum est illius corpus. Augustini est illud argumentum lib. 5. contra Julianum cap. 13.

CONCLUSIO. 2. Virgo Deipara contraxit debitum originalis peccati.

Probatur. Virgo Deipara concepta fuit per parentum concupiscentiam. Vix alioquin concipi posset, quomodo Christus sit Mariæ liberator & redemptor; quomodo pro ea Christus mortuus sit; scilicet Christus pro iis tantum mortuus est, qui aut actu per peccatum mortui sunt, aut qui secundum legem ordinariam mori debuerunt, & revera mortui fuissent, nisi per speciale beneficium a peccati reatu præservati fuerint. Vide Epistolam Zosimi Papæ, quæ ab Augustino Epistola 154 laudatur.

CONCL. 3. Quæstio, an Virgo Deipara peccatum originale actu contraxerit, non pertinet ad fidem *Catholicam*.

Probatur 1. ex Sixto Papa IV. qui Constitutione lata anno 1483 sub anathematis pœna prohibuit tum affirmantibus tum negantibus, B. Virginem immunem fuisse ab originali peccato, ne sibi invicem censuræ alicujus theologicæ notam inurant.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino, quod quidem sess. 5. sic loquitur: *Declarat hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem: sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat*. Vide plures alias de eodem argumento Summorum Pontificum Constitutiones apud Bonacinam in tractatu de peccatis. Quæ contra conclusionem nostram objiciuntur ex Concilio Basileensi, lector pertractata reperiet harum Institutionum Tom. 1. ubi decreta Concilii Basileensis explicuimus. Vide tractatum eximii Doctoris Sorbonici D. Feu De peccatis.

CONCL. 4. Filii fidelium nascendo peccatum originale contrahunt. Est contra Pelagianos, Zuinglium in libro de Baptismo, Calvinum in Antidoto Concilii Tridentini, & Bucerum in c. 3. Matthæi.

Probatur. 1. ex Scriptura, quæ cum de peccato originali loquitur, non distinguit inter homines natos ex parentibus fidelibus, & eos qui ex infidelibus progeniti sunt: e contra terminis (ut suo loco dictum est) universalibus utitur.

Probatur 2. ex traditione, quæ docuit 1. omnes homines qui ex viri semine generantur, sive ex fidelibus nati sint, sive ex infidelibus, contrahere peccatum originale. Docuit 2. baptismum omnibus omnino hominibus ab Evangelii promulgatione necessarium esse necessitate medii. Vide Augustinum iis locis quæ superius a nobis laudata sunt. Ea tamen loca interpretetur lector ea cautione, quam Conclusione tertia ex Concilio Tridentino retulimus.

Objicies 1. Apostolus ad Rom. cap. 11. sic loquitur: *Quod si delibatio sancta est, & massa: Et si radix sancta, & rami*. Ea ratione utitur idem Apostolus prima ad Cor. 7. ut christianas uxores deterreat a dimittendo marito infideli: *Alioquin* (inquit) *filii*

vestri

vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt: ergo, &c.

Resp. Massa est sancta, rami sunt sancti, si per baptismum regenerentur, conc. ant. si non regenerentur, neg. ant. Apostolus de prioribus tantum loquitur: idque patet 1. ex scopo quem sibi proponit in Epistola ad Romanos; scilicet vult probare, gentiles ad fidem conversos non debere Judæos conversos aspernari eo quod sint veluti delibatio, veluti rami, qui ex judaica radice, in Christo per baptismum nati sunt; ita ut Judæis tanquam antiquæ arbori veluti rami sylvestres inserti fuerint. Patet 2. ex scopo quem in laudata Epistola ad Corint. idem Apostolus sibi proponit: nempe eo loci hoc argumento mulieres christianas deterret a dimittendis maritis infidelibus, quod profuturæ sint suæ proli, apud quam, propter educationem, bene audiet Evangelium; & quæ tandem aliquando mulieris fidelis precibus, exemplo, monitis, religioni christianæ nomen dabit.

Objicies 2. Levi (ut patet ex Epistola ad Hebræos) in lumbis Abrahæ ita decimatus est, ut postea natus decimari non debuerit: ergo a pari filii fidelium ita in parentum lumbis sanctificati sunt, ut alia per baptismum sanctificatione non egeant.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia ideo Levi jam in lumbis Abrahæ a Melchisedecho decimatus, iterum postea decimari non debuit, quia tum ei, tum ejus posteris sacerdotium credendum erat: at filiis fidelium, præcise ex eo, quod sint a fidelibus nati, nullum privilegium concedendum fuit: non minus enim per parentum concupiscentiam nascuntur, quam ii qui ex parentibus infidelibus generantur. Ita ratiocinatur Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 5.

QUÆSTIO V.

De pœnis peccato originali in altera vita debitis.

Not. 1. PŒnæ peccato originali in altera vita debitæ sunt 1. exclusio a regno cælorum; 2. privatio vitæ æternæ; 3. dolor internus, qui tum ex exclusione a regno calesti, tum ex privatione vitæ æternæ nascetur; 4. denique pœna sensus, seu ignis, quo in illud animadvertetur.

Not. 2. Exclusionem a regno cælorum pœnam esse, qua peccatum originale in altera vita puniri debeat, negavit Vincentius quidam, cujus Augustinus meminit lib. 2. & 3. de anima, & ejus origine.

Pelagiani (Augustino teste in libro de hæresibus, hæresi 88. Epistola 106. Sermone 14. de verbis Apostoli, lib. 3. contra Julianum cap. 12.) confessi sunt quidem, infantes sine baptismo mortuos, a regno cælorum excludendos esse; sed contenderunt, illos esse fruituros æterna vita, & constituendos esse in loco, qui inter damnatos & beatos medius sit.

Albertus Pighius, Catharinus, nonnullique alii docuerunt, infantes sine baptismo mortuos excludendos quidem esse tum a regno cælorum, tum a vita æterna, sed addiderunt, eos nullum ex illa exclusione passuros esse dolorem. Immo contenderunt, infantes illos quadam beatitudine naturali post extremum judicii diem fruituros esse. Eam vero beatitudinem censuerunt positam esse 1. in vegetis & sanis corporibus, quæ infantibus, de quibus est quæstio, a Deo concedantur: 2. in abstractiva Dei, & clara plurium veritatum cognitione; 3. in immunitate a pravis concupiscentiæ motibus; 4. in aliqua cognitione Christi, quem in ultimo judicii die conspecturi & reverituri sint; 5. denique in amœnissima terræ, quam incolent, superficie.

Bellarminus, cui in eo capite multi scriptores præiverunt, quemque non pauci alii deinceps secuti sunt, censuit, parvulos, de quibus agitur, gravissimum quidem ex sui tum a regno cælorum, tum a vita æterna exclusione, dolorem percepturos esse; sed negavit, eos torquendos esse pœna sensus, seu æterno illo igne, qui (ut ait Evangelium) paratus est diabolo & angelis ejus.

E contra alii theologi, inter quos Sylvius, cui præiverunt plures alii, & quem postea non pauci secuti sunt, asseruerunt, infantes illos non tantum gravissimo animi dolore, sed etiam ignis pœna in inferis cum diabolo torquendos esse. Quænam ex iis sententiis eligi debeat, subsequentibus capitibus fuse a nobis est expendendum.

CAPUT PRIMUM.

An parvuli sine baptismo mortui, immunes sint ab interno animi dolore.

CONCL. 1. Infantes sine baptismo mortui, a regno cælorum excluduntur.

Probatur ex his Christi verbis, Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum.* Probatur iterum ex traditione, quæ quidem (ut de Sacramentis agentes diximus) unanimi consensu hucusque docuit, baptismum esse ad salutem necessarium necessitate medii.

CONCL. 2. Infantes sine baptismo mortui, nusquam æterna vita fruentur.

Probatur 1. Regnum cælorum, seu intuitiva Dei cognitio, & vita æterna, sunt unum & idem, juxta illud Christi in Evangelio: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* 2. Sententiam, quæ parvulis absque baptismo mortuis vitam æter-

æternam, etiam extra regnum cælorum, pollicetur, damnarunt Concilia, quæ tum Romæ, tum in Africa, tum in Palæstina contra Pelagium habita sunt, ut superius dictum est.

CONCL. 3. Infantes sine baptismo mortui, internum animi dolorem patientur ex sui, tum a regno cælorum, tum ab æterna vita exclusione.

Probatur. Infantes sine baptismo mortui, regnum cælorum amabunt: nimirum in regni calorum possessione, seu intuitiva Dei visione posita est beatitudo, ad quam creatura rationalis condita fuit. Ingens vero illud & summum regni cælestis desiderium, quo, supposito præsenti rerum statu, infantes sine baptismo mortui tenebuntur, expleri nusquam poterit: idque iisdem infantibus certo persuasum erit: ergo summa afficientur tristitia, summo dolore cruciabuntur: ita nimirum comparata est creaturæ rationalis natura, ut non possit non dolere, cum frustratur bono quod enixe desiderat, & a quo pendet illius felicitas; ac præsertim si certo noverit, se nusquam bono illo fruituram esse: *Qui enim appetit* (inquit Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ cap. 3.) *quod adipisci non potest, cruciatur*.

Quod hucusque propositum est argumentum, eodem modo, licet aliis verbis, urget Augustinus in libro 6. contra Julianum, c. 4. ubi sic loquitur: *Quid igitur eum offenderunt, quos pariter innocentes, mundos, a se ad imaginem suam creatos, innumerabiles ab ipso munere alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis prævenit beneficii largitate, separans tot imagines suas a regno suo? Si hoc eis non erit malum; non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei: Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?*

Ex iis Augustini verbis evidenter colligitur S. Doctorem censuisse 1. infantes, qui sine baptismo moriuntur, vehementi in regnum cæleste desiderio teneri; 2. valde cruciari eos, quod illud regnum aliquando possidendi spes ipsis affulgeat nulla; scilicet *mali* nomine, quo S. Doctor eo in loco utitur, intelligitur internus animi dolor, tum quod malum illud colligat ex beatitudinis amore, quem supponit in infantibus, de quibus agitur; tum quod lib. 13. de civit. Dei c. 2. malum, dolorem interpretetur: *An* (inquit) *quia vita qualiscumque aliquod bonum est, dolor autem malum, ideo nec vivere corpus dicendum est, in quo anima non vivendi caussa est, sed dolendi?* 3. Si negetur, infantes, de quibus agitur, aut cælestis regni desiderio teneri, aut ex frustrato illo desiderio non cruciari, corruet argumentum, quod Augustinus pro peccati originalis in parvulis existentia ex illo desiderio, ex illo cruciatu desumit.

Objicies 1. infantes sine baptismate mortui, nec amant, aut desiderant regnum cæleste, seu intuitivam Dei visionem; nec, dato etiam quod illud ament aut desiderent, cruciantur ex amore illo, ex desiderio illo frustrato torquentur: ergo nullum animi dolorem ex sui a cælesti regno exclusione patiuntur. Probatur ant. 1. Infantes, qui sine baptismo mortui sunt, nullam de intuitiva Dei visione ideam habent, nullam cognitionem; neque enim, cum sit supernaturalis, sine gratia (quam haud dubie non habent) cognosci potest. 2. Dato quod intuitivæ Dei visionis aliquam ideam habeant, non eam tamen desiderant, quia nesciunt se ad eam ordinatos aliquando fuisse, cum id cognosci non possit, nisi per fidem, quam infantes, de quibus agitur, nusquam habuerint, aut habituri sint aliquando. 3. Deus pro sua singulari providentia impedit, ne parvuli sine baptismo mortui, ex sui a regno cælesti exclusione perpetua dolorem aliquem patiantur: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ad cujus priorem & alteram probationem, dicendum est 1. eas, si valeant, probare, non tantum parvulos qui sine baptismate mortui sunt, sed etiam adultos qui in gentilitate, ubi nihil unquam de Evangelio audierunt, diem clauserunt extremam, aut regni cælestis desiderio non teneri, aut ex frustrato, si quod sit, illo desiderio non cruciari; neque enim adulti illi aliquando fidem habuerunt, per quam unam (ut adversarii contendunt) homo scire potest, beatitudinem in intuitiva Dei visione positam esse; creaturam rationalem in ordine ad claram illam Dei visionem conditam esse.

Dicendum est 2. homines omnes, sive sint adulti, sive parvuli, in judicio tum particulari, tum universali, cogituros esse, beatitudinem esse positam in possessione regni cælestis, in intuitiva Dei visione, se ad eam conditos fuisse; privari se ea in pœnam peccati, aut actualis, aut originalis, aut utriusque simul.

Adultos qui aut in infidelitate, aut in impietate obierunt, Scriptura, Sapientiæ quinto, sic de prædestinatis hominibus loquentes inducit: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum... Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est*. Quæ quidem infidelium, aut impiorum verba aperte supponunt, eos cogituros esse statum & conditionem prædestinatorum, seque in pœnam peccatorum ab eo statu, a conditione exclusos esse.

Parvuli, qui sine baptismo mortui sunt, qui-

quique adfuturi sunt universali judicio, audient hanc in seipsos, cum ad Christi judicis sinistram futuri sint, ferendam sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Scient præterea, quam æqua futura sit sententia quæ in eis feretur: ac proinde noscent caussam, seu peccatum originale, in quod tam severo judicio in eos animadvertetur. Noscent insuper felicitatem, qua parvuli post acceptum baptisma mortui donandi sunt: audient enim hanc de iis, qui ad Christi judicis dexteram erunt, sententiam: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*.

Ad tertiam antecedentis probationem dicendum est 1. figmentum esse quod asseritur, Deum impediturum, ne infantes, de quibus agitur, ex sua a cælorum regno exclusione crucientur: nullum enim ejusmodi providentiæ vestigium, aut in sacris codicibus, aut in Patrum traditione reperitur. Dicendum est 2. postulare e contra Dei providentiam, ut a regno cælorum exclusio infantes, de quibus est quæstio, interius torqueat, & quidem eo intensius, quo tunc in eis intensius erit ejusdem regni cælestis desiderium, tanto majus futurum, quo mens tunc minime in aliud distracta, horrendam miseriam, quæ ex regni cælestis privatione sequetur, comprehensura est.

Quæres, an ex sola exclusione a regno cælesti, an etiam ex aliquo alio capite nascitura sit ingens tristitia, qua infantes sine baptismo mortui cruciabuntur?

Resp. infantes, de quibus agitur, ingenti tristitia, acutissimo dolore afficiendos esse ex multiplici capite.

Et quidem nascetur 1. ex exsilio quo mulctabuntur: *Nam & qui exsulant* (ait August. Serm. 14. de verbis Apostoli) *vivunt si sani sunt, in doloribus non sunt, nec torquentur: non carceris tenebris affliguntur: hæc illis sola pœna est, non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde qui societatem non quærit sanctorum, qui non desiderat regnum cælorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate: Si autem desiderat, pœna est de fraudata caritate*.

Nascetur 2. ex tenebricoso carcere, quo in perpetuum infantes illi concludentur: Scilicet ex iis erunt, quibus in Christi judicis sinistra existentibus dicetur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*.

Nascetur 3. ex servitute dæmonis, qua scient se in æternum opprimendos esse: *Hoc generi humana* (inquit Aug. lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 23.) *inflictum vulnus a diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo, tamquam a suo frutice fructum jure decerpat*.

Nascetur tandem 4. ex concupiscentia quæ infantibus illis in perpetuam dominabitur, tuncque (ut ait August. l. 6. contra Julianum cap. 5.) non ad delectamentum excitabitur, sed vertetur in tormentum.

CAPUT II.

Utrum infantes sine baptismo mortui ignis pœnam patiantur.

CONCL. Infantes qui sine baptismo moriuntur, perpetuam ignis pœnam patientur.

Prob. 1. ex Scriptura. Sacris codicibus docemur 1. omnes homines, qui via ordinaria nascuntur, originale peccatum contrahere: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*. Docemur 2. hominibus qui rei sunt etiam solius originalis peccati, condemnationem, seu pœnam deberi: *Judicium quidem ex uno in condemnationem*; Atqui illa condemnatio, illa pœna, non est sola exclusio a regno cælorum, non est solum tristitia, qua exclusi afficientur, sed etiam est pœna sensus, est condemnatio ignis: Siquidem pœna est, qua damnabuntur ii qui in extremo judicio reperti fuerint a sinistris Christi judicis: *Tunc* (verba sunt quæ apud Matthæum leguntur c. 25. v. 41.) *dicet & iis qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus ... Et ibunt hi in supplicium æternum*: Sed infantes sine baptismo mortui, in extremo judicio reperientur a sinistris Christi judicis: Duæ enim tantum manus in Evangelio recensentur, a quibus esse possunt qui judicium subituri sunt, dextra nimirum & sinistra: at infantes non erunt a dextra; scilicet qui a dextris erunt, ibunt in vitam æternam, percipient regnum paratum ipsis a constitutione mundi: ergo erunt a sinistra; ac proinde ex iis erunt contra quos Christus hanc feret sententiam: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus*. Augustinus argumentum illud urget Serm. 14. de verbis Apostoli, cap. 9.

Resp. 1. adversarii, negari non posse quin parvuli sine baptismate mortui, in extremo judicio futuri sint a sinistra Christi judicis; sed inde tamen non sequi, eos in ignem æternum ituros esse. Ratio est, quia in eo Evangelii loco describitur judicium eorum qui in Ecclesia fuerint, tum quod Dominus eo loci bonos & malos comparet cum ovibus & hœdis, qui in eodem ejusdem pastoris grege numerantur: constat vero eamdem ejusdem pastoris gregem non aliud esse quam Ecclesiam, in qua boni & mali reperiuntur: tum etiam quod Evangelium ad solos fideles spectet; neque enim nisi fideles Evangelio cre-

credunt: tum denique quod ii qui a sinistris erunt, & in quos proferetur hæc sententia: *Ite maledicti in ignem æternum*, non alii sint, quam adulti, qui in Christum crediderunt: hæc nimirum redditur prolatæ in eos sententiæ caussa: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.*

Confirmant adversarii responsionem illam ex Augustino, qui Sermone 5. de verbis Domini, non obscure innuit, laudatam ex Evangelio judicii formam ad solos adultos, & quidem baptizatos, spectare; sic enim loquitur: *Pene quidem omnes Sacramentum corpus ejus dicunt, quia omnes in pascuis ejus pascunt: Sed venturus est qui dividat, & alios ponat ad dextram, alios ad sinistram; & utraque pars dictura est: Domine, Domine, quando te vidimus, & ministravimus tibi? vel quando te vidimus, & non ministravimus tibi? pars utraque dictura est; uni tamen dicet, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; alteri, Ite in ignem æternum.*

Confirmant iterum ex eodem S. Doctore, qui in libro uno ad Donatistas post Collationem cap. 3. aperte Judicii extremi formam, quæ in Evangelio recensetur, refert ad solos fideles; nempe asserit, eos qui judicandi sunt, futuros esse in area Domini sicut palea & frumentum, donec in extremo judicio a summo Pastore ab invicem separentur.

Ex duplici illo Augustini textu evidens est (inquiunt adversarii) eos qui in Evangelio dicuntur futuri aut in sinistra, aut in dextera Christi judicis, esse fideles tantum, sive boni sint, sive mali; ac proinde, cum parvuli, qui sine baptismo mortui sunt, non fuerint aliquando fideles, ad eos non spectat judicii forma, quæ in Evangelio describitur: unde consequens est, ad eos non pertinere hanc judicis sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.*

Verum facile præcludi potest, quod mox recensitum est adversariorum effugium; scilicet falsum est, relatam ex Evangelio judicii formam ad solos fideles pertinere.

1. Si ad solos fideles pertineat, nec ex Scriptura, nec ex Traditione ostendi poterit, parvulos qui sine baptismo mortui sunt; infideles qui nihil unquam audierunt de Evangelio; hæreticos, qui extra Ecclesiam sese variis criminibus commacularunt, in extremo judicio non esse futuros a sinistra Christi judicantis; neque enim id ex alio loco colligi potest, quam ex eo quem ex Matthæo in nostro argumento laudavimus.

2. Non obstat, quod proferenda a judice sententia in specie fideles respiciat: siquidem is est Scripturarum usus, ut quandoque a genere ad speciem, & a specie (non negato tamen genere) transeat; ut videre est apud Augustinum in L. 3. de Doctrina Christiana, c. 34. regula quarta: unde falso colligitur, sententiam hanc: *Ite maledicti in ignem æternum*, nec parvulos sine baptismate mortuos, nec adultos qui nihil unquam audierunt de Evangelio, nec hæreticos qui in suo schismate pertinaces diem clauserunt extremam, comprehendere, licet specialiter de fidelibus asseratur.

3. Si ii tantum ea sententia, *Ite maledicti in ignem æternum*, comprehendi debeant, quos specialiter spectat prolatæ sententiæ caussa, *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*: inde colligi poterit, eamdem sententiam non pertinere ad fideles, qui cum misericordiæ opera, quorum tantum Evangelium eo loci meminit, non omiserint, flagitiis alioquin & facinoribus sese ad mortem usque dederint. Hincque patet, quod licet Augustinus, tum Serm. 5. de verbis Domini, tum in libro uno contra Donatistas, eam, de qua agitur, judicii formam de fidelibus bonis & malis intellexerit, non excluserit parvulos sine baptismate mortuos, ad quos iis locis ubi contra Julianum probavit existentiam originalis peccati, eamdem formam pertinere conceptis terminis asseruit; *De vivis* (inquit Serm. 14. de verbis Apostoli, cap. 3.) *& mortuis judicabitur; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram. Non novi aliud.* Et paullo post: *Si ergo dextera erit, & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus; ecce in dextera regnum cælorum est: Percipite* (inquit) *regnum. Qui ibi non est, in sinistra est. Qui erit in sinistra: Ite in ignem æternum.*

4. Si dubium foret, an judicii forma quæ apud Matthæum describitur, omnes omnino homines complectatur, & an ad adultos tantum pertineat, confugiendum esset ad alia loca, in quibus extremi judicii fit mentio: at iis in locis aperte asseritur, parvulos qui sine baptismate mortui sunt, ituros esse in ignem æternum: unde sequitur hanc apud Matthæum sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*, ad eos etiam spectare. Scilicet hæc habentur Apocal. cap. 20. ubi Joannes hisce verbis extremum judicii diem describit. *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis. Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ.* Non multo post, iis verbis adduntur hæc alia: *Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Atqui parvuli qui sine baptismate mortui sunt, in extremo judicio non reperientur scripti in libro vitæ: ergo ex Christi judicis sententia mittentur in stagnum ignis.

Minor argumenti propositio est certissima: siquidem

quidem liber vitæ non aliud est, quam liber in quo prædestinati æterno Dei decreto conscripti sunt: *Non Deum* (inquit August. lib. 20. de Civit. Dei, c. 15.) *iste liber commemorat, ne oblivione fallatur; sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita: neque enim nescit eos Deus, & in libro eos legit, ut sciat; sed potius ipsa ejus præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, idest, ante præcogniti.* Sed parvuli qui sine baptismate moriuntur, conscripti non sunt in libro, in quo prædestinati æterno Dei decreto conscripti sunt: ergo neque in vitæ libro; ac proinde in extremo judicio mittentur in stagnum ignis.

Unde ad argumentum adversariorum sic in forma respondendum est: Hæc Christi judicis verba, *Ite maledicti in ignem æternum*, ad fideles pertinent, sumendo speciem judicandorum pro toto genere, conc. ant. non sumendo pro toto genere, neg. ant. Scilicet (ut observatum est ex Augustino) Scriptura eo loci a genere judicandorum, hoc est, eorum omnium qui futuri sunt in sinistra, transit ad speciem, eorum scilicet fidelium qui opera misericordiæ prætermiserint; sed sicut speciem in genere comprehendit, ita & genus in specie, de qua quidem Christus expressius loqui voluit, ut opera misericordiæ fidelibus commendaret.

Resp. 2. adversarii, infantes qui sine baptismate moriuntur, in ignem quidem æternum, ex sententia Christi judicis, ituros esse; sed non passuros ejusdem ignis ardorem, seu dolorem quo ad ignis præsentiam dæmones, aliique propter actualia peccata damnati torquentur. Scilicet (inquiunt) infantes illi in altiore ignis loco constituentur. 2. Deus, pro sua in eos, qui nusquam actu peccarunt, providentia, impediet ne ignis occasione dolorem aliquem percipiant. 3. S. Aug. l. 5. contra Julianum, c. 8. non audet definire, an parvulis, de quibus agitur, melius futurum fuisset non nasci, quam esse in loco, in quem post hanc vitam detrudentur: *Quæ* (pœna) *qualis & quanta erit, quamvis* (inquit) *definire non possim; non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret*: at si infantes, de quibus agitur, ignis dolorem paterentur, Augustinus non dubitasset definire, melius eis futurum fuisse non nasci, quam igne perpetuo torqueri.

Sed ea responsio variis argumentis refellitur. 1. Iis omnibus qui in extremo judicio a Christi sinistris erunt, dicetur: *Ite in ignem æternum*: at nomine ignis æterni intelligitur æterna combustio; ita nimirum docet Augustinus in libro de fide & operibus, cap. 15. ubi redarguit nonnullos qui fatebantur quidem, eos qui cum fide mortua, hoc est, quæ per dilectionem non operatur, mortui fuerint, ituros in ignem æternum; sed contendebant, ignis in eos actionem non fore perpetuam.

2. *Supplicium* quod in his verbis: *Et ibunt in supplitiam æternum*, quæ apud Matthæum sequuntur descriptionem judicii finalis, Augustinus ibidem per hoc verbum, *Combustionem*, exponit: *Sic ibunt illi in combustionem æternam*: Augustino igitur persuasum fuit, eos omnes qui ituri sunt in ignem æternum, (ut ire parvulos qui sine baptismo moriuntur, fatentur responsionis quam confutamus auctores) æternam passuros esse combustionem.

3. Scriptura quoad pœnæ speciem, non distinguit inter eos, qui a sinistris in extremo judicio positi, audient a Christo judice: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus*: ergo sicut adulti qui reprobi sunt, non tantum erunt in supplicii loco, sed etiam igne torquebuntur; ita etiam & illo torquebuntur parvuli, qui in extremo judicio a sinistris Christi judicis reperti fuerint.

4. Absque ullo aut ex Scriptura, aut ex Traditione petito fundamento asseritur, quod parvuli in ignem projiciendi sint, & nullum sint ex eo percepturi dolorem; quod enim adversarii dicunt de providentia, per quam contendunt, Deum impediturum esse actionem ignis, est fictitium, cum non venerit in mentem alicujus ex scriptoribus, qui hanc, de qua agitur, sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum*: per quindecim priora sæcula interpretati sunt.

Prob. 2. nostra conclusio ex traditione. I. Ex iis quæ ex Augustino hucusque retulimus, evidenter patet, persuasum illi fuisse, quod infantes sine baptismo mortui passuri sint æternam ignis pœnam.

II. S. Fulgentius in libro de fide ad Petrum, docet ad fidem pertinere sententiam, quæ asserit, parvulos, de quibus agitur, passuros esse æternam in inferis ignis pœnam: sic enim loquitur cap. 27. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive cum de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerint: originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.*

III. Episcopis Africanis in Sardinia exsulibus idem persuasum fuit; sic enim loquuntur in sua Epistola Synodica, cap. 8. *De parvulis vero indubitanter tenenda catholica regula veritatis: Quia parvulus qui baptizatur,* gra-

gratuita Dei bonitate salvatur: qui vero sine baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur.

IV. Gregorius Magnus lib. 9. Moral c. 16. Augustini, Fulgentii, & Præsulum in Sardinia exsulantium doctrinæ inhæsit; hæc enim habet: *Perpetua tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt*: Tormenti vero nomine, cum de reprobis agitur, æternam significat ignis pœnam.

V. Isidorus lib. 1. Sent. c. 22. sic loquitur: *Pro solo originali reatu luunt in inferno nuper nati pœnas, si renovati per lavacrum non fuerint.* Luere pœnas in inferno, quid aliud est, quam igne sempiterno torqueri?

VI. Hæc etiam habet Anselmus libro de conceptu Virginis, c. 22. *Post diem judicii, nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno.*

VII. Concilium Florentinum in definitione fidei, sic loquitur: *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos.* Ex quibus verbis patet, Florentino Concilio persuasum fuisse 1. infantes sine baptismo mortuos, detrudendos esse in inferos; 2. puniri eos in inferis; 3. pœnas quas patiuntur, secundum gradum dispares quidem esse ab iis quas adulti reprobi patiuntur; sed ejusdem esse speciei, cum in eumdem locum, in eumdem ignem detrudantur.

CAPUT III.

Utrum parvuli sine baptismo mortui beatitudine naturali fruantur.

CONCLUSIO. Parvuli sine beptismo mortui non fruuntur modo, nec post extremum judicii diem beatitudine naturali fruentur. Est contra quosdam recentiores.

Probatur. Infantes sine baptismo mortui, non erunt beati, 1. quoad locum; siquidem post extremum judicii diem non erit medius locus inter cælos, ubi sancti regnabunt, & inferos, ad quos reprobi detrudentur. Scilicet Ecclesia Catholica Pelagianos medium illum locum (ut argumentum pro peccati originalis existentia ex damnationis loco petitum declinarent) admittentes proscripsit: *Non baptizatis parvulis* (ait Augustinus lib. 2. de anima & ejus origine cap. 9.) *nemo promittat inter damnationem, regnumque cælorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, quasi medium locum: hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit.* Idem demonstrant argumenta quæ capitibus immediate præcedentibus, a nobis prolata sunt.

II. Infantes, de quibus est quæstio, immunes non erunt a tristitia & dolore: summa nimirum tristitia, ingenti dolore afficientur, cum intelligent se nusquam fruituros esse regno cælesti, seu clara Dei visione, ad quam primum conditi fuerant in primo parente. Argumenta quibus tristitia illa, dolor ille asseruntur, recensuimus hujusce quæstionis c. 2. Atqui cum summa tristitia, cum ingenti dolore, stare non potest beatitudo etiam naturalis: ergo infantes sine baptismo mortui, ejusmodi beatitudine non fruentur.

III. Infantes, qui sine baptismo mortui sunt, patientur in inferis pœnam ignis, licet mitiorem ea qua reprobi adulti torquebuntur, ut ostendimus c. 3. ergo beati esse non poterunt beatitudine etiam naturali.

IV. Infantes, de quibus agitur, erunt per totam æternitatem sub diaboli potestate: in eo nimirum statu quisque per totam æternitatem remanet, in quo diem clausit extremam; nempe post hanc vitam, non est tempus misericordiæ, sed justitiæ. Erunt (quod omnes homines natura sunt) filii iræ. Ex iis erunt, de quibus hæc ait Apostolus: *Per unius delictum omnes homines in condemnationem.* Aversi erunt a Deo, & ad creaturam conversi tamquam ad finem simpliciter ultimum. Sed qui semper futuri sunt sub diaboli potestate; qui futuri sunt semper filii iræ; qui semper futuri sunt aversi a Deo, & ad creaturam tamquam ad finem simpliciter ultimum conversi, non sunt fruituri beatitudine, etiam naturali: beatitudo enim & miseria simul & semel stare non possunt: at quæ major miseria fingi potest, quam manere semper sub diaboli potestate? quam manere filii iræ? quam averti a Deo, & conversum esse ad creaturam, seu, subjici dominanti amori creaturæ?

V. Sententia, quæ asserit, infantes, de quibus agitur, aut in limbis, aut in superficie terræ, aut alio in loco fruituros esse quadam beatitudine naturali, ab Ecclesiæ exordio, usque ad sæculum decimum sextum, a nemine christiano, præterquam a Pelagianis, propugnata fuit: ergo commentum est, quod nulla veterum auctoritate nititur. Hincque patet, quo in pretio apud theologos esse debeat doctrina cujusdam recentioris, qui in Catechismo, in quo nihil deberet esse nisi certi, matres, quarum infantes sine baptismo mortui sunt, hac fabula pascit, quod infantes illi plena quiete fruantur, & constituti in loco paradisi vicino, identidem angelorum cantibus demulceantur. Non minus risu dignum est, quod scribit alius recentior theologus, infantes, de quibus est quæstio, post extremum judicii diem redituros esse in terram, ibique nullo concupiscentiæ æstu exagitandos, nulla rerum naturalium ignorantia laborantes, fruituros esse elementorum amœnitate, & in æternum quietos fore.

CAPUT IV.

Solvuntur argumenta, quæ contra duorum præcedentium capitum doctrinam objiciuntur.

Not. HIC proferemus 1. argumenta, quibus nonnulli probare contendunt, infantes post extremi judicii diem fruituros esse beatitudine naturali; 2. rationes, quibus aliqui omnem ab iisdem infantibus tristitiam depellunt; 3. momenta, quibus alii eos, non quidem ab interno dolore, sed ab ignis æterni pœna liberare conantur.

Objicies 1. Post extremi judicii diem, infantes sine baptismo mortui, a reatu peccati originalis solventur: alioquin enim Christus frustraretur fine, ad quem venit: nimirum venit, ut solvat peccatum originale, & ut inimica mors tamdem destruatur. Sed si infantes sine baptismo mortui, post extremi judicii diem solvendi sunt reatu peccati originalis, nihil obstat, quin post illam diem fruituri sint beatitudine naturali: sublata enim culpa, pœna ulterius infligi non debet: ergo &c.

Resp. neg. maj. Ad cujus probationem, dist. ant. Christus venit, ut in omnibus hominibus solvat diverso modo peccatum originale, conc. ant. eodem modo, neg. ant. Nempe Christus venit ut peccatum originale in omnibus solveret sufficienter, cum pretium ad exhaurienda omnium peccata plusquam sufficiens obtulerit æterno Patri, præparaveritque per voluntatem antecedentem media, quibus omnes salvari possint; sed non venit, ut peccatum originale in omnibus parvulis efficaciter solveret: per mediorum nimirum, seu sacramentorum, quæ ab ipso instituta sunt, actualem & realem applicationem.

Objicies 2. Infantes per peccatum originale non sunt aversi a Deo tamquam a fine naturali, sed tantum tamquam a fine supernaturali: ergo æquum non est, ut propter peccatum originale in æternum priventur beatitudine naturali.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia peccatum originale (ut docet fides) est peccatum mortale; ac proinde convertit hominem ad creaturam tamquam ad ultimum finem, hoc est, efficit, ut homo suum finem ultimum ac dominantem in creatura habitualiter constituat: at conversio ad creaturam tamquam ad finem ultimum, avertit a Deo, etiam tamquam auctore naturæ: neque enim amor habitualis creaturæ super omnia stare potest cum amore habituali Dei, etiam ut auctoris naturæ, super omnia.

Objicies 3. Gregorius Nazianzenus, Oratione in S. lavacrum, ante medium, scribit, infantes qui sine baptismo moriuntur, nec cælesti gloria, nec supplicio aliquo afficiendos esse: ergo censet esse a quovis dolore, a quavis tristitia immunes; ille nimirum dolor, illa tristitia in eis esse non possunt, nisi per modum supplicii. Probatur ant. Gregorius loco mox laudato sic loquitur: *Postremi* (inter quos numerat infantes) *nec cælesti gloria, nec supplicio a justo judice afficiuntur: utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant; atqui hanc*, baptismi, *jacturam passi potius fuerint, quam fecerint*: ergo, ex Gregorio, infantes sine baptismo mortui non afficientur aliqua pœna, sive interiore, sive exteriore; hoc est, sive (ut loquuntur) sit pœna damni, sive sit pœna sensus.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. conseq. Ergo infantes sine baptismo mortui non afficientur aliqua pœna, propter non receptum baptisma, conc. conseq. propter peccatum originale, neg. conseq. Sanctus Gregorius Nazianzenus in loco qui nobis objectus est loquitur de iis hominibus qui baptisma nec contempserunt, nec omiserunt ex negligentia; sed quibus, licet desiderantibus, vel præ infantili ætate non desiderantibus, datum non est. His S. Doctor contendit non infligendam esse pœnam quæ actuali contemptui, aut virtuali negligentiæ tamquam actuali culpæ infligi debet; sed quamvis infantes sine baptismo mortui, tamquam aut contemptus, aut negligentiæ rei castigandi non sint, Deus tamen in eos propter originale peccatum sæviet, pœnisque in eos animadvertet.

Jam vero quod non aliud voluerit Gregorius, facile potest ostendi ex oppositione, quam statuit inter hominum genera, de quibus loquitur. Scilicet asserit, ex iis qui sine baptismate moriuntur, esse 1. eos qui præ contemptu illud minime recipiunt; 2. eos qui illud quidem non contemnunt, sed negligunt illud recipere; 3. eos qui ex aliorum negligentia, ut infantes, & nonnulli adulti, ipsum alioquim desiderantes, non recipiunt. Ea præmissâ distinctione, Nazianzenus asserit, duplicis prioris generis homines reos esse, quod baptisma non receperint; ac proinde par esse, ut ob id in altero sæculo pœnis castigentur; contendit e contra, reos non esse aut contempti, aut neglecti baptismatis, posterioris generis homines, inter quos recenset infantes, ac proinde negat eos ob id puniri debere in altera vita.

Sed placet hic ipsamet Gregorii verba (quæ quidem benigna explicatione indigent, quatenus innuunt, eos quibus, licet enixe desiderantibus, ex aliorum negligentia, aut malitia baptismus non datur, non fruituros esse cælesti gloria) lectorum oculis subjicere: *Existimo* (inquit) *futurum, ut primo quidem, tum alterorum scelerum, tum etiam baptismi contempti pœnas luant; alii autem pœnas quidem, sed leviores pendant; ut qui non tam animi pravitate*,

tate, quam stultitia a baptismo aberraverint: postremi denique nec cælesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur; utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen (contempti aut neglecti baptismatis) *careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint.*

Objicies 4. S. Augustinus variis in locis innuit parvulos sine baptismo mortuos, a damnatione immunes futuros esse, idque pluribus ex eo desumptis textibus ostendi potest.

Primo, libro quinto contra Julianum c. 8. non audet definire, quænam in specie, an ignis, aut alia, futura sit mitissima pœna, quæ parvulis sine baptismo mortuis, post hanc vitam infligetur: *Quæ* (inquit) *qualis & quanta erit, quamvis definire non possim; non tamen audeo dicere, quid eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret:* at si sensisset, infantes illos ignis pœna torqueri, non veritus fuisset aperte definire, eos ignis pœnam passuros esse.

Secundo, Idem S. Doctor eodem in loco profitetur, se non audere dicere id, quod de Juda proditore Dominus in Evangelio dixit: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille:* sed si fuisset illi persuasum, infantes illos esse ignis pœna torquendos, non fuisset caussa, cur id de illis non asseruisset: quis enim dubitat, melius illis futurum fuisse non nasci, quam postea natos igne perpetuo torqueri?

Tertio, Idem Augustinus in lib. 3. de libero arbitrio c. 23. non tribuit quidem parvulis sine baptismo mortuis (ut olim Pelagiani, & nunc aliqui ex Catholicis) medium locum inter cælum & infernum, sed asserit, mediam fore sententiam inter præmium iis debitum qui propria voluntate aliquid meruerint, & supplicium quod iis debetur, qui propria voluntate peccaverint: *Non est metuendum* (inquit) *ne vita potuerit esse media quædam inter recte factum, atque peccatum; & sententia judicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium.* Hincque concluditur, mediam fore pœnam, inter pœnam qua castigabuntur adulti, & eam qua in parvulos solius originalis peccati reos animadvertetur. Confirmatur ex eo, quod nusquam sententiam illam retractaverit, quamvis eam retractandi ipsi sæpius occasio data fuerit, & præsertim in libro primo Retractationum c. 9. ubi diligenter illos de libero arbitrio libros expendit, nec non Epistola 28. veteris editionis, in qua disputat de quadam parte capitis 23. in quo laudata ea ipso sententia legitur.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad cujus priorem & alteram probationem, dist. ant. Augustinus non ausus est definire, utrum hæc Domini sententia de Juda proditore, *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille*, quod id ad Ecclesiæ contra Pelagianos caussam non pertineret, conc. ant. quod revera ita se res non habeat, neg. ant. Satis fuit Augustino, ex perpetuo igne, cui parvuli sine baptismo mortui addicentur, ex Christi judicis adversus omnes omnino reprobos sententia, *Ite maledicti in ignem æternum*, probare existere in parvulis peccatum originale; nec debuit illi curæ esse de incommodo, quod ex adductæ probationis certitudine sequitur, *An melius fuisset eos omnino non nasci;* sive enim id asseratur, sive propter pœnam, mitissimam alterius respectu, quæ adultis infligetur, negetur, stat S. Doctoris argumentum petitum ex certissima Christi sententia: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.*

Ad alteram ejusdem antecedentis probationem ex libro 3. de libero arbitrio petitam, dicendum est 1. Augustinum, cum suæ conversionis initio de libero arbitrio libros scriberet, nondum plane expendisse, an peccatum originale ignis pœna castigandum sit in altero sæculo; unde mirum non est, quod tunc manifeste non definierit, an media quædam circa parvulos sententia a Christo in extremi judicii die proferenda sit, nec ne. Verum certior postea factus, cum adversus Pelagianos scriberet, aperte professus est, illud ignis pœna plectendum esse. Petitum est illud responsum ex Augustino libro de dono perseverantiæ cap. 12.

Dicendum est 2. Augustinum in libris de libero arbitrio nihil determinasse de damnatione parvulorum, qui sine baptismo moriuntur: unde ex iis libris ejus sententia erui minime potest: *Nam & de baptismo parvulorum* (inquit S. Doctor in Epistola 28.) *non quidem sufficienter, sed quantum illi operi satis esse videbatur, utrumque respondi, quod etiam nescientibus, & fidem suam nondum habentibus prodest: non tamen de damnatione eorum qui sine illo ex hac vita migrant, tunc aliquid dicendum putavi, quia non quod nunc agitur, agebatur.* Dixerat tamen in lib. 3. c. 23. quod nobis objectum est, parvulos illos esse a cælesti gloria beatorum excludendos: ergo etiam tunc censebat, licet non tam certo, ac postea, illam damnationem esse aliquid præter exclusionem a regno cælorum.

Ratio autem quæ eum movit, ut nunc de parvulorum damnatione sileret, petitur ex eo quod probari tantum posset ex libris sacræ Scripturæ, quibus Manichæi, contra quos tunc agebat, eos pro libito aut admitterent aut rejicerent: id nimirum ipse docet in libro de dono perseverantiæ capite undecimo.

Dicendum est 3. S. Augustinum, hypothetice, non autem absolute, affirmasse, *non metuendum esse, ne vita potuerit esse media quædam inter factum, atque peccatum, & sen-*

tentiam judicis mediam esse non posse inter præmium atque supplicium. Hypothesis autem erat Manichæorum contendentium, inutiliter & frustra creari parvulos qui in extremi judicii die, nec inter bonos, nec inter malos collocandi sint; hoc enim est argumentum quo utebantur: *Dicant* (ait Augustinus) *imperiti: Quid opus erat, ut nasceretur, qui antequam iniret ullum vitæ meritum, excessit a vita? aut qualis in futuro judicio deputabitur, cui nec inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit?* Ex quo Manichæi concludebant creari infantes illos a substantia nequam, cui inutilitas illa parvulorum tribui deberet, non autem principio bono, sive Deo bono. Data itaque hypothesi illa, Augustinus contendit admitti non debere conditionem Manichæorum, infantes illos inutiliter creari, & eorum creationem principio nequam tribui debere. Nam 1. (ut ait) confert eorum infantium creatio ad universi complementum. *Quibus respondetur, Ad universitatis complexum & totius creaturæ, vel per locos, vel per tempora ordinatissimam connexionem, non posse superfluo creari qualemcumque hominem, ubi folium arboris nullum superfluo creatur; sed sane superfluo quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit*. 2. (addit idem S. Doctor) potius fatendum esse mediam erga parvulos fore judicis sententiam, mediumque illis inter bonos & malos statum admitti debere, quam contendere (ut Manichæi contendebant) parvulos inutiliter nasci, & eorum creationem Principio nequam tribui debere: *Non enim metuendum est* (inquit), hoc est, potius tanquam minus absurdum admittendum est, *ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum, atque peccatum, & sententia judicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium*.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, patet 1. Augustinum, licet in libro tertio de libero arbitrio expresse asseruerit, parvulos sine baptismate mortuos excludi a regno cælorum; nihil de eorum supplicio scripsisse, quod id ad Ecclesiæ contra Manichæos caussam de origine mali nihil conferret. Patet 2. quod licet tunc in eadem de illorum parvulorum damnatione esset sententia, in qua erat, dum scriberet postea contra Pelagianos & Semipelagianos, tunc tamen tanquam rem certo definitam, minime protulerit. Patet 3. quod cum mediam asserit fore sententiam judicis circa parvulos, id hypothetice, & non absolute, tanquam suam doctrinam, asseruisse.

Objicies 5. Ambrosius in Commentario in Epistolam ad Romanos, exponens hæc Apostoli verba: *Et per peccatum mors*, expresse asserit mortem secundam, quæ in gehenna sit, non habituram esse locum in parvulis qui sine baptismate moriuntur; sic enim loquitur: *Mors autem* (de qua loquitur Apostolus) *dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur: est & alia mors, quæ secunda dicitur, in gebenna, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis adquiritur*. Ambrosio igitur persuasum fuit parvulos, qui sine baptismo moriuntur, immunes esse ab ignis pœna.

Resp. Ambrosium non esse auctorem Commentarii qui nobis objicitur: E contra fetus est hominis aperte Pelagiani. Omnia enim Scripturæ loca, quibus Augustinus, Fulgentius, & S. Prosper usi sunt ad explicanda prædestinationis & gratiæ mysteria, in alienos sensus detorquet. Nam 1. in caput secundum Epistolæ ad Romanos asserit, gentiles, *duce natura*, in Christum credere. 2. Non aliam admittit gratiam, quam peccatorum remissionem, nec alicubi meminit gratiæ illius quæ per inspirationem luminis, & amoris infunditur; ut videre est in caput tertium. 3. In caput 11. docet, meritum præsupponi gratiæ; in hæc nimirum verba, *Quos prædestinavit, hos & vocavit*, sic loquitur: *Vocare est cogitantem de fide adjuvare, aut compungere eum, quem sciat audire*. 4. Prædestinationem ubique meram Dei præscientiam interpretatur: *Scit enim Deus*, (ait in caput nonum) *cui debeat misereri*, *& nulla neglecta justitia gratiosus est, ut unum e duobus paribus accipiat, alterum respuat*. 5. Evertit dogma de propagatione peccati originalis; siquidem in caput septimum Epistolæ ad Romanos negat condemnationem de qua loquitur Apostolus dicens, *Per unius delictum omnes homines in condemnationem*, esse universalem: e contra asserit iis tantum convenire, qui propria voluntate peccantes, Adami prævaricationem imitantur: *Quia* (inquit) *ii solum ex uno Adæ peccato condemnantur, qui in similitudine prævaricationis ejus peccaverunt*.

Objicies 6. Innocentius Papa III. Capite, *Majores*, Titul. *De Baptismo & ejus effectu*, asserit, pœnam peccati originalis esse carentiam divinæ visionis: Eum vero loqui cum exclusione pœnæ quæ sensus afficiat, seu quæ ignis actione percipiatur, colligitur ex eo, quod illam divinæ visionis carentiam opponat pœnæ sensibili, quæ peccato actuali debetur: opposita vero se invicem excludunt. En ipsamet Pontificis verba: *Præterea pœna originalis peccati, est carentia visionis Dei; actualis vero pœna peccati, est gehennæ perpetuæ cruciatus: unde si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam incompossibilia, se si-*

mini

se minime patiuntur, immo sibi mutuo adversantur, ergo, &c.

Resp. neg. min. seu, neg. Innocentium opponere carentiam divinæ visionis pœnæ sensus, hoc est, cruciatui æterno. Ratio est, quia, cum, ut docent adversarii, opposita se se invicem excludant, sequeretur, perpetuum ignis cruciatum, quem laudatus Pontifex asserit, esse pœnam actuali peccato debitam, excludere carentiam divinæ visionis, ita ut carentia divinæ visionis non sit pœna actuali peccato debita, sed solus ignis cruciatus; quod est absurdum: sequeretur enim hominem adultum cui per baptisma peccatum originale dimissum est, cruciandum esse ignis pœna, & tamen non cariturum divina visione.

Dicendum est igitur, summum Pontificem nihil de quæstione, de qua agitur, definiisse, sed eum argumentatum fuisse ex re certa, ex carentia nimirum divinæ visionis, quam omnes fatentur esse pœnam originalis peccati, nec curasse eum de incerta, cruciatu nempe gehennæ, quem theologis quibusdam negantibus debitum esse orginali peccato, affirmant alii deberi. Ex ea autem re apud omnes certa concludit, baptismum non debere conferri amentibus, aut dormientibus adultis, qui sani & vigilantes, nullum demonstrarunt desiderium recipiendi baptismum. Alioquin (argumentum est Innocentii) sequeretur gravissimum absurdum, nimirum adultos illos in suo somno, in sua stultitia morientes, propter peccatum actuale passuros esse perpetuum gehennæ cruciatum, quamvis non carituri divina visione, peccato originali ex una parte in eis per baptismum dimisso; & ex altera actualibus mortalibus, debitæ detestationis defectu, remanentibus.

Objicies 7. S. Thom. in 2. sent. dist. 33. q. 2. art. 1. & q. 5. de malo, art. 2. ad 1. sic loquitur: *Quod nomen, tormenti, ignis, supplicii, gehennæ, cruciatus, vel si quod simile in dictis Augustini, vel aliorum Sanctorum inveniatur, est large accipiendum pro pœna, ita ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec iis pœnam aliquam deberi*: ergo ex S. Thoma, parvuli sine baptismo mortui ignis pœna non cruciantur: nec id, ex eodem S. Doctore, credidit Augustinus.

Confirmatur ex eo, quod juxta quorumdam recentiorum scholasticorum mentem Augustinus de pœna parvulis sine baptismate mortuis debita agens, locutus sit per excessum. Scilicet (inquiunt) S. Doctor, ut unum extremum, Pelagianorum nempe, declinaret, in aliud abiit extremum; idque (addunt) non infrequens est apud Patres alios, qui cum hæreticos impugnarent, non semel aliud extremum amplexi sunt, eorum hominum adinstar, qui ut curvatam arborem erigant, in aliud eam latus flectunt.

Respondet Sylvius in 1. 2. qu. 86. n. 6. *Beatum Thomam variis quidem in locis loqui juxta sententiam suo tempore communem. Si tamen* (addit idem auctor) *suam Summam Theologicam absolvisset, non deest ratio existimandi, eum in partem alteram fuisse declinaturum, quia lib. 3. contra gentes cap. 156. habet pro absurdo, quod sint aliqui homines, qui nec beatitudinem consequantur, nec pœnam a Deo patiantur, quod juxta Scripturam, Matth. 25. omnibus in divino judicio existentibus dicetur, Venite, possidete paratum vobis regnum, vel, Discedite in ignem æternum.*

Ad confirmationem ex quibusdam recentioribus scholasticis petitam, dicendum est 1. eam & Augustino, & aliis Sanctis Doctoribus, qui adversus hæreticos pugnarunt, maxime injuriosam esse: Quid est enim asserere, Augustinum, aliosque sanctos Doctores in extremum (quod, ex adversario, falsum est) declinasse, quam eos fuisse mentitos, ut hæreticos mentientes ad veritatem reducerent? Si (ut adversarii respondent) res ita se habet, fatendum erit, Augustinum & alios Patres, cum adversus hæreticos disputarunt, suo agendi genere favisse Priscillianistis, apud quos palmarium erat Axioma, *Licere loqui mendacium cum iis qui nobis societate conjuncti non sunt.*

Quam autem id alienum sit ab Augustini mente, docet ipse in libro contra Mendacium ad Consentium, cap. 1. ubi sic loquitur: *Non mihi persuadetur eos* (Priscillianistas) *de latebris suis nostris esse mendaciis eruendos. Ut quid enim eos tanta cura investigare, atque indagare conamur, nisi ut captos, in apertumque perductos, aut etiam ipsos veritatem doceamus, aut certe veritate convictos nocere aliis non sinamus? ad hoc ergo, ut eorum mendacium deleatur, sive caveatur, Dei autem veritas augeatur. Quomodo igitur mendacio recte potero prosequi? an & latrocinio latrocinia, & sacrilegio sacrilegia, & adulterio adulteria persequenda? Si autem veritas Dei in meo mendacio abundabit, numquid & nos dicturi sumus, faciamus mala, ut veniant bona, quod vides quemadmodum* (ad Roman. 3.) *detestetur Apostolus?*

Dicendum est 2. sequi ex eadem adversariorum confirmatione; nullum de fide, aut moribus dogma ex sanctis Patribus probari posse: quoties enim pro aliquo dogmate desumetur argumentum petitum ex eorum adversus hæreticos disputationibus, responderi poterit, eos (ut hæreticos longius propellerent) debitum modum excessisse: sicque corruent argumenta omnia, quæ Ecclesia

Ca-

Catholica pro suis dogmatis ex Patrum adversus hæreticos disputationibus depromit.

Nec rationis nostræ vim declinant, qui reponunt, Patres non fuisse quidem mentitos, cum in aliud extremum abfuisse visi sunt, sed figurate, aut hyperbolice locutos fuisse. Non declinant (inquam), siquidem non decuit, Patres in suis adversus hæreticos disputationibus figurate & hyperbolice loqui: cum enim ejusmodi locutiones ex se ipsis obscuræ sint, parum conveniunt, ut iis Scripturarum obscuritates tollantur, unde Augustinus in libro quarto de Trinitate cap. 8. docet, Scripturarum expositores non debere figuratum auctorum Canonicorum loquendi modum imitari.

Objicies 8. Bernardus Serm. 3. de Paschate, asserit, ignem æternum non desævire, *nisi in propriam voluntatem*: ergo non delævit in peccatum originale, cum propria parvulorum voluntate commissum non sit.

Resp. dist. antec. Bernardus asserit, ignem æternum non desævire, nisi in propriam voluntatem, & nomine propriæ voluntatis non excludit communem, quæ fuit in primo parente, cum Dei mandatum infregit, conc. ant. & eam excludit, neg. ant. Scilicet Doctor mellifluus per voluntatem propriam intelligit eam omnem quæ est contraria caritati: *Voluntatem* (inquit) *dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum.*

Objicies 9. Pœna sensus debetur soli peccato quod per delectationem operantis commissum est, juxta illud Apocalypseos 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Atqui peccatum originale a parvulis commissum non fuit per delectationem, cum illud per actum proprium, utpote illius incapaces, non contraxerint: ergo ei non debetur pœna sensus.

Resp. ad 1. neg. maj. ad 2. dist. ant. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum; & Scriptura nomine glorificationis, & deliciarum non excludit peccatum, quod sine glorificatione & deliciis hominis rei commissum est, conc. ant. & illud excludit, neg. ant. Ratio est, quia qui glorificationem & delicias castigat, non ideo censendus est eximere a pœna sensus peccata quæ alio modo, quam per delectationem & delicias, contrahunt; alioquin dicendum esset, Scripturam docere, sola peccata vanæ gloriæ, & carnalis concupiscentiæ mereri pœnam sensus, quod est absurdum. Dicendum est igitur, Joannem eo loci peccati speciem, quæ frequentius occurrit, sumpsisse pro genere: ita ut docere voluerit, pro majori vel minori peccati, cujuscumque sit speciei, demerito, majorem vel minorem fore pœnam, qua in altero sæculo punietur.

Objicies 10. Pœna sensus debetur soli conversioni ad creaturam, non autem simplici privationi, ut est originale peccatum. Præterea indignum Dei bonitate, ac justitia videtur, ut pœna sensus in eos animadvertat, qui nec propria voluntate, nec per sensuum ministerium peccaverunt. Tandem, saltem populis inculcanda non est sententia, quæ asserit, parvulos sine baptismo mortuos ignis pœna torqueri; nullum enim ex ea fructum percipere possunt.

Resp. ad 1. argumentum esse de non supponente; siquidem (ut suo loco fuit ostensum) peccatum originale dicit libidinem, seu concupiscentiam, seu amorem creaturæ, animæ parvulorum dominantem. Præterea falsum est, simplici privationi, quæ subjectum, in quo reperitur, reddit Deo inimicum, non deberi pœnam sensus.

Resp. ad 2. falsum esse, quod Dei bonitate ac justitia indignum sit eos ignis pœna torquere, qui nec propria voluntate, nec per sensuum ministerium peccaverunt. Nam 1. fides docet, parvulos in hac vita pati pœnam sensus, mortem scilicet, aliasque corporis miserias: mors enim & aliæ, quas in corpore patiuntur, miseriæ, sunt simul effectus & pœna peccati originalis, cum ex iis Augustinus argumentum petat, quo contra Pelagianos ejusdem peccati existentiam in eis asserat. 2. Eadem fides docet, parvulos, de quibus agitur, passuros esse pœnam damni, hoc est, excludendos esse a vita æterna, a regno cælorum, a visione beatifica: Sed illa damni pœna longe gravior est pœna sensus seorsim sumpta: *Tam grandis est pœna* (inquit Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 112.) *ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus, comparari, si illa sit æterna, ista autem sit quamlibet multis sæculis longa.* 2. Parvuli, qui baptismate initiati sunt, etiamsi propria voluntate non crediderint, regno cælesti potientur; ergo par est, ut ii torqueantur, qui non propria voluntate, sed aliena tantum peccarunt.

Resp. ad 3. fidelem populum, has ex sententia, quam defendimus, utilitates colligere, 1. Veritatem Scripturis & Traditioni consignatam docebitur: 2. gravitatem peccati originalis ex illa metietur: 3. argumentum ex ea sumet, quo Catholicam de peccati originalis propagatione doctrinam adversus hodiernos Pelagianos, Socinianos nimirum, asserere poterit. 4. Mulieres prægnantes, timentes pro fœtu pœnam ignis, temperabunt, sicut & earum mariti, ab iis omnibus quæ tum in usu conjugii, tum extra illius usum, eidem jam concepto fœtui nocumento esse poterunt; dabuntque operam, ut parvulis mox post nativitatem, ac sine ulla dilatione, sicut Canonibus præscribitur, per baptismum consulatur.

DISSERTATIO OCTAVA.

De peccato actuali in genere.

NOMINE peccati actualis intelligitur actus, vel omissio difformis regulis morum. Actus ille, omissio illa, vel sunt mortalia, vel venialia tantum. Actus, vel omissio mortalis, animam (ut ait Augustinus) perimunt; hoc est animæ mortem spiritualem inferunt, in eo positam, quod creaturæ cum Deo amicitia dissolvatur. Actus, vel omissio venialis animam quidem vulnerant, sed non ad mortem; & licet caritatis fervorem minuant, eam tamen prorsus non extinguunt, nec plane dissolvunt creaturæ cum Deo amicitiam.

Circa peccatum actuale quæremus hic 1. utrum mortale a veniali differat; 2. quænam sint regulæ, quibus mortale peccatum a veniali discerni possit; 3. an mortale nonnunquam fieri possit veniale; & vicissim utrum veniale possit fieri mortale; 4. utrum cum solo originali possit in aliquo subjecto esse solum veniale.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum peccatum mortale & veniale differant.

Not. EXpendemus hic 1. an distinctio peccati mortalis a veniali sit de fide; 2. an ex natura sua differant: 3. in quo positum sit verum eorum discrimen.

CONCLUSIO 1. Est de fide, aliqua esse peccata mortalia, & aliqua venialia.

Probatur ex Scriptura, qua docemur 1. multa esse peccata quæ a regno Dei excludunt: *Quoniam* (inquit Apostolus ad Romanos) *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Docemur 2. multa esse peccata, in quæ Deus per æternam pœnam animadvertet: *Ite maledicti in ignem æternum* (ait Christus ipse Matth. 25.); *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*. Docemur 3. nonnulla esse quæ præsentem mortem animæ inferunt: *Qui non diligit* (inquit Joannes 1. epist. cap. 3. *manet in morte*. Item Sapientiæ 5. *Os quod mentitur, occidit animam*. Peccata illa, quorum effectus enumeravimus, in Traditione vocantur, *Scelera, flagitia, crimina*: ergo Scriptura aperte definiit, quædam esse peccata mortalia: ac proinde fide catholica certum est, nonnulla esse mortalia.

Jam vero quod nonnulla quoque sint venialia tantum, ostenditur, tum ex Scriptura, tum ex Traditione. Primæ ad Corinth. 7. mixtio cum conjuge propter alium finem, quam procreationem prolis, aut reddendum debitum, dicitur venialis. Justi dum recitant orationem Dominicam, peccatorum suorum veniam petunt: *Dimitte nobis debita nostra*: At ea peccata quorum indulgentiam exorant, non sunt mortalia: neque enim cum peccatis mortalibus status gratiæ componitur. Augustinus passim in suis adversus Pelagianos operibus utitur illo argumento, ut probet justum sine speciali privilegio (quod uni Virgini Deiparæ concessum est) non posse hic in terris vitam ab omni peccato veniali immunem ducere: ergo fide quoque catholica certum est dari quędam peccata venialia.

CONCL. 2. Peccatum mortale non differt a veniali solum ex parte subjecti. Est contra Lutherum & Calvinum, qui docuerunt, omnia peccata, vel levissima, esse mortalia reprobis, venialia vero, licet gravissima, prædestinatis; utpote istis non imputata, cum e contra illis vel levissima, ad mortem & pœnam æternam imputentur.

Probatur 1. Adamus cum fructum vetitum comedit, peccavit lethaliter, & tamen de prædestinatorum erat numero. 2. Mortaliter quoque David peccavit, cum se ipsum commaculavit adulterio. 3. Eodem peccati genere devinxit se Petrus, cum ter Dominum negavit. 4. Reus fuerat peccati lethalis ille latro, qui, postquam dixit: *Nos quidem digna factis recipimus*, a Christo audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso*: ergo discrimen peccati mortalis a veniali non sumitur ex parte peccantis, sive sit prædestinatus, sive sit de reproborum numero. Vide quæ supra in hoc de inamissibilitate justitiæ contra Lutherum & Calvinum diximus.

CONCLUSIO 3. Peccatum mortale non differt a veniali ex parte solius divinæ voluntatis miserantis; hoc est, discrimen illud non petitur ex sola Dei voluntate, peccatum veniale nec in electis, nec in reprobis puniente. Est contra Joannem Gersonem Alphabeto 6. Littera A. Almainum tract. 3. Moral. cap. 20. & Roffensem Art. 32. contra Lutherum.

Probatur 1. ex Scriptura & Traditione, quæ quidem, cum de peccati mortalis a veniali discrimine loquuntur, nunquam recurrunt ad Dei voluntatem, quæ istud per misericordiam æterna pœna non castiget, in illud e contra æterna pœna sæviat: sed recurrunt semper, aut ad materiæ levitatem, aut ad defectum consensus, aut ad aliqua alia capita, quæ inferius suo loco recensebuntur.

Confirmatur auctoritate Papæ Pii V. a quo damnata fuit hæc propositio: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

CONCLUSIO 4. Peccatum mortale ex natura sua differt a veniali. Est omnium (iis tantum exceptis, quos recensuimus) Theologorum.

Probatur 1. Paulus primæ ad Corinth. 3. quædam peccata comparat cum feno & stipula

pula

pula superimpositis ædificii fundamento; ergo sicut stipula & fenum, ex se, ex natura sua, non possunt ædificii fundamentum destruere: ita & quidem sunt peccata, quæ *ex se*, & ex *natura sua* non possunt caritatem, quæ spiritualis ædificii forma est & fundamentum, destruere: ac proinde nonnulla sunt peccata, quæ *per se*, & ex natura sua, differunt a mortalibus, quæ illam ædificii spiritualis formam, illud fundamentum evertunt.

Probatur 2. Quædam sunt peccata, quæ per se, & ex natura sua, dominantem in anima, creaturarum amorem non inferunt; hujusmodi vero sunt (ut advertit Augustinus Serm. 12. de Diversis) *attendere aliquid quod non debeat, audire aliquid quod non fuit audiendum, cogitare aliquid quod non fuit cogitandum*: Ea enim (ut ejusdem Sancti Doctoris verbis utamur) *parvi sunt morbi*: E contra vero nonnulla sunt peccata quæ per se, & ex natura sua, dominantem in anima creaturarum amorem inferunt, quæque per se, parvi non sunt morbi: ergo quædam sunt peccata mortalia, quæ per se & ex natura sua differunt a venialibus; in eo nimirum (ut dicetur inferius) peccatum mortale differt a veniali, quod illud dominantem creaturarum amorem in anima, non autem istud, inferat.

Objicies. Scriptura docet 1. peccata (non distinguendo mortalia a venialibus) creaturæ cum Deo amicitiam dissolvere, ut videre est Isaiæ 59. Ezechielis 18. primæ Joannis 3. Docet 2. (ut patet ex Matth. cap. 25.) eum, qui minima mandata non custodit, non introiturum esse in regnum cælorum. Docet 3. justum non habiturum esse partem cum Christo, si eum Christus a levioribus non abluerit: *Si non lavero te* (ait Christus Petro, Joannis 13.) *non habebis partem mecum*: ergo, &c.

Resp. ad 1. per minima mandata intelligi mandata quæ in secunda Decalogi tabula continentur: sicque vocantur comparata ad primum mandatum, quo fides, spes & caritas præcipiuntur. Ita Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in monte.

Resp. ad 2. peccata quidem generatim dici in Scripturis solvere creaturæ cum Deo amicitiam; sed aliis Scripturæ locis docemur, id de omnibus peccatis non intelligi, sed de mortalibus tantum.

Resp. ad 3. peccati venialis sordes eo sensu excludere a regno cælorum, quod nisi prius ablutæ fuerint, aut hac in vita per pœnitentiam, aut in altera per satispassionem, (ut loquuntur) liberum non sinant animabus justis cælorum introitum: nihil enim coinquinatum in cæleste regnum intrabit.

Objices 2. Ecclesia orat, ne Deus sinat animas, quæ sine lethali peccato mortuæ sunt, in tartarum delabi: *Ne absorbeat* (inquit in liturgia) *eas tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer S. Michael eas repræsentet in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus*: ergo Ecclesia supponit, peccatis etiam levibus pœnam æternam deberi; ac proinde ea a mortalibus ex natura sua non differre.

Resp. nomine *tartari* Ecclesiam intelligere locum, quem Catholici Purgatorium vocant; locus autem ille dicitur *tartarus*, quod animæ justæ, quæ plene pro peccatis, sive mortalibus sive venialibus, in hac vita Deo non satisfecerunt, in eo loco crucientur. Dicitur etiam *obscurus*, eo quod animæ, quamdiu in eo detinentur, uberiori illa luce, qua beati fruuntur, minime potiantur.

Quæres, in quo positum sit discrimen peccati mortalis a veniali?

Resp. 1. Illud discrimen non esse positum in eo quod mortale sit contra præceptum, veniale vero contra consilium tantum. Ratio est, quia actus qui sunt tantum contra consilium, non sunt peccata; neque enim homo sub pœna peccati tenetur consiliis adhærere: unde Apostolus primæ ad Corint. 7. isti sententiæ: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, hanc aliam subjicit: *Si nupserit virgo non peccat*.

Resp. 2. discrimen, de quo agitur, non peti ex eo quod peccatum mortale sit contra legem, veniale vero *præter legem*. Ratio est, quia in quolibet peccato, etiam veniali, est inordinatus amor creaturæ; sed quilibet inordinatus amor est contra legem æternam, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat. Præterea in omni peccato veniali voluntas creatura fruitur; frui enim, ex Augustino, est amore inhærere creaturæ propter ipsam; at frui creatura est contra legem æternam; in eo enim posita est inordinatio, quam æterna lex vetat, ut creatura aut fruatur utendis, aut fruendis uratur.

Respondendum est igitur 3. peccatum mortale in eo præcise differre a veniali, quod finem simpliciter ultimum, hoc est, finem omnibus animæ affectibus prædominantem, in creatura constituat: cum e contra veniale non constituat finem *simpliciter* ultimum in creatura, sed ultimum tantum *secundum quid*: scilicet quamvis venialiter solum peccans excludat actualem sui ipsius relationem ad Deum, non excludit tamen habitualem: unde licet habeat affectum ad peccatum veniale, non amittit tamen caritatem habitualem, quæ omnibus animæ affectibus prædominetur.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De regulis, quibus peccatum Mortale potest a Veniali discerni.

CONCLUSIO 1. Difficillimum est, & periculosum definire, an hic, aut ille actus in individuo, sint peccatum mortale, an veniale tantum.

Probatur ex Augustino, qui lib. 21. de Civit. Dei, c. 8. sic loquitur: *Quis sit iste modus, & quæ sint illa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, difficillimum invenire, definire periculosissimum. Ego certe usque ad hoc tempus, cum id satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.*

Quæres, cur difficillimum sit, peccatum mortale in individuo a veniali discernere?

Resp. plures esse difficultatis illius rationes. Nam 1. mens circa moralia longe magis cæca est, quam circa alia omnia. 2. Voluntas per peccatum corrupta inducit intellectum ad judicandum prout est affecta: unde fit, ut sæpe non ex regula veritatis, sed ex cupiditate rem metiatur. 3. Non raro fit, ut peccata, quamvis multum gravia, cum in consuetudinem venerint, aut levia, aut nulla esse credantur: *Usque adeo* (inquit Augustinus Enchiridii c. 8.) *ut non solum tunc occultanda, verum etiam prædicanda, ac diffamanda videantur.*

CONCLUSIO 2. Ad dignoscendum, quinam actus sint peccata mortalia, qui vero venialia tantum, quatuor regulæ statui possunt.

Probatur enumeratione. I. Discrimen peccati venialis a mortali non ex humana ratione per peccatum corrupta, sed ex Scriptura & traditione, quantum fieri potest, petendum est: *Quæ sint levia, & quæ gravia peccata, non humano* (inquit Augustinus Enchiridii cap. 18.), *sed pensanda sunt judicio divino*. II. Quæ in Scripturis dicuntur excludere a regno cælorum, aut quæ morte æterna castigantur, sunt semper peccata mortalia. III. Quæ justis legibus civilibus, aut canonicis gravi pœna mulctantur, non sunt venialia. IV. Ea quibus grave damnum aut operanti, aut alteri tertio ex se inferunt, non sunt delicta, seu peccata venialia, sed sunt crimina, hoc est, mortalia peccata.

QUÆSTIO III.

Utrum peccatum mortale nonnunquam fieri possit veniale, & e contra.

Not. PEccatum, sive mortale, sive veniale, duobus modis considerari potest, vel in se, vel per accidens, hoc est, vel independenter a quibusdam circumstantiis extrinsecis, seu secundum suam naturam; vel dependenter a quibusdam exterioribus circumstantiis, quæ se teneant, aut ex parte levitatis materiæ, aut ex parte peccantis.

CONCLUSIO 1. Peccatum mortale ex se nunquam potest fieri veniale, nec vicissim.

Probatur. Quod ex se est mortale, natura differt ab eo quod ex se est tantum veniale: sed natura rei in naturam alterius mutari non potest; ergo, &c.

Objicies 1. Peccata venialia tandem per sui multiplicationem possunt animæ mortem inferre: ergo fieri possunt mortalia. Probatur ant. auctoritate Sancti Augustini, qui in ep. 108. sic loquitur: *Timenda sunt parva peccata, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra, subrepunt. Quæ collecta contra nos si fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum aliquod grave peccatum.* Sanctus Doctor id confirmat hac comparatione: *Quid enim* (inquit) *interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, an paullatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta, impleat navim, atque submergat?*

Resp. dist. ant. Venialia tandem possunt animæ inferre mortem dispositive, conc. ant. effective & formaliter, neg. ant. Peccata venialia minuunt caritatis fervorem, ac proinde cupiditatem augent, juxta illud Augustini, *Decrementum caritatis est incrementum cupiditatis*. Præterea Deo dant locum subtrahendi lumen uberius, & auxilium efficax, quod ad actualem præceptorum observationem in statu naturæ lapsæ requiritur: unde est illud Bernardi: *Argumentum superbiæ, privatio gratiæ.*

Objicies 2. Multa levia furta tandem, ubi adfuerit gravis materia, constituunt peccatum mortale: ergo multa, ex se venialia, transire possunt in peccatum, quod ex se mortale sit.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia ultimum rei levis furtum, prout moraliter prioribus accrescit, & unam cum aliis materiam efficit, est per se peccatum mortale, licet præterita singula levis materiæ furta venialia sint, si seorsim & non conjunctim considerentur.

CONCL. 2. Peccatum mortale potest per accidens fieri veniale; & vicissim veniale potest per accidens fieri mortale.

Probatur prima pars. 1. Peccatum, quod ex genere suo est mortale, fieri potest absque plena ad actum ipsum deliberatione, sed tamen ex aliqua levi negligentia: at tunc in individuo est tantum veniale, eo quod non sit perfecte liberum: hujusmodi sunt subiti motus infidelitatis, iræ, impudicitiæ, qui ita mentem perturbant, ut voluntas statim eos non comprimat. De iis motibus intelligi possunt hæc verba quarti Canonis Con-

cilii Neocæsariensis: *Si quis mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non perveniat ad effectum; apparet, quod gratia Dei servatus sit.*

II. Idem peccatum quod ex suo genere est mortale, nonnunquam in individuo sumptum versatur circa levem, seu parvi momenti materiam; sed in eo casu fit in individuo veniale, ut patet in furto unius pomi, aut in detractione quæ ex se non potest grave damnum inferre proximo. Excipiendi sunt tamen ab ea regula actus, in quibus reperitur integra in divinam Majestatem irreverentia; ii enim non fiunt peccata venialia ex levitate materiæ, si ex plena deliberatione committantur, ut videre est in perjurio assertorio respectu rei levis; & in simonia, per quam res aliqua spiritualis, licet parvi videatur esse momenti, venditur.

Probatur altera conclusionis pars enumeratione casuum, in quibus peccatum, quod ex se est tantum veniale, potest per accidens fieri mortale.

I. Id contingit ratione conscientiæ erroneæ, qua scilicet exercet actum, quem judicat, licet falso, esse peccatum mortale.

II. Id quoque contingit ratione gravis scandali, & id videre est in iis, qui (ut ait Paulus 1. ad Corinth. 10.) idolothyta coram infirmis edebant. Censetur autem dati scandali reus non tantum is qui expresse intendit alios ad peccatum impellere, sed is etiam qui potest abstinere ab actu, quem prævidet, aut prævidere potest esse futurum alteri homini scandalo, nec ad id agendum tenetur, aut ratione officii, aut alicujus alterius necessitatis.

III. Id contingit ratione contemptus in legislatorem, cujus lex infringitur: non quidem interpretativi tantum; is enim reperitur in quolibet peccato; sed formalis, ut cum aliquis infringit legem, ut legislatorem afficiat injuria.

IV. Id quoque contingit ratione finis ultimi: cum scilicet operans, in actu suo, ex se alioquin veniali, finem simpliciter ultimum constituit; seu cum ita in ipsum affectus est, ut paratus sit Deum potius deserere, quam ab eo actu temperare: sic fuit affectus Esau, cum Jacob fratri suo primogenita vendidit: *Esau* (inquit Augustinus epistola 86.) *non esca, sed usque ad contemptum sacramenti, quod in primatu suo habebat, concupita esca damnavit.*

V. Id etiam contingit ratione ordinationis ad finem mortaliter malum; hujusmodi vero foret verbum jocosum, quod aliquis proferret, ut mulierem aliquam ad adulterium provocaret.

VI. Id quoque contingit aliquando ratione proximi periculi peccati lethalis: cum nimirum quis ei proximo peccati lethalis periculo, per peccatum, quod ex se sit veniale tantum, sese exponit: qui enim amat periculum, peribit in illo: & qui vult caussam, vult efficaciter effectum quem prævidet, aut prævidere potuit ac debuit ex ea causa secuturum.

QUÆSTIO IV.

Utrum cum peccato originali solum veniale reperiri possit.

Not. Circa eam quæstionem duplex est Scholasticorum sententia. Thomistæ negativam propugnant: plures autem alii affirmativam.

CONCLUSIO. Solum peccatum veniale potest cum originali reperiri.

Probatur. Adultus, cui peccatum originale nondum per baptisma remissum est, ubi primum incipit frui rationis usu, potest actum ex se malum elicere sine integra & sufficiente ad peccatum mortale deliberatione: nam 1. non potest assignari ratio, cur id fiat sæpius ab adulto, qui sit in statu peccati mortalis actualis, & id non possit ab eo fieri, qui solius originalis reus est. 2. Reus solius peccati originalis potest verbum aliquod jocosum proferre absque eo quod finem suum simpliciter ultimum in illo constituat. 3. Adultus, de quo agitur, potest pomum furari; sed in neutro ex iis casibus adultus ille peccaturus erit lethaliter, cum in eis lethaliter non peccet, qui multa mortalia originali conjunxit.

Objicies 1. Juxta doctrinam S. Thomæ, quilibet adultus in primo rationis instanti, jure naturali tenetur elicere actum amoris Dei super omnia: unde sic arguitur. Vel adultus, qui reus est solius peccati originalis, in primo suæ rationis instanti eliciet actum illum, vel non eliciet: Si primum, non peccabit ne venialiter quidem: Si vero secundum, peccabit, ex S. Thoma, lethaliter: ergo solum peccatum veniale non potest cum originali reperiri.

Resp. veritati (ut agentes de caritate diximus) consonam esse doctrinam, qua S. Thomas asserit, quemlibet adultum post acceptum rationis usum non posse sine peccato mortali in multum spatium differre actum amoris Dei super omnia; verum potest in brevissimum aliquod tempus actum illum protrahere, intra quod nihil (ut observatum est) impedit, quin vel levem aliquam materiam ex se malam, seu quæ parvi momenti sit, eligat; vel ex imperfecta deliberatione, & ad lethale peccatum non sufficiente, operetur: ac proinde nihil impedit, quin peccet tantum venialiter.

Objicies 2. ac simul instabis. Adultus in primo suæ rationis instanti debet per actum, quem elicit, finem ultimum sibi constituere:

non

non enim potest operari, nisi ex influxu alicujus ultimi finis, cui alii omnes subordinentur, juxta illud Philosophorum axioma: *Primum in unoquoque genere est caussa ceterorum*. Ille autem finis vel est Deus, vel creatura: Si primum, Deus anteponitur creaturæ, ac proinde super omnia diligitur: Si secundum, creatura Deo præfertur, & consequenter operans peccat lethaliter: ergo, &c.

Resp. 1. non esse necesse, ut adultus in primo metaphysico suæ rationis instanti finem sibi *simpliciter* ultimum actu sibi constituat. quippe, ut operetur, satis est, ut sibi proponat finem *secundum quid* ultimum; id est, non est necesse, ut actu sibi proponat ultimum totius vitæ suæ finem; sed satis est, ut aliquem sibi proponat, qui sit ultimus solius operis quod exercet.

Resp. 2. verum non esse, quod adultus ille non possit operari, nisi ex influxu finis, cui alii omnes subordinentur; ac proinde nihil impedit quin impius finem simpliciter ultimum in creatura habitualiter constituat, & per actum suum, finem ultimum tantum secundum quid. Confirmari potest illa responsio exemplo hominis justi, qui licet habeat Deum habitualiter pro fine *simpliciter* ultimo, per peccatum tamen veniale finem *secundum quid* ultimum potest in creatura constituere, ei scilicet inhærendo per amorem transitorium.

DISSERTATIO NONA.

De peccato Actuali in specie.

Dicemus hic 1. de peccatis ignorantiæ; 2. de peccatis infirmitatis & malitiæ; 3. de Usura; 4. de Simonia.

QUÆSTIO PRIMA.

De peccatis ignorantiæ.

Not. De peccatis ignorantiæ quæremus 1. utrum dentur: 2. utrum ignorantia invincibilis excuset a peccato: 3. utrum ignorantia actus prohibiti liberet a pœna, quæ illi actui jure tantum humano annexa est; 4. denique, utrum ignorantia sit peccatum speciale.

CAPUT I.

Utrum dentur ignorantiæ peccata.

Concl. 1. Fide Catholica certum est dari quædam ignorantiæ peccata.

Probatur 1. ex Scriptura, qua docemur 1. injuncta fuisse Judæis sacrificia pro obtinenda venialium indulgentia: *Anima quæ peccaverit per ignorantiam* (inquit sacer textus, Levit. c.) *offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti juxta mensuram, æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum.* Docemur 2. Sanctos tum in veteri, tum in nova lege pro suis ex ignorantia delictis veniam a Deo poposcisse: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*: verba sunt Davidis Psal. 24. *Misericordiam consecutus sum* (ait Apostolus), *quia ignorans feci in incredulitate.* Docemur 3. Judæos qui Christum affixerunt cruci, per ignorantiam deliquisse: *Scio* (inquit Petrus, illos alloquens Actor. III.) *quia per ignorantiam fecistis*: Ergo aperte constat ex Scripturis, dari ignorantiæ peccata.

Prob. 2. ex Traditione. I. Palæstina Synodus Diospoli habita, & cui unanimis accessit omnium orbis Ecclesiarum consensus, hanc Pelagii propositionem damnavit: *Ignorantia & oblivio non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* II. Augustinus in suis adversus Pelagianos operibus non semel docet, ad fidem catholicam pertinere articulum, quo docetur, dari quædam ignorantiæ peccata. Legi quoque potest Bernardus in Epistola ad Hugonem a sancto Victore.

Objicies 1. *Numquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio extimuletur*: ergo nulla dantur ignorantiæ peccata.

Resp. neg. ant. Nam 1. de ea propositione hocce judicium tulit Facultas Theologica Parisiensis an. 1641. *Falsa est, & viam aperit ad excusandas excusationes in peccatis.* Hoc pariter tulit an. 1657. Facultas Lovaniensis: *Est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera, etiam immanissima, hominum peccata excusat, cum pernicie animarum.* Eam pariter censuram, quam in ultimo capite de peccatis in genere disserentes retulimus, Clerus Gallicanus anno 1700. ad Comitia coactus notavit. II. Tantum abest ut omnes qui Christum & Apostolos persecuti sunt, persecutiones ejusmodi vitandæ desiderio extimulati fuerint, quin e contra (Scriptura teste) arbitrati sint, se obsequium præstare Deo. III. Petrus cum Judæis ad fidem conversis Antiochiæ legalia observans, arbitrabatur rectam esse suam agendi rationem: & tamen a Paulo merito reprehensus est. Idem dicendum est de Cypriano, cui adversus Stephanum Papam exciderunt verba quædam, quæ licet ipsi a zelo proficisci viderentur, indiguerunt tamen, ut delerentur, Augustino teste, fervente ejusdem S. Martyris caritate.

Objicies 1. Omnibus peccantibus datur gratia actualis: ergo omnibus peccantibus cognita est malitia operis, quod ab eis exercetur: nimirum gratia actualis posita est, saltem ex parte, in mentis illustratione, qua bonum aut malum opus detegatur: ergo nulla dantur ignorantiæ peccata.

Resp.

Resp. quidquid sit de antecedente, de quo actum est Tom. III. neg. cons. Ratio est, quia gratia actualis non semper efficit, ut operans, sui operis malitiam actu & de facto advertat: sed aliquando efficit tantum, ut eam advertere potuerit, vel ad orationem, qua lumen necessarium impetretur, confugiendo, vel non consentiendo occultæ aut apertæ cupiditati, qua mens hominis per ignorantiam peccantis excæcata est.

Objicies 2. Nihil est actu volitum, nisi sit actu cognitum: sed in peccatis quæ ignorantiæ peccata dicuntur, malitia ab operante non est actu cognita: ergo nec actu volita: ac proinde peccatum quod ignorantiæ dicitur, non est peccatum, saltem (ut vocant) formaliter, cum voluntarium sit essentiale peccato.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia ut actus sit peccatum *etiam formaliter*, satis est, ut illius malitia, saltem remote, cognosci potuerit ac debuerit. Unde malitia, licet actu cognita non sit, est, saltem indirecte, voluntaria; quatenus nimirum operans vult actum, cum quo intellectus scit aut scire potuit, malitiam esse conjunctam: hoc autem ipsum est quod August. in lib. 1. Retractationum cap. 15. vocat voluntarium voluntate facti, non autem voluntate peccati: *Ita* (inquit) *nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non autem voluntate peccati.*

CAPUT II.

Utrum ignorantia invincibilis operantem excuset a peccato.

CONCLUSIO. 1. Ignorantia simpliciter, & omnino invincibilis operantem excusat a peccato.

Prob. argumento generali. I. Quod fit ex ignorantia omnino invincibili, non est ratione malitiæ voluntarium in se, ut patet in eo qui venando occidit patrem, credens invincibiliter esse feram. Non est quoque voluntarium in caussa, ex qua sequitur, quia illa caussa est ignorantia, cui operans (ut supponitur) ne remotum quidem locum dedit.

II. Quamvis (ut superiore capite demonstratum est) non requiratur ad peccandum, ut operans sui actus malitiam actu cognoscat; requiritur tamen ut vel proxime, vel remote eam cognoscere potuerit, ac debuerit; voluntarium enim, etiam indirectum, præsupponit in agente præviam illius cognitionem, saltem in potentia remota: Sed is qui operatur ex ignorantia simpliciter & omnino invincibili, nec proxime nec remote potest aut potuit operis sui malitiam cognoscere: ergo malitia non est illius respectu voluntaria etiam indirecte.

Probatur iterum conclusio argumentis specialibus. Ignorantia invincibilis potest esse vel circa facta aliqua, vel circa jus positivum, vel circa jus naturale; atqui ignorantia circa tria illa objecta omnino ac simpliciter invincibilis, excusat a peccato: ergo, &c. Prob. min. per partes.

I. Nemo dubitat, quin ignorantia omnino invincibilis circa facta aliqua operantem excuset a peccato: siquidem Scriptura non damnat Jacob, qui ad Liam accessit, ratus invincibiliter eam esse Rachel, quam in matrimonium duxerat.

II. Certum est quoque, ignorantiam simpliciter invincibilem excusare a peccato in iis quæ sunt de jure mere positivo, etiam divino. Id nimirum patet 1. ex Joan. c. 15. ubi Christus hæc ait de peccato infidelitatis Judæorum: *Si non venissem, & eis locutus non fuissem, peccatum* (infidelitatis in me) *non haberent*. Patet 2. ex Pio Papa V. qui (ut jam alibi observatum est) merito propositionem hanc damnavit: *Infidelitas pure negativa, in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est:* atqui ea infidelitas ideo peccatum non est, quod oriatur ex juris positivi, Evangelii nimirum, ignorantia omnino & simpliciter invincibili: nec enim illa Evangelii ignorantia superari potest, nisi via extraordinaria, in eo posita, quod ad infidelem qui ea laborat, Evangelii concionatores mittantur.

III. Non minus exploratum esse debet, ignorantiam circa jus naturale, si sit omnino, simpliciter & absolute invincibilis, excusare a peccato. Siquidem actus qui ex illa ignorantia sequerentur, se haberent sicut motus concupiscentiæ: qui quidem si nec naturæ viribus, nec auxilio gratiæ superari possent, reum non redderent hominem, qui eis suum consensum præberet. Confirmatur auctoritate Alexandri Papæ VIII. a quo proscripta est hæc propositio, quæ nostræ conclusioni aperte contraria est: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Quæres, utrum ignorantia vincibilis minuat peccati malitiam?

Ut solvatur illa quæstio, notandum est, ignorantiam vincibilem duplicem esse, affectatam nimirum, & minime affectatam. Prima est ea, quam quis de industria elegit, ne sciat ea quæ aut jure naturali, aut positivo, sive sit divinum, sive sit humanum, civile aut canonicum, agere debet: Posterior est ea, quæ de industria non eligitur, sed ex quadam culpabili negligentia nascitur. Iis præmissis, ad quæstionem respondendum est 1. ignorantiam affectatam nihil de peccati malitia detrahere, immo eam augere potius: unde Propheta Rex affectatam legis ignorantiam exhibet tamquam cir-

cumstantiam, qua is qui legem infringit, multo magis reus efficitur: *Noluit* (inquit) *intelligere, ut bene ageret*. Nec mirum: siquidem ignorantia affectata, non interpretativum tantum, sed etiam formalem legis ac legislatoris contemptum includit: *Voluntatem proprii domini velle nescire* (inquit Isidorus in lib. 2. Sentent. c. 17.) *quid aliud est, quam velle dominium superbiendo contemnere?* Præterea ignorantia, de qua agitur, includit explicitam voluntatem infringendi legem: unde S. Bernardus de gradibus humilitatis agens, hanc elicit conclusionem: *Frustra sibi de ignorantia blandiuntur, qui, ut liberius peccent, libenter ignorant*.

Respondendum est 2. ignorantiam minime affectatam, quidpiam de peccati malitia detrahere: *Ille autem servus* (ait Christus ipse Lucæ 12.) *qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*.

Sed operæ pretium est, ut observemus, quod licet ignorantia vincibilis, quæ affectata non fuerit, quidpiam de actus malitia detrahat, eam tamen non omnino tollat: unde celebre est apud Patres axioma, eam excusare quidem *a tanto*, sed non *a toto*. Quod quidem effatum non sic accipiendum est, ut id quod est peccatum mortale, ratione ignorantiæ vincibilis fiat veniale tantum; alioquin enim Judæi venialiter tantum peccassent, cum Christum in crucem egerunt. Paulus quoque venialiter tantum deliquisset, dum ignorantia laborans, Ecclesiam Christi prosequebatur. A mortali quoque peccato immunes fuissent Pagani, dum simulacris thus adolebant. Idem denique ferendum esset judicium de iis omnibus quorum flagitia & facinora Paulus in Epistola ad Romanos describit, necnon de pluribus ex iis, de quibus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*: Multi enim nesciebant pleraque ex iis flagitiis & facinoribus esse peccata.

QUÆSTIO II.

De peccatis infirmitatis, & malitiæ.

Not. NEmini dubium est, quin dentur infirmitatis peccata: nimirum certum est, hominem plerumque peccare ex motu passionis, quam ipse ex malitia non excitaverit, sed quæ prævenerit usum rationis, & cui postea ipse consenserit: Sed quæri potest 1. utrum passio, seu infirmitas, excuset a peccato: 2. an saltem minuat illius malitiam.

Not. 2. Nemini quoque dubium est, quin dentur peccata, quæ proprio nomine dicuntur peccata malitiæ: scilicet ratum est, peccare quosdam de industria, & ex electione excitare passiones, quarum motibus suum præbent consensum; verum de iis malitiæ peccatis quæri potest, utrum sint irremissibilia.

CONCLUSIO 1. Passio, seu infirmitas, quidpiam quidem detrahit de peccati malitia, sed eam omnino non tollit.

Probatur prima pars. Passio, seu infirmitas: quæ (ut contingit in peccatis quæ infirmitatis dicuntur) ab operante non excitatur, quæque ob id dicitur antecedens, minuit voluntarium: ergo & peccati malitiam. Ita ratiocinatur S. Thomas 1. 2. quæst. 78. art. 6. ubi sic loquitur: *Si igitur accipiatur passio secundum quod præcedit actum peccati, sic necesse est, quod diminuat peccatum; actus enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, & in nobis existens: esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem & voluntatem: unde quanto ratio & voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium, & in nobis existens: & secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium*.

Probatur altera pars. Passio (ut supponitur) non tollit omnem rationis usum, licet antecedens supponatur, hoc est, licet ab operante libere excitata non fuerit: ergo non impedit, quin voluntas libere illius motibus obtemperet; ac proinde peccatum omnino non tollit.

CONCLUSIO 2. Dantur quædam malitiæ peccata. Ita S. Thomas loco laudato.

Probatur. Peccata malitiæ sunt, ex observatis, ea quæ de industria fiunt: atqui dantur hujusmodi peccata, juxta illud Job. 34. *Quasi de industria recesserunt a Deo, & vias ejus intelligere noluerunt*: ergo &c.

Objicies Peccata malitiæ, prout distincta a peccatis infirmitatis, sunt ea, quæ ex antecedente passione non oriuntur; atqui in statu naturæ lapsæ nulla dantur peccata, quæ ex antecedente passione, seu libidine non oriantur: omne nimirum peccatum hominis lapsi nascitur ex impulsu amoris habitualis ad bonum commutabilem, quem ex primi Adami prævaricatione contraxit; sicut vera ac casta pietas oritur ex ejusdem hominis lapsi in Deum amore, quem per alterius Adami gratiam accepit: *Duo amores sunt* (ait Leo Magnus Serm. de jejunio septimi mensis) *ex quibus omnes prodeunt voluntates: Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi*: Atqui habitualis ille amor in bonum commutabile, est passio, seu libido, quæ in hominibus etiam baptizatis ad agonem remanet: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Scilicet peccata malitiæ, sicut ea quæ infirmitatis dicuntur, in homine lapso nascuntur ex libidine illi innata: sed hoc ab illis est discrimen, quod peccans ... ex

ex malitia libere excitet innatæ nobis libidinis motus, eisque dedita opera & absque contrarii actus etiam inefficaci voluntate suum consensum præbeat; unde obsequitur ille non tantum passioni antecedenti, sed etiam consequenti; hoc est, excitatæ de industria, ut majori nisu pravo quod sibi proponit objecto fruatur; hincque fit, ut graviora sint peccata malitiæ, quam peccata quæ infirmitatis dicuntur: *Passio autem consequens* (ait S. Thomas) *non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati; & sic verum est, quod quanto aliquid majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.* Vide quæ concupiscentia augente vel minuente voluntarium, diximus hocce Tom. pag. 263.

CONCL. 3. Peccata malitiæ non sunt simpliciter & absolute irremissibilia.

Probatur. Eum, qui in malitiæ peccata lapsus est, posse pœnitere (illius enim voluntatem Deus efficacissima sua gratia emollire potest ad contritionem) ac postea se subjicere absolutioni sacramentali, cujus virtus sese extendit ad omnia peccata, quæ post baptismum admissa fuerint.

Objicies 1. Lucæ 12. Christus asserit, peccata in Spiritum sanctum nec in hoc sæculo, nec in altero dimittenda esse: Sed inter peccata in Spiritum sanctum numerantur ea, quæ dicuntur peccata malitiæ: ergo, &c.

Resp. disting. maj. Christus asserit, peccata in Spiritum sanctum esse, moraliter loquendo, irremissibilia, conc. maj. absolute & simpliciter loquendo, neg. maj. Petitum est responsum illud ex S. Thoma, qui in 4. Sent. dist. 20. q. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 1. sic loquitur: *Sicut aliquis morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi, vel medicinæ, licet morbum Deus possit curare: ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum (auxilia scilicet gratiæ, quorum largitio Spiritui sancto specialiter adscribitur): per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ, & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose sanantur.*

Objicies 2. Primæ Joannis 5. hæc habentur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*: ergo quædam sunt peccata prorsus irremissibilia, ea nempe pro quorum remissione prohibet Joannes, ne quis Deo preces fundere audeat.

Resp. cum Augustino, per peccatum ad mortem intelligi finalem impœnitentiam, illud scilicet peccatum, quod tum corporis morte conjungitur; ac proinde quod conjunctam habet æternam hominis mortem; unde cum se extra viæ statum extendat, non licet pro illius remissione divinam indulgentiam deprecari.

QUÆSTIO III.

De peccatis Commissionis, & Omissionis.

Not. 1. DE peccato commissionis unum theologi quærunt, in quo scilicet posita sit illius natura formalis, an in positiva quadam entitate (ut nonnullis placet), an vero in mera debitæ rectitudinis privatione. Cum eum nodum, de mortalitate actuum humanorum agentes, solverimus, hic omnino de commissionis peccato silebimus.

Not. 2. Circa peccatum omissionis multa verti possunt in controversiam. Nempe quæri potest 1. utrum dari possit omissio culpabilis sine omni actu voluntatis, seu (ut loquuntur scholastici) pura omissio libera: 2. An id omne quod cum omissione culpabili componi non potest sit peccatum: 3. Utrum quis peccet tantum cum omissionis causam apponit, an etiam tunc cum opus præscriptum omittit.

CONCLUSIO. 1. Nulla dari potest omissio libera absque omni voluntatis actu: si tamen per impossibile daretur, esset culpabilis.

Probatur prima pars. Si daretur omissio libera absque omni voluntatis actu, esset vel cum actu ponitur omissio, vel antequam poneretur: atqui neutrum dici potest. Non primum: sicut enim intellectus nusquam vacat cogitatione; ita nec voluntas feriatur: *Habet omnis amor* (inquit Augustinus in Psalm. 31.) *vim suam, nec potest vacare in anima amantis.* Nec etiam secundum dici potest: Siquidem nihil omnino potest esse liberum sine aliquo voluntatis influxu: ergo dari non potest omissio libera, cujus præcedens aliquis voluntatis actus non sit caussa.

Probatur altera conclusionis pars. 1. Voluntas esset omissionis, de qua agitur, caussa, saltem moralis: scilicet omissio illa sequeretur ex eo, quod voluntas libere hæreret in suspenso, hoc est, ex eo quod libere temperaret ab omni actu. 2. In casu, de quo est quæstio, intellectus adverteret, aut saltem posset advertere præceptum affirmativum, per quod omissio vetatur: ergo per ejusdem præcepti omissionem voluntas peccaret, quamvis actum hunc non eliceret, *Nolo præceptum implere.*

Objicies contra secundam conclusionis partem. Nulla omissio potest esse meritoria sine aliquo voluntatis actu: ergo si quæ detur sine omni actu, non erit culpabilis.

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis, est

 quia

quia actus, ut sit meritorius, debet imperari a caritate saltem imperfecta: *Præcipit Apostolus* (verba sunt Augustini in libro de corrept. & gratia cap. 3.) *ut omnia vestra in caritate fiant*: at actus non potest absque voluntatis actu imperari a caritate, ac proinde nec esse meritorius.

CONCLUSIO 2. Id quod cum omissione culpabili componi non potest, est peccatum, si sit omissionis causa, vel occasio: secus vero si nec illius sit caussa, nec occasio voluntaria.

Probatur. Illud est peccatum, quod in ipsum aut actu, aut virtualiter, aut interpretative saltem, influit: quo enim præcepto peccatum prohibetur, illius quoque caussa & occasio vetantur: Quod vero nec est caussa, nec occasio peccati, nullum habet in omissionem influxum: ac proinde prius est peccatum, non autem posterius.

Quæres, quandonam quidpiam censeatur nec esse caussa, nec occasio omissionis culpabilis?

Resp. id omissionis culpabilis nec caussam esse nec occasionem, quod presupponit voluntatem efficacem non observandi præceptum affirmativum; eo nimirum in casu nullo modo influit in omissionem: sic qui præsupposita efficaci voluntate non audiendi Sacrum, ludit, aut aliquid aliud cum actuali observatione præcepti incompossibili operatur, non censetur omissioni caussam aut occasionem præbere.

Observatum tamen velim, quod ut aliquid non censeatur influere in omissionem culpabilem, necesse sit, quod nulla sit spes in operante mutandi propositum: si enim spes affulgeat fore, ut operans mutaturus sit propositum, opus cum omissione incompossibile, & cui postea mederi non potest, censetur in omissionem culpabilem influere. Hinc autem colligitur, Subdiaconum, qui post firmum propositum horas canonicas non persolvendi in navigatione, Breviarium in mare projicit, peccare lethaliter, non solum cum omissionem illam proponit, sed etiam cum actu in mare projicit Breviarium.

CONCL. 3. Qui præcepti observationem omittit, peccat non solum cum apponit caussam, sed etiam cum actu & de facto rem præceptam omittit.

Probatur prima pars. Eo instanti quo quis omissionis caussam apponit, censetur ipsam omissionem velle, aut virtualiter, aut saltem interpretative: qui enim vult caussam, vult & effectum qui ex illa sequitur. Hinc autem colligitur reum esse qui die festo horis matutinis se somno tradit, prævidens, quod non nisi sub vesperam excitabitur a somno: idque, licet deinde per accidens excitetur; ac postea Sacro se præsentem sistat.

Probatur altera conclusionis pars, 1. auctoritate S. Thomæ, qui 1. 2. qu. 79. art. 3. ad 3. sic loquitur: *Dicendum, quod omissio incipit ei imputari in culpam, quando fuit tempus operandi*. 2. Si quis se voluntarie vino ingurgitet, aut somno tradat prævidens, quod aut in ebrietate, aut in somno clericum interfecturus sit, eo instanti reali incidat in excommunicationem, quo iniquum illum actum perpetrat: ergo pariter in eo reali instanti peccat. Hinc vero colligitur, pœnitentem teneri aperire in confessione sacramentali non tantum omissionis caussam, sed etiam ipsam actualem omissionem.

Objicies 1. Omissio nullo modo fuit libera eo instanti quo contigit: ergo tunc non fuit peccatum; est enim de ratione peccati ut sit voluntarium.

Resp. omissionem, in casu de quo agitur, fuisse liberam libertate morali, neque enim (ut supponitur) rescissus fuit actus, quo ebrius, dum sui compos esset, omissionem elegit.

Objicies 2. Qui inter dormiendum Sacramentum aliquod conficit, ipsum non conficit valide, quamvis ante somnum propositum habuerit illud in somno conficiendi: ergo neque peccat is qui præceptum omittit, cum sui non esset actus compos, quamvis dum caussam prius apposuit, omissionem libere voluerit.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Christus noluit, ut sacramentum a ministro dormiente datum valeret, tum ob reverentiam, quæ Sacramento debetur, tum quod necesse sit, ut sacramentum conficiatur cum certitudine, saltem morali, de subjecti, cui applicatur, præsentia.

Quæres, utrum actus ex natura sua indifferens, & ex quo culpabilis omissio sequitur, non habeat malitiam aliam ab ea quæ includitur in omissione?

Resp. non habere aliam. Ratio est, quia actus ille (ut supponitur) non habet finem intrinsece malum: ac proinde non potest esse malus, nisi a fine extrinseco, qui malus sit: ille autem finis extrinsecus (ut supponitur) non alius est, quam culpabilis omissio. Hinc autem sequitur, pœnitentem non teneri in confessione sacramentali explicare caussam omissionis in specie, nisi illa causa malitiam habeat intrinsecam: in illo nimirum casu, hoc est, si intrinsecam malitiam habeat, aliud est ab omissione peccatum.

QUÆSTIO V.

De Usura peccato.

Not. DE Usura quæremus 1. quid & quotuplex sit: 2. quo jure sit prohibita: 3. qui sint tituli, ratione quorum aliquid a mutuante præter sortem exigi potest: 4. denique dicemus de iis qui sub usura mutuum accipiunt; hoc est, expendemus, an & quæ necessitas requiratur, ut

quis

aliquis sub usurarum onere mutuum petere, & accipere possit.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit usura.

Not. MAgni refert nosse usuræ naturam: ex illius nimirum distincta cognitione controversiæ omnes, quæ ad illam spectant, dirimi possunt.

CONCL. 1. Usuræ natura hac illius definitione continetur: *Usura est lucrum ex mutuo.*

Explicatur definitio. Usura dicitur 1. *lucrum*, sive pecuniæ, sive alicujus alterius rei, quæ pretio æstimari possit; ut sunt munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua. *Ad tertium dicendum* (inquit S. Thomas 2. 2. qu. 70. art. 2. ad 3.) *quod si aliquis ex pecunia mutuata expectet vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio, vel a lingua, perinde est, ac si expectaretur munus a manu, quia utrumque pecunia æstimari potest.*

2. Dicitur lucrum *ex mutuo*, quod scilicet usura in nullo alio contractu præterquam in mutuo locum habeat; si quæ enim in venditione & emptione reperiatur, id contingit, quod in illis contractibus tacitum & implicitum mutuum contineatur. Unde infertur 1. in contractu redituum, quem & censuum constitutionem vocant, usuræ non esse locum, cum per eum contractum pecunia mutuo non detur, quippe quæ in perpetuum alterius dominium transeat; immo verus est venditionis contractus: datur enim pecunia, ut ematur jus percipiendi pensionem, vel annuum reditum. Merito itaque Martinus Papa V. & Calixtus III. Censuum contractus approbarunt, ut videre est in Extravagantibus communibus capite *Regimini*, Titulo, *de Emptione & venditione*. Infertur 2. non reperiri quoque in Montibus Pietatis, qui nihil sunt aliud præter pecuniæ, aut aliarum rerum, quæ usu consumuntur, summa, quæ mutuo detur pauperibus ea lege, ut quidpiam modicum ultra sortem persolvant: Siquidem id ratione mutui non exigitur, sed ratione expensarum quæ ad Montis indemnitatem, & ministrorum sustentationem necessariæ sunt. Hincque patet, quam merito Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Leo X. in Concilio Lateranensi sess. 1. & tandem Concilium Trident. sess. 22. Montes Pietatis probaverint. Infertur 3. non reperiri quoque in contractibus Societatis; in iis enim, si leges serventur, de quibus suo loco diximus, nullum omnino mutuum reperitur.

Quæres, utrum sit usura, cum lucrum exigitur quidem vi mutui, sed non titulo justitiæ, sed gratitudinis tantum ac benevolentiæ.

Resp. affirmative. Ratio est, quia ratione mutui nullum a mutuante jus adquiritur in lucrum, ex quocumque capite jus illud procedere fingatur: unde Innocentius Papa XI. hanc quorumdam recentiorum propositionem merito proscripsit: *Usura non est, cum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Confirmatur ex eo, quod si id, de quo agitur, liceret, nulla unquam fieret usura, nequidem a Judæis, modo illam Casuistarum metaphysicam distinctionem didicissent. Aut imperiti, aut iniqui fuerunt Patres, qui hocce arcanum, quo omnis usura plane tollitur, Ecclesiam non docuerunt. Confirmatur nostra conclusio ex SS. Patribus.

Tertullianus libro IV. contra Marcionem sic loquitur: *Usura est mutui redundantia.* Sic etiam Basilius in Psal. xv. *Usura est, si plus quam sortem acceperis.* Sic pariter Ambrosius in libro *de Tobia*, c. 25. *Usura est quodcumque sorti accedit.* Sic quoque Hieronymus in cap. XVIII. Ezechielis. *Usura est, si plus acceperis, quam dederis.* Sic etiam Aug. in Ps. XXXVI. *Usura est, si plus quam dedisti, expectes accipere.* Idem colligitur ex Canone XVII. Nicæni primi Concilii. Idem ex Concilio Agathensi: *usura est* (inquit) *ubi amplius requiritur, quam datur.* Idem denique ex Sancto Thoma, qui 2. 2. q. 78. hæc scribit, art. 1. *Usura est, pretium pro usu rei mutuo datæ, quæ usum* (ab ipsa rei substantia) *non habet.*

CONCL. 2. Usura recte dividitur in mentalem & realem.

Probatur. Simonia ideo dividitur in mentalem & realem, quod quis ob rem spiritualem munus aliquod cum pacto, aut sine pacto comparet; Ergo a pari usura debet dividi in mentalem & realem, quod nonnulli aut sine pacto, aut cum pacto, lucrum ex mutuo ita sibi proponant, ut alioquin mutuo non darent. Unde qui in mentalem solum usuram incidunt, licet innoxii sint in foro exteriori, hoc est, licet pœnis jure definitis castigari non possint; in foro tamen interiori, & coram Deo rei sunt; ac proinde mentalem usuram subjiciant oportet Ecclesiæ clavibus.

CAPUT II.

Quo jure usura prohibetur.

CONCL. Usura prohibetur jure naturali, divino, & humano.

Probatur prior pars. Id quod præter sortem a mutuatario persolvitur, nullo titulo per se debetur mutuanti: Non quidem ratione sortis, quia, ut suppono, tota persolvitur; Non ratione usus, quia in rebus, quæ sunt mutui mate-

materia, substantia & usus nequaquam distinguuntur, ut patet in oleo ac ceteris quæ usu consumuntur, necnon in pecunia, quæ præcipue inventa est, ut quis ea ad commutationes utatur. Ita ratiocinatur S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. Confirmatur ex eo quod ipsis etiam Gentibus usuræ iniquitas perspecta fuerit, ut ex Aristotele lib. 1. Politicorum, c. 7. ac legibus Imperatorum evidens est, ut videre est libro 11. Instit. Just. tit. 4.

Probatur altera pars. 1. Conceptis terminis lex Mosaica usuram prohibuit: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor* (inquit Deus Exodi 22.) *nec usuris opprimes*. Levitici 25. hæc pariter habentur: *Nec accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti*. 2. Idem Christus edixit in Evangelio: *Mutuum date* (ait Lucæ 6.) *nihil inde sperantes*: quibus quidem in verbis consilium & præceptum simul Traditio intellexit, quam sic explicat S. Thomas: *Ad quartum dicendum, quod dare mutuum non semper tenetur homo: & quantum ad hoc ponitur inter consilia; sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, cadit sub ratione præcepti*.

Probatur altera pars ex innumeris Conciliorum Canonibus, ex legibus Romanis, ex legibus Francicis, quæ legi possunt in eximio ac accuratissimo tractatu de usura & fœnore, quam D. Jacobus Gaite Sorbonicus, & Canonicus Lucionensis nuper in lucem edidit. Vide Cyprianum libro de lapsis, Hilarium in Psalmum 14. Basilium in eumdem psalmum, Gregorium Nyssenum hom. 6. in Ecclesiasten, Ambrosium in libro de Tobia, c. 14. Hieronymum in cap. Exod. 18. Augustinum in Psal. 36.

Objicies 1. Scriptura veteris Testamenti, usuram prohibet tantum respectu Judæorum; dicit enim, Deuteronomii 23. *Fratri tuo id, quo indiget, commodabis*: ergo respectu aliorum, qui non erant fratres, erat licita.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia frater est omnis homo; seu (ut loquitur S. Augustinus in lib. 1. de Doctrina Christiana) proximus est noster, qui opera nostra indiget.

Objicies 2. Deuteronomii c. 25. usura Judæis permittitur alienigenarum respectu: *Non fenerabriis fratri tuo ad usuram . . . . sed alieno*: ergo, &c.

Resp. 1. usuram respectu alienigenarum permissam fuisse ad duritiam cordis, ut nempe vitaretur fenus in fratres Judæos, non autem tamquam rem licitam. Ita docet S. Thom. 2. 2. qu. 78. art. 1. ad 1.

Resp. 2. permissam fuisse, quod Deus Judæis gentium alienigenarum bona dedisset (vel saltem Chananæorum respectu) jure belli, quod Judæi Chananæis inferre tenebantur. Ita S. Ambrosius, ut ibidem diximus Dissert. 3. qu. 5.

Objicies 3. Quoties vetus Testamentum usuram prohibet, eam non vetat, nisi respectu pauperum: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor*, (inquit Deus ipse Exodi 22.) *nec usuris opprimes*: ergo licita est respectu divitum.

Resp. neg. conseq. Ratio est 1. quia pauper exempli loco positum est: plerumque enim non nisi pauperes, hoc est, qui indigent, mutuum ab alis accipiunt: Unde sensus est, si pecuniam mutuam dederis populo meo, *præsertim pauperi*, eum usuris non opprimes.

Ratio est 2. quia pluribus aliis in locis vetus Testamentum, cum usuram prohibet, indefinite loquitur, nulla scilicet facta distinctione inter pauperes & divites, inter alienigenas & Judæos: *Qui pecuniam suam* (inquit Psaltes regius Psalm. 14.) *non dedit ad usuram*. Hæc etiam habentur Ezechielis c. 18. *Vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam.... ad usuram non commodaverit; & amplius non acceperit:*

CAPUT III.

De titulis, quibus aliquid a mutuante præter sortem exigi potest.

CONCL. Duo sunt tantum tituli, quorum vi mutuans, aliquid præter sortem exigere potest, nimirum *Damnum emergens*, & *lucrum cessans*.

Probatur. Id quod duplici illo casu exigitur, non accipitur vi mutui (in quo quidem uno posita est usura) sed ad mutuantis damnum vitandum, aut compensandum lucrum quod propter mutuum amisit.

Quæres 1. quænam conditiones requirantur, ut ratione damni emergentis, aliquid præter sortem accipiatur?

Resp. requiri 1. ut mutuum certa sit ac vera caussa damni, non autem culpa mutuantis: 2. ut summa, quæ præter sortem exigitur, major non sit detrimento, quod accidit mutuanti; 3. ut mutuatarius de damno illo moneatur, ita ut penes ipsum stet pecuniam reddere, aut censu aliquo damnum redimere.

Quæres 2. quænam necessaria sint, ut ratio lucri cessantis eum eximat ab usura, qui præter sortem aliquid accipit?

Resp. requiri 1. ut pecunia, quæ mutuo datur, negotiationi exposita sit, aut rei frugiferæ destinata: 2. ut mutuans nullas alias habeat pecunias otiosas; si enim habuerit, vi mutui detrimentum lucri cessantis non patitur, cum habeat unde illi occurrere possit. Ad hoc tamen (inquit Cabassutius noster) non est necesse illam pecuniam computare, quæ in alios eventus gravi ex caussa reposita sit, ut ea est quæ familiæ susten-

sustentationi, filiorum doti, ac inopinatis casibus vitandis destinata est. Requiritur 3. ut lucrum sit probabile, nec satis est, quod simpliciter sit possibile. Requiritur 4. ut deducantur expensæ quæ in re frugifera, quæ alioquin emeretur, colenda, aut conservanda necessaria sunt.

Objicies 1. Quod quis obstringat se ad non repetendam pecuniam, nisi post annum v. g. res est pretio æstimabilis. 2. Pretiosior est præsens pecunia, quam numeranda. 3. Periculum sortis, quod mutuans incurrit, res est quæ potest compensari.

Resp. ad 1. de essentia mutui esse, quod res mutuo tradita non nisi post certum tempus repetatur: præterea nullus est præter Deum temporis dominus: unde vi mutui accipit, qui ratione temporis exigit aliquid: merito igitur ab Alexandro Papa VII. damnata fuit hæc propositio: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Resp. ad 2. pretium præsentis pecuniæ supra numerandam, ab usura non eximere, cum illud pretium sit mutuo essentiale. Confirmatur ex Innocentio Papa XI. qui hancce propositionem damnavit: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Resp. ad 3. periculum sortis quocumque in mutuo reperiri; quamobrem vi periculi sortis quidpiam accipere, est accipere vi mutui; quod quidem de fide est non licere. Robur additur illi responso 1. ex Gregorio Papa IX. qui *Extra*, de usuris cap. *Naviganti*, sic loquitur: *Naviganti vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius censendus est*: 2. ex eo quod alioquin plus a pauperibus recipi ac exigi posset, quam a divitibus, cum majus suæ pecuniæ periculum incurrat, qui pauperi, quam qui diviti eam mutuo tradit. Valet idem argumentum contra recentiorem quemdam, qui paucis ab hinc annis apud Sequanos scripserat, detrimentum pacis ac quietis internæ sufficientem esse titulum, ut quidpiam ultra sortem accipi possit; nam præterquam quod magis ex sortis periculo turbetur is cui major inest cupiditas, magis etiam pro sorte sua timere debet, cum eam pauperibus, quam cum præpotentibus mutuat.

Objicies 2. Francorum legibus *interesse* damnatur mutuatarius, qui juridice requisitus, est in solvendi mora. 2. Tutores jubentur sub pœna compensationis, ex pupillorum pecunia fructus colligere. 3. Gener, dotis quam pro uxore accepit, reditus non tenetur in sortem computare, nec feudi dominus qui vassalli agrum messuerit: ergo &c.

Respondent nonnulli ad 1. in foro conscientiæ eos legis beneficio uti non posse, qui ex mora nec damnum, nec lucrum cessans incurrerint.

Respondent alii: in pœnam moræ, si tamen ex parte mutuatarii multum culpabilis fuerit, lucrum fuisse statutum, de quo agitur: unde infertur mutuantem non recipere aliquid ultra sortem vi sui mutui, sed vi legum, penes quas est dominiorum translatio.

Resp. ad 2. S. Carolum in Concilio Mediolan. 1. conceptis terminis definire, usurarios esse contractus, quibus tutores ex pupillorum pecunia mutuo data fructus colligunt: id igitur nulla ratione licet; unde ex consanguineorum consilio, ac magistratus decreto, alios in usus fructiferos eam tradant oportet, ne postea pupilli facessant illis negotium.

Resp. ad 3. ideo Innocentium Papam IV. fructus dotis genero adscribere, quod præsumat generum ex uxoris dote, aut societatem fructiferam initurum fuisse, aut empturum agros, ex quibus ad ferenda matrimonii onera fructus collegisset.

Resp. ad 4. ideo feudi dominos non teneri ad computandum fructus, quos collegerint ex agris vassalli, quod debita a vassallo obsequia excedere non censeantur.

Objicies 3. Consuetudo invaluit multis in locis, ut ex mutuo interesse accipiatur. 2. Mercator fructum colligit ex pecunia; quidni igitur idem poterit mutuans? 3. Contractus, quem Hispani Mohatra vocitant, videtur licitus: in eo tamen nec lucrum cessans, nec damnum emergens locum habent.

Resp. ad 1. nullam consuetudinem humanam (ut de legibus agentes diximus) quidquam de jure naturali, aut divino posse detrahere.

Resp. ad 2. commodum, quod aliquis percipit ex re aliena, non posse vendi, si percipiatur sine domini detrimento (ut ex S. Thoma de contractibus venditionis & emptionis differentes observavimus); ergo nec a fortiori mutuans emolumentum colligere potest ex pecunia, quam per mutuum juris alieni fecit, aut ex industria mercatoris, cui eam tradidit.

Resp. ad 3. contractum Mohatra usurarium esse, ut patet ex hac propositione, quam Innocentius papa XI. proscripsit: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Monitum velim lectorem, contractum Mohatra sic perfici. 1. Indigens quis 20. aureis emit equum 30. post annum venditori solvendis: 2. eumdem equum venditori mox revendit viginti aureis, sed præsentibus & numeratis. In eo contractu

ideo est iniquitas, quod simplex sit mutuum, sed venditionis & emptionis pallio tectum.

Quæres, quid dicendum sit de tribus contractibus famosis?

Resp. 1. sic iniri tres famosos contractus. Primus dicitur, *Societatis*, in quem unus pecuniam, alter operam & industriam confert, ita ut ambo lucri, damnique communionem habeant. Secundus, dicitur contractus *Assecurationis* sortis, sive Capitalis, quo is qui pecuniam confert, cum socio paciscitur de securitate capitalis, & pro tali securitate socius, cum quo paciscitur, dat ei certum pretium. Tertius, dicitur *venditionis lucri majoris, quod speratur; pro lucro minori, sed certo*, quo is qui pecuniam contulit, ac de sui capitalis securitate pactus est, cum socio rursus paciscitur de certo lucro probabili pro incerto lucro sperato; atque ita socium ab onere rationum reddendarum, tam quoad lucrum, quam quoad damnum, eximit.

Resp. 2. usum triplicis illius contractus damnatum esse a Sixto Papa V. Constitutione, quæ incipit: *Detestabilis*, lata anno 1586. Præterea Facultas Theologica Parisiensis anno 1664. doctrinam asserentem, quod pactio duplicis securitatis contractui societatis licite adjici possit, damnavit, ut *falsam, scandalosam, inducentem ad usuras committendas, variasque aperientem artes, eas palliandi, justitiamque & caritatem violandi.*

CAPUT IV.

De iis, qui mutuum sub usura accipiunt.

CONCLUSIO 1. Extra necessitatis casum nemini licet mutuum petere sub usurarum onere.

Probatur 1. ex eo quod vetet caritas, ne proximo detur peccandi occasio; quam tamen præbet, qui mutuum sub usurarum onere petit; inducit nimirum ipsum ad usuram, quæ ex se grave est malum.

CONCLUSIO 2. Urgente necessitate, cuique licitum est mutuum sub usuris accipere.

Probatur 1. Is de quo agitur, rem in se licitam ac sibi debitam petit, mutuum scilicet: & præter ejus voluntatem accidit, quod sibi sub usurarum onere detur 2. Se habet mutuatarius in hoc casu, sicut qui juramentum ab idololatra exigit; ergo quemadmodum, urgente necessitate istud licitum est, quamvis idololatra per falsos Deos juraturus prævideatur; ita & istud, quamvis mutuans sub usuris daturus sit. Si quod autem mutuanti det scandalum, passivum simpliciter est, non activum: quippe quod (ut ait S. Thomas) ex mera mutuantis malitia procedat, qui re in se bona, mutuo scilicet, ad peccatum abutitur.

Quæres 1. quæ necessitas requiratur, ut mutuum cum usura licite accipiatur?

Resp. eam necessitatem gravem esse debere: *Propter aliquod bonum* (inquit S. Thomas) *quod est subventio suæ necessitatis, aut alterius*. Unde colligitur eum peccare, qui mutuum sub usuris petit, ut superfluis magis abundet, ut majores & sibi non necessarias opes accumulet. Ita Parisienses Theologi anno 1671. judicarunt; damnarunt nimirum peccato virum, qui centum nummos extra gravem suam necessitatem sub usuris mutuatus fuerat.

Quæres 2. an, & quibus usuræ restituendæ sint?

Resp. ad 1. restitui debere, cum quis iis factus est ditior, sive bona fide, sive mala comparatæ fuerint.

Resp. ad 2. restitui debere iis ipsis, a quibus acceptæ sunt, aut eorum heredibus, nisi tamen ab ipsis mutuatariis condonentur; quod quidem non contingit, nisi tres hæ conditiones occurrant: 1. quod iis usuris mutuatarii non indigeant: 2. quod mutuantes ex animo & efficaciter velint restituere: 3. quod mutuariis non sit timendi locus, ne si condonare detrectent, cum maximo sui damno ad sortis præcipuæ solutionem mox compellantur. Quæ hactenus de usura a nobis dicta sunt, majori ex parte Concilium 1. Mediolanense sub S. Carolo definiit.

QUÆSTIO V.

De Simonia.

Not. Simonia sic appellatur a Simone Mago, qui (ut constat ex Actorum c. 8.) Spiritus sancti dona pretio comparare tentavit, ut ea postea divenderet. De Simonia quæremus 1. quid & quotuplex sit, ac quo jure prohibeatur: 2. dicemus de pretio Simoniæ: 3. de rebus circa quas versatur: 4. quibus pœnis Simoniaci subjaceant.

CAPUT PRIMUM.

Quid, quotuplex, ac quo jure Simonia prohibita sit.

CONCLUSIO 1. Simonia recte definitur a S. Thoma, *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi spiritualia, aut spiritualibus annexa.*

Explicatur 1. simonia dicitur, *voluntas studiosa*, quod nempe sit propositum deliberatum voluntatis. 2. Dicitur voluntas *emendi, aut vendendi*, quibus quidem verbis species pro genere sumitur, seu pro quolibet contractu oneroso, vi cujus aliquid pretio æstimabile aut exigitur, aut confertur. 3. Est voluntas emendi *spiritualia*, sive in se, ut sunt dona Spiritus sancti: sive in effectu, ut sunt Sacramenta, quæ gratiam producunt: sive in ordine ad finem, ut vasorum consecratio, quæ ad Eucharistiæ ministerium refertur. 4. Dicitur voluntas emendi *spiritualibus annexa*, ut beneficia, quæ onus officii spiritualis præsupponunt.

CON-

CONCLUSIO 2. Simonia multifariam dividitur.

Probatur. Simonia dividitur in Mentalem, Conventionalem, & Realem. Prior, vel ad rei pretio æstimabilis elargitionem non procedit, vel procedit quidem, sed sine pacto expresso, quod præcesserit: Altera ea est, in qua pactum exterius quidem expressum est: sed vel nihil realiter datum fuit, vel datum est ab una tantum parte, ut beneficium, cujus pretium promissum persolutum non fuit. Tertia denique est ea, in qua hæc tria concurrunt, Pactio, Solutiò pretii, & Receptio rei sacræ.

CONCLUSIO 3. Simonia jure naturali, Divino & Ecclesiastico prohibita est.

Probatur prima pars. Simonia opponitur virtuti religionis, cum includat irreverentiam in res sacras, quibus res temporales coæquat. Opponitur etiam virtuti justitiæ, quia res spiritualis quodlibet temporale pretium excedit, nec homines in illam dominium habent. Sed irreligiositas, & injustitia jure naturali prohibentur, quippe quæ sint contra Decalogi præcepta, quibus jus naturale continetur.

Probatur altera pars. Hæc Christi verba Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, de rebus omnibus aliqua ratione spiritualibus intelliguntur, strictumque præceptum includunt. Tertia tandem pars evidens est ex innumeris de Simonia canonibus, quos Ecclesia a suis incunabulis ad hæc usque tempora & condidit, & confirmavit.

CAPUT II.

De pretio Simoniæ.

Not. Simoniæ pretium triplex est, a manu nempe, a lingua, & ab obsequio. Prius dicit pecuniæ aut rei similis pactum: Alterum complectitur sollicitationes & preces quas quis in alterius gratiam fuderit; Tertium dicit obsequium, quod aut exigitur aut confertur ad rei spiritualis aut largitionem aut assecutionem. Triplicis illius pretii simoniaci variis in locis Jus Canonicum meminit. Ut ea quæ ad illud spectant clarius explicentur, quærendum est seorsim quinam per triplex illud munus Simoniam incurrant.

CONCLUSIO 1. Simonia per munus a manu variis in casibus incurritur.

Probatur enumeratione. Simoniam a manu incurrunt 1. qui pro rebus sacris quidpiam, quod pretio æstimabile sit, tanquam pretium accipiunt; nec non iis, qui in functionibus spiritualibus res temporales sibi tanquam motivum præcipuum proponunt, aut qui accipiunt aliquid tanquam gratuitam compensationem: Si enim hæc distinctio metaphysica motivi, pretii, compensationis gratuitæ, eximeret a Simonia, nulla omnino nisi a viris plumbeis committeretur; Patres qui illud Casuistarum arcanum nusquam docuerunt populos, veritatem detinuissent in injustitia: immeritoque Innocentius Papa XI. subsequentes propositiones damnasset, *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando per temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.*

2. Incurrunt Simoniam per munus a manu qui dant vel accipiunt beneficium cum promissione remittendi debitum vel proprium vel alienum, idque licet per officium spirituale contractum fuisset: ut videre est in parocho, qui ea ratione honorarium vicario suo debitum extingueret.

3. Ejusdem sceleris rei sunt qui beneficia resignant sub pinguioris pensionis onere, quam jura permittant, aut de qua redimenda, vel procurando aliud beneficium, vel numerando pecuniam, paciscunt.

4. In idem crimen incidunt, qui de beneficio litigantes, jus mutuum emunt: pecunia nimirum parant sibi viam ad rem spiritualem. Licitum est tamen injustam vexationem pretio redimere, ut fit ab eo qui intentatam litem componit cum eo, quem certum est nullum omnino jus habere ad beneficium; eo enim in casu datur pecunia, sicut daretur, ut quis se a prædonum manibus eriperet.

5. Contrahunt Simoniam per munus a manu qui accipiunt beneficium cum onere restituendi pecuniam, quam resignans ad illius assecutionem impenderat: illæ scilicet expensæ fuerunt factæ in resignantis commodum, nec quidpiam habuerunt commune cum præsenti resignatione. Eodem se scelere devinciunt, qui beneficium resignant ea lege, ut resignatarius domum resignantis aut elocet aut emat; illud enim onus est aliquid, quod pretio æstimetur. Idem ferri debet judicium de admissione ad Canonicatum cum onere conferendi pecuniæ summam, quæ non piis caussis, sed Canonicorum privatis lucris cedat; ita enim decernit Concilium Trid. sess. 24. de ref. cap. 4. Vide Tom. 1. Diss. 4. qu. 3. cap. 2. art. 10. §. 1.

CONCLUSIO 3. Qui principaliter attendens ad preces, ut laudem humanam, confert beneficium, incurrit Simoniam per munus a lingua: necnon is qui præcipue ex illis precibus & illa laude beneficium sperat.

Probatur ex eo, quod prior propter rem, quæ sub pretium cadit, rem spiritualem conferat, posterior autem illam consequatur.

Con-

Confirmatur ac explicatur ea ratio verbis S. Thomæ: *Ideo* (inquit 2. 2. quæst. 100. art. 5.) *si quis principaliter ad hoc attendit, Simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est Simoniacum: Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est Simoniacum, quia subest debita caussa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid confertur. Tamen potest esse Simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno: Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.*

Ex iis S. Thomæ verbis patet, eum incurrere Simoniam per munus a lingua, 1. qui cum indignus sit, preces aut proprias aut alienas adhibet, ut beneficium consequatur: 2. qui assentatur alteri, ut illum sibi ad beneficii collationem demereatur, 3. indignum esse beneficio, cui cura animarum incumbit, qui illud vel per suas, vel per alienas preces exposcit. Non peccat tamen is qui, ubi vacat ejus generis beneficium, offert se Episcopo, ut expendat, an ad illud idoneus sit.

CONCL. 4. Varii sunt casus, in quibus Simonia incurritur per munus ab obsequio.

Probatur præcipuorum enumeratione. 1. Simoniacis hujusmodi accensendi sunt clerici, qui prælatis obsequium temporale exhibent præcipue, ut beneficia obtineant. Idem dicendum est de prælatis, qui primario propter exhibita illa obsequia, famulantibus sibi clericis beneficia conferunt. Nec mirum; nam (ut ait S. Thomas) *idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset*. Secus vero dicendum est, si propter exhibita spiritualia officia, quæ ad Ecclesiæ utilitatem ordinentur, ut ibidem S. Doctor.

2. Simoniæ per munus ab obsequio rei sunt, qui sua obsequia exhibent iis, quos apud collatores favore pollere noverint, eo fine, ut per favorem illum beneficia consequantur. Id autem expendant qui Magnatum sunt ab obsequiis, serioque cogitent, num primario eis obsequantur, ut per eos sibi beneficiorum collatores devinciant.

CAPUT III.

Quænam sint objectum Simoniæ.

CONCL. Objectum Simoniæ sunt res omnes spirituales, vel spiritualibus annexæ.

Probatur ex eo, quod nec quæ sunt in se spiritualia, nec quæ spiritualibus annexa sunt, pretio æstimari possint. Nec obstat consuetudo, si quæ contraria sit, cum nulla consuetudo juri naturali ac Divino, quibus Simonia vetatur, præponderare possit.

Quæres, quænam recenseri debeant inter res in se spirituales, & quænam inter eas, quæ spiritualibus annexæ sunt?

Resp. ad 1. dona Spiritus sancti, Sacramenta, prædicationem verbi Dei, horarum canonicarum persolutionem, esse res quæ in se ipsis sunt spirituales.

Resp. ad 2. beneficia Ecclesiastica, jus patronatus, professionem in monasterio, vasa sacra, numerari inter res, quæ spiritualibus annexæ sunt.

Quæres 2. an ii omnes simoniaci sint, qui pro rebus spiritualibus, aut quæ spiritualibus annexæ sunt, aliquid aut accipiunt aut conferunt?

Resp. 1. reos esse Simoniæ eos omnes, qui pro Sacramentorum, verbi Dei dispensatione, persolutione horarum Canonicarum aliquid tanquam pretium aut conferunt aut recipiunt; secus vero si recipiant aut conferant ad ministrorum sustentationem: quippe quæ jure naturali ac Divino illis debeatur. Non tamen inde sequitur, licere rerum spiritualium dispensationem suscipere, aut choro interesse, præcipue ut quis habeat, unde suæ sustentationi consulat, quia sic res magni pretii ad vilem & ignobilem finem referretur.

Resp. 2. in iis, quæ spiritualibus annexa sunt, nonnulla esse, quæ a spiritualibus dependent, ac ea consequuntur: nonnulla vero, quæ spiritualia antecedunt. Pro prioribus nihil absque Simonia aut dari aut recipi potest.

De beneficiis, quæ sic se habent, (cum beneficium detur propter officium) res ex canonibus ita certa est, ut nulli liceat ex propriis bonis erigere Canonicarum ea lege, ut sibi conferatur.

Circa monasteriorum ingressum, id quoque evidens est, cum Canones excommunicatione damnent eos, qui pacta ineunt, antequam profiteantur: adhibitam tamen velim prudentem S. Thomæ distinctionem 2. 2. q. 100. art. 3. ubi sic loquitur: *Ad quartum dicendum, quod pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium; Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere*

aliquid pro victu persona, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes. Ex eo S. Thomæ loco constat 1. si monasterio sufficiant opes, nihil posse ab iis exigi, qui in eo profiteri cupiunt: 2. In monasteriis tenuibus id exigi tantum posse, quod victui necessarium est, ita ut qui professurus est, monasterium non gravet. Sambovius Sorbonicus Doctor ad calcem libri, quem de conscientiæ casibus inscripsit, docet, per sustentationem intelligi debere non amplissimarum pecuniarum summam, sed censum annuum; quem tamen consanguinei illius, qui profitetur, eo pretio redimere possint, quo pensiones Ecclesiasticæ redimi solent. Eminent. Card. LE CAMUS imitatus non modo zelum & pœnitentiam S. Caroli, sed etiam sancitam ab eo disciplinam amplexus, in Statutis Synodalibus districte prohibuit, ne in Diœcesi Gratianopolitana Moniales pro admittendis ad monasterium paciscantur: ipse suo judicio determinatum vult, quid ad sui sustentationem admittendæ conferre debeant. Vide Tom. 1. Diss. 4. qu. 3. cap. 2. art. 11, §. 2.

Resp. 3. ea spiritualia quæ quidpiam temporale præsupponunt, ut sunt vasa sacra, jus patronatus, pretio quidem æstimari non posse, prout sunt aliquid spirituale: sed materia, quam præsupponunt, vendi aut emi potest, ut docet S. Thomas; ita tamen ut si in pretio habeatur ratio consecrationis, aut rei spiritualis, Simonia committatur.

CAPUT III.

De Simoniacorum pœnis Canonicis.

CONCLUSIO Tribus pœnarum generibus jura in Simoniacos animadvertunt.

Prob. ex Extravag. *Cum detestabile*, quæ Simoniacum castigat 1. privatione rerum, quas per Simoniam adquisierit: 2. restitutione pretii quod acceptum est; 3. censuris, Excommunicatione quidem latæ sententiæ, si sit laicus, Suspensione vero ab exercitio Ordinum, si sit Clericus.

Quæres 1. num illæ pœnæ sint tantum juris Ecclesiastici?

Resp. duplicem priorem juris esse naturalis; neque enim retineri possunt quæ, aut prohibente Deo, rerum spiritualium unico Domino, aut contra leges accepta sunt.

Hinc colligitur, dimittendum esse beneficium, quod simoniace adquisitum est, sive Simonia fuerit realis, sive conventionalis, sive mentalis tantum; sive peracta ab ipso possessore, sive ab alio; sive cognita fuerit cum beneficium fuit acceptum, sive incognita. Ratio est: quia possessor ille non plus juris habet in beneficium quam quis habeat in rem furto ablatam.

Quæres 2. cuinam restitui debeat Simoniæ pretium?

Resp. si res spiritualis nondum tradita sit, pretium restitui debere ei, a quo acceptum est; non enim datum est, nisi supposita conditione, quæ completa non fuit: Si vero res spiritualis actu data fuerit, restitutio pretii fieri debet, non quidem ei, qui dederit, cum jure exciderit suo; sed vel pauperibus, vel Ecclesiæ, cui per Simoniam illata fuit injuria.

Quæres 3. an excommunicationis & suspensionis pœnæ in quemlibet Simoniacum vim habeant?

Resp. neg. fert enim usus, ut valeant tantum in Simonia reali, cum nempe pretium aut ex parte, aut ex toto persolutum est, & ipsa res spiritualis actu tradita fuit; unde concluditur, Clericum mente Simoniacum non fieri irregularem, etiamsi ordinis sui munia sollemniter obierit.

Quæres 4. num eædem pœnæ in Simoniam Confidentialem decretæ fuerint?

Resp. Simoniacam confidentiam, quæ definitur, Conventio sive tacita, sive apertis verbis expressa, ut qui beneficium recipit, illud ipsum in aliam certam personam transferat, aut beneficii fructus ab alio percipi sinat: respondeo (inquam) illam Confidentiam per Bullam Pii Papæ V. quæ incipit, *Intolerabilis*, multo gravioribus pœnis castigari, quam Simonia beneficiaria. Nam 1. eodem instanti, quo quis beneficium accipit confidentiarie, in latæ sententiæ excommunicationem incidit, etiam antequam promissa compleverit. 2. Beneficium sic acceptum, quod quidem ipso jure vacat, solius Apostolicæ sedis collationi reservatur; in Francia tamen id locum non habet vi contrariæ consuetudinis, quæ est legitimæ præscriptionis loco. 3. Non ipsum modo beneficium, quod confidentiarie receptum est, ipso jure vacat, sed etiam alia omnia, quæ ante confidentiarius obtinuerat, ac præterea idem confidentiarius fit inhabilis ad alia possidenda in futurum, nisi specialiter cum ipso dispensatum fuerit; quæ tamen duo in Simonia beneficiaria, etiam quæ ex utraque parte completa fuerit, vim non habent. Vide Cabassutium nostrum de Simonia.

CAPUT V.

Quæ sit Cleri Gallicani doctrina circa Usuram & Simoniam.

Not. CLERI Gallicani circa Usuram & Simoniam doctrina colligi potest ex censura, quam an. 1700. ad Comitia Generalia congregatus, propositionibus, quas hic exscribimus, inussit.

Pro-

Propositiones de Usura.

Prima propositio. *Contractus Mohatra* (id-est; ille contractus quo a mercatore res majore pretio ad certum tempus solvendæ distrahuntur, ac statim ab eodem, stante eo contractu, minori pretio, præsente pecunia redimuntur) *licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævio inito cum intentione lucri.*

Secunda propositio. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Tertia propositio. *Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

Quarta propositio: *Licitum est mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Quinta propositio. *Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione perpetua.*

Censura. *Hæ propositiones, in quibus, mutato tantum mutui & usuræ nomine, licet res eodem recidat, per falsas venditiones & alienationes, simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes & fraudes, vis divinæ legis eluditur, doctrinam continent falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto ac non scripto contrariam, jam a Clero Gallicano reprobatam, conciliorum ac Pontificum decretis sæpe damnatam.*

Sexta propositio. *Usura, etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolita per Christum.*

Censura. *Hæc propositio verbo Dei contraria est, novæ legis perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit.*

Propositiones de Simonia.

Prima propositio. *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Secunda propositio. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contrario.*

Tertia propositio. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

Censura. *Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ: hæresim simoniacam, sacra Scriptura, Canonibus, & Pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis, sive intentionis directionem, inducunt.*

De beneficiis conferendis.

Unica propositio. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non, quos* digniores, *& Ecclesiæ* magis utiles *ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium, vel primo videtur per hoc*, digniores, *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo, locutione minus propria, ponit*, digniores, *ut excludat indignos, non vero dignos: vel tantum loquitur tertio, quando fit concursus.*

Censura. *Hæc propositio Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti animarum, quæ a Pastorum delectu præcipue pendet, adversatur.*

Monitum notatu dignum.

Cum sæpius in hoc opere Censuram adversus plures Moralis corruptæ propositiones a Clero Gallicano ad Comitia Generalia anno 1700. coacto latam laudaverimus, par est, ut antequam huic Tomo finem imponamus, illius ferendæ caussam ex ipsismet Gallicanis Patribus referamus: sic igitur ad caput suorum Comitiorum loquuntur.

Nunc ut ad aliud fidei caput veniamus: ad moralem scilicet Theologiam his postremis temporibus prava ingeniorum licentia ac subtilitate corruptam, præmittenda putamus verba felicis recordationis Alexandri VII. (In Præfat. decreti 24. Septembris 1665.) *quibus* magno animi sui dolore *testatur*, complures opiniones cristianæ disciplinæ relaxativas, atque animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit, alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela.

Quæ sententia non modo errores increvisse queritur, verum etiam, quod caput est, adnotari voluit ipsam rei tractandæ rationem jam introductam esse; unde videremus corruptelam morum non modo secuturam, verum etiam facto ve-

ne velut impetu irrupturam, quam vix cohibere possimus.

Neque vero satis fuit sanctissimo Pontifici novam hanc methodum judicandæ conscientiæ, & involvendæ veritatis, hoc est, ipsum mali detexisse fontem; sed exitialis doctrinæ rivulos insectatus, complures propositiones, Ut minimum tanquam scandalosas (*non probatis aliis quæ occurrere possent*) sub interminatione divini Judicii, atque excommunicationis pœna, a qua nemo posset, præterquam in articulo mortis, nisi a Romano Pontifice absolvi, damnavit & prohibuit. *Quod salubre opus Innocentius XI. pro sua pietate persecutus, plures alias parique doctrinæ ac diligentiæ laude selectas (nec probatis ceteris) sub iisdem pœnis damnavit & prohibuit: dumque eas omnes*, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, damnandas statuit & decrevit, *non tantum a libris & prædicatione, sed ab omni etiam vita christiana procul amandandas judicavit.*

Atque utinam sanctissimi Pontifices decretorum formulis antiquo ac nostro usu receptis, quæque ad universas Ecclesias pertinerent, infandam doctrinam proscripsissent. Sed dum expectamus, fore ut tantum opus more majorum & canonico ordine perficiatur: Nos interim Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi in unum congregati, ne dirum virus serperet, has propositiones a prædictis Pontificibus, uti memoravimus, applaudente toto orbe christiano, condemnatas, etiam præcipuis expresse adnotatis, primum ut magis in promptu essent, ad certa capita redigendas; tum censorie notandas, & ad ampliorem cleri & christianæ pietatis informationem, suis quasque censuris configendas esse duximus.

Sed enim incredibile dictu est, ex pessimis principiis, tota licet Ecclesia reluctante, quanta malorum incrementa provenerint: subtilioribus ingeniis in id unum intentis, ut eo quisque se maxime Theologum videri velit, quo plura ejusmodi inventa in probabilitatis auctoritatem adduxerit. Verum hæc constabilire, aut per eam speciem mentes infirmorum in falsam & noxiam securitatem inducere, nihil est aliud quam animas perdere, ac doctrinas & mandata hominum, *vagasque traditiones, exemplo Pharisæorum, divini mandati loco obtrudere.*

Quare tot errorum experientia victi necesse habuimus ipsam malorum radicem exscindere, eam scilicet opinandi rationem, quæ ignota SS. Patribus, tanta de rebus maximis dissidia peperit, ut eisdem in parochiis, iisdem in templis passim cerneremus ab aliis teneri & ligari, quæ ab aliis solverentur, ac plebem christianam in varia, atque incerta discerpi, nec scire quibus credat, magno dedecore Ecclesiasticæ auctoritatis, magnaque aperta janua ad salutis incuriam & indifferentiam, quam vincere non Episcopi singulares, sed sola Episcopalis unanimitas & auctoritas possit: dicente Apostolo. Obsecro vos fratres .... ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.

Sequuntur autem damnatæ propositiones, nec probatis aliis propositionibus, aut erroribus, quos pro angustia temporis prætermisimus.

Recensita causa quæ Gallicanos Patres movit ut laxioris moralis propositiones censura notarent, recenseri quoque debent Mandata (ut vocant) quibus Episcopi, Comitiorum Generalium auctoritati diœcesanorum quoque auctoritatem addidere: instar omnium sit, quod ab Eminentissimo Cardinale, Archiepiscopo Parisiensi, latum est.

M A N D A T U M

Eminentissimi Cardinalis DE NOAILLES, *de promulgandis Cleri Gallicani decretis.*

LUdovicus Antonius, *miseratione divina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis* DE NOAILLES, *Archiepiscopus Parisiensis, Dux Sancti Clodoaldi, Par Franciæ, Regii Ordinis Sancti Spiritus Commendator, universo Clero Diœcesis nostræ, tum Sæculari, tum Regulari, Salutem & Benedictionem in eo qui est omnium vera salus.*

Dolendum nobis est cum Osea Propheta, quia maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundaverunt: veruntamen non arguatur vir: *Ii vero magis arguantur, qui de rebus moralibus effræni quadam libidine scribentes,* verbum Dei adulteraverunt. *& regulas morum funditus everterunt. Quare flentes cum S. Cypriano dicimus,* Scelus non tantum geritur, sed & docetur. *Huic malo occurrere Episcoporum est,* quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.

Cum enim Ecclesia sit civitas illa fortis apud Isaiam descripta, In qua (*ut exponit S. Hieronymus*) ponitur murus bonorum operum, & antemurale rectæ fidei, ut duplici septa sit munimento; non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur: *utrique a Nobis consulendum est, ut & sacra dogmata divinivinitus sancita, quibus constat Catholica fides, semper propugnemus, & leges Evangelicas Christi auctoritate constitutas, ad quas mores christiani componuntur, firmius in dies stabiliamus.*

Satis non est, ut amplectamur eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & exhortemur in doctrina sana, *sed insuper potentes esse debemus* eos, qui contradicunt, arguere, *& animose ac fortiter resistere* inobedientibus, vaniloquis & seductoribus, donec adquiescant sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: illorum *quippe* sermo ut cancer serpit, & subvertit fidem ac mores: ruina autem hæc sub manu nostra, nobis

bisque imputanda, si vocem nostram non exaltemus in plateis Jerusalem.

Et certe, si in Christi judicio (*ut ait S. Leo*) rei de silentio inveniantur, etiamsi non contaminentur assensu, quicumque tales non prodendos putant: Quia sicut incauta locutio (*inquit alter Pontifex*) in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit, *quo possemus vitare id periculi, de quo præmonebat Cælestinus Episcopos Galliæ in epistola adversus Massilienses divo Augustino obstrepentes*: Timeo, ne connivere sit hoc tacere; timeo, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui; in talibus caussis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret: merito namque caussa non respicit, si cum silentio faveamus errori: ergo corripiantur hujusmodi, nec sit his liberum pro voluntate habere sermonem.

His monitis obsecuti, quæ sunt in Summos Pontifices religione, Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, & officii sui memores, veritati ac morum integritati adversantem doctrinam insectari non desierunt. In Comitiis suis qualibet occasione habitis (ut jam a primis temporibus, sive in Oriente, sive in Occidente, ab Episcopis actum legimus) quæ de rebus ad religionem spectantibus ipsis visa sunt, decrevere.

Tandem operi, quod a Decessoribus *fuerat inchoatum, manum admovens nuperrimus Conventus, fideliter perfecit, quod hominum vota, fidelium salus, temporum iniquitas postulabant, dum præcipua laxioris doctrinæ commenta, certis distincta capitibus, suis Censuris perculsit ac notavit. Vocati ut præessemus Comitiis* (*quod novam dignitatem, non tenuitatem nostram decebat*) *cum Collegis nostris Archiepiscopis & Episcopis, quos omnes vidimus singulari cum lætitia* unanimes & id ipsum sentientes, *sollemne judicium tulimus, & illorum auctoritati Diœcesani auctoritatem addidimus.*

Quocirca mandamus ac præcipimus omnibus & singulis Ecclesiarum, Collegiorum, Communitatum, Monasteriorum, Ordinum Superioribus, ut hanc Censuram, Declarationem & Appendices curent observari, & identidem legi in Ecclesiasticis & Religiosis cœtibus. Districtius etiam inhibemus omnibus seu Sæcularibus, seu Regularibus Confessariis, Concionatoribus, Theologiæ aliarumque scientiarum Professoribus, ne quis eorum, aut ullus alius in nostra Diœcesi, etiamsi immunem, & exemptum se se contenderit, quidquam ullo modo dicat, scribat, doceat, aut consulat, quod in illa sit Censura damnatum.

Datum Lutetiæ Parisiorum in Palatio nostro Archiepiscopali III. *Nonas Octobris, anno salutis* M. DCC.

✠ *Ludovicus Antonius Cardinalis* DE NOAILLES, *Archiepiscopus Parisiensis.*

FINIS TOMI TERTII.

INGENUI TYPOGRAPHI

MONITUM.

ÆGRE equidem tuli gravissimorum Theologorum querelas, quid mihi tandem in mentem venerit Juenini Institutionibus illum ex Turnelyo quasi centonem assuere. Quo vero stomacho illas recinebant tituli ampullas *vera Doctrina Ecclesiæ*! Inuri mehercule maculam Theologo integerrimo: apponi per summam injuriam Juenino censorem ac magistrum Turnelyum. Quis ille porro germanæ Ecclesiæ Doctrinæ excerptor egregius ex Turnelyo? cujus naris? cujus fidei? quin se proderet ostentator grandiloquus, suumque operi nomen inscriberet, ne cordatis Theologis nebulo forte aliquis ac Sycophanta videretur? Hæc illi. Interim ego non de re modo mea, verum de alienis etiam judiciis sollicitus, id cepi consilii, ut quasdam subijcerem idem in argumentum particulas e Theologis longe clarissimis Laurentio Cardinali de Lauræa & Jacobo Boudart Lovaniensi; quo facilius adolescentes Theologiæ studiosi rem omnem suis momentis perpendant, sibique persuadeant agere me ex fide bona, neque cujusquam cupiditati, sed omnium utilitati inservire.

DOCTRINA D. AUGUSTINI
DE GRATIA.

MONITUM.

Quæ heic damus, accepta sunt totidem verbis ex Cardinali de Laurea Laurentio Brancato, in Opusc. III. de Gratia actuali, *cap.* 3. 4. *&* 5. *edition. Rothomagens. ann.* 1705. *a Pag.* 312. *ad* 331. *nisi quod pro Capitibus* §§. *substituimus.*

§. I. *An detur, qualisve sit Gratia efficax.*

ADverte 1. Quod vocabulum hoc, *efficax*, apud omnes tum sacros quam prophanos auctores significat rem aliquam, sive personam, sive formam, aut virtutem, potestatem aut qualitatem producentem suum effectum in esse reali; & per hoc distinguitur efficacia affectiva ab effectiva, quia per primam, quis vult quantum est in se & toto conatu facere; at non potest in effectu ponere, quia impeditur ab aliquo interno vel externo obstaculo: ut quilibet in se experitur, quia vellet dignitatem aliquam, favorem, divitias, sanitatem, &c. & adipisci non potest: Effectiva autem est quæ & potest ponere & de facto ponit effectum in esse, exempla habemus prophana. Plin lib. 24. cap. 16. *adversus serpentes ex aceto pota efficax*. Cælius ad Ciceronem, *Nosti Marcellum, quam tardus & parum efficax sit*. Ecclesiastici 9. 4. datur consilium hoc: *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius*: Heb. 3. 12. *Sermo Dei vivus & efficax*. Illam ergo gratiam, quæ secum habet annexum effectum principalem, qui præcipitur vel consulitur, Theologi appellant *Gratiam efficacem*: illam vero, quæ effectum conjunctum non habet, vocant *inefficacem*, & alio nomine (nescio quare ut patebit postea) dicunt sufficientem.

Adverte 2. Quod hic quærimus etymologiam & proprietatem gratiæ istius, quæ dicitur efficax, an sit eadem cum præveniente & adjuvante seu subsequente, vel ab istis differat, & per quid. Unde vero habeat quod sit vel non sit efficax, an ex natura sua, seu decreto Dei, an ex se sit indifferens, & a voluntate humana volente ea uti, evadat efficax, id est, obtineat effectum ad quem datur, videbimus postea. Hæc enim est celeberrima controversia in tota hac materia. At quæ hic nunc discutimus, facilia sunt.

Dico 1. Admitti debet gratia dicta *Efficax*; estque illa quæ opus bonum, sive præcepti, sive consilii a Deo inspiratum connexum habet.

Probatur facile: Experientia docet quòd in una concione multi sunt vocati seu inspirati, & tamen non omnes, sed aliqui tantum convertuntur, sive ad credendum, sive ad aliud opus bonum faciendum, & interdum nullus: experientia patet ex prædicatione Christi. Is enim integro triennio, & aliis tribus mensibus continuo prædicavit verbis & factis viam salutis, eamque miraculis patentibus comprobavit: At non omnes crediderunt, neque conversi sunt, ut ex Evangelistis patet; sed valde pauci, respective ad magnam hominum qui eum audierunt & inspirati fuerunt multitudinem: Omnium primum vocavit Philippum. *Sequere me*, & secutus est eum: vocavit Petrum & Andream, *Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum, & illi continuo relictis retibus secuti sunt eum*. Paullo post vocavit Jacobum & Joannem *reficientes retia cum Patre Zebedæo ac mercenariis*: & illi statim *relicto Patre, mercenariis, ac retibus, secuti sunt eum*: ita de Matthæo & aliis Apostolis ac Discipulis. At non sic accidit de aliis: nam Joannis 2. 23. prædicante Christo ingenti turbæ, dicitur, *multi crediderunt in eum*, non dicitur omnes: idem dicit Evangelista in cap. 6. & 8. & alibi *multi crediderunt in eum*. Immo Joannis 5. 40. inquit salvator: *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. In aliquibus ergo fuit efficax gratia, id est suum habuit effectum; at non in omnibus.

Confirmatur ex Act. Apost. cap. 17. 34. Prædicante Paulo Athenis in conferta multitudine Areopagi; *quidam adhærentes ei, crediderunt, in quibus Dyonisius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis*: in his ergo solis, non in omnibus gratia habuit suum effectum principalem, nempe credendi. Idem Act. 16. 14. Philippis prædicante Paulo, *una tantum mulier Lydia purpuraria conversa est ad fidem, & baptizata est cum domo sua*, dicit autem textus, *cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo*. In cap. vero 13. 46. prædicantibus Paulo & Barnaba Antiochiæ Pisidiæ coram innumera multitudine Judæorum & Gentilium, cum prolixa illa oratione, qua distincte narrarunt omnia beneficia a Deo collata Judæis, ex quo eos eduxit usque tunc, sic eis exprobarunt; *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: At quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes &c.* & paullo post. *Audientes autem gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot*

erant

erant præordinati ad vitam æternam. Ecce quomodo Gratia illa vocationis divinæ, effectum converſionis habuit in quibuſdam gentilibus qui tunc converſi ſunt, non vero in aliis, nec in turba Judæorum.

Probari tandem poteſt ex communi ſenſu omnium Theologorum Scholaſticorum, incipiendo a S. Auguſtino, qui licet hoc vocabulo gratiæ efficacis non utatur (& ſit Phraſis modernorum, incipiendo forte a Sententiarum Magiſtro, vel alio anteriore) tamen S. Auguſtinus ſignificatum ejus, nempe quod ponat effectum in eſſe, in omnibus ſuis tractatibus frequenter explicat, dum docet aliquem ita vocari, ut reſpondeat & exequatur; alium vero non ita vocari, ut reſpondeat ac exequatur. In libro enim de bono Perſeverantiæ cap. 9. ait: *Ex duobus ætate grandibus impiis, cum iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur; ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei; ex duobus autem piis, cur huic detur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei*.

In libro 1. Retractation. cap. 18. inquit: *Sed parum de ipſa vocatione diſſerui, quæ fit ſecundum propoſitum Dei. Non enim omnium qui vocantur talis eſt, ſed electorum tantum*.

In libro de Correptione & Gratia cap. 7. de prædeſtinatis dicit: *Non eſt dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium; & cum audiant, credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur uſque in finem perſeverant; & ſi aliquando exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum, etſi ab hominibus non corripiantur, in viam redeunt*: & poſt aliqua ad idem, ſubdit: *Aut ſi qui deficiunt, reparantur antequam vita iſta finiatur &c.* & alia plura in ſuo loco adducenda: ergo per S. Auguſtinum datur gratia efficax; immo, ut verum fateor, ſi eum capio, in omnibus ſuis ſcriptis fere ſemper de hac loquitur.

Dico 2. Gratia efficax non eſt diverſa ab adjuvante.

Probatur: Ex communi ſenſu Doctorum dicitur *efficax* gratia, quæ habet ſecum conjunctum effectum a Deo inſpiratum; ſed hoc præſtat gratia adjuvans ut fiat, ex modo dictis; ideo enim eſt & dicitur *Adjuvans*, quia juvat voluntatem ad faciendum opera, quæ ipſa ſine illa nec faceret, nec facere poteſt: igitur eadem dicitur adjuvans & *efficiens* ſeu *efficax*.

Probatur 2. in Sacra Scriptura bis tantum, ut patuit, efficaciæ vocabulum invenimus, ſed ſæpiſſime vocabulum adjutorii ac auxilii, & hoc petebant Sancti a Deo, & præſertim David, ut hucuſque patuit: at petebat virtutem, ſeu formam illam qua bona opera facere poſſet ac faceret. Hæc autem eſt gratia efficax: ergo diverſa ſunt nomina *efficax* & *adjuvans* ut fiat; una autem res.

Confirmatur: Concilium Arauſicanum II. anno 529. celebratum pro materia de Gratia & libero arbitrio ſub Felice IV. in omnibus illis 25. Canonibus gratiam ad opera exercenda *ut oportet* neceſſariam, numquam vocat nomine *efficacis*, ſed in 6. 9. & 10. can. vocat *Adjutorium*: igitur hæc appellatio tunc erat in uſu, idemque ſignificat ac *efficax*, ſic communiter nunc dicta. Nam illud Concilium definit in dictis locis, quod ad reſurgendum a peccato, & ad bene operandum neceſſarium eſt divinum *Adjutorium*: eodem modo loquitur *Cæleſtinus I. epiſt. 1. cap. 4. & Innoc. I. epiſt. 24. & 25.* igitur eadem eſt adjuvans ut fiat, ac efficax.

Confirmatur 2. Concilium Tridentinum in *ſeſſ. 6. cap. 5. ac 6. & can. 3.* quibus in locis de diſpoſitione ad juſtificationem dogmatice loquitur, de gratia præveniente ſeu excitante atque adjuvante, per quam diſpoſitio perficitur, verba facit; numquam nominans *efficacem*: igitur ſignum eſt pro eadem ſumi adjuvantem atque *efficacem*.

Sanctus Auguſtinus Doctor, ac Magiſter gratiæ in Eccleſia Dei, utitur quidem æquipollentibus vocabulis, quibus ſignificat gratiam, effectum in re ponentem, vocans eam victricem, liberatricem, cooperantem libero arbitrio, dantem vires efficaciſſimas, & ſe habentem ad liberum arbitrium tamquam ſeſſor ad jumentum, facientem velle ac perficere (ut de natura efficaciæ unde proveniat in ſuo loco dicemus) at non appellat, ut videre potui, hoc puro nomine *efficacem*, ſed modo *Adjuvantem*, modo *Adjutorium*, modo *Auxilium* faciens operari, modo *ſine quo*, modo *quo*, modo gratiam *medicinalem*, modo gratiam *ſanantem*, & aliis ſimilibus epithetis, juxta pluralitatem effectuum quos cauſat in anima; ſemper tamen vocabula illa ſignificant efficientiam aliquam in ſuo ordine; immo interdum vocat eam *effectricem bonæ voluntatis*, præſertim in *lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2.* poſt medium. Quapropter omnes Theologi unanimiter agnoſcunt gratiam efficacem, & eam talem dicunt quæ habet annexum principalem effectum, v. gr. ſi inſpiratur actus fidei, pœnitentiæ, &c. ſi hic effectus ſequitur, ſeu ponitur in eſſe, gratia illa dicitur, eſtque efficax: ſi non ſequitur, dicitur; eſtque inefficax & vulgariter dici ſolet *Sufficiens*. At unde habeat quod ſit efficax, id eſt habeat annexum effectum, num ex ſua intrinſeca natura, num ex voluntate illius cui datur, quaſi de ſe ſit indifferens, & homo cui datur ex ſuo conſenſu illam reddat efficacem, vel potius ipſa gratia faciat conſentire, altioris indaginis eſt, & in proprio loco diſcutietur. Sufficiat nunc ſcire vocabula, & aliquas alias proprietates divinæ gratiæ ad opera bona exercendo neceſſariæ.

§. II. *An detur, & quæ, qualisve sit Gratia non efficax, communiter dicta sufficiens.*

ADverte 1. Quod antequam de proprietatibus alicujus rei disseratur, prius firmandum est quid sub nomine talis rei intelligitur. Cum ergo inter Theologos maxima fuerit, & penes quosdam adhuc adsit controversia, an detur gratia quædam dicta *sufficiens*, & quinam sit effectus ac finis ejus; firmandum est prius quidem nomine gratiæ *sufficientis* intelligatur, quamvis plures Theologi de illa multa scripserint.

Adverte 2. quod verbum *Sufficio*, tam apud Grammaticos, quam apud Scriptores prophanos, immo & sacros significat verbum impositum ad ostendendum aliquid idoneum & aptum ad ponendum effectum aliquem in esse reali; & significat idem ac *satis est ad faciendum*. Ideoque sæpe cum aliis viris doctis miratus sum, cur Theologi moderni gratiam illam divinam, qua homo vocatur, excitatur, illuminatur & inspiratur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cæperunt *sufficientem*, ad distinctionem efficacis, quæ semper habet annexum effectum, cum satis non sit ad eum ponendum, sicut efficax quæ in rigore dici deberet *Sufficiens*; At nolo nunc etymologiam vocabuli investigare, quod postea exequar: sed supponendo quod gratia quædam sic dicatur, quia effectum principalem annexum non habet, licet det posse ad illum; quæro an detur, & quid prosit.

Adverte 3. Quod, cum Deus ex sua benignitate prævenit aliquem, sive infidelem, excitando, illuminando & inspirando ut veniat ad fidem; sive fidelem lapsum, ut veniat ad pœnitentiam; sive fidelem justum ut faciat opera præcepti, aut consilii: duo in his excitationibus sunt consideranda; unum est ipsa passiva excitatio, illuminatio & inspiratio, quas Deus solus caussat in nobis sine nobis, quæ recipiuntur in intellectu & voluntate, & isti effectus semper a solo Deo efficiuntur; & sic semper gratia excitans, quoad hos effectus illuminandi & inspirandi, est efficax: Alterum autem quod considerandum venit, est ipsum opus de quo fit excitatio seu illuminatio & inspiratio, ut in propositis exemplis, pro infideli, fides; pro baptizato peccatore, pœnitentia; pro fideli justo, observantia præcepti, vel consilii, vel operum supererogationis: Ista autem appello opera principalia, quia ad hæc ordinantur excitationes. Hæc autem opera non semper ponuntur in esse ab excitatis. Unde autem hoc proveniat postea dicetur.

Adverte 4. & recolo quod dixi in cap. 2. de Gratia excitante cum S. Augustino, estque fundamentum, nedum hujus, sed multarum hujus materiæ conclusionum, quo spreto in varios errores labi necesse est; nempe, quod cum Deus per seipsum externe homines hortatur ad bonum operandum, vel per Angelos, vel per Prophetas, Apostolos, aliosve Missionarios, vel Concionatores, semper interne etiam loquitur illuminans & inspirans ad cognoscendum & volendum id quod externe auditur; alias frustranea esset externa doctrina seu locutio, essetque gratia Pelagiana. Audiamus Augustinum *tractatu* 3. *in epistolam* 1. *Joannis* super illud. *Unctio spiritus docet vos*, ait: *Videte fratres magnum Sacramentum. Sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est. Si non sit intus qui doceat, inanis est strepitus noster*: & post aliqua: *Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt & admonitiones; Cathedram in Cælo habet, qui corda docet propterea dicit in Evangelio, nolite vobis Magistrum dicere in terra. Unus Magister est Christus. Ipse vobis ergo intus loquitur, quando nemo hominum illic est*: & *infra. Interius est Magister qui docet. Christus docet, inspiratio illius docet. Ubi illius inspiratio & unctio non est: forinsecus inaniter perstrepunt verba*: & assignat exemplum de Agricola qui arborem irrigat, sed nec dat ei incrementum, nec ipse poma producit; ideo dicit Apostolus, *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*: ideo cum Deus Prophetæ, Apostoli, Christus ipse forinsecus locutus est, cum non inaniter verba protulerit, intrinsecus quoque locutus est; & tamen non omnes, quibus locutus est verbis ac factis, crediderunt, vel a malo recesserunt. His positis.

Dico. Datur gratia non efficax vulgo dicta *Sufficiens*, quæ non habet annexum effectum principalem pro quo datur, & ei gratiæ resistitur.

Probatur facile ex Sacra Scriptura Veteris Testam. Prov. 1. 24. ubi Deus sic loquitur: *Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum & ostendam vobis verba mea. Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit.* Deus autem non inaniter foris tantum perstrepit, sed intus etiam loquitur, & tamen populi ad quos loquebatur, non parebant: ergo.

Confirmatur Isaiæ 1. 2. Deus conqueritur de inobedientia populi Judaici: *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*; & infra idem Dominus hortatur ad recedendum a malo, & accedendum ad ipsum. *Lavamini, mundi estote; auferte malum cogitationem vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, &c. &*

venite

venite & arguite me. Deus autem non inaniter loquitur solum extra sed illuminat & inspirat intus; & tamen populus a malo Idololatriæ non avertebatur; & Achaz tunc pessimus rex fuit; & tandem Manasses impius, a quo Propheta per medium sectus occisus est: isti ergo noluerunt ab Idololatria recedere.

Confirmatur 2. Conqueritur Deus per David Psal. 94 *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde. ipsi vero non cognoverunt vias meas, &c.* Deus autem non frustra foris tantum loquitur, ait Augustinus ubi supra, sed intus; & tamen populus *noluit intelligere, ut bene ageret*.

Confirmatur tandem ex toto Veteri Testamento & præsertim ex Propheticis libris: Per Prophetas enim omnes, Deus locutus est ad populum; nec inaniter & frustra exterius tantum per verborum strepitum, quia agebatur de abolenda Idololatria, ut patet de Ahia cum Jeroboam, de Elia cum Achab; & sic de aliis Prophetis cum Regibus Samariæ seu Israel, & cum Regibus Juda seu Jerusalem. His enim Prophetis foris intonantibus, Deus intus loquebatur illuminando ac inspirando, ut ab Idololatria recederent, & tamen conversiones ad quas excitabantur reges, & populi non sunt semper secutæ, nisi in paucis regibus Juda, Ezechia, Josia, &c. in nullo autem Samariæ seu Israel: ergo in omnibus non fuit efficax gratia. Datur ergo ista gratia interior non efficax, cui resistitur.

Probatur 2. clarius ex Novo Testamento. Christus *qui venerat peccatores salvos facere*, ut ipse testatus est qui dixit *se missum ad filios Israel*, fere menses 40. prædicavit filiis Israel, & quod prædicabat, factis ac miraculis confirmabat: nec frustra ac inaniter foris tantum & per sensibiles voces loquebatur: sed intus illuminando & inspirando: & tamen valde pauci tunc conversi sunt. Ideo conquerebatur, *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti*.

Confirmatur ex facto Apostolorum. Act. 2. post Christi Ascensionem in Cælum, cum in die Pentecostes accidit miraculum illud grande, ut linguæ igneæ apparerent in capitibus Apostolorum: & omnes duodecim (electo Matthia) *loquerentur variis linguis magnalia Dei*, & Petro declarante mysterium, quod nempe in Christi virtute hoc factum esset: quamvis maxima, ratione festi, ex tota Palestina adesset multitudo, tria millia hominum tantummodo conversi sunt, & tamen in aliorum etiam cordium facta est Spiritus Sancti allocutio: ergo in his non conversis, gratia fuit illuminans tantum & inspirans, non autem adjuvans & efficax: idem dicendum de omnibus aliis eorum prædicationibus in quibus vel pauci vel nemo quandoque conversus est.

Confirmatur 2. ex Act. 7. Postquam S. Stephanus prolixam illam fecit concionem in Synagoga, referens omnia beneficia a Deo collata populo, incipiendo ab Abraham & prosequendo usque ad illud tempus, prædicans Christum esse Jesum, & improperando eis obstinationem continuam in credendo, ait: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos, &c.* igitur admittenda est gratia cui resistitur; & utinam non resisteremus omnibus Dei vocationibus; omnes namque salvaremur.

Confirmatur 3. Ex 2. Cor. 6. 1. *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Glossa Lyrani ait: gratiam, quæ datur *ad bene vivendum in præsenti vita, & ad consequendam gloriam in futuro. Propter quod hunc affectum non consequitur, si in vacuum recipitur, sicut medicina, ad quam sanitas non sequitur*. Hæc Lyranus.

Anselmus in eum locum ait: *In vacuum gratiam Dei recipit, qui cum ea non laborat, nec ei suum studium adjungit, quique per desidiam facit ut gratia in ipso sit otiosa, dum eam bonis expellere operibus non satagit*. Sic Anselmus.

Contrarium vero de se dicit Paulus 1. Cor. 15. 10. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius iis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Glossa Lyrani, *vacua non fuit, inquit, id est carens operibus*: ergo in aliquibus datur gratia in vacuum recepta, ad quam scilicet, non sequitur opus bonum propter quod datur.

Confirmatur 4. Ex Rom. 10. 16. *Sed non omnes obediunt Evangelio: Isaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro?* At promulgatio Evangelii facta est cum interna etiam Dei locutione, alioquin frustra, & supervacanee, ut ex Augustino diximus, perstrepuissent verba Evangelizantium in externis auribus, nisi etiam interne Deus illuminasset ac inspirasset quod Evangelizantes docebant.

Confirmatur 5. Ex Apocalyps. 3. 20. *Ego sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam intrabo ad illum, & cænabo cum illo & ille mecum*. At certum est quod non omnes aperiunt: ergo.

Probatur 3. Ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 5. ubi loquens de Gratia ad dispositionem justificationis requisita, præ ceteris hæc habet: *eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponuntur; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat* in-

inspirationem illam recipiunt, quippe qui illam abjicere potest: & in can. 4. habetur: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti & vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere meraque passive se habere, anathema sit*. Ergo ex Concilio datur gratia cui homo potest dissentire; & sic non habere effectum principalem, ad quem datur.

Confirmatur ex duplici Constitutione, Innocentii scilicet Decimi, & Alexandri Septimi, quæ damnantur quinque propositiones Jansenii, ut hæreticæ, quarum secunda est: *Interiori gratiæ numquam resistitur*. Ergo datur gratia cui resistitur, ne effectum suum principalem, ad quem datur, obtineat.

Confirmatur ex praxi totius Ecclesiæ in correptione & reprehensione fidelium, quod Dei non observent, & quod divinis inspirationibus non correspondeant. Isti non essent corripiendi, nec reprehendendi si gratiam aliquam non haberent, per quam possent ea facere. Sicut non potest reprehendi claudus, vel alio modo impotens, si non ambulat. Neque cæcus reprehendi potest, si recta via non gradiatur.

Confirmatur 2. Ex alia praxi Ecclesiæ circa prædicationem Evangelii inter infideles: frustra enim Missionarios ad infideles mitteret, nisi persuasum haberet quod dum illi Evangelizant foris ad aures infidelium, Deus per illuminationem intellectus & inspirationem voluntatis Evangelizat intus; quia nisi crederet sic fieri, frustra mitteret Prædicatores; & infideles non essent arguendi, si verbum Dei non reciperent; quia carerent supernaturali lumine, quo disponerentur ad illud recipiendum. Unde ex hoc capite merito Paulus Antiochiæ Pisidiæ, cum prolixam concionem habuisset ad Judæos, videns quod nullus eorum ibi converteretur, immo omnes ei contradicerent, zelo repletus dixit: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes; sic enim præcepit nobis Dominus; posui te in lucem Gentium. Audientes autem Gentes gavisæ sunt, & glorificabant Verbum Domini; & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Quomodo autem potuisset reprehendere Judæos, quod Verbum Domini non reciperent, si principium nullum supernaturale, ad posse saltem recipere, non habuissent; cum ipsemet Paulus 1. Cor. 3. 5. doceat, *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*: adfuit ergo in Judæis illis objurgatis illuminatio & inspiratio, quibus non consenserunt. Unde autem tam in iis, quam in aliis proveniat quod gratiam adjuvantem seu efficacem ad consentiendum necessariam non habuerunt & non habeant, an ex decretis reprobationis, vel aliunde, in suo loco dicetur.

At quoniam aliqui moderni, nescio quo fundamento imponunt Sancto Augustino quod non admittant ullam gratiam, cui voluntas dissentiat & resistat ne affectus principalis sequatur; sed quod per eum omnis gratia sit efficax, id est conjuncta sit cum suo principali effectu ad quem datur, libet mihi eum vindicare ab hac injuria; ideo aliqua ejus loca in medium afferam, quæ clare demonstrant, quod hanc etiam agnoverit & asseruerit.

Primum ergo Augustini dictum desumitur ex libro de bono Perseverantiæ cap. 9. ubi ait: *Ex duobus ætate grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur; ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutibilia sunt judicia Dei: ex duobus autem piis cur uni detur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, incomprehensibilia sunt judicia Dei*. Ex prima igitur propositione per Augustinum datur gratia vocationis, quam vocatus non sequitur.

Secundum desumitur ex libro de Spiritu & Littera cap. 12. ubi habetur quod *Gentilibus animo occurrebat ut quærerent, unde habere poterant cognitionem veritatis; sed cum cognovissent, non coluerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*: igitur gratiam illuminationis ac inspirationis secuti non sunt, nec modo sequuntur, dum audiunt concionatores.

Tertium desumitur ex libro 1. ad Simplicianum quæst. 2. inter medium, ubi cum dixisset quod gratia vocationis est effectrix bonæ voluntatis, movet difficilem quæstionem, quomodo concilientur duo illa dicta, ambo de fide tenenda, *multi sunt vocati, pauci vero electi*, Matth. 20. cum illo, *non volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis*, Rom. 9. & refert primo opinionem quæ dicere posset (sicut hodie a quibusdam asseritur,) *quod quamvis multi uno modo vocati sint, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum sit: Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi. Hunc dicendi modum impugnare videtur Augustinus inquiens: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis atque currentis est hominis, quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit, quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset*

esset ut & monerentur & intelligerent & sequerentur: deinde ad rem nostram dicit: *Verum est ergo, multi vocati, pauci vero electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur*: Igitur per Augustinum omnes vocati, non electi, gratiam vocationis inefficacem, & sine principali affectu habent.

Deinde adducit exempla de utrisque vocatis, scilicet sequentibus vocantem, & non sequentibus, etiam visis post vocationem miraculis.

De Simeone Lucæ 2. credente in Christum infantem ex simplici revelatione. De Nathanaele. Joannis 1. qui ad simplex Christi dictum, *Priusquam Philippus vocaret te vidite sub ficu*, credidit confitendo, *tu es Christus filius Dei, tu es Rex Israel. Quod tanto post, quia confessus est Petrus Matthæi 16. meruit audire quod Beatus esset, & quod ei darentur claves Regni Cælorum. Miraculo facto in Cana Galilæa de aqua in vinum conversa, crediderunt in eum Discipuli ejus. Multos loquendo Christus invitavit ad fidem; multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De Cruce atque morte ejus conterriti etiam Discipuli titubarunt, & tamen latro tunc credidit, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem. Unus etiam de numero Discipulorum post ejus resurrectionem, non tam viventibus membris, quam recentibus cicatricibus credidit; multi ex eorum numero a quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contempserant, Discipulis eum prædicantibus & in nomine ejus talia facientibus crediderunt* & concludit. *Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio vero modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est. Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio, quæritur utrum de divina pœna sit ipsa duritia?* Et probat, quod sit, per eumdem Apostolum Rom. 9. exemplo Pharaonis: itaque aperte ex Augustino habemus quod datur gratia vocationis, cui voluntas humana resistit, & est sine effectu.

§. III. *An detur, & quid sit Gratia* Sanans *seu* Medicinalis.

Dverte 1. Quod ex diversis effectibus, quos in anima producit gratia actualis, tam adjuvans quam proveniens, sortitur diversa nomina, quorum hæc duo *Sanans & Medicinalis*, ratione infirmitatis humanæ in ordine ad sancte operandum, sive respectu justificationis adquirendæ, sive respectu aliorum bonorum operum ipsiusmet justificati, sunt apprime congrua; quia ad ea facienda infirmitatem liberi arbitrii sanat, ipsumque principaliter juvat ut ea efficiat.

Adverte 2. Quod ex peccato Adæ liberum arbitrium quamvis extinctum non fuerit, sicut somniabat Calvinus, fuit tamen valde attenuatum ac debilitatum, tam in eodem Adamo, quam in omnibus nobis posteris. Sic definivit Concilium Trident. sess. 6. cap. 1. his verbis: *tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum & inclinatum*; quod ante mille annos definierat Concil. Arausi. II. *can.* 13. & ante illud definierat Concil. Diospolitanum quatuordecim Episcoporum anno Domini 415. Hanc autem infirmitatem ad bene operandum, ut dicemus in capite de necessitate gratiæ, medetur Deus ex merito Christi per actualem gratiam elevantem liberum arbitrium ad ordinem operantium supernaturaliter, & adjuvantem illud ut possit facere & faciat ineluctabiliter, ut in suo loco dicetur.

Dico ergo, datur gratia dicta *Medicinalis* seu *sanans*, estque eadem ac præveniens & adjuvans; ab effectu tantum medendi seu sanandi liberum arbitrium sic appellata.

Probatur prima pars de nomine sanantis spiritualiter, sive habitualiter, sive actualiter: est enim valde usitatum in Sacro Textu. Ps. 6. *Sana me Domine, quia conturbata sunt ossa mea.* Psal. 29. *Clamavi ad te, & sanasti me.* Psal. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Psal. 105. *Misit verbum suum, & sanavit eos*: & Psal. 146. *qui sanat contritos corde.* Proverb. 28. 25. *Qui sperat in Deo, sanabitur.* Sap. 16. 10. *Misericordia enim tua adveniens sanabat illos.* Et v. 11. *Tuus sermo, Domine, qui sanat omnia.* Isaiæ 6. 10. *Ne forte convertatur, & sanem eum.* cap. 11. 5. de Christo prædicitur; *Livore ejus sanati sumus.* Jeremias in cap. 17. 14. petit a Deo, *Sana me Domine, & sanabor*: cap. 51. 9. *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam*: & alia plura suppetunt loca, in quibus actio illa qua Deus aliquem a peccato liberat, & justificat, vel ad justificationem disponit, vel ad alia opera bona facienda idoneum facit, & adjuvat ut faciat, dicitur *sanatio*; quia revera ad ea facienda homo infirmus est; & sic forma illa seu gratia, per quam idoneitatem illam facit & sanat, dici debet sanans, sicut effectus ejus, dicitur spiritualis sanitas, paritate deducta a forma sanante, a sanatione & sanitate corporis.

De alio vocabulo *Medicinali* est eadem ratio, quia remedium afferens sanitatem, dicitur medicina seu medela: & ita gratia illa quæ animam infirmam sanat, elevando eam ad ordinem operandi supernaturaliter, sive disponendo ad justificationem, sive adjuvando justificatum ad opera bona & meritoria exercenda, quæ de se nullo modo faceret vel facere posset anima, medicina spiritualis ac supernaturalis est, sanitatem illam producens: aliqua etiam de hoc vocabulo habemus exempla in Sacro Textu. Prov. 6. 15. de homine perverso consuetudinario, multisque peccatis onusto dicitur; *huic extemplo veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.*

S. Augustinus de Gratia medicinali sanante liberum arbitrium infirmum, pluries loquitur: In libro 2. de peccatorum meritis, ait: *In libero arbitrio secutum est ex debita justa pœna* (id est peccati Adæ) *tale vitium, ut jam molestum ei sit obedire justitiæ. Quod vitium nisi adjuvante gratia superetur, ad justitiam nemo convertitur, nisi operante gratia sanetur.*

In libro 1. ad Simplicianum *quæst.* 1. multa dicit de lege & gratia, ponens inter eas differentiam, inquiens: *Legem ad hoc datam esse, non ut peccatum insereretur, aut extirparetur* (concupiscentia) *sed ut demonstraretur. Unde apparet, per legem, concupiscentiam non esse insitam, sed demonstratam.* Et postea: *Data est ergo lex, ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur, ut peccata demonstrarentur, non ut auferrentur*: & plusquam centies hunc legis divinæ effectum declarat. Sed in homil. 50. declarat effectum legis & gratiæ: *Optime autem sequitur & dicit: Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit; ad hoc enim lex data est ut vulnera ostenderet peccatorum, quæ gratiæ benedictio sanaret. Ad hoc lex data est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet. Ad hoc etiam lex data est, ut diceremus in convalle plorationis: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis; & cum ipso ploratu clamaremus, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.*

In libro de Natura & Gratia cap. 53. ait: *Ecce quod vitium naturæ humanæ inobedientia voluntatis inflixit. Orare sinatur, ut sanetur. Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est; vera confessione, non falsa defensione opus habet: Gratia ergo Dei, non qua instituatur, sed qua restituatur quæratur*: & in cap. 54. ait. *Sed contraria est spiritui caro; ut non ea quæ volumus faciamus; vitium est, non natura: gratia medicinalis quæratur, & controversia finiatur.*

In cap. 64. inquit: *Agitur de gratia Dei, qua sanatur natura per medicum Christum, quo non indigeret, si sana esset, quæ ab isto tamquam sana, vel tamquam sibi sufficiente voluntatis arbitrio, posse non peccare defenditur.* Et post aliqua. *De gratia Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur.* Et infra loquens de Pelagio Gratiæ adversario, dicit: *Ita & exhortatus sum, quantum potui, ad recte vivendum, & gratiam Dei non evacuavi, sine qua natura humana jam contenebrata, & vitiata illuminari non potest & sanari.*

In libro de Perfectione justitiæ cap. 2. loquitur de cæcitate intellectus, & de infirmitate voluntatis, & de necessitate gratiæ ad utrumque morbum sanandum, dicens: *Natura in tantum sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vult homo faciat.*

De iisdem morbis humanæ naturæ, & de necessitate sanationis per gratiam, ut possit bene *ut oportet* operari, loquitur idem Sanctus in libro 2. de peccatorum meritis cap. 17. *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet quod justum sit, sive quia non delectat. Tantum quidquam vehementius volumus, quanto certius, quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adjuvat voluntates.*

Dico 2. Gratia sanans seu medicinalis eadem est ac adjuvans seu efficax, & ratione diversorum respectuum diversa hæc sortitur nomina.

Probatur ex modo dictis. Nam & ex Sacra Scriptura & ex S. Augustino gratia quatenus respicit subjectum infirmum, id est, naturam debilitatam ac languidam, impotentem opus bonum facere, & eam medetur, erigit ac sanat, dicitur medicinalis & sanans; quatenus auxilium præstat, ut simul cum natura possit facere & facit, dicitur adjuvans; quatenus simul cum ea ponit opus bonum in re, dicitur efficax: & ex præfatis Augustini locis, patet quod eamdem gratiam dicit sanare naturam, eamque adjuvare & cum ea operari.

Probatur ex S. Augustino serm. 13. de Verbis Apostoli cap. 11. ubi loquens de Gratia qua liberum arbitrium agitur ut bene operetur juxta dictum Apostoli Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, quæ est gratia efficax & sanans, ait: *& agis, & ageris; & tunc bene agis, si a bono ageris: Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi,*

tibi, quia & tu ipse aliquid agis: & de hac ipsa gratia adjuvante loquens in libro de Spiritu & littera cap. 3. dicit eam sanare liberum arbitrium, & alia bona facere: *Fit per gratiam sanatio animæ, abolitione peccati; per animæ sanitatem libertas arbitrii; per liberum arbitrium justitiæ dilectio; per justitiæ dilectionem legis operatio, &c. Ita liberum arbitrium per Dei gratiam non evacuatur, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligitur.*

Idem sanctus in lib.2.de peccatorum meritis cap. 19. de utroque gratiæ efficacis effectu loquitur. *Quod vitium* (id est impotentia ad bene operandum) *nisi adjuvante gratia superetur, ad justitiam nemo convertitur; nisi operante gratia sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur.* Eadem ergo gratia efficax, id est, quæ facit operari bonum, abstinere a malo, & disponit ad justitiam, dicitur *adjuvans, medicinalis, sanans, efficax*, & in phrasi Augustini *gratia qua*, & simul *sine qua*, ut infra.

M O N I T U M

Quæ hic ponuntur sumsimus ex Tom. I. Manualis Theologici Jacobi Boudart edit. Insulanæ ann. 1710. in tractatu V. de Deo Creatore & Redentore, a pag. 124. ad 129.

De gratia Dei per redemptionem quæ est in Christo Jesu.

§. *Quid est Gratia & quotuplex?*

Resp. GRatia est *beneficium Divinum naturæ superadditum ipsique indebitum*. Aliquando vero sumitur tam generaliter, ut comprehendat omne beneficium Dei etiam naturale, & ita accepit S. Aug. in Psal. 144. in illud *& Justitia tua exultabunt*: *attendamus* inquit, *Gratiam Dei, non solum qua fecit nos, verum etiam qua refecit, cui ergo debemus quia sumus, illi debemus quia justificati sumus.* Duplex est gratia, scilicet *gratis data*, & gratia *gratum faciens*. Gratia gratis data est *donum supernaturale & indebitum ad aliorum salutem præcipue ordinatum*, ut gratia sanitatum, miraculorum, linguarum, &c. de hac dicit Apost.1.ad Cor.12. *unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*, scilicet aliorum, ait S. Thom. q. 110. art. 1. ut probant ea quæ mox sequuntur, quod scilicet Deus sic temperavit corpus *ut non sit schisma in corpore, sed in id ipsum pro invicem sollicita sint membra*. Gratia gratum faciens est *donum supernaturale indebitum ad propriam uniuscujusque spiritualem salutem potissimum ordinatum*, 2. ad Cor. 12. *sufficit tibi gratia mea*, sicut enim duo genera virtutum sunt, quædam *privata* & necessariæ unicuique ubicumque vivat, ut temperantia, & continentia, quædam vero *communes*, & necessariæ in republica propter aliorum societatem, ut justitia & liberalitas, ita etiam Deus in republica Christiana duo esse voluit genera adjumentorum, privatum, quo unusquisque fit bonus, & commune quo indigemus ad aliorum juvandam salutem. Licet vero gratia gratum faciens serviat etiam utilitati aliorum, scilicet quod alii *videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in Cælis est*, & gratia gratis data referatur etiam ad salutem propriam, quia dum per eam saluti proximi incumbimus, Deum nobis conciliamus & ab eo audire meremur, *Euge serve bone, & fidelis, &c.* tamen neque hoc, neque illud eis respective *ex primario fine* competit, sicut etiam finis ultimus gratiæ gratis datæ est salus sempiterna, licet per ea bona corporalia, ut est bona valetudo ægrotantis, interdum consequamur.

Duplex autem est gratia gratum faciens, scilicet gratia abitualis seu justificans, & gratia actualis, de qua hic breviter agetur, infra acturi de gratia justificante in tract. de Merito.

De Gratia actuali.

§. *Quid gratia actualis, & quotuplex?*

Resp. GRatia actualis est *Divinum auxilium quo Deus nos movet ad bene volendum & agendum*, ut ait S. Thom. q. 111. art. 2. soletque distingui multiplex, scilicet gratia *præveniens, & subsequens, operans, & cooperans, excitans, & adjuvans*. Istas autem gratias. S. Aug. & alii SS. P. distinxerunt occasione Pelagian., & Semipelagian. qui volebant nos saltem aliquo *pio motu* & conatu Dei gratiam prævenire, eamque *subsequi*: nos generosi pectoris stimulis ad *primum velle bonum* excitari, illud autem velle tamquam *infirmum* Deum juvare: nos operari *primum motum bonum* sine gratia Dei, ipsumque deinceps nobis *cooperari*. Contra ejusmodi hæreticos S. Aug. & alii SS. P. gratiæ, *prævenientis, excitantis, & operantis* necessitatem egregie tutati sunt & deprædicarunt: non tamen ita, ut illæ gratiæ re differant, sed tantum *consideratione*, dicitur enim aliqua gratia *præveniens* quatenus prævenit omnem bonum motum & pium conatum ex parte nostra. De gratia præveniente & subsequente loquitur S. Aug. lib. 2. ad Bonif. cap. 9. his verbis: *si enim sine illo nihil possumus facere, profecto nec incipere, nec perficere: quia ut incipiamus dictum est; misericordia ejus præveniet*

veniet me, ut perficiamus dictum est, misericordia ejus subsequetur me. Eadem gratia *præveniens* dicitur *excitans* quatenus comparatur ad eum qui peccati mortifera dulcedine est consopitus, immo Deo mortuus est: juxta illud ad Ephes. 5. *surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*: de qua re S. Aug. Conc. 1. in Psal. 58. *tuum nihil aliud nisi natura, quam creasti: cetera mala mea, quæ delevisti: non ego prior ad te exurrexi, sed tu ad me excitandum venisti; nam misericordia ejus præveniet me. Antequam aliquid boni ego faciam misericordia ejus præveniet me. Quid hic respondebit infelix Pelagius?* & S. Bernard. lib. de grat. & lib. arb. *conatus nostri & cassi sunt, si gratia non adjuvet, & nulli, si non excitentur*. Eadem gratia *excitans* dicitur *operans*, quatenus *sine nobis*, id est sine ullo prævio motu bono qui ex nobis per vires naturæ, emergat, *operatur* in nobis, de hac loquitur S. Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. *ut ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera non valemus*.

Fatendum tamen est quod SS. PP. non semper ita distinguant, quia aliquando gratia *præveniens* sumitur pro omni auxilio gratiæ hujus vitæ, & ita opponitur gratiæ *subsequenti* in altera vita, de qua dicit S. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 3. *prævenit ut pie vivamus, subsequitur ut cum illo semper vivamus*. Similiter omnis gratia hoc ipso quo voluntatem tangit dicitur *excitans*, ut quando dicitur *excita Domine tuorum fidelium voluntates, &c.* Dom. 24. post Pent. omnis gratia dicitur *cooperans* quatenus consensum voluntatis non sola, sed simul *concurrente voluntate* operatur. Dicitur *adjuvans*, quatenus voluntati ex se infirmæ & insufficienti ad opus bonum vires confert: hinc generaliter in Litaniis dicimus, *exurge, Christe adjuva nos*.

§. *De Gratia efficaci & sufficiente.*

AGnoscendam esse gratiam efficacem manifeste probant Script. ut Psal. 16. *perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea*. Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & Judicia mea custodiatis*: ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*; Hinc petimus a Deo in officio quotidiano: *dirigere, sanctificare, regere, & gubernare dignare Domine hodie corda, & corpora nostra, sensus, sermones & actus nostros*. S. Aug. passim in suis scriptis necessitatem ejus demonstrat & Canon. 9. Concil. Arauf. sic habet: *Divini est muneris cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia tenemus, quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum operatur*. Quæ omnia probant dari gratiam *efficacem* & quidem ad *singulos actus*, ut definitum est in Synod. Diospol. in Palæstina, teste S. Aug. epist. 107. his verbis: *hæc est illa Pelagianorum mala male diffamata meritoque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Episcoporum judicio damnata sententia, quæ docuit gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina*. Quod vero ad gratiam *sufficientem* attinet: quidam volunt gratiam *efficacem* nihil esse aliud quam gratiam *mere sufficientem* quantum est ex parte Dei, quam voluntas creata pro libitu & nutu suo efficacem reddit: quæ doctrina teste Bellarm. tollit gratiam *efficacem*, propositumque, & prædestinationem Dei in *nudam præscientiam* resolvit. Illi vero qui *efficaciam* gratiæ volunt consistere in quadam *determinatione morali*, & congruitate interioris vocationis qua fit ut vocatus vocantem non respuat, relinquunt locum gratiæ *sufficienti physice & realiter*, quæ non fit efficax: sic tamen ut illa gratia sufficiens numquam exitura sit in actum, nisi addatur inspiratio & suasio interior ad illum moraliter determinans. Verum alii qui *efficaciam* gratiæ in omni statu ex generali conditione voluntatis creatæ constituunt in influxu *determinativo ad bonum opus*, consequenter negant dari gratiam *vere sufficientem*, idest talem, cui nihil desit ad operandum ex parte Dei, quæ non sit efficax: quamvis admittant gratiam *sufficientem* in certo genere & secundum quid, scilicet sufficientem *ad posse*: licet enim non sufficiat ad actualiter bene operandum, sufficit tamen ut quis per eam possit bene operari, sicut qui instructus est potentia visiva rite disposita, recte dicitur posse videre, licet ad actualiter videndum requiratur lumen. Sed magna est differentia inter potentiam visivam absente lumine, & gratiam, quæ in sui ratione includit carentiam prædeterminationis physicæ; quia alias esset gratia efficax, & non mere sufficiens. De qua latius infra.

§. *In quo consistit illa gratia quæ dicitur efficax?*

Resp. JUxta S. Script. & S. Aug. consistit in quadam *luce* interiori & *suavitate* Cælitus immissa. De illa luce dicitur, *Dominus illuminatio mea*, Psal. 26. *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, Psal. 12. estque illa lux quam videbat Tobias, *quando cæcus oculis corporeis filio dabat man-*

mandata vitæ, Tract. 13. in Joan. & quando timens injustitiam, *clamabat propter hædum, ne de furto esset*, Serm. 18. in Matt. De suavitate vero dicitur a Psalmista, prout legit S. Aug. *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum*, & S. Aug. Serm. 15. *ille nisi prior det suavitatem, terra non habet nisi sterilitatem*. De utraque S. Aug. Serm. 4. de verbis Apost. tunc *disce*, ait, *ut facciam, si in suavitate tua doceas me. Ceterum quando blanditur iniquitas, & dulcis est, amara est veritas; in tua veritate doce me, ut suavis sit veritas, & dulcedine tua contemnatur iniquitas*. Et lib. de Spir. & litt. cap. 3. *& cum id quod agendum est cœperit non latere nisi etiam delectat & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur*. Et Lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. *cum autem ab illo*, inquit, *adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamve justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat & suave faciat, quod non delectabat, quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, dum antea lateret, ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret*. Porro illa *suavitas* est *efficax & victrix* quando Deus *facit plus delectare quod præcipit quam delectet quod impedit*, Cap. 28. lib. de Sp. & Litt. *auget prohibitio desiderium operis illiciti quando justitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas ejus delectatione vincatur, ut autem diligatur, & delectet vera justitia, non nisi Divina subvenit gratia*, ait S. Aug. Lib. 13. civit. cap. 5. quando ergo delectatio justitiæ est major dilectione, & delectatione peccati & e converso, tunc delectatio est victrix; *quod enim amplius nos delectat secundum id operemur necesse est*, ait idem S. Doctor in epist. ad Gal. Scilicet necessitate *consequentiæ* non consequentis, ne dicatur non esse necessaria libertas a necessitate in hoc statu ad meritum vel demeritum, quod absit a mente fidelium.

Quod vero attinet ad illam lucem interiorem, in hoc ipsa consistit, quod Deus menti aperiat quod ante latebat, & *suavitas* de qua jam dictum est, resultat ex amore & complacentia Dei seu boni infiniti & incommutabilis, æternæque veritatis, sapientiæ, caritatis & æquitatis infinitæ, &c. vel etiam gloriæ, laudis, & obsequii Divini, quatenus ea ad bonum Dei pertinent. Sub illo amore intellige reliquos affectus qui ex eo profluere solent, ut sunt desiderium, gaudium, odium, tristitia, &c. de quibus S. Aug. Lib. 14. civit. cap. 7. Suscipit autem Anima amorem illum & complacentiam primam Cælitus imissam *improvise & indeliberate*, eaque excitatur, & invitatur ad suscipiendam veritatem, amandum Deum & bene vivendum, & ideo ad bene vivendum, quia ad Deum amandum, juxta illud Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Et si angusta est*, scilicet via, *paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus*, Ait S. Aug. *dicit Psalmista propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras, sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus*. Et paullo ante, *omnia enim sæva & immania prorsus facilia & prope nulla facit amor*. Ser. 48. de tempore.

§. *In quo consistat efficacia Gratiæ.*

QUidam volunt gratiam *efficacem* dici talem ab *eventu* & cooperatione liberi arbitrii, ita ut gratia sufficiens dicatur efficax, vel inefficax, pro libito liberi arbitrii: sed ejus modi opinionem destruit sua facilitas. I. quia S. Paulus pressus illa difficultate, cur unius misereatur Deus, gratiam efficacem largiendo & non alterius, ad Rom. 9. non habuit aliud refugium, quam ad inscrutabilitatem Judiciorum Dei, quod nequaquam fecisset, si censuisset efficaciam gratiæ mere dependere a cooperatione liberi arbitrii: neque unquam aliud respondit S. Aug. dicitque *nihil melius inveniri posse*, Epist. 105.

2. Sequitur in illa sententia quod unus homo præ alio in usu bono gratiæ se iscernat contra illud Apost. 1. ad Cor. 4. *quis te discernit, quid autem habes quod non accepisti*, cum enim secundum ipsos duo *affectu* Dei erga illos, & *donis* ejus sint pares, unus illorum *usu bono* gratiæ quem non *accepit*, sed sibi *donavit*, se disparem facit: sequitur etiam quod sibi det *velle & operari*, non Deus, contra illud ad Phillip. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*, id est, non ex meritis nostris.

3 Illa sententia adversatur S. Aug. multis locis: præsertim famono discrimini quod ipse operose describit Lib. de corrept. & grat. cap. 11. ubi dicit quod gratia hominis lapsi non tantum det *posse* sed ipsum *operari*, non tantum det *posse perseverare* sed *ipsam perseverantiam, nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, ipsis*, scil. hominibus lapsis *relinqueretur voluntas sua, & in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in iis operaretur ut vellent, inter tot, & tantas infirmitates voluntas ipsa succumberet*. Et Lib. 1. de gratia Christi cap. 76. multum commendat hoc dictum S. Ambros. *Deus quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit*, quo plane significatur efficaciam gratiæ dependere a voluntate Dei & non mere a voluntate hominis.

4. Sicut illa opinio non convenit cum S. Aug. ita nec cum precibus Ecclesiæ, quibus rogamus non solum *posse converti*, sed ipsammet *cordis conversionem*, non solum *posse credere*, sed & ipsum *pium credulitatis affectum*; pulcre S. Aug. cap. 3. Lib. de cor. & grat. *O homo in præceptione cognosce quid debeas habere*,

re, in correptione cognoſce tuo te vitio non habere, in oratione cognoſce, unde accipias quod vis habere.

Quidam alii auctores etiam inter primarios, *efficaciam* gratiæ conſtituunt in *ſuaſione & inſpiratione*, qua interius tali congruitate invitat Deus, ut vocatus vocantem non reſpuat, idque certo prænoſcat Deus præſidio ſcientiæ mediæ: ſed ut apparet etiam minus recte: quia in primis illa *ſuaſio* vel *inſpiratio* tantum movet voluntatem *objective* & determinat tantum *moraliter*, ut fatentur etiam præfati Auctores: inde autem ſequitur quod Deus det quidem *poſſe* ſed non *velle*, nam & nos v. g. precibus rite fuſis determinamus moraliter Sanctos ut orent pro nobis, non tamen in eis operamur velle. Multo aliter S. Aug. lib. 7. de grat. Chriſti cap. 14. ubi ait *Deum interna atque occulta ac ineffabili poteſtate operari in cordibus hominum non tantum veras revelationes*, adde ſuaſiones, & inſpirationes moraliter tantum determinantes, *ſed etiam bonas voluntates*.

2. Illa opinio etiam minus convenit cum orationibus Eccleſiæ quibus petitur ipſa *cordis converſio*, ipſa *pœnitentia*, & non ſolum *poſſe phyſicum*, multo minus *morale* ad ejuſmodi actus, de qua re ſic S. Aug. *O homo, non verborum, verum etiam cogitationum tuarum teſtis eſt Deus: ſi aliquid a tanto divite veraciter ac fideliter poſcis, ab illo a quo poſcis, te accipere crede quod poſcis; noli eum labiis honorare & ſuper eum corde te extollere, crederis a teipſo tibi eſſe, quod ab illo te fingis orare*, Lib. de bon. perſev. cap. 2. *labia doloſa ſi in hominum quibuſcumque ſermonibus ſunt, ſaltem in orationibus non ſint*, Epiſt. 107.

3. Poſitis ejuſmodi motibus nos ipſos realiter determinamus ad actum liberum v. g. ad *amorem Dei*, adeoque *præcipua gloria* operis boni nobis debetur, non Deo, *qui* autem *ſe a ſemetipſo factum bonum arbitratur, conſequens eſt, ut in ſeipſo non in Domino glorietur*, Epiſt. 120. cap. ult. & quidem nos determinamus cum concurſu ex ſe indeterminato, neque enim refert quod is ſit ſupernaturalis, quia id non mutat naturam concurſus quem ipſi volunt eſſe *ſimultaneum* non *prævium*, & quia nos determinamus, Deus nobis coagit, atque ita partes primas nobis vindicamus in *opere bono*; ſicut in *opere malo*, in quo nobis Deus coagit, quia nos ad illud determinamus. Longe aliter S. Aug. in enarrat. Pſal. 69. *Ergo ſemper magnificetur Dominus. Qui hoc dicunt? Qui diligunt ſalutare tuum. Ecce magnificetur Dominus, numquam tu, nuſquam tu. In illo aliquid, in me nihil. Si autem in illo quidquid ego, ille ſc.* magnificetur, *non ego. Tu ergo quid? Ego vero egenus & pauper ſum*. Uno verbo illa gratia moraliter tantum determinans, phyſice *determinatur* a libero arbitrio, non illud *determinat*, eſt *pediſſequa*, non *prævia*, eſt *ancilla*, non *Domina*, eſt gratia primæ *integritatis & ſanitatis*, non gratia *medicinalis* Redemptoris: de qua pulcre S. Proſper Canit.

At vero omnipotens hominem cum gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit, nec moribus illi.
Fit mora, nec cauſſis anceps ſuſpenditur ullis.

Unde ad efficaciam ejus non eſt opus *exploratione* ſcientiæ mediæ.

§. *Corollarium pro veriori ſententia.*

Ex dictis facile eſt pro ſententia, quæ verior apparet, ferre judicium, ſc. efficaciam gratiæ conſiſtere in inſpiratione dilectionis Dei: cum enim non ſit in poteſtate noſtra *quibus viſis tangamur*, inſpirat nobis Deus dilectionem ſui *indeliberatam*, vi cujus eum libere diligimus & gradientes per amæna virtutum, officia earum bene exequimur; nam *ſine amore Creatoris nullus bene utitur creaturis, nequidem honeſtate virtutis*, ut docet S. Aug. lib. 3. contra Jul. cap. 3. ſine amore Creatoris non bene colitur Deus, non bene onoramus parentes, non bene miſeremur pauperis. Pelagius nos quidem a Domino Deo agnoſcebat habere *adjutorium cognitionis*; ſed reſpuebat *inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faceremus, quæ proprie gratia eſt*, ait S. Doctor, Lib. 4. ad Bonif. cap. 5. *quid enim boni faceremus, niſi diligeremus, aut quomodo bonum non facimus, quando diligimus?* ait S. Aug. lib. de grat. Chriſti cap. 26. Hauſerat ex Apoſtolo qui 1. ad Cor. 13. dicit: *Caritas patiens eſt, benigna eſt; caritas non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa*, & quidem hæc *bene*, quia in iis *non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti*. Unde rectiſſime S. Doctor vocat caritatem *decus ſanguinis Chriſti*, Serm. 5. de tempore, totaque diſputatio quæ viguit inter S. Aug. & Pelagium in eo verſabatur, an eximium illud decus eſſet a nobis, an a Deo? *Nam ſi non eſt ex Deo, ſed ex hominibus*, iniquit ille, *vicerunt Pelagiani, ſi autem ex Deo eſt, vicimus Pelagianos*. Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18.

Ex dictis colligitur efficaciam gratiæ eamdem eſſe cum efficacia gratiæ prævenientis, ea enim prævenit dilectionem liberam, qua Deum diligimus, eamque efficiendo nobis donat Deus, & donando efficit, *agit quippe in nobis, ut quod vult Deus, & nos velimus & agamus*, ait S. Cæleſtinus ſummus Pontifex in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ: *In tantum quip-*

quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo sic possint quia volunt, & ideo sic volunt quia Deus operatur ut velint, Lib. de cor. & grat. cap. 12. *Certum & nos velle cum volumus, sed ille facit*, ait idem S. Doctor, *ut velimus bonum, certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimus voluntati, qui dixit, faciam ut in Justificationibus meis ambuletis*. Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16. Quin & sanctissima Virgo Theresia Cælestis magistra tota certat pro veritate hujus doctrinæ: ipsa enim Deum alloquens dicere solebat: *Da quod jubes, & jube quod vis. Sæpe revolvebam*, inquit, *verba illa Apostoli, omnia possum in eo qui me confortat; quantum ad me attinet*, inquit, *videbam nihil posse me ex me, idque novi mihi esse valde utile ad humilitatem sc. & devotionem*, ut exponit c. 14. Doctrina illa Cælestis est, eam ex sacra Scriptura, quam *Epistolam e Cælo missam* vocat S. Aug. ipse & reliqui PP. didicere.

Quod vero ad certitudinem, qua asserenda est doctrina gratiæ per se efficacis in hoc statu infirmitatis, attinet; S. Aug. ita loquitur: *verumtamen in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum, quod isti nolunt, quia non esse Catholici sed Pelagiani esse volunt*: quorum opinionem *novam hæresim* paullo superius appellat. Et iterum, *de hac re, quam nunc adversus novos hæreticos non commemorare tantum, sed plane tueri & defendere compellimur, numquam tacuit in precibus suis Ecclesia, etsi aliquando in sermonibus non exerendam nullo urgente adversario putavit: quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ut crederent?* Lib. 2. de bono perseverantiæ cap. 23. & ita sparsim sæpius S. Augustinus.

Sequentia exstant apud eumdem Boudart *a pag.* 184. *ad* 204.

§. De quinque famosis Propositionibus.

NOtanda hæc est primo duplex hypothesis; una qua supponitur agnoscendam esse in statu naturæ lapsæ *unicam* interiorem gratiam medicinalem, seu *per se efficacem*, alia qua supponitur insuper agnoscendam esse gratiam, quantum est *ex natura rei efficacem*, quæ sine *ulteriori auxilio* haberet effectum, nisi poneretur impedimentum ex parte suscipientis.

Notandum 2. quinque Propositiones famosas fuisse reprobatas tamquam falsas, & ad minus erroneas a duobus summis Pontificibus in secunda hypothesi, idque omnium judicio: item reprobatas esse ut prius etiam in prima hypothesi, quia non necessariam consequentiam sequuntur ex illa, falsum autem & erroneum non sequitur nisi ex consimili antecedente. Igitur prima hypothesis est falsa & erronea: cum vero Auctor illarum propositionum illas asseruerit in alterutra illarum hypothesium, sequitur, quod reprobatæ sint in sensu ab Auctore intento.

Notandum 3. tantum abesse quod summi Pontifices reprobando istas quinque propositiones aliquid detraxerint necessitati gratiæ per se efficacis ad actum pietatis, ut potius eam adstruxerint, quia tuitio gratiæ quantum est *ex natura rei efficacis* ante descriptæ, gratiæ *per se efficacis* est solidamentum. Hanc produnt qui *unicam* eam interiorem gratiam in statu naturæ lapsæ esse contendunt. Igitur gratia per se efficax in tuto & quasi in Cælo posuit nidum suum, nec sancta Sedes prohibendo dictas propositiones ullatenus doctrinam gratiæ per se efficacis (ut ipsa declaravit) voluit perstringere, sicut & postea professa est SS. Augustini, & Thomæ dogmata esse inconcussa & tuta.

§. De prima Propositione.

PRima propositio condemnata sic habet: *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, impossibilia sunt, deest quoque gratia qua fiant possibilia*. Refragatur Trid. Sess. 16. cap. 11. *Nemo*, inquit, *temeraria illa & a PP. sub anathemate prohibita voce uti debet, præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*.

Ubi adverte quod dum ex S. Augustino S. Synodus dicit *& petere quod non possis*, id intelligi de potentia proxima, alias enim mandatum esset impossibile: quod vero addit Trid. *& adjuvat ut possis*, intelligitur hoc sensu, *& adjuvat ut possis petere*, quo significatur eum qui non potest potentia proxima servare mandata, possit saltem potentia remota, quod frequens est apud SS. Patres, nominatim apud S. Augustinum. Sic lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. *qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest*, (Sc. potentia proxima) *jam quidem habet bonam voluntatem, sed adhuc parvam & invalidam* (quæ tamen quantum est ex natura rei consequeretur effectum, nisi ei opponeretur fortior in oppositum cupiditas, quæ tamen dat posse remotum ad mandatum Dei servandum, quare enim minus quam gratia data Corozaitis de qua ante (*poterit autem*) subjungit S. Doct. *cum magnam habuerit & robustam* sc. potentia proxima. Idem S. Doctor in Psalm. 106. loquens de homine secundum vitam veterem seductoria securitate vivente (adeoque non justo) sic.

ſic ait : *invenit ergo ſe ligatum difficultatibus cupiditatum & non poſſe*, ſc. potentia proxima , *viam propter compedes ambulare* , quia alias mandata eſſent ei impoſſibilia , contra ipſum S. Auguſtinum, alios SS. Patres & ipſam S. Synodum Trid. Subjungit S. Doctor, *inclusum ſe ſentit difficultatibus vitiorum , & tamquam muro impoſſibilitatis erecto , portiſque clauſis qua evadat , & recte vivat , non invenit :* illud tamquam muro impoſſibilitatis , idem ſonat quod tamquam quadam impoſſibilitate, quod impoſſibilitatem minuit , ita ut intelligatur tantum negari poſſibilitas proxima , ſicut in aliis locis ubi dicitur homo non poſſe : & ita debere intelligi patet ex iis verbis, *qua evadat , ut recte vivat , non invenit*. Ubi negatur adeſſe gratia per ſe efficax , qua ſola quiſpiam , invenit *ut recte vivat* , ac proinde tantum negatur poſſibilitas proxima ad mandatum Dei obſervandum, vel indicatur maxima difficultas ad eumdem effectum, prout impoſſibile non inuſitato modo Scripturæ Sacræ non ſemel accipitur, ut videre eſt apud Janſenium Gandeſem concor. Evang. cap. 100. Iniqua igitur & abſurda eſt illatio , qua ex illis & ſimilibus SS. Patrum ſcriptis infertur aſſertio prædicta, proſtrata a S. Sede, & damnata ut impia , blaſphema , & hæretica.

Neque videtur ſibi conſtare , quia intelligitur de hominibus juſtis volentibus & conantibus per vires gratiæ; hic enim ſenſus debet ſupponi in aſſertore Catholico ; id autem fundat potentiam remotam ad obſervanda Dei mandata, ac proinde ipſa non ſunt impoſſibilia, ut habet aſſertio. Unde nonnulli fautores hujus aſſertionis ſic intelligunt , aliqua Dei præcepta ... ſunt impoſſibilia potentia proxima: ſed contra ſenſum Auctoris, qui merito rejecit gratiam ſufficientem primæ integritatis pro hoc ſtatu, ſicut etiam gratiam ſufficientem Thomiſticam quorumdam; quomodo enim alias ſibi conſtaret aſſerens gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſti? ac proinde admiſit in hoc ſtatu unicam interiorem gratiam per ſe efficacem. Hæc hypotheſis fuit illi funeſta radix multorum errorum , qua eradicata, evellitur totum ſyſtema Janſeniſtarum. Faſcinatio proprii ſenſus multos fefellit , & fallit : ſtupenda eſt mortalium cæcitas: veritas prope eſt, adjacet interiori cubili cordis , & lux ejus obvia non videtur . Numquid cupiditas ex natura rei inductiva eſt erroris, & impietatis & in iſta pertraheret , niſi obſtaret lux & majus robur gratiæ ? Cur ergo repugnat gratia quantum eſt ex natura rei efficax reſpectu veritatis, & actus pietatis , cui tamen opponitur impedimentum, ex parte fortioris cupiditatis? Sol Juſtitiæ quantum eſt ex natura rei illuſtrativus eſt, & accenſivus amoris juſtitiæ: *ſupercecidit ignis & non viderunt Solem* ; Pſal. 57. nam plurimi non viderunt nec amarunt Cæleſtem ejuſmodi Solem. *Deus paratus eſt* , ait S. Auguſtinus, *ſemper omnibus dare lucem ſuam intelligibilem* in actu ſecundo , ſeu illuſtrationem, *ſed non ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur* , Lib. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 7. Ejuſmodi gratia Scripturæ Sacræ ſcatent & SS. Patres, ſi bene conſiderentur . Ea commode vocatur initialis medicina Chriſti , qua ipſe quantum eſt ex natura rei medetur vulneribus noſtris, prout opponitur gratiæ initiali Maſſilientium, cum qua per liberum arbitrium dicebant ſe velle ſanari vel credere , *atque ita ſalvus eſſet dignis ſalvari ex fonte volendi* , ut canit S. Proſper carm. de ingratis.

Occaſione illorum verborum, *& petere quod non poſſis* , dixi tract. de Deo Creatore & Redemptore §. 44. quod ſi orare negligas , prout ſæpe contingit, ſacra Synodus fatetur te non poſſe aliquo ſenſu ſc. potentia proxima , ne tamen tunc Deus impoſſibilia præcipiat, potes potentia remota ſervare mandata, vel etiam forte propinqua; (prout ante ex Bellarmino dictum eſt) propinqua, inquam, quia quando agitur de novo peccato vitando, dicit vir ille eminentiſſimus pie credi concedi hominibus gratiam ſufficientem , ſed non ſemper gratiam proxime ſufficientem, Lib. 2. de grat. & lib. arbit. Sed quid ibi non conforme Tridentino? quid non ſecundum normam Catholicæ fidei ? Numquid Palavicinus quem inepte objicis , mihi hac in re conformis eſt? ſic enim ait , ut dicis Lib. 8. hiſt. cap. 14. *hæc aſſertio eſt Auguſtini* . Lib. de nat. & grat. cap. 43. *exceptis verbis poſtremis*, & adjuvat ut poſſis, *quæ ex aliis ejuſdem Doctoris locis collecta, cum in prima decretorum forma non fuiſſent poſita conſulto hic adiecta ſunt ut palam fieret illum poteſtatis defectum ad præcepta adimplenda, haud eſſe in nobis niſi Divinam opem implorare noſtro vitio negligamus* . Ubi clare agnoſcit in nobis illum poteſtatis defectum negligentiæ noſtræ vitio : non utique poteſtatis alicujus remotæ eſſe adſcribendum , quia alias præcepta Dei eſſent impoſſibilia , ſed poteſtatis proximæ , plane conformiter doctrinæ Cardinalis Bellarmini & noſtræ . Neque ex eo quod dixi in hypotheſi prædicta , mandata Dei eſſe aliquo ſenſu impoſſibilia, ullo modo ſequitur eſſe impoſſibilia, quia alias qui diceret mandatum Dei eſſe impoſſibile viribus naturæ ſibi relictis , diceret illud eſſe impoſſibile, quod prorſus a ratione alienum eſt. Sed cur non reddis mihi verba mea, & omittis illa quæ in fine parentheſi incluſi , ſc. (prout ante ex Bellarmino dictum eſt) niſi quia non audes eadem mecum calumnia ſapientiſſimum , & eminentiſſimum Cardinalem involvere ! Locus autem ejus ad quem ſe-

remitto, habetur Lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 7. ubi dicit perspicuum esse aliquos non habere sufficiens auxilium quo possint immediate evitare peccata; idque ex Scripturis, quæ jubent nos orare ne intremus in tentationem, Matth. 6. & 26. Innocentio in epist. ad Concil. Cartag. ubi docet *non posse vinci a nobis tentationem nisi gratia Dei in nos implorata descendat:* Cælestino in epist. ad Episc. Galliæ cap. 6. ubi dicit *justos etiam homines, nedum peccatores, sine oratione ad Deum non esse vincendis tentationibus pares*. Et denique ex S. Augustino verbis ante cit. & lib. de grat. & lib. arb. cap. 43. *ideo*, inquit, *quædam jubet quæ non possumus, ut sciamus quæ ab eo petere debeamus*. Ponatur igitur (quod nimis frequenter accidit) quod non debite applicuerimus nos orationi, adhuc sine dubio præcepta debent dici possibilia, non quidem potentia proxima, ut constat ex SS. Patribus, ergo potentia aliqua remota. Quid igitur mihi insultas? Quid dixi nisi Scripturæ S. Trid. S. Aug. & aliis SS. PP. consentaneum?

Porro vix dici potest quam calumniose innoxium traducas, quando dicis me neglectum orandi reducere in defectum gratiæ efficacis, quam, inquis, agnosco solam proxime sufficientem, immo pejorem hac in parte me Calvino facis. Nonne Bellarminus & primarii quique Theologi id asserunt, reducuntne ideo in Deum, & defectum auxilii ejus culpam creaturæ? Quod gratia quantum est ex natura rei efficax effectu frustretur, non provenit ex parte Dei, sed ex defectu hominis, & duritie voluntatis ejus. Absit ut ego ullum defectum, præsertim culpæ, refundam in Deum. Id prorsus existimo impium; *ne dixeris per Deum habet*, ait Ecclesiasticus cap. 5. *ille me implanavit; Deus enim non prius se avertit ab homine, quam homo avertat se ab eo*, ait S. Thomas 2. 2. quæst. 24. & 1. 2. art. 3. ad 2. *defectus*, inquit, *prima caussa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima caussa est a Deo, secundum illud* Oseæ 13. *perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum;* & ante eum S. Augustinus, *ut autem innotescat*, ait, *quod latebat & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipsis itidem caussa est non in Deo*. Lib. de peccat. merit. cap. 15.

Pergis, & ludibrio me, sed magis teipsum exponens, ais, breviter ergo juxta Auctorem „ Manualis mens Tridentini & Innocentii „ hæc est: Deus justis impossibilia non ju„ bet, sed jubendo monet ut faciant impos„ sibilia & adjuvat ut possint, & non adju„ vat ut possint, adeoque recedere a pro„ positione damnata & non recedere vide„ tur. „ Sed quæso ubinam dixi, Deum jubendo monere ut faciamus impossibilia, & non adjuvare justificatos ut possint servare mandata, licet non semper habeant ea servandi proximam potestatem, ut ex SS. PP. ante dictum est? Admitto quidem gratiam per se efficacem solam esse proxima sufficientem, sed non nego interiorem aliam gratiam quæ dat posse saltem remotum ad servanda mandata: immo ejusmodi gratiam contendo necessario esse admittendam ex SS. Litteris, SS. PP. & invicta ratione. Impetis ergo prædictis istis verbis, Jansenistam, cui semper me opposui, & per Dei gratiam opponam semper.

§. *Recens expositio S. Synodi Tridentinæ.*

EXsibilata porro expositione mea, quæ tamen est necessaria, subjungis tuam his verbis: „ Mens Tridentini, & Augustini „ breviter hæc est: jubendo monet Deus, „ & facere quod possis facile, & petere quod „ non facile possis, & adjuvat ut possis. „ Deus igitur secundum te jubendo non monet justos ut faciant quæ difficulter facturi sunt, ergo non monet jubendo ut inimicos diligant, gravi tentationi resistant. Non, jubendo monet peccatores, ut odium fraternum deponant, concubinam deserant, &c. Juxta te etiam Deus monendo jubet petere quod non facile possis; ergo non tenemur orare, ut Deus sancti sui nominis amorem inspiret, & timorem, quia facillimum est juxta principia eorum quos colis timere, & amare Deum. Immo juxta quosdam tam facile pœnitere, & contritionem elicere quam nasum emungere. Sed quid si orare sit valde difficile, tunc juxta te non teneбimur orare, quia Deus jubendo monet, & facere quod possis facile. Quid si igitur non ores & depreceris Deum pro gratia necessaria ad opus, quod non facile possis, gratia tali casu necessaria ad opus illud tibi deerit: adeoque ad illud opus non teneberis, quia tibi impossibile: verum, teneberis propria confessione, quia ut dicis inferius, adjuvat ergo Deus non orantes dono gratiæ sufficientis; igitur teneberis, & non teneberis, ergo incidis in contradictionem, quam superius Jansenistæ impingis. Nescio ubi tam bellam, & novam expositionem Tridentini repereris: digna videtur, quæ ponatur in capite Libri ubi S. Sedes permiserit edi commentarios in Sacrosanctum Concilium Tridentinum. Certe ea expositio non reperitur in Scriptura Sacra vel SS. Patribus; nam Scriptura jubet nos orare ne intremus in tentationem, non utique semper gravem, sed etiam levam. Immo teste S. Greg. Lib. 5. in 1. Regum, *magni judicio Dei occulto, sed justo, magna prælia electis permittit Deus, quæ vincant, levia excitat, in quibus cadant, ut cadentes se facile erigant, ut eos fortia in quibus vi-*

ctores

ctore, flecterunt non extollant. *Quod ergo tempus intervenit*, ait S. Zosimus Papa *quo ejus egeamus auxilio*; *In omnibus igitur actibus caussisque, cogitationibus, motibus, Adjutor & Protector orandus est*. Et S. Innocentius epist. 9. apud S. Augustinum, *quotidiana*, inquit, *præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores*. Quotidiana remedia præstantur adversus quotidianas tentationes, quæ non sunt semper graves, & vinci difficiles: nec Tridentinum, nec S. Augustinus quem citas, illud possis, cum dicimus, & petere quod non possis, restringunt ad non facile posse. Dicit quidem S. Augustinus Lib. de nat. & grat. cap. 69. *eo quippe ipso quo firmissime creditur Deus impossibilia non potuisse præcipere: hinc quidem admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus*; admonemur, inquam, in facilibus quid agamus, quia pie possumus confidere quod in facilibus Christus nobis aderit per ordinariam suam gratiam; sed quia in difficilioribus & arduis requiritur potentior & extraordinaria Dei gratia temerarium esset non confugere ad orationis subsidium. Verum non inde sequitur, quod Deus nos monendo jubeat ad ista facilia pogredi non interposita oratione, quia sicut recte de bonitate Dei confidimus, ita etiam in istis recte de nobis propter infirmitatem diffidimus. Subjungit quidem immediate S. Doctor, *omnia quippe sunt facilia Caritati, cui Christi sarcina levis est*, ac proinde promptius esse videtur, nos admoneri in facilibus quid agamus: verum etiam in eo infirmitas nobis insidiatur, cum primus homo in tanta Caritate & felicitate conditus, lapsus sit; immo ipse, vir erudite, infra ex SS. PP. dicis Adamum, & Evam cecidisse, quia neglexerunt orare. Itaque non est generatim verum, quod etiam præditus caritate, *cui sarcina Christi levis est*, non jubendo admoneri in facilibus quid agat non interposita oratione. Absit igitur ut gratiam petamus ad ea, quæ tantum difficilia sunt, cum etiam in facilibus, nisi Deus nobis succurat, sæpe cadamus; & cur etiam juxta vestra principia non debeamus etiam in iis, quæ facile possumus, petere gratiam, cui Deus prævidet nos responsuros!

Ulterius progrederis & dicis, „ adjuvat „ ergo Deus justos orantes dono facilitatis, „ non orantes autem dono gratiæ sufficien- „ tis, „ quasi vero omnes justi orantes consequerentur donum facilitatis, quod quidem oratione consequi possunt, sed si ita oretur & petatur quantum & quomodo res tanta petenda est, quotusquisque enim est qui sic orat, ut donum istud facilitatis consequatur, quod tamen omnibus justis orantibus concedis! Adfers quidem ex Libro de perfect. justit. ex cap. 10. ut dicis, *& oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis*, seu, ut ais, *facilitatis*. Sed quo jure mutas nomen facultatis, in illud facilitatis, cum adeo multa præbeant facultatem, quæ tamen non tribuunt facilitatem! Sed nec illa verba, quæ ita possunt reperiri, in capite 10. quia Liber ille non distinguitur per capita, sed per ratiocinationes, neque verba illa, ut citas, sunt in toto Libro, sed ratiocinatione 17. hæc verba habentur *& oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis*. Verum id nihil te juvat dicentem generaliter adjuvare Deum orantes justos dono facilitatis, cum multi justi orent & tamen cum Apostolo castigant corpus suum, & in servitutem redigunt, ne cum aliis prædicaverint ipsi reprobi efficiantur: neque enim omnes habent illam perfectam caritatem quam loco citato exigit. S. Augustinus, *quæ mittat*, ait, *foras timorem & facit præcepti sarcinam levem, non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum*. Ex quo apparet te alienis perspiciliis, sed parum fidelibus, legisse Augustinum.

Prius citatis a te verbis continuo subjungis „ certe Adam, & Eva negligentiæ in „ orando a Patribus arguuntur, immo & a „ Pelagio Papa epist. contra Pelag. tom. 2. „ Concil. pag. 257. & pag. 259. nemo ta- „ men, ne Calvinus quidem dixerit, eos pec- „ casse defectu gratiæ sufficientis. Sed ubi ego id dixi! jam ante professus sum impium esse culpam suam refundere in defectum gratiæ Dei, *ideo autem primi parentes ceciderunt, quia illi volendo quod non debuerunt, perseverandi voluntatem deseruerunt, & deserendo non tenuerunt*, ut dicit S. Anselmus de Angelis apostatis Lib. de casu diaboli; quod vero bonam voluntatem perseverandi deseruerunt, potuit oriri ex negligentia qua omiserunt orare, ut Deus largiretur eis gratiam cum qua prævideret eos non esse lapsuros & in bona voluntate perseveraturos.

§. *De secunda Propositione*.

PRopositio secunda est hæc: *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur*. Falsitatem ejus evincit veritas contradictoriæ ipsi correspondentis: dantur enim tractus gratiæ vitio, & duritie voluntatis humanæ inefficaces, dantur tractus gratuiti ad quos non sequitur ejus apertio. Id palam significant Scripturæ, *vocavi*, scilicet quantum est ex me & natura rei efficaciter, *& renuistis*. *Si quis audierit vocem meam*, quantum est ex natura rei efficacem, *& aperuerit mihi januam*, intrabo ad illum Apoc. 3. & plures consimiles. Hinc etiam Sancti sæpe se accusant, quod inspirationibus sanctis, &

gratiæ

gratiæ Divinæ non responderint. Ejusmodi motus gratiæ comparat S. Augustinus, *conatibus expergisci volentium, qui tamen soporis altitudine remerguntur*. Et ne conqueraris, resistentia illa persæpe est actus moralis, & humanus, seu ipsius hominis gratiam frustrantis effectu, qualem ipsemet requiris, ut quis dicatur gratiæ interiori resistere, non enim frustra de eo Sancti se accusant. Deinde simili modo resistendi, etiam gratiæ, quantum est de se efficaci resistitur, quando impeditur effectus, & finis ejus remotus: gratia enim secundum SS. PP. est aqua viva, de qua Joan. 4. quæ numquam quiescit sed dando initium boni operis, quantum est de se, tendit ad consummationem, & ulteriorem virtutis progressum, estque fons aquæ salientis in vitam æternam. Unde qui ponit obicem ejus progressui, ei resistit, sicut is qui impedit fluxum, & impetum aquæ. Addo, prout etiam adverti in Manuali, in hac vita semper aliquo modo resisti gratiæ efficaci, nam gratia efficax & caritas, licet sensim diminuant cupiditatem; hæc tamen, ut sic loquar, reagit, & inde fit quod non perfecte, & toto corde diligatur Deus, *nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quæ vel continendo frænetur; non omnimodo ex toto corde diligitur Deus*, ut dicit S. Augustinus Lib. de perfect. justic. ratiocin. 16. Non enim caro sine animo concupiscit, quamquis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter Anima concupiscit: resistentia tamen illa non est actus moralis & humanus, quia gratia per se efficax & victrix tollit omnem ejusmodi resistentiam respectu illius actus ad quem determinat, quia ut pulcre canit S. Prosper, *ei tempus agendi semper adest, quæ gesta velit, nec moribus illi fit mora, nec caussis anceps suspenditur ullis*. Addis me rejicere gratiam proxime sufficientem, id est, quæ non requirit ulterius Dei auxilium ut in actum exeat: immo eam necessariam dico ad omnem actum pietatis & salutis. Vis dicere, ut existimo, me rejicere gratiam proxime sufficientem quæ non fit efficax. Verum est, sed id assero cum S. Scriptura SS. Augustino & Thoma, & aliis SS. Patribus, quid inde mali? sequiturne inde interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ unquam resisti? Infers tandem: " ergo Auctor Manualis damnatam damnare & absolvere videtur." Verum quomodo absolvere, cum diserte pronunciem erroneum esse & hæreticum dicere, quod interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistatur?

§. *De tertia Propositione.*

Propositio tertia damnata, est hæc: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Docui in Manuali in homine lapso, reperiri libertatem non solum a coactione, verum etiam a necessitate, certum esse de fide, & dixi cum S. Thoma *opinionem quorumdam, qui ponebant voluntatem hominis ex necessitate moveri ad agendum, non tamen coacte moveri ad eligendum, esse hæreticum, quia*, inquit, *tollit rationem meriti, & demeriti in humanis actibus*, quæst. 6. de malo. Dixi etiam propositionem istam esse æquissima censura a summis Pontificibus damnatam.

Addis me illud celebre dictum S. Augustini in epist. ad Galat. *quod amplior nos delectat, secundum id operemur necesse est*, intelligere de delectatione, indeliberata victrice seu Cælesti, seu terrena, determinante ac necessitante voluntatem ad consensum, tract. de Deo, Creatore & Redemptore §. 22. sed quot verba, pace tuam dixerim, vir erudite, tot sunt allucinationes aut mendacia: in primis enim nec ibi nec ullibi dixi delectationem justitiæ necessitare voluntatem ad opus pietatis: licet enim juxta communem doctrinam determinemus concursum Dei ad actum peccati, determinamusne ideo Deum ex necessitate ad illum actum, ac privamus Deum libertate ad illum actum, quam non nisi ipso largiente habere possumus! Ais insuper me docere delectationem terrenam necessitare ad consensum peccati; item delectationem terrenam determinare physice ad ejusmodi consensum, quod etiam aperta & fallax est impostura; id enim nunquam docui, immo docui oppositum, quia dixi generaliter delectationem victricem non debere physice, sed tantum moraliter concurrere, quando agitur de eo ad quod natura ex se potens est, sicut est ad actum peccati. Quia tamen natura creaturæ rationalis post lapsum non est potens ex se determinare se ad actum amoris Dei propter se, nec subinde ad actum vere, & Christiane bonum; ideo dixi non sufficere, quod delectatio victrix Justitiæ determinet tantum moraliter ad consensum, illum dimittens, & committens libero arbitrio, sed requiri quod vel ipsa delectatio cælitus immissa ad consensum realiter determinet, vel potius quod Deus illam imittens, & ei se connaturaliter accomodans suaviter, determinansque eam physice, fortiter de consensu ejus libero disponat.

§. *Explicatur famosum dictum S. Augustini:* quod amplius nos delectat secundum id operemur necesse est.

Illud porro celebre dictum S. Augustini intelligis " de delectatione deliberata seu " efficaci voluntate, cui vita, & hominis " operatio exterior necessario conformatur " ut centies, ais, demonstratum est. Mihi sane

sane sufficeret quod semel. Sed quomodo id vel semel demonstratum est, cum delectatio deliberata justitiæ non sit in nobis, a nobis ipsis, nec possit esse deliberata, si subito, & inopinate cælitus immittatur, adeoque requiritur ad eam gratia excitans, quæ secundum communem ac receptam doctrinam consistit in aliquo actu indeliberato, simili illi ad quem excitat, alioquin enim non posset esse deliberata. Id diserte explicat S. Augustinus Lib. 3. de lib. arbit. cap. ult. *voluntatem*, inquit, *non allicit ad faciendum quod lubet, nisi aliquid visum; quod autem quisque vel sumat, vel respuat, est in potestate, sed quo viso tangatur* (vel subitanee delectetur) *non est potestatis*. Igitur amor ille & delectatio deliberata justitiæ major delectatione peccati, oritur ex simili amore indeliberato justitiæ, qui in potestate nostra non est, adeoque etiam in amore, & delectatione deliberata justitiæ verum est illud, *quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*: alioquin delectationem victricem requirere tantum ad opus salutare externum, & ad delectationem justitiæ non requirere ullam gratiam excitantem, seu similem delectationem indeliberatam, error Pelagianus est, quia eo supposito, nequidem gratia requireretur ad opus externum, quod sufficienter ponitur vi imperii delectationis justitiæ majoris noxia delectatione peccati. Hinc S. Augustinus juxta principia fidei sollicite monet, *ut cum delectat lex Dei, & sic delectat ut omnem delectationem lasciviæ vincat, non sibi arroget illam delectationem*, Lib. 3. de verb. Apost. cap. 8. quia nempe est magna illa gratia, quam Christus homini infirmo attulit, & de qua ut ibidem scribit Augustinus, dicit Propheta regius, *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum*; Et lib. operis imperfecti contra Julianum ait, *Deum donare per spiritum caritatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati*. Et infra docet quod *concupiscentia probetur non regnare in homine, dum ea, quæ concupiscuntur mala, justitiæ delectatione vincente, non fiunt*. Hæc centenis aliis locis doceri potest, tantum abest ut ejus oppositum centies, ut nimis magistraliter dicis, demonstratum sit. Sed undenam tibi tam subtilis expositio? ex tui ne ipsius Jovis capite ista Minerva? Non existimo, nam memini legisse traditam a quodam recentiore, de quo infra, qui ut alter Hercules apud te suspicitur. Verum, plane ineptus est commentarius, ut patet ex contextu, in quo immediate sub jungitur, ut v. g. *occurrit forma speciosæ feminæ & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectet pulcritudo illa intima & sincera species castitatis per gratiam, quæ est in fide Christi secundum hanc vivimus*, scilicet secundum interiorem hominem, & condelectamur pulcritudini illi intimæ ac legi Dei, resistentes delectationi noxiæ, & secundum hanc operamur. Nimis enim supinum est existimare, ut cum illo Auctore censes, illud *vivimus* confundere cum illo *operamur*, prout significat opus hominis externum; vita enim hominis præcipue consistit in eliciendis actibus interioribus. Concupiscitur, ait S. Augustinus, *adversus carnem fortiori robore caritatis, ut ex fide justus vivat, justeque vivat in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ*. Nec perterreat te, illud necesse, quia quid promptius quam illud intelligere de *necessitate consequentiæ* quæ nullatenus repugnat libertati a *necessitate consequentis*, sicut quando S. Cælestinus epist. ad Episcopos Galliæ dicit: *necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur*, necessitate scilicet *consequentiæ* non *consequentis*, quæ posterior libertati a necessitate repugnat.

Porro illud dictum celebre S. Augustini, dixi non habuisse locum in statu naturæ integræ; alias enim cum Adamus fuerit conditus in dilectione & delectatione justitiæ, nullâ prorsus pulsatus delectatione peccati, non peccasset: ideo dixi hominem in statu integritatis fuisse talem qualem finxit Philosophia humana, noxæ originalis ignara, sc. qui posset omnibus suis motibus dare leges, quamdiu nempe ipse legi Dei foret subditus.

§. *Quæstio impertinens & inanis Auctoris Thesium.*

HOc posito quæris ridicule, & nugaciter, „ quare delectatio Cælestis ut quatuor „ non necessitabat Adamum immunem a de„ lectatione terrena, & quomodo post la„ psum necessitabat pulsatum delectatione „ terrena, v. g. ut duo vel tria, cum concu„ piscentia non augeat sed minuat gratiæ ef„ ficaciam, ut ipse fateor tract. de Deo „ Creatore, & Redemptore §. 30.

Resp. In primis falso supponis me dixisse delectationem Cælestem *necessitasse*. Adamum, vel quempiam post lapsum, itaque in tua quæstione pro ly *necessitat*, reponenda est vox *determinat* aut æquivalens: responsio vero in promptu est; quia Adamus quandiu Deo mansit subjectus poterat ingenitis sibi motibus dare leges, servus autem peccati non potuit proxime ejus illecebris valedicere, nisi *inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faceret Deus magis delectare quod præcipit, quam delectaret quod impedit: hoc est quam quodcumque bonum temporale cujus delectatione peccatur*, ait S. Augustinus lib. de spir. & litt. cap. 28. Hinc idem S. Doctor lib. de cor. & grat. cap. 11. operose distinguit inter gratiam datam Adamo in statu naturæ integræ, & gratiam datam ipsi & nobis in

statu

statu naturæ corruptæ; *prima est*, inquit, *qua fit ut habeat homo justitiam si velit*, *secunda ergo plus potest qua fit etiam ut velit*, *tantoque ardore diligat*, *ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*: & paullo superius, *tale quippe erat adjutorium* (scilicet primi hominis innocentis) *quod desereret cum vellet*, *non quo fieret ut vellet*. Hinc cap. 12. primum adjutorium vocat *adjutorium sine quo aliquid non fit*, & aliud, *adjutorium quo aliquid fit*. De secundo ibidem dicit: *subventum est igitur infirmitati humanæ voluntatis*, *ut Divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur*; *& ideo quamvis infirma non deficeret*, *neque adversitate aliqua vinceretur*. Sane mirum est, vir erudite, quod ea legeris & quæris a me quod quæris.

Progrederis nihilominus & dicis: „ si ergo imminuit, scilicet concupiscentia gratiæ efficaciam, quomodo auget? Immo & „ tribuit gratiæ ex natura sua indifferenti „ vim determinandi ac necessitandi morbus „ ille naturæ lapsæ? Nodum hunc nunquam „ solveris licet ædipus fueris. „ Superi quantum est in rebus inane! ubinam vel per omnium dixi concupiscentiam augere vim gratiæ, perinde ac si quis diceret morbum augere vim remedii? Ubinam dixi morbum illum naturæ lapsæ tribuere gratiæ ex natura sua indifferenti vim determinandi ac necessitandi? Absit ut gratia Christi accipiat vim necessitandi; tua tamen est ordinaria impostura: absit ut gratia Salvatoris requisita ad opus pietatis sit ex natura sua indifferens. Est ex natura sua & per se efficax, ut constanter ex Scripturis docet S. Augustinus, & alii SS. PP. quam quidem animose, sed irrito semper ictu aggrederis. Judicet jam æquus lector, an id quo insolubiliter me adstringere jactas, sit nodus qui œpido egeat. Stupidus sit, immo stuppeus, qui id vel nodum putet.

§. *De quarta Propositione*.

Quarta propositio est hæc: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus*, *etiam ad initium fidei*, *& in hoc erant hæretici*, *quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*. Ubi nota, gratiam prævenientem posse sumi dupliciter, primo ut est gratia Christi quæ ita prævenit assensum vel consensum, ut ea per ipsam donentur a Deo. Secundo ut est gratia quæ ita prævenit assensum vel consensum; sic tamen ut ea non donentur a Deo, sed expectentur a libero arbitrio.

Semipelagiani, de quibus loquitur S. Prosper, admiserunt necessitatem gratiæ secundo modo ad initium fidei: cum enim confiterentur peccatum originale, atque per illud attenuatum fuisse & infirmatum liberum arbitrium, non potest rationabiliter dici ipsos initium fidei nobis assignasse sine auxilio gratiæ, cum Adamus sanus & integer non potuerit a semetipso, sine gratuito Dei auxilio, habere. Sub initio fidei comprehendebant desiderium quo unusquisque ægrotus cupiebat & volebat sanari. Id autem quod dicitur apud S. Hilarium epist. ad S. Augustinum, *ceterum ad nullum opus*, *vel incipiendum*, *nedum perficiendum*, *quemquam sibi sufficere posse sentiunt*, non probat quod initium fidei, aut velle sanari, gratiæ Dei non adscripserint, quia opera distinguebant a fide & initio ejus; quia ut refert S. Hilarius ibidem, ajebant, *dicit Apostolus*, *idem Deus qui operatur omnia in omnibus*, *nusquam autem dictum est*, *Deus credit omnia in omnibus*. In eo autem quod dicebant ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere, intelligitur de gratia medicinali Christi, quia alias nulla ratio potest dari cur ipsi correptionis utilitatem restrinxissent ad ea, quæ opera antecedebant, & noluerint habere locum in operibus ipsis: ipsi enim sic loquuntur apud eumdem S. Doctorem loc. cit. *quo pertinent*, inquiunt, *tanta extrinsecus correptionis instantia*, *nisi ab homine*, *etsi fides non integra*, *saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur*, *aut periculum demonstratæ mortis horetur*? Si enim non gratia medicinalis Christi, sed tantum gratia præveniens secundo modo sumpta requiratur ad opera, cur modum & utilitatem correptionis limitarent? *si non ad fidem integram saltem ad initium ejus vel dolorem compunctæ infirmitatis*, &c.

Hinc assertio intellecta de gratia præveniente, prout abstrahit a gratia præveniente *primo* vel *secundo* modo, est vera, id accomodate intelligendo, sicut initium fidei haberetur per gratiam prævenientem secundo modo sumptam, seu ejusdem speciei cum gratia primæ integritatis, & gratia præveniens primo modo sumpta, seu gratia per se efficax requiratur ad alios singulos actus: tu vero incunctanter primam partem assertionis affirmas damnatam esse ut falsam, in quo principiis eorum, quos colis, contradicis, quia Massilienses asserebant, teste S. Prospero in epist. ad S. Augustinum, quod *retractatis priorum de hac re opinionibus*, *pene omnium par invenirettur*, *& una sententia qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt*, *ut ob hoc Deus alios vasa honoris*, *alios contumeliæ fecerit*, *quia finem uniuscujusque præviderit*, *& sub gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate præscierit*. Igitur asserebant gratiam esse necessariam ad singulos actus, alias enim non posset quis ad certum gloriæ gradum omnibus meritis cor-

correspondentem prædestinari. Illa vero sententia Massiliensum est eorum quos amas, valde celebris sententia. Unde Vasquez t. 2. in 1. p. disp. 91. cap. 3. " Osorius, inquit, ,, & recentiores qui ipsum sequuntur, existimant se reipsa Augustino adversari, quod ,, ille dixerit prædestinationem ante merita ,, prævisa factam esse. Quam quidem Augustini sententiam severam & difficilem admodum arbitrantur, & sententiæ Græcorum Patrum, & Massiliensium asserentium ,, prædestinationem ex meritis fieri, se consentire putant. Articulus vero vicesimus, quem Facultas Theologica Lovaniensis reprobavit, habet *quod istam sententiam tenuerint omnes Græci Patres, adeo ut communiter dicatur sententia Græcorum*. Non fuit additum, *Gallorum & Massiliensium*, quamvis viciniores & ad opitulandum promptiores, quia satius fuit declinare fidelium invidiam. Ripalda etiam censet Ecclesiæ doctrinam, ut ipse dicit, contineri iis S. Prosperi versibus, quibus de gratia sic loquitur:

Ut cunctos vocet illa quidem invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum;
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo mota se extendere mente
Ad lucem oblatam quæ se non subtrahit ulli.

,, Audis, ait Ripalda, gratiam Dei cunctos vocare, nullum præterire, nulli subtrahi, & in omnium arbitrio ejus obedientiam constitui, ideoque inobedientibus ad culpam deputari! Audio vestram doctrinam ibi genuine describi. Sed fallitur certo Ripalda existimans prædictis verbis contineri doctrinam Ecclesiæ, quia illis haud dubie continetur doctrina *Semipelagianorum*, ut evidenter constat ex verbis immediate præcedentibus, quibus alloquens ingratos sic ait: *Gratia qua Christi populus sumus hoc cohibetur limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi, ut cunctos vocet illa quidem &, &c.*

Rectius ergo & conformius principiis eorum, quos colis loquereris, si diceres primam partem assertionis non esse damnatam: neque enim in illam partem potest cadere nota hæresis, quam tamen S. Sedes illi inurit: damnatur ergo propositio quarta propter secundam partem; ad hoc enim, ut assertio copulativa sit falsa, & hæretica, sufficit quod una ejus pars sit talis.

Vehementer tamen suspicor Massilienses attribuisse falso antiquis PP. suam sententiam, quia S. Cælestinus in epist. ad Episcopos Galliæ arguit Massilienses novitatis, indicitque eis silentium his verbis: *Desinat novitas incessere vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare*; præcipitque vitari hujusmodi qui laborant per terras aliud quam ille noster jussit Agricola seminare. Unde respondens Prospero & Sancto Hilario S. Augustinus, sic loquitur. *Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui prius quam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendam quæstione versari, quod procul dubio facerent si respondere talibus cogerentur? Unde factum est ut de gratia Dei quod sentirent breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent, immorarentur vero in iis quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant; & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate servitur, frequentationibus aut orationibus simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret; non enim poscerentur a Deo fieri quæ præcipit, nisi ab illo donarentur ut fierent.* Licet igitur veteres nondum exorto vel manifestato Pelagio, quid de gratia, & prædestinatione Dei sentiendum esset, non tam aperte diserteque explicarent, contraria tamen atque adversa tradidisse nusquam deprehendentur. Jansenius existimat S. Prosperum aliquando fuisse infectum errore Pelagianorum, atque suspendisse prædestinationem ex præscientia meritorum; vix credidi oculis meis dum id legerem, idque probat ex epistola ejusdem S. Doctoris ad S. Augustinum, ubi dicit: *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus pene omnium par invenitur, & una sententia*, &c. Sed perperam omnino *insipientiam* ibi existimat sumi pro errore quem S. Augustinus continuo infectabatur, immo existimabat esse contra fidem, quem proinde ab ipso patienter ferri non poterat sperare S. Prosper; & quomodo talis error poterat incidere in eum, qui in eadem epistola numerat se inter paucos perfectæ gratiæ *intrepidos amatores?* Tenuitatem igitur suam, qua minus sapiens erat ad demonstrandam quæstionem facti, de quo quærebatur, ibi exprimit, alias fixus, non recipere prædestinationem secundum sensum Massiliensium, de quibus ea in re conqueritur; adeo ut nihil antedictis petat nisi quod dixit inferius, *adde eruditionem humilibus*, scilicet tuentibus veram Christi gratiam; *adde increpationem superbis* qui prædestinationem suspendunt ex præscientia meritorum, quæ se sibi existimant donare, non Deus.

§. An

§. *An S. Augustinus, dum erat in errore Semipelagianorum existimarit nullo opus esse Divino adjutorio ad initium fidei aut perseverantiam in eo?*

RESpondeo negative, quia ad initium fidei admisit gratiam ejusdem speciei cum gratia primæ integritatis: si igitur *initium fidei* a nobis erat cum ejusmodi gratia, etiam a nobis esse in eo *permanentiam*, perspicuum est. Id declarat S. August. Lib. de bono persever. cap. 17. *Neque isti*, inquit, *ad sola illa exhortantur dona quæ nona Deo dari sed a nobis esse contendunt, sicut sunt initium fidei, & in ea usque ad finem perseverantia*; & rursum nonnullis interjectis: *sed hæc* (inquiunt Massilienses) *ut a Deo donantur, nobis fides impetrat, quæ incipit a nobis. Quam fidem & incipere habere, & in ea usque ad finem permanere, tamquam id non a Domino accipiamus, nostrum esse contendunt*: & mox, *hoc dicentes nolunt hominibus prædicari dona Dei esse ut veniatur ad fidem & permaneatur in fide, &c.*

Hinc S. Aug. dum fuit in errore Semipelagianorum iis similiter erravit; neque enim potest dici ipsum initium fidei arrogasse mere viribus naturæ, quia alte animo suo semper infixum habuit hoc principium, *liberum arbitrium ad bonum nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti Bono*.

Pergis nihilominus, & ut probes S. Augustinum aliquando sic errasse, ut ad initium fidei nullum omnino auxilium gratiæ arbitratus sit esse necessarium, adfers testimonium ejusdem S. Doctoris ex lib. de prædest. Sanctorum cap. 3. ubi fatetur se olim errasse; *putans fidem qua in Deum credimus non esse donum Dei, neque eam Dei gratia præveniri*. Sed multum falleris, quia advertere debueras *donum Dei* multipliciter sumi. 1. Pro eo quod ab eo solo accipimus nulla interveniente opera nostra, ut sunt corpus, Anima, facultates ejus naturales &c. 2. Pro eo quod a Deo accipimus interveniente aliquo actu nostro, ad quem Deus influxu generali concurrit: ita motus naturalis, scientia, officium virtutis, etiam quando non bene fit, sunt dona Dei. 3. Pro actu cujus facultatem per auxilium gratiæ suæ nobis concedit Deus, non ipsum actum donat. 4. Donum Dei sumitur stricte pro actu quem in nobis per gratiam Christi Redemptoris producit, operans in nobis *velle & perficere* pro bona voluntate; atque de ejusmodi dono passim loquitur S. Augustinus agens de gratia Christi; illud donum efflagitabat quando dicebat Lib. 11. Confess. cap. 29. *continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis*: neque enim petebat solum posse continere, sed ipsam *continentiam*. De tali dono Dei intelligitur S. August. loco cit. ut clare patet per textum Libri; & per gratiam prævenientem intelligitur gratia, quæ præexigitur ad opus bonum, illud per se operando independenter a prævia determinatione liberii arbitrii. De hac loquitur quando cap. 16. Lib. de bono persev. ait: *Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam caritatem, qua una Deo veraciter & suaviter obeditur, & hac omnia gratia in eo cui datur, & cujus hac omnia prævenit*, operatur. Unde cap. 3. Lib. de prædist. Sanctorum verbis præcit. subjungit: *Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar*, quæ non excludunt gratiam sufficientem primæ institutionis & integritatis, cum enim illa det tantum posse, sicut ut velle & nolle in nostro relinquat arbitrio, ei consentire nostrum est, & *in nobis ex nobis est*, quia illam ad agendum determinamus.

Quod vero addis "Semipelagianos, adeoque & S. Augustinum dum in eorum errore versaretur, non tantum initium fidei, sed ipsam etiam finalem perseverantiam in eo donum Dei esse, negasse; verum est de Dono Dei stricte sumpto, non autem de dono Dei 3. modo sumpto, quia primum membrum discriminis famosi libenter amplexabuntur Semipelagiani, ut ante dictum est. Et quidni cum illa gratia nihil efficeret libertati, correptioni, & universim nihil incommodi adferret. Hinc de ea nunquam litigavit cum Pelagio S. August. Igitur Semipelagiani initium fidei, & finalem perseverantiam adscribebant gratiæ primæ conditionis, quam Adamo etiam in statu infelicitatis ad istos defectus concedebant fuisse necessariam, sic tamen ut cetera bona ad vitam piam pertinentia Dei dona stricte dicta esse concederent; id enim testatur S. Aug. Lib. de bono persev. cap. 24. his verbis: *satis docuisse me existimo dona Dei esse, & incipere in Domino credere, & usquem in finem in Deo permanere, cetera vero bona ad vitam piam pertinentia, etiam ipsi propter quot hæc agimus, Dei dona esse concedunt.*" Addis ulterius progressos Semipelagianos non tantum initium fidei, sed etiam ipsam finalem perseverantiam donum Dei esse negasse, *caput, & caudam bostiæ* non Deo, sed libero arbitrio consecrantes contra præscriptum legis. Levit. cap. 3. & 7."

Resp. Verum quidem est Semipelagianos negasse initium fidei esse donum Dei stricte dictum, ut ante explicatum est, sicut, & negarunt finalem perseverantiam esse hujusmodi donum Dei. Semipelagiani igitur initium fidei & perseverantiam in eo, Domino non consecrarunt, sed libero arbitrio; secus est de operibus (distinctis ab initio fidei, vel ab eo quod est velle sanari, aut implorare opem medici) illa enim Domino

Deo consecrarunt, & finalem in eis perseverantiam: tu vero, vir erudite, nec initium fidei, nec in eo permanentiam, nec opera, quibus in hac vita Domino Dei fideliter & perseveranter finitur, ei consecras; ac proinde contra præceptum Levit. nec *caput nec caudam bestiæ* Deo consecras, sed libero arbitrio.

§. Quædam commentitiæ expositiones famosi discriminis Augustiniani referuntur & refelluntur.

QUod vero tandem dicis, " atque hæc fi„ nalis perseverantia est illud famosum „ *adjutorium quo*, ut vocat Aug. Lib. de cor. & grat. cap. 11. Præcise nodum tangis, quasi S. Aug. istic non ageret de auxilio ad perseverandum, sed tantum de ipsa perseverantia, quæ nequaquam potest dici auxilium gratiæ respectu sui ipsius. Si autem dicatur esse *auxilium quo* respectu ipsius beatitudinis, de tali auxilio, non agit ibi S. Aug. quod si cum nonnullis eo usque delirare lubet, ut dicas finalem perseverantiam esse *auxilium quo formaliter sumus* finaliter perseverantes; quomodo Angelus bonus non habuit *auxilium quo* respectu suæ perseverantiæ? Quomodo Adam in statu integritatis non habuit *auxilium quo* respectu amoris liberi, quem formavit, quod tamen directe repugnat doctrinæ S. Augustini? Immo quomodo dæmon vel Adamus non habuere *auxilium quo* respectu sui peccati, eo ipso quo concursum Dei determinarunt ad actum peccati? Quod si velis, ut nonnullis jam incipit placere, S. Aug. ibi agere de gratia, qua Sancti in Regnum Dei prædestinati perseverant, quæ sit *auxilium quo* respectu perseverantiæ, non autem respectu aliorum operum salutarium: ecce totus Molinismus, quem avide sectaris, corruit; cur enim Deus poterit coronare finalem perseverantiam Sanctorum, & non poterit præmiare alia eorum opera, si ad illa, *auxilium quo*, sive gratia Christi efficax extendatur. Ubinam illi inconditi clamores toties vibrati in efficaciam gratiæ Christi tanquam libertatis humani arbitrii eversivam? Sane doctrina S. Aug. efficaciam gratiæ Christi ad omnia opera salutaria constanter & semper extendit, ut patet ex cap. 24. Lib. de bono persev. ante cit. cujus Libri cap. 17. postquam dixerat quod Deus illum, quem castum esse futurum præscivit, agit ut castus sit, subjungit postea: *quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de Caritate, de perseverantia, & ne pergam per singula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veracissime dici potest*. Sed & in cap. 11. de cor. & grat. non solum de *auxilio quo* finalis perseverantiæ agit; sed etiam respectu aliorum operum & perseverantiæ non finalis, quia sic loquitur: *prima est*, sc. gratia integritatis, *quæ fit ut habeat homo justitiam si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat*, & cap. 12. allegatis his verbis Joannis 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*: subjungit, *quibus verbis*, inquit, *non solum justitiam, verum etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit*. Si vero dixeris cum quodam recentiore, qui tibi percarus est, „ famosum „ discrimen in eo consistere, quod Adamus „ in statu integritatis non eguerit auxilio „ gratiæ ut vellet perseverare, sed dumtaxat ad perseverandum; quia dicit S. Au„ gustinus, *ut autem vellet, in ejus libero re„ liquit arbitrio*. Neque dicit S. Aug. inquit „ ille, liberum arbitrium sine adjutorio gra„ tiæ nihil prorsus ad bonum valere, sed „ dicit, *liberum arbitrium ad malum sufficit*; „ *ad bonum autem parum est nisi adjuvetur ab* „ *omnipotenti Bono*. Ubi dicit notandum il„ lud *parum*, quia poterat illud quidem si„ ne illo adjutorio velle, & parum erat vel„ le, nisi ille qui illum fecerat adjuvaret: „ in statu autem naturæ lapsæ homo eget „ adjutorio gratiæ, non tantum ut perseve„ ret, sed ut velit perseverare. Verum quis non videt id penitus esse frivolum, 1. Quia ista explicatio confundit adjutorium datum homini in statu innocentiæ ad perseverandum, & datum homini in statu naturæ lapsæ ad eumdem effectum: S. Aug. vero illa clare distinguit, dicens datum esse primo homini in statu innocentiæ adjutorium perseverantiæ, *non quo* fieret ut perseveraret, sed *sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*: in statu autem naturæ lapsæ ipsi & reliquis Sanctis in regnum Dei per gratiam ejus prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, *sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur*. 2. Semipelagiani admittebant ad initium fidei, & perseverantiam finalem, necessitatem adjutorii mere possibilitatis in homine sano; ergo a fortiori fatebantur ejusmodi adjutorium ad prædictos effectus requiri in homine post ruinam: nihilominus tamen S. Augustino nequaquam satisfecerunt, quia S. Doctor eos totis duobus Libris sc. Libro de prædest. Sanctorum & Libro de bono persev. quibus Litteris SS. Prosperi & Hilarii respondet, refutavit, ostendens tam initium fidei quam finalem perseverantiam esse gratiæ Dei donum; gratiæ inquam quæ non tantum posse donet, sed *quæ a nullo duro corde respuitur*, gratiæ quæ aufert *cor lapideum*, & dat *cor carneum*, sicut Deus Propheta prædicante promisit, ut habetur cap. 8. de prædest. Sancto-

Cto-

ctorum, gratiæ quæ ex *nolentibus* facit *volentes*. Ibidem. *Quæ facit ut faciamus*; dicitur enim cap. 10. *quæ facit ut illi*, sc. homines, *faciant quæ præcipit non illi faciant, ut ipse Deus faciat quod promisit*. Deinde quod dicit ad bonum *parum est* nisi adjuvetur ab omnipotente Bono, illud *parum* idem est quod non sufficit ad bonum: unde in margine loco *parum* additur *nihil*, juxta illud ejusdem S. Doctoris tract. de Cant. novo cap. 6. *Liberum arbitrium non adjutum, ad malum sufficit sibi, ad bonum non nisi adjutum*. Et etiam ex illo, *sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest*. Tract. 81. in Joannem. Et quamvis hæc plus quam satis sint, ut demonstretur quam inani labore se fatigent nonnulli, ut famosum discrimen, quod illis quasi crux fixa est, in alienum sensum detorqueant, non possum tamen omittere quin adhuc aliam expositionem quam in anterioribus citatus Auctor, ex quo ante rejectam explicationem celebris dicti S. Aug. ex commentario in epist. ad Galat. avide rapuisti, paucis hic referam, in qua tradenda ita se torquet ut vix suus esse videatur. 1. Docet gratiam naturæ integræ mere consistere in *illustratione intellectus*, adeo ut Adam in statu integritatis, & Angelus potuerint sine novo gratiæ beneficio Creatorem suum, ut oportet, amare, non difformiter Pelagio contendenti a Domino Deo nostro habere adjutorium *cognitionis*, non inspirationem *dilectionis*, qua cognita sancto amore faciamus. Lib. 4. ad Bonifac. cap. 5. e contra S. Augustinus qui Lib. 14. de Civit. cap. 13. dicit *Adamum ab immutabili Bono illustratum fuisse ut videret, & accensum ut amaret*. 2. Dicit Adamum in statu integritatis & Angelum potuisse posita illa *illustratione*, amore deliberato diligere suum Creatorem: sed tamen *illustrationem* illam necessario profudisse amorem Dei indeliberatum, ex quo sequitur potuisse Adamum amare Deum propter. Se amore deliberato, & indeliberato, eodem instanti, quod est impossibile. Sed, & majus illud absurdum sequitur, quod Adamus non peccaverit, quia juxta ipsum illustratio illa mentis tam necessario profudit dilectionem indeliberatam Dei, quam, ut ipse explicat, oculus bene sanus, nec ullo suffusus humore, propositum sibi debite objectum, & temperata collustratum luce intuetur. Inde autem evidenter sequitur, quod Adam non peccaverit; cum enim eo instanti quo peccavit, non caruerit illa *illustratione* mentis, quæ unicum erat ei auxilium sufficiens, (si enim ea caruisset, sine sua culpa cecidisset) non potuit peccare, quia amor inordinatus creaturæ non poterat simul eodem instanti consistere etiam cum amore indeliberato Creatoris. Explicatio igitur illa peccatum originale destruit. Quod si verum est, Molinismo, quem colis, contra S. Aug. palmam concedimus, eo magis, quod jam dicta explicatio etiam dæmonibus evacuat infernum, quia nec illi juxta dictum principium peccaverunt. Numquid multo consultius foret in lumine quod accendit Deus in Augustino ambulare, quam semitas adversariorum ejus inire, relicta via regia doctrinæ ejus, & in singulis fere passibus cespitare?

§. *De quinta Propositione*.

Quinta propositio damnata, est hæc: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse*. Non est dubitandum quin adversus eam justissima sit sanctæ Sedis censura, etenim S. Augustinus censet Lib. 6. contra Jul. cap. 4. Christum Dominum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, dicens: *in illo uno scilicet Adamo mortui sunt omnes, ut moreretur unus pro omnibus*, idem repetit cum sanctis Litteris Lib. 20. Civit. cap. 6.

Quo sensu igitur mortuus est pro omnibus Christus?

Resp. Mortuus est Christus pro salute omnium quoad *sufficientiam*, mors enim ejus fuit infiniti pretii: quoad *efficaciam* vero mortuus est pro salute omnium & solorum electorum, quia omnes & soli prædestinati æternam salutem consequuntur: ita docet S. Thomas in illud ad Hebræos 2. *& gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*, sic enim intelligit, *ut gratia Dei*, *id est Christus* inquit, *auctor omnis gratiæ sit mortuus*, *quoad efficaciam*, *pro salute æterna omnium*, *& solorum prædestinatorum*. Consonat, ut semper S. Augustino scribenti epist. 102. *non perit unus ex illis pro quibus Christus mortuus est*. Neque obstat, quod asserere Christum pro salute æterna dumtaxat prædestinatorum esse mortuum, damnatum sit ut *impium*, *blasphemum*, *contumeliosum*, *Divinæ pietati derogans*, *& hæreticum*, quia toto Cælo distant Christum mortuum esse quoad efficaciam, pro salute æterna omnium, & solorum prædestinatorum, & esse mortuum *dumtaxat* pro salute ipsorum, quia mortuus est insuper pro justitia, perseverantia, & multis gratiis actualibus ipsis concessis, sicut pro justitia, pœnitentia, & multis gratiis actualibus reproborum.

Quod si in illo dicto, pro omnibus omnino hominibus Christus mortuus est quoad sufficientiam, fiat vis in sola *sufficientia* pretii, sic dici posset Christus mortuus pro dæmonibus liberandis: „ quod quidem „ non gravate, inquis, admittet Auctor Lib. „ 3. de grat. Salvatoris cap. 20. Sed quid hoc ad me, nisi calumniose supponas, prout soles, me esse Jansenistam. Quod ad me

attinet, id non admissi nec unquam admittam, quænam enim est consequentia, pretium mortis Christi est sufficiens redimendis dæmonibus; ergo Christus mortuus est pro illis quoad sufficientiam, prorsus enim nulla est, quia pro demonibus Christus non obtulit se Deo Patri in Redemptionem.

Porro Trid. Sess. 6. cap. 3. sic loquitur: *etsi pro omnibus mortuus est Christus, non tamen omnes beneficium mortis ejus recipiunt*. Hinc invalida est consequentia, Christus mortuus est pro omnibus, ergo omnes ex morte Christi in se derivant gratiam sufficientem ad salutem: licet enim supponeretur consequens esse verum, non sequitur tamen ex illo antecedente, quia gratia sufficiens in hoc statu non potest non esse beneficium mortis Christi.

Eo collimabat objectio nona Gallorum apud S. Prosperum, quod juxta doctrinam S. Augustini, *pro totius mundi redemptione Salvator non sit crucifixus*, & prima Vincent. quod *Dominus noster Jesus Christus non pro omnium salute & redemptione sit passus*: pariter Faustus Lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 7. *totum plane gratia est*, ait, scilicet concursu concomite, non prævio, (alias enim agnosceret gratiam per se efficacem) *sed omnibus eam offert atque ingerit ad salutem omnium Conditor atque Redemptor*. Omnes illi contra Trid. arbitrabantur validam esse sequelam hujus argumenti; „ Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes omnino „ beneficium mortis ejus recipiunt, sed non „ subsistit, nam revera potuit Christus offerre pro omnibus omnino pretium mortis suæ, sic tamen ut nulli in particulari illud applicuerit, sed reliquerit id Patri determinandum, nam recte dicitur quod Christus misertus super turmam totius generi humani, portans iniquitatem *omnium nostrum*, se obtulerit Deo Patri pro omnibus omnino hominibus indefinite, nec ullum excludens, reliquerit Deo Patri *applicationem* pretii infiniti mortis suæ quibus vellet; arcanum enim *mysterium* electionis & discretionis aliquorum, sive ad gratiam sive ad gloriam, præ aliis, ultimo in voluntatem Patris refundendum videtur. Hinc Christus electos dicit sibi à *Patre datos*.

Addis, & de me conquereris dicens „ cæterum optamus intelligere quid amplius „ Auctor Manualis præ Auctore propositionis damnatæ, ex morte Christi pro omni„ bus derivet utilitatis in eos, qui non per„ severant, præter inanem sonum & strepitum syllabarum. Iterum censes me inter Jansenianos, semper *aperta calumnia*. Jansenius tamen assignabit tibi justitiam interiorem, & gratias actualis quibus ad illam pervenerunt: ego autem ulterius assignabo tibi gratiam quantum est ex natura rei sufficienter efficacem ad pœnitentiam, quam Jansenius non agnovit. Estne illa inanis sonus & strepitus syllabarum? credo id bene velles. Consentis Auctori quinque propositionum, & dicis merito eum docere quod proprie mori pro aliquo sit mori ex intentione salutis ejus, quæ, ut ipse dicis, non potest esse innanis. Unde Auctor iste, ut Christus dicatur mori pro aliquo, requirit aliquem effectum mortis Christi in ipsum derivari, cum tamen rectissime juxta Trid. SS. Augustinum, & Prosperum, dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, etsi totus mundus beneficium mortis ejus non recipiat. Deinde si mortuus est pro omnibus *omnino* hominibus ex intentione salutis omnium, quomodo intentio ejusmodi potest esse *sincera*, vi cujus distribuuntur innumeræ gratiæ non congruæ ad perseverandum, cum Deus, qui eas distribuit, possit sine ullo incommodo singulis elargiri gratiam congruam ad perseverandum? quomodo is sincere intendit finem, qui dat media incongrua ad consecutionem ejus, cum ipse nullo negotio possit congrua ministrare? quomodo is sincere intendit salutem eorum quibus dat gratiam ad perseverandum, cui prævidet certo non responsuros, cum nullo negotio possit dare gratiam, cui prævidet certo cooperaturos?

Tandem subjungis ex Trid. Sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*: & cap. 11. *Deus namque sua gratia justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur* & cap. 13. *nisi ipsi ejus gratiæ defuerint &c.* ex illis autem sic infers; „ ergo clare Tridentinum docet „ pro salute æterna saltem omnium omnino „ justorum, mortuum esse Christum. Verum quare dicis saltem omnium omnino justorum, cum Tridentinum exprimat Christum esse mortuum pro omnibus, id est, pro salute omnium, etsi non omnes beneficium mortis accipiant? Vis dicere, arbitror, *quoad efficaciam* non solum ratione gratiæ actualis respectu *operis pietatis*, sed etiam quoad *finalem perseverantiam*. Unde subjungis „ quod Auctor Manualis omnibus justis „ gratia excidentibus ac salute æterna de„ neget auxilium proxime sufficiens ad per„ severantiam, cui scilicet nihil desit ex par„ te Dei, ita quod ipse det tantum *posse* „ perseverare, ipse vero homo justus *sibi* „ *donet* perseverantiam, non ipse Deus.

Resp. Verum est, hoc est quod ipse nego, hoc est quod Scripturæ pernegant, non enim est *volentis* neque *currentis* perseverantia, sed *Dei miserentis*; hoc est cujus contradictorium innumeris locis Sacræ Scripturæ constanter, & valide S. Augustinus propugnavit. Addis „ secundo me negare auxilium re-

„ mo-

„ mote sufficiens, hoc est tale, cui cooperando, auxilium proxime sufficiens habeam in potestate, excludendo a singulis actibus pietatis necessitatem gratiæ per se efficacis. Resp. Hoc est iterum cujus contradictorium SS. Augustinus, Chrysostomus, & ceteri SS. Patres constanter tenuere. Contrarium plane videtur habere doctrina Massiliensium, qui in potestate se habere jactitabant cum gratia mere possibilitatis initium fidei, & perseverantiam in ea: cetera vero bona ad vitam piam pertinentia (quod tu ipse negas, ne evertas libertatem) dona Dei esse concedebant, ut patet per Augustinum Lib. de bono persev. cap. 24.

Ceterum cum perditio nostra ex nobis sit, Oseæ 13. salus autem in Deo, quid restat nisi ut in ejus auxilio firmissimam spem reponamus, ut docet Trid. Sess. 6. cap. 13. Dei, inquam, auxilio operantis in nobis velle & perficere, ut ait S. Synodus ibidem, non in *firmitate* brachii nostri (id est, in viribus & *determinatione* liberi arbitrii) ne, ut contra Massilienses, & reliquias Pelagianorum docet S. Augustinus, *quisque spes sibi sit*, & in illud incurrat quod non *poetice* sed *prophetice*, dictum est: *Maledictus omnis qui spem habet in homine*. Lib. de prædest. Sanctorum cap. 1. Cum vero plus quam notum sit quam timidæ sint cogitationes mortalium, & incertæ providentiæ nostræ, merito miratur S. Augustinus, homines infirmitati suæ se malle comittere, quam firmitati promissionis Divinæ, & mox superbi simul & miseri humani cordis tergiversationem excludens, subjungit, *sed incerta est mihi*, inquis, *de meipso voluntas Dei. Quid ergo tua ne tibi voluntas de teipso certa est, nec times? qui stat, videat ne cadat: cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem suam, spem, caritatemque comittit*. Lib. de prædest. Sanctorum cap. 22. Certe Adamus in tanta felicitate, & tanta non peccandi facilitate non stetit, & inextricabilis peccati grandi ruina nos omnes involvit.

Tandem, vir erudite, tædet me Jansenismi, cujus frequenter me insimulas, calumniarum, & censurarum, quas inique mihi inuris. Tædet me crambis toties recoctæ, quam opponis; lubet nunc breviter necessitatem gratiæ per se efficacis suis fundamentis adstruere, & videre num argumenta nonnullorum, quæ & tua sunt, sint validiora quam ea quæ in anterioribus profudisti.

§. De necessitate gratiæ per se efficacis.

EA probatur primo ex Sacris Litteris. Illustris est locus apud Ezechielem cap. 36. ubi dicit Dominus: *ab universis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor novum, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum; spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Hæc erat mutatio dexteræ Excelsi, prout etiam dicit de se Psalmographus Psal 76. *ego dixi; nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi*. Quo etiam pertinet illud Psal. 66. *confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*; & illud ad Philippenses 1. *qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi*, quo nimirum remunerabit singulos, & cap. 2. *Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*, & Joan. 6. *nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, per gratiam scilicet per se efficacem, unde infra dicit, *nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum a Patre meo*; & ut paucis absolvam, adduco illud ad Rom. 9. *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, utique prævio concursu, non comite tantum, alias sermo posset converti & dici, non miserentis est Dei, sed volentis & currentis est hominis. Quod piæ aures ferre non possunt, ait S. Thomas in Comment. sequutus S. Augustinum Lib. de grat. & Lib. arbit. cap. 7. Qui vero aliter explicat prædictas Scripturas quam de gratia per se efficaci, a sensu S. Augustini, & aliorum SS. Patrum devius est.

Probatur 2. ex SS. Patribus ante Pelagium existentibus. In primis Chysostomo homil. 13. in Joan. *gratia Dei semper in beneficiis priores sibi partes vendicat*. Homil. 12. in priorem ad Corint. cap. 5. *quid igitur habes quasi quod non acceptum habeas? num ipse per te recte operatus es? non sane, sed accepisti, & ideirco magni te facis? propterea cohibere te oportet, non enim tuum id munus est, sed largientis*. Item homil. 4. in posteriorem ad Thessal., *totum est gratiæ Dei*. Et homil. 6. in poster. ad Corint., *totum Deo tribue*, inquit, *nam bonorum Auctor est Christus, non quod idonei sumus a nobis ipsis quidquam cogitare, aut quasi ex nobis ipsis: hoc autem non ita dicebam fiduciam habens, ut id partim sit nostrum, partim sit Dei* (per concursum nempe simultaneum) *sed totum illi* (primitus) *attribuo acceptumque fero*. Sicut vero Gregorius Nissænus, Nazienzenus, Basilius, Chrysostomo; ita Chrysostomus norma doctrinæ fuit posteris Græcis. Hinc Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus in Comment. suis in Evang. & Epistolas Pauli, ita Chrysostomum secutus est, ut Chrysostomi abbreviator dici possit.

Joannes Cassianus quidem fuit Discipulus, & Diaconus Chrysostomi, sed ab eo errorem non hausit, qui postea ad Gallos accedens, ibique sedem apud Massiliam figens, Presbyter ordinatus, secutus est errorem Massiliensium, quem ibi plurimi etiam summi Sacerdotii honore supereminentes sectantur, demptis paucis perfectis gratiæ &

unitas

intrepidis amatoribus, inter quos S. Prosper se censet epistola, ad S. Augustinum.

S. Cyprianus, Hilarius Pictaviensis, S. Ambrosius extiterunt ante Pelagium ejusque hæresim præfocarunt: S. Cyprianus quidem in orat. Domin. *præcedit*, ait, *humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, nihil ergo bonum valet admittere quod non sit ex Divina gratia, ac proinde nec ejus initium nec profectum vel perseverantiam in eo*. Unde Hilarius Pictaviensis Episcopus Can. 25. in Matth. de Deo dicit quod ei debeamus, & *originem & profectum*. S. Ambrosius vero Lib. 2. de bon. merit. cap. 12. *Sequimur te Domine*, inquit, *sed ut sequamur accersi, quia sine te nullus ascendit*: & Lib. 2. in cap. 3. Lucæ *audeo dicere quod homo non possit viam adoriri nisi Dominum habeat præeuntem*, ab illo habuit id quod sæpissime usurpat S. Augustinus, *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*. Lib. 2. retract. cap. 1.

Probatur 3. ex Patribus Pelagio coævis. Hieronymus Lib. 2. adversus Pelagianos cap. 7. illud Psalmi, *& dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi*, ita ex persona justi explicat, *nunc cœpi vel pœnitentiam agere, vel scientiæ limen intrare, & hæc ipsa de bonis ad meliora mutatio, non meārū virium, sed dexteræ & potentiæ Dei*. Epist. ad Ctesiphontem sic scribit: *libertatem arbitrii sic asserendam, ut agamus semper gratias largitori, sciamusque nos nihil esse, nisi quod donavit, ipse servaverit, dicente Apostolo, non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: velle & quærere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum; dixit enim idem Apostolus, Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Conformiter lib. 4. in Jerem. *libertatem arbitrii ita reservandam esse asserit, ut in omnibus excellat gratia Largitoris*: quod sane vigili memoria semper est retinendum, nos esse qui volumus & perficimus, sed Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere, nos esse qui præcepta Dei servamus, sed Deus facit ut in præceptis ejus ambulemus. Ezech. 36.

S. Augustinus vero totus est in eo, ut gratiam per se efficacem contra *novos hæreticos* ut ipse non semel asserit, ubique propugnet. Manifeste eam nobis commendat, ipso teste, Oratio Dominica, qua Deum oramus *ut a nobis sanctificetur Nomen ejus & fiat a nobis voluntas ejus, & in tentationem non inducamur, adeo ut si alia documenta non essent, hæc Oratio Dominica*, inquit, *ad caussam gratiæ quam defendimus sola sufficeret, quia nihil nobis relinquit, in quo tamquam nostro gloriemur*. Lib. de bono persev. cap. 7. Subdit generaliter. *Si quidem ut non discedamus a Deo, non ostendit dandum esse nisi a Deo, cum poscendam dicit a Deo, qui enim non infertur in tentationem non discedit a Deo; non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet*. Subdit S. Doctor, *post casum autem hominis, nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo non recedat ab eo*. Quamquam gratiam ubertim commendent, evidenterque asserant, & aliæ preces de quibus eodem loco S. Augustinus: *prorsus in hac re*, inquit, *non operosas disputationes expectat Ecclesia, sed attendit quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant. Deus ergo eos convertit ad fidem. Orat ut credentes perseverent. Deus ergo donat perseverantiam usque in finem*; & quamvis hæc perabunde sufficiant, lubet addere hæc pauca: *quod vitium* superbia, *nisi adjuvante gratia superetur, nemo ad justitiam convertitur: nisi operante gratia sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur. Cujus autem gratia vincitur, & sanatur, nisi illius cui dicitur: converte nos Deus sanitatum nostrarum, & averte iram tuam a nobis?* Lib. 2. de peccat. merit. cap. 19. Et paullo infra docet: *Deum ideo Sanctos, & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanare.... in eo commendans gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est, qui error* inquit *multum est religioni pietatique contrarius*.

Hinc Pelagium hostem gratiæ per se efficacis cum suis adhærentibus Honorius Imperator Roma expulit: rediit Pelagius in Britanniam natale solum, inde S. Prosper vocat eum *serpentem Britannicum*, ibique eum S. Germanus Antisidoriensis, & S. Lupus Trecensis valide confutarunt, & convicerunt.

Probatur 4. ex SS. Prospero, Fulgentio & aliis Pelagio posterioribus. Tantum abest ut S. Prosper approbet gratiam, quæ tantum det posse, efficaciam suam emendicantem a Libero voluntatis arbitrio, eaque sit contentus; ut veram Christi gratiam dicat esse omnipotentem cap. 15. carm. de ingratis, his verbis: *at vero omnipotens hominem cum gratia salvat, ipsa suum consummat opus, non mobilibus illi sit mora, nec caussis anceps suspenditur ullis*. Ubi locabitur gratia sufficiens, Massiliensium, vel congrua, nisi forte in spatiis imaginariis? & cap. 34. vocat Massilienses solos querulos, solosque superbos, solos ingratos, *quos* inquit, *urit gratia*, nempe gratia per se efficax quam oderant, agnoscebantque solam gratiam, *cujus*, inquit, ipsos alloquens, *omne opus arbitrio vultis subsistere vestro*, & breviter optimeque distinguens inter concursum simultaneum & prævium contra Collat. cap. 26. sic ait: *Manens autem liberum arbitrium a vanitatibus, & cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege defluxit, non a seipso, sed a Creatore mutatur, ut quidquid in eo in melius reficitur, nec sine illo sit qui*

sana-

sanatur, nec nisi ab illo sit qui medetur, cujus sumus nova creatura novumque figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus.

Hoc pertinet quod idem S. Doctor narrat in chronico ad annum Christi 418. his verbis: *Concilio apud Chartaginem habito ducentorum quatuordecim Episcoporum ad Papam Zozimum decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est;* & cap. 10. contra Collat. sic eum alloquitur: *secundum quippe tuam censuram, qua Sanctorum & fidelium voluntatem asseris non in omnibus hominibus ex Deo esse principium; erravit Papa Innocentius, & Petri Sede dignissimus, qui cum de istis loqueretur, qui in libero arbitrio gloriantur: nam quid, inquit, nos de eorum posthac ratum mentibus existimemus qui sibi reputant deberi quod boni sunt..... errarunt Africana Concilia, quæ decretis suis constituere, utrumque donum Dei esse, & scire quid facere debeamus & diligere ut faciamus, ut ædificante caritate scientia non possit inflare; erraverunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Sedis Apostolicæ antistitem Beatum Zozimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium per venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum ad agnoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari, ita ut sine illo nihil veræ sanctaque pietatis habere, cogitare, dicere, vel agere valeamus.* Deinde commemorata Zozimi ad Fratres & Coepiscopos epistola & rescripto eorum pro gratia per se efficaci: sic affatus Collatorem concludit: *videsne regulas tuas invictarum constitutionum soliditate confractas, & in fidei structura pravas ruinosasque juncturas, velut Jerichuntinos muros ad Sacerdotalium tubarum ruisse concentum?* Et paullo infra: *postrata est*, inquit, *inimica acies, bellum confectum est, victores sumus, per illum qui fecit potentiam in brachio suo, qui dissipavit superbos mente cordis ipsorum.* Ita ille.

S. Fulgentius etiam fidelis S. Augustini Discipulus totus decertat pro gratia per se efficaci, ut lib. de Incarnat. cap. 20. *Omnia* inquit, *quæ pertinent ad bonæ voluntatis initium vel profectum, Deum in nobis, & incipere, & perficere sine aliqua hæsitatione credimus.* Item Lib. 1. ad Monim. cap. 4. *Ipse facit, ut faciamus, quo in nobis operante fit omne bonum quod facimus*, & epist. 6. cap. 8. *quidquid habes bonæ voluntatis, vel bonæ operationis, Deo assigna qui dedit, & ipsum humillime roga ut conservet & augeat quod donavit.*

Neque hic omittendus S. Gregorius qui homil. 9. super Ezech. sic loquitur: *sciendum est*, inquit, *quia mala nostra solummodo nostra sunt, bona autem nostra & omnipotentis Dei sunt & nostra, quia ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur.... præveniente ergo gratia & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum.* S. Bernardus omnibus prædictis consonat in tract. de grat. & lib. arbit. *Quidquid boni in te inveneris, illi tribue a quo omne bonum est, sine quo non parvum aliquid, sed nihil omnino potes incipere, ne dicam perficere.*

Si vero quis objiciat, quid tu ergo operaris, aut quid mercedis ac præmii expectas, si totum dandum est Deo, ut ex SS. Patribus audivimus. Resp. Totum *primitus* est Dei, id expressit subtiliter & diserte S. Bernardus Lib. de grat. & lib. arbit. ejusmodi argumento respondens, his verbis: *Quod a sola gratia cæptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt, totum quidem hoc, & totum illa, sed sicut totum in illo, sic totum ex illa.*

Tandem Concilium Arausicanum Can. 5. Apostolicis dogmatibus adversari pronunciat eum, *qui sicut argumentum, ita & initium fidei ipsumque credulitatis affectum negat per inspirationem Spiritus Sancti haberi*; sicut & Cant. 6. eum, qui ut credamus, velimus vel alia sicut oportet agere valeamus, *non fatetur fieri per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti.* Quod non facit, qui dicit ea posse haberi per gratiam mere possibilitatis. Ne quis autem suspicetur in damnando hoste gratiæ Dei Pelagio dissentisse *orientem* ab *occidente*, Patres Græcos a Latinis; sicut *Occidentalis* Ecclesia sententiam magni Augustini, ita *Orientalis* in Ephesina Synodo Cælestini, Romanæque Ecclesiæ, secuta est judicium.

§. *De gratia, quantum est ex natura rei, efficaciter sufficiente.*

QUia vero gratia quantum est ex natura rei efficaciter sufficiens sæpius ante descripta, est ejusdem speciei cum gratia per se efficaci, hic non erit inutile de ea breviter aliquid inserere.

In primis nullus dubitare finitur lucem Cælestem gratiæ, quantum est de se esse illuminativam & accensivam cordis, idque illuminaret & accenderet nisi *tenebræ & frigus nostrum ad æterna* ponerent obicem.

Notum etiam est quod delectatio Cælestis, eam elevante Deo, sit attractiva ad dilectionem summi Boni, eamque sine ope alterius auxilii attraheret (quod evidens signum est

est ex natura rei non requiri prædeterminationem physicam ad omnem actum) nisi major concupiscentia poneret obicem: *Poculum namque immortalitatis, quod confectum est ex infirmitate nostra, & virtute Divina habet quidem in se ut omnibus prosit*, ait S. Prosper. respons. 1. ad Vincent., *sed si a nauseabundo non bibitur, non medetur*. Igitur datur gratia interior distincta a gratia per se efficaci, quæ dat verum posse ad actum pietatis, immo daret agere sine concursu alterius auxilii, nisi cordis durities obsisteret; quod multis Sacrarum Litterarum testimoniis & SS. Patrum Auctoritate in anterioribus demonstratum est.

Neque hæc sententia mihi nova est, eam expressi in Apologia ante sexdecim annos impressa, quam evulgavi in anterioribus partim *contractam*, partim *ampliatam*, contra os in Sanctam Sedem loquentium iniqua, his verbis: Quod vero attinet ad locum Trid. *Deus sua gratia justificatos non deserit, nisi deseratur*, juxta nonnullos habet hunc sensum, quod Deus, qui est vita Animæ nostræ ab ea per gratiam justificata non abscedat, nisi ipsa mortaliter peccando eam deseruerit: Deus enim tale bonum est, ut invitum nullo modo deserturus sit, *hoc est bonum*, ait S. Augustinus, *quod non potes invitus amittere; potes enim aurum perdere etiam nolens; potes domum &c. Bonum vero quo vere bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis*, serm. de verb. Dom. cap. 5. dicit enim ibi Trid. *quod justus quantumvis in peccata venialia cadat, non desinat esse justus* & subjungit, *Deus namque sua gratia justificatos non deserit, nisi prius deseratur*. Verum hæc posteriora verba non immediate subjunguntur prædictis, sed interponuntur hæc, *quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccatis, servi autem facti Deo sobrie, pie, & juste viventes, proficere possunt per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt ad gratiam istam*. Postea immediate subjungit, *Deus enim sua gratia semel justificatos non deserit &c.* Etiam quantum ad gratiam actualem, qua possint pie viventes proficere, nisi per peccatum mortale ab iis deseratur. Locus etiam S. Augustini de nat. & grat. cap. 26. qui citatur ad marginem dicti capitis 11. ejusdem Trid. etiam agit de gratia actuali, quia ibi S. Augustinus loquitur contra Pelagium contendentem solam esse admittendam gratiam remissionis peccatorum, seu non esse necessariam Dei gratiam *ne peccemus, sed quia peccavimus*: cui reponit S. Augustinus, Deum non esse instar hominis Medici, qui cum ægrum sanaverit, ut in ea sanitate persistat, Deo ipsum commendat; *Deus autem*, inquit, *cum spiritualiter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, & eum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiæ perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur*. Deinde contra Pelagium concludit: *Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus*. Loc. cit. de nat. & grat. Porro homines sæpe desunt gratiæ Dei actuali, quia hæc de sursum veniens, etiam sursum nititur, eoque nos suaviter trahit, nisi obstaculum ponamus; non raro enim contigit quod præ duritie cordis nostri, gratia quæ alias foret efficax, effectu frustretur. Hinc S. Augustinus præfat. in Psal. 124. de impiis loquens, *cor eorum congelascit*, inquit, *adversus imbrem gratiæ Dei ne fructum ferat*. Amor proprius etiam repetens originem suam (de terra enim sic) semper magis magisque deprimit, & resistit gratiæ, quando facit plus delectare quod impedit, quam delectat id quod præcipit Deus: unde & S. Thomas verba Psal. 18. *non est qui se abscondat a calore ejus* explicans, ait, *quod sicut sol ex parte sua exhibet se omnibus; sic Spiritus Sanctus effunditur ubique & petit ab omnibus recipi, nisi quis per malitiam se abscondat*. Quod igitur gratia quantum est ex natura rei efficax destituatur effectu, non ex parte Dei oritur, sed ex defectu hominis; idque luculenter docet S. Augustinus: *ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipsis itidem Caussa est, non in Deo*, ita ibi. Idem insinuavi in Manuali 1. Editionis tract. de Deo Creat. & Redempt. §. 21. Gratias speciales, & magnas Deo debeo, & ego quod in errorem doctrinæ isti contrarium numquam inciderim: scio nullum errorem esse, in quem labi nequeat mens humana, si Deus lumen Cælestis gratiæ suæ subtraxerit.

§. *Quibus machinis nonnulli conantur diruere necessitatem gratiæ per se efficacis ad actus singulos pietatis*.

Resp. Nonnulli allegant varias scripturas, quibus probare conantur hominem posse per se ipsum ad gratiam præparari, quæ præparatio non potest non esse actus pietatis, & salutaris. 1. enim Proverb. 6. dicitur *hominis est præparare Animam & Domini gubernare linguam*: ejusmodi antithesis non videtur posse salvari, nisi solius hominis sit præparare Animam, cum gubernare linguam (quod dicitur esse Domini) etiam sit hominis gratia Dei adjuti.

2. Zachariæ 1. dicitur, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, illud convertimini debet intelligi sine gratia, nam alias Deus

non

non diceret convertar ad vos, quia prius ad eos esset conversus gratiam eis impertiendo.

3. Psalm. 80. dicit Deus, *dilata os tuum* (seu ut alii legunt, aperi os tuum) *& implebo illud*; ergo prima dispositio, primique conatus boni operis, qui per apertionem oris significantur, sunt a nobis ipsis, etsi complementum sit a Deo: unde Isaiæ 30. dicitur, *expectat Dominus ut misereatur vestri*.

Hinc Cyrillus Hierosol. initio præfat. ad suas Catecheses, *liberalis est*, inquit, *Deus & pronus ad benefaciendum, expectat tamen cujuslibet propriam voluntatem*; & catechesi 1. *Dominus delectum faciens Animarum voluntates illarum scrutatur*. Et S. Hieronymus Lib. 1. adversus Pelagianos cap. 2. *nostrum est velle*, inquit, *& quærere, sed ut voluntas nostra compleatur, & cursus, ad Dei misericordiam pertinet*. Et rursus Lib. 3. cap. 1. *nostrum est rogare, illius tribuere quod rogamus, nostrum incipere, illius perficere, nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus*.

Ad 1. respondeo hominis esse præparare Animam ad bene, & salubriter loquendum, quod citra gratiam Dei non fit, sed post omnem nostram industriam pendemus ab adjutorio Dei solius, cujus est sic linguam moderari, ut bene, utiliter & cum gratia adjutorii eloquamur quæ concepimus: immo aliquando contingit hominem, etsi multum conetur, non posse tamen eloqui quod cogitavit, ideoque gubernare linguam, recte dicitur esse solius Dei. Hanc sententiam satis congruere communi dicto: *homo proponit, Deus disponit*, censet Jansenius Gandensis in illum locum.

Ad 2. & 3. dico convertimus quidem nos ad Deum, & aperimus ei cor nostrum, sed non sine speciali Dei auxilio, unde Threnorum 5. dicitur: *converte nos Domine ad te, & convertemur*, & Psal. 50. *Domine labia mea aperies*: & Act. 16. *cujus Dominus aperuit cor*. Trid. Sess. 6. cap. 5. ait, *cum dicitur convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cum respondemus converte nos Domine ad te, & convertimur, Dei nos gratia præveniri confitemur*. Recte Fulgentius comprehendens id quod sæpe repetit S. Augustinus, *dum præcipit nobis*, inquit, *ostenditur quid habere debeamus, sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur ut a quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium, quod tamen non possumus petere, nisi Deus in nobis operetur & velle*.

Verum dicet quispiam, quomodo, quo conatu adsciscemus e cælo efficacem illam gratiam, quæ in nobis operetur, & velle? sed repono, quomodo, qua industria adscisces, ut ipse e Cælo gratiam congruam, aut eam cui præscit Deus te responsurum? Refugium meum est cum S. Augustino medullitus dicere, *tota spes mea o Deus! non nisi magna misericordia tua*, quia juxta Trid. *in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim nisi gratiæ illius defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere*: quod non possunt facere adversarii, quia gratiam per se efficacem libertatem evertere existimant, sine qua nulla spes, nullum meritum. In quo ergo reperient firmissimam illam spem nisi in lubrico gratiæ sufficientis, de qua eis voluntas incerta est, nec constat an Deus præscierit eos illi cooperaturos! Si dixerint certum esse quod ea muniti possint velle, possint orare, & ita præparare gradum ad gratiam proxime sufficientem; verum quid hoc ad firmissimam spem, cum id potius accedat ad metum damnationis? Deinde id quod dicunt posse, incertum est, immo assero fictitiam esse potentiam in statu naturæ lapsæ; omnes enim jacemus oppressi concupiscentia, & in æternum jaceremus, nisi nos Christi relavasset adventus: ergo sicut non inde erigimur ad actum pietatis, nisi per gratiam per se efficacem, ita non possumus erigi nisi per gratiam de se & ex natura rei erectivam, qualis non est gratia sufficiens Massiliensium, que de se est inefficax, estque gratia primæ conditionis & integritatis, ut diserte docet S. Augustinus, non gratia hujus infirmitatis. Hinc Sriptura S. non agnoscit nisi gratiam quantum est ex natura rei efficaciter sufficientiem, qualis non est etiam gratia congrua, quæ ex natura rei non est efficax, dans tantum posse, non agere.

Deus autem dicitur expectare nostram voluntatem *more humano*, quia exigit unum, ut postea det alterum, sic exigit pœnitentiam antequam flagella auferat, quibus sublatis expectari dicitur pœnitentiam: exigit autem id, quod non nisi ex dono ejus haberi potest, quia est actus, qui nonnisi a libera voluntate exequendus est: non expectat autem Deus nostram voluntatem aut consensum, immo nullum prorsus motum bonæ voluntatis habemus sine ejus speciali gratia. Unde Arausf. cap. 4. sic definit: *si quis ut a peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem, & inspirationem in nobis fieri non confitetur, resistit Spiritui Sancto*.

Ad id quod subjungitur, recte observat Sylvius cum Estio S. Cyrillum annumerandum esse illis Patribus, qui nondum exorta hæresi Pelagii, non satis caute & plene, toti intenti defendendo libero arbitrio, contra tum grassantem hæresim Manichæorum, locuti sunt, quorum proinde sententiæ in materia gratiæ non sunt urgendæ, sed si quæ durius sonant, ad catholicum sensum beni-


gnam

gna interpretatione flectendæ, ab iisdem aliis locis expressum.

Igitur respondeo S. Cyrillum censere Deum expectare propriam hominis voluntatem a gratia præveniente excitandam, ut ulteriorem gratiam & abundantiorem ei largiatur, quia Chatechesi 5. ait *fidem a Deo donari*; & Chatechesi 6. sic loquitur: *vobis det* (Deus) *tale odium contra draconem, ut quemadmodum ille insidiatur calcaneo, sic vos caput illius conculcetis.*

Ad id quod subjungitur ex Hieronymo, dico *nostrum esse*, velle, & quærere, rogare & offerre, *Dei* autem complere & perficere quoad externam executionem & eventum. Solius itidem Dei est sic impedimenta avertere & externam actionem dirigere, ut effectus qui desidaratur, eveniat.

F I N I S.



NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del Pubblico Revisor *D. Natal dalle Laste* nel Libro intitolato *Aggiunta al Juenin nel Trattato de Gratia MS*, non v'esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza *all' Erede di Niccolò Pezzana*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 29. Aprile 1778.

{ *Piero Barbarigo Rifor.*

{ *Francesco Morosini 2do. Kav. Proc. Rifor.*

{ *Girolamo Grimani Rifor.*

Registrato in Libro a Carte 376. al Num. 1263.

Daviddè Marchesini Segr.

Addi 4. Maggio 1778.

Registrato nel Magist. Eccellentiss. contra la Bestemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segr.





